

Mnemosyne

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM PRIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1903.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM PRIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1903.



EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO ANTEHAC E. J. BRILL.

INDEX

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DEMOSTHENEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

ΟΛΥΝΘΙΑΚΟΣ Α.

§ 22 p. 15: *ἤκουον δ' ἔγωγέ τινων, ὡς οὐδὲ τοὺς λιμένας καὶ τὰς ἀγορὰς ἔτι δώσοιεν αὐτῷ καρποῦσθαι.* Scio sane *λιμένας* et *ἀγοράς* haud raro coniunctim memorari, veluti Plat. Legg. IX p. 871 A: *μήτε ἱερά, μήτε ἀγοράν, μήτε λιμένας, μήτε ἄλλον κοινὸν ξύλλογον μηδένα μιαίνων.* Hinc facile est existimare quid legendum sit apud Polybium V 11. 3, quem locum tractavi *Mnem.* 1857 p. 237: *καταφθείρειν φρούρια, λιμένας, πόλεις, ἄνδρας, ναῦς, καρπούς*, nam planissime legendum est *ἀγοράς*, nec miror horum vocabulorum confusionem, cum verba *ὁρᾶν* et *δρᾶν* nota de causa pariter confundi soleant. Si quis plura requirit, rem ulterius illustrabit Xenophon de Vectig. IV 40: *διὰ τὸ πλειόνων ξυναγειρομένων ἀνθρώπων πλείω εἰσάγεσθαι καὶ ἐξάγεσθαι καὶ διὰ τὸ ἐν λιμένι καὶ τὰς ἀγορὰς αὐξάνεσθαι.* De Demosthenis loco est tamen cur dubitem; nam quum sermo fiat de Thessalis et Galenus Vol. IV p. 296. 33 tradat *Θετταλοὺς τὴν ἡμῶν προσαγορευομένην ἀγορὰν λιμένα ὀνομάζειν*, proclive est suspicari Oratorem scripsisse: *ὡς οὐδὲ τοὺς λιμένας ἔτι δώσοιεν αὐτῷ καρποῦσθαι*, sciolum fuisse qui addiderit: *καὶ τὰς ἀγοράς*. Vide praeterea ad Phil. Epist. § 7 p. 154.

§ 27 p. 17. Cobetus *Miscell. Crit.* p. 15 laudat Iulianum in Epistula ad Athenienses p. 287: *τὸ παθεῖν τε οἶμαι προσῆν καὶ ἔτι ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας τοῖς γε σώφροσιν*, ubi apertissime legendum est *ζημία*, sicuti Cobetus ipse iam correxerat *Mnem.* 1859 p. 399.

ΟΛΥΝΘΙΑΚΟΣ Β.

§ 3 p. 18: *ὅτι μοι δοκεῖ πάνθ' ὅσ' ἂν εἴποι τις ὑπὲρ τούτων, ἐκείνῳ μὲν ἔχειν φιλοτιμίαν, ἡμῖν δ' οὐχὶ καλῶς πεπρᾶχθαι.* Ultimum vocabulum plane non intelligo. Commendo: *πεπεράνθαι.* Cf. Philipp. I § 28 p. 48.

§ 5 p. 19: *δυοῖν ἕνεκα ἡγοῦμαι συμφέρειν εἰρῆσθαι τοῦ τ' ἐκεῖνον ὅπερ καὶ ἀληθὲς ὑπάρχει φαῦλον φαίνεσθαι καὶ τοὺς ὑπερεκπεπληγμένους ὡς ἄμαχόν τινα τὸν Φίλιππον ἰδεῖν ὅτι πάντα διεξελήλυθεν οἷς πρότερον παρακρουόμενος μέγας ηὐξήθη.* Hic Cobetus *Miscell.* p. 451 commendat *φλαῦρον*. „Etenim", inquit, „*φαῦλος contemtim* dicitur, *φλαῦρος odiose* èt *criminose. Φαῦλος* est *εὐτελής*, *ὀλίγου ἄξιος*, *εὐκαταφρόνητος*, *σμικρός*, *ταπεινός* et sim. *Φλαῦρος* contra est *κακός*, *πονηρός*, *μοχθηρός*. Philippus Atheniensibus nihil minus quam *φαῦλος* esse videbatur, sed *malus* et *improbus*". Assensus est Blassius qui quum praeterea in Codice Monacensi Hermogenis Vol. III p. 287 *φλαῦρον* invenisset, non dubitavit hoc ipsum oratori reddere. Equidem plurimum ambigo rectene factum sit. Nihil opus est omnia repetere quae de horum adiectivorum discrimine disputavi *Mnem.* 1879 p. 58 et nuper *Mnem.* 1899 p. 157. Res eo ferme redit: apud veteres Atticos *φαῦλος* est *ἁπλοῦς*, quin et laudi ducitur *ἡ φαυλότης*. Quidquid est leve, mediocre, in quo nihil eminet, quod neque optimum est nec pessimum, id omne *φαῦλον* dicitur. Tria dabo ex Euripide exempla, qui *ἐν τῷ Λικυμνίῳ* Herculem laudavit *φαῦλον ἄκομψον τὰ μέγισ' ἀγαθόν*, deinde in Ione dixit vs. 834:

φαῦλον χρηστὸν ἂν λαβεῖν φίλον
θέλοιμι μᾶλλον ἢ κακὸν σοφώτερον.

Denique est eiusdem fragmentum 212:

δαιτὸς δὲ πληρωθείς τις ἄσμενος πάλιν
φαύλῃ διαίτῃ προσβαλὼν ἥσθη στόμα,

nam φαύλη δίαιτα non est sordidus victus, quo nemo delectari potest, sed *simplex* et frugalis. Olim φαῦλοι et ἐπιεικεῖς iidem fuerant, sed iam mature ὁ ἐπιεικής laudari coepit, cum in eo nihil inesset mali, vituperabatur autem ὁ φαῦλος quum nihil haberet eximium quod eluceret. Hinc circa Demosthenis fere tempora cum *contemtu* mediocrem hominem φαῦλον appellare consueverunt tandemque eo perventum est apud recentiores, veluti apud Plutarchum, ut ἰσοδύναμα essent φαῦλον et κακόν. Est igitur facta eadem significationis immutatio, quam cernimus in nostro adiectivo *slecht*; etiam Germani suum habent *schlecht und recht*, quum eo sensu ceteroquin, nisi fallor, *schlicht* pronuncient. Φλαῦρος autem semper sic simpliciter κακός fuit atque hinc factum est, ut postea huius adiectivi usus raresceret, quum φαῦλος, novicio utique sensu, omnibus perpetuo in ore esset.

Itaque haec omnia ut probarem in superioribus Mnemosynes voluminibus quae dixi, complura exempla dedi ex Isocrate et Plutarcho potissimum excerpta; nunc autem de Demosthene videamus. Ac primum quidem apud eum minime rarum est adiectivum φλαῦρος. Veluti Mid. § 119 p. 553: ὤμνυ μηδὲν εἰρηκέναι περὶ αὐτοῦ φαῦλον· lectio est Codicis Parisini, sed concedendum est Cobeto *Miscell.* p. 511 in aliis libris rectius legi φλαῦρον. Sic recte editur Lept. § 102 p. 488: οὐδὲν γὰρ φλαῦρον ἐρῶ σε. Mid. § 208 p. 581: περὶ ὧν οὐδὲν ἂν εἴποιμι πρὸς ὑμᾶς φλαῦρον ἐγώ. Syntax. § 36 p. 177: οὐδεὶς ἐρεῖ φλαῦρον οὐδέν. Lept. § 13 p. 461: τὰ μὲν ἄλλ' ἔγωγε οὐκ οἶδα οὐδὲ λέγω φλαῦρον οὐδὲν οὐδὲ σύνοιδα. Mid. § 203 p. 579: ἂν δέ τι φλαῦρον, ὃ μηδεὶς ἂν βούλοιτο τῶν ἄλλων (scil. ἀγγελθῇ), πρῶτος ἀνέστηκεν. Coron. Trierach. § 20 p. 1234: τοῖς βουλομένοις τι λέγειν φλαῦρον. Androt. § 12 p. 596: ἵνα μηδὲν εἴπω φλαῦρον. Aristocr. § 92 p. 651: ἡ πόλις φλαῦρον οὐδὲν πείσεται. Timocr. § 127 p. 740: περὶ δὲ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ οὐδὲν ἂν φλαῦρον εἴποιμι. Timocr. § 158 p. 749: ὥστ' εὖ εἰδέναι ὅτι οὐδὲν αὐτῷ γενήσεται φλαῦρον. Boeot. de dote § 48 p. 1022: λέγειν περὶ ἐκείνης τι φλαῦρον.

Consequitur, uti opinor, quum Demosthenes toties usurpaverit adiectivum φλαῦρον, nondum vulgi usu in eius locum substitutum fuisse adiectivum φαῦλον, nec significare κακόν. Haec quo-

que res exemplis luculenter comprobatur; est enim *leve*, *contemnendum*, *εὐκαταφρόνητον*. Olynth. II § 26 p. 25: *ἐκ χρηστῶν φαῦλα τὰ πράγματα τῆς πόλεως γέγονεν*. Ibid. § 29 p. 26: *ὅταν εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψητε φαύλως ἔχοντα*. Fals. Leg. § 202 p. 404: *ἐγὼ μὲν γάρ, εἰ ταῦτα πεποίηκα, φαῦλός εἰμ' ἄνθρωπος*. Philipp. I § 2 p. 40: *τὰ πράγματα πάνυ φαύλως ἔχειν δοκεῖ*. Ibid. § 50 p. 54: *οὐ γὰρ ἅττα ποτ' ἔσται δεῖ σκοπεῖν, ἀλλ' ὅτι φαῦλα — εὖ εἰδέναι*. Rhod. lib. § 12 p. 193: *οἶμαι μὲν οὖν οὐδὲ βοηθήσειν αὐτήν, ἂν δ' ἄρα τοῦτο ποιῇ, φαύλως καὶ κακῶς*. Coron. § 255 p. 312: *ὁ δὲ τὴν ἰδίαν τύχην τὴν ἐμὴν τῆς κοινῆς τῆς πόλεως κυριωτέραν εἶναί φησι, τὴν μικρὰν καὶ φαύλην τῆς ἀγαθῆς καὶ μεγάλης*, qui locus prae ceteris consideratione dignus est. Fals. Leg. § 8 p. 343: *ἂν δὲ μὴ δείξω ταῦτ' ἢ μὴ πάντα, ἐμὲ μὲν φαῦλον ἡγεῖσθε, τοῦτον δ' ἄφετε*. Aristocr. § 1 p. 621: *μικρὸν ὁρῶντά τι καὶ φαῦλον ἁμάρτημα*. Conon. § 13 p. 1261: *οὐ μετρίας τινὰς καὶ φαύλας λαβὼν πληγάς*. Aristocr. § 62 p. 640: *ἄρ' οὖν μικρὰν ἢ φαύλην πρόνοιαν ἔχειν ὑμῖν ὁ θεὶς τὸν νόμον δοκεῖ*; Aristocr. § 201 p. 687: *τῆς πόλεως ἡ δωρεὰ προπεπηλάκισται καὶ φαύλη γέγονεν*. Timocr. § 205 p. 764: *δόξης ἀναπιμπλάναι φαύλης*. Olynth. III § 32 p. 37: *ἔστι δ' οὐδέποτε μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας*. Aristog. I § 15 p. 774: *ἡ μὲν οὖν φύσις ἂν ᾖ πονηρά, πολλάκις φαῦλα βούλεται*. Aristog. II § 22 p. 807: *κύνα ἀγεννῆ καὶ φαῦλον*. Coron. § 266 p. 315: *ἀγαθῇ γε τύχῃ συμβεβιωκὼς τῆς ἐμῆς ὡς φαύλης κατηγορεῖς*. Quod autem olim dixi, quem hominem inimici qui omnia maligne interpretantur, *φαῦλον* appellant tanquam virtutis expertem, eundem amicos ut excusent *ἐπιεικῆ* appellare, qui tamen nihil admodum peccarit, hoc valebit ad melius intelligendum Aesch. Tim. § 109: *ἀλλὰ καθ' αὑτὸν μὲν ἄρχων φαῦλος ἦν, μετὰ πλειόνων δ' ἐπιεικής*.

Nunc redeo ad locum a quo tota haec disputatio profecta est. Nempe contenderat orator hoc agendum ut omnibus appareret quis esset Philippus, nempe *φαῦλος*. At Philippus, Cobetus ait, Atheniensibus nihil minus quam *φαῦλος* esse videbatur, sed *malus* et *improbus*: etenim *φαῦλον contemtim* dici, *φλαῦρον odiose* et *criminose*. Est ut Cobetus perhibet: Philippus videbatur Atheniensibus esse *φλαῦρος* et *ἄμαχος* et *φοβερός*, sicuti sequenti paragrapho legimus. Sed omnibus viribus obnititur Demosthenes:

quibus artibus ad tantam potentiam Philippus pervenit, eae iam patescunt; in posterum neminem decipiet; ipsi iam Thessali sentiunt fraudes quibus circumventi fuerunt; admoniti omnes sibi cavebunt a Macedonis blandimentis; hinc quidquid crepant Athenienses, Demosthenes *contemtim* regem Φαῦλον appellat et vulgatam lectionem omnino retinendam esse censeo. Provoco ad lectores qui totam περικοπὴν relegerint. Ceterum admirabile est videre quam raro haec adiectiva ab librariis confusa fuerint; hoc quoque iam observaram *Mnem.* 1879 p. 63. Unum exemplum supra habuimus; alterum est apud Clementem, cuius locum vide apud Cobetum ἐν τῷ Ἑρμῇ Λογίῳ p. 276. Itidem confer Arist. Eqq. 385.

§ 9 p. 20: ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντ' ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσεν. Cobetus *Var. Lect.* p. 327 expunxit καὶ διέλυσεν· „etenim", inquit, „verbum acre et vehemens et splendida metaphora tanquam nube obscuratur languido et insipido verbo διέλυσε." Deinde provocat ad Harpocrationis auctoritatem: ἀνεχαίτισε· ἀντὶ τοῦ ἀνέκοψεν ἢ ἀνέτρεψεν, ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἵππων, etenim satis apparere hunc sine interpolato verbo locum in suo codice invenisse. Ipse ultro concedo postremum argumentum non esse gravissimum indeque minus miror quod anno 1877 Blassius in libro *de Eloquentia Attica* III 1 p. 87 locum integrum esse pronunciavit et ab omni suspicione liberum; sed anno 1892 in editione Demosthenis Teubneriana aliter fortasse fuisset iudicaturus, si legisset quod Cobetus disputat in *Praefat. Novar. Lect.* p. XXXIII. Nimirum hic producit ex antiquo et erudito Rhetore, qui non ita pridem ex Parisino codice prodierat in lucem et brevi ante a Spengelio repetitus erat in Rhett. Graec. I p. 437: ἐν ταῖς λέξεσιν, inquit, ἔςαι συντομία, ἐὰν τοῖς τροπικοῖς ἐνίοις κυρίως χρῷο, ὥσπερ Δημοσθένης τῷ ἀνεχαίτισεν. διὰ μιᾶς γὰρ λέξεως ὅλον ἐπλήρωσε νόημα. „Agnoscisne", Cobetus ait, „in his idoneum iudicem? Quid igitur? Videturne tibi in suo codice legisse ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσεν? Num hoc esset διὰ μιᾶς λέξεως ὅλον νόημα πληρῶσαι? Est illud verbum tam acre ac vehemens ut nihil superaddi possit." Cobetus hic provocat ad locum Rhetoris anonymi nuper editum, sed etiam luculentius est testimonium Doxopatris in Homiliis ad Aphthonium apud Walzium II p. 232: Δημοσθένης εἰπών· μικρὰ πρό-

φασις καὶ τὸ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντ' ἀνεχαίτισε· διὰ μιᾶς λέξεως καὶ πᾶσαν ἡμῖν τὴν παραβολὴν παρέστησε· καὶ τοῖς ἀπειθοῦσιν ἵπποις παρέβαλε τοὺς βίᾳ κατεχομένους καὶ ἐν καιρῷ πάλιν ἀφισταμένους συμμάχους. Itaque, uti auguror, in posterum de interpolatione non dubitabitur et admirationem movet saeculo undecimo, quo saeculo Doxopatrem vixisse invenio, in uno pluribusve fortasse libris locum integrum fuisse servatum. Contra Olynth. II § 20 p. 23 in optimis libris recte legitur: *αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι τὰ τοιαῦτ' ὀνείδη*, sed qui spuriam orationem composuit ad Epist. Phil. § 13 p. 155 *συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι* scripsit itemque apud Walzium I p. 200 Theon, qui Hadriani tempore floruisse fertur, itidem habet *συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι.* Sed hodie nemo iam dubitat quin istiusmodi interpolationes satis fuerint vetustae.

Verum Cobetus eo loco quem dixi, addidit aliquid quod equidem falsum esse arbitror. „Non solet orator", inquit, „otiose *ἰσοδύναμα* cumulare: *συγκρύψαι τὰ τοιαῦτ' ὀνείδη* tantundem est atque *συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι*: sententiae nulla vis additur neque numerosius sic cadit oratio neque ad aures accidit gratior. Cur igitur addidisset Demosthenes qui numquam orationi verba inutilia admiscet?"

Itane serio? Non solet Demosthenes otiose *ἰσοδύναμα* cumulare? Imo saepissime hoc facit et operae pretium est illum errorem diligenter refutare, qua in re utar locis, quorum maximam partem debeo Blassii diligentiae. Primum aliquot exempla dabo nominum inutiliter cumulatorum, sed sonus implet aures et numero oratorio aliquid dandum est.

Fals. Leg. § 146 p. 386 et similiter § 226 p. 411: *πῶς οὐ δεινὸν καὶ σχέτλιον*; sed Lept. § 156 p. 504: *πῶς οὖν οὐ σχέτλιον καὶ δεινόν*; Pac. § 4 p. 57: *φορτικὸν καὶ ἐπαχθές.* Fals. Leg. § 240 p. 416: *τὴν ἀφανῆ καὶ ἄδηλον χάριν.* Philipp. I § 36 p. 50: *ἄτακτα, ἀδιόρθωτα, ἀόριστα ἅπαντα.* Philipp. III § 40 p. 121: *ἄχρηστα, ἄπρακτα, ἀνόνητα.* Coron. § 12 p. 229: *ἐχθροῦ μὲν ἐπήρειαν ἔχει καὶ ὕβριν καὶ λοιδορίαν καὶ προπηλακισμὸν ὁμοῦ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα.* Cherson. § 13 p. 93: *λόγοι καὶ προφάσεις.* Fals. Leg. § 100 p. 373: *σκήψεις καὶ προφάσεις.* Fals. Leg. § 163 p. 392: *σπουδὴ καὶ προθυμία.* Philipp. III § 53 p. 124: *τῷ λογισμῷ καὶ τῇ διανοίᾳ*, cet. cet.

Etiam saepius verba conduplicantur et cumulantur. Mid. § 78 § 539: *τοῦτον οὐδ' εἰ γέγονεν εἰδὼς οὐδὲ γιγνώσκων.* Aristocr. § 122 p. 660: *ἆρά γε ὁρᾶτε καὶ καταμανθάνετε;* Fals. Leg. § 30 p. 350: *σκοπεῖν καὶ ὁρᾶν.* Cherson. § 46 p. 101: *εἰδότας καὶ ἐγνωκότας.* Olynth. I § 21 p. 15: *ἐνθυμηθῆναι καὶ λογίσασθαι.* Cherson. § 37 p. 99: *τί ἐροῦμεν ἢ τί φήσομεν;* quod vehementer Cobeto displicuit *Miscell.* p. 466, sed Doxopatres eo loco quem supra laudavi, itidem vulgatam lectionem repraesentat. Mid. § 77 p. 539: *εἰπεῖν καὶ διηγήσασθαι.* Coron. § 22 p. 232: *ἐδίδαξας καὶ διεξῆλθες*, sed sunt codices conferendi. Cherson. § 29 p. 79: *δεῖ καὶ ἀναγκαῖόν ἐςι.* Philipp. I § 19 p. 45: *τούτῳ πείσεται καὶ ἀκολουθήσει.* Fals. Leg. § 102 p. 373: *πράξει ταῦτα καὶ ποιήσει* similiterque Coron. § 62 p. 245: *πράττειν καὶ ποιεῖν.* Fals. Leg. 193 p. 401: *δοῦναι καὶ χαρίσασθαι.* Coron. § 14 p. 229: *διέβαλλε καὶ διεξῄει.* Coron. § 149 p. 277: *συνθεὶς καὶ διεξελθών.* Coron. § 21 p. 232: *ἀκριβολογοῦμαι καὶ διεξέρχομαι.* Coron. § 53 p. 243: *ἀπολογήσασθαι καὶ διεξελθεῖν*, cet. cet.

Duorum verborum quod significantius est et audaciore translatione usurpatum, interdum secundo loco ponitur, veluti Philipp. III § 28 p. 118: *οὕτω δὲ κακῶς διακείμεθα καὶ διορωρύγμεθα κατὰ πόλεις.* Philipp. III § 22 p. 116: *καθ' ἕνα οὑτωσὶ περικόπτειν καὶ λωποδυτεῖν τῶν Ἑλλήνων.* Olynth. I § 14 p. 13: *τὴν φιλοπραγμοσύνην ᾗ χρῆται καὶ συζῇ.* Philipp. IV § 63 p. 148: *μισεῖν καὶ ἀποτυμπανίσαι*, sed longe saepius contra quam expectaveris, inversus ordo est, veluti, ne nunc afferam illud *ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε*, quoniam gravi suspicione premitur, Olynth. III § 31 p. 37: *ἐκνενευρισμένοι καὶ περιῃρημένοι χρήματα, ξυμμάχους.* Androt. § 65 p. 613: *τὰ παρὰ τῶν συμμάχων κλέπτοντες καὶ ἀπολλύντες.* Fals. Leg. § 182 p. 398: *εἰ ἀπελήρησέ τι καὶ διήμαρτεν.* Coron. § 13 p. 229: *ἐτραγῴδει καὶ διεξῄει.* Coron. § 138 p. 273: *ὑποσκελίζειν καὶ συκοφαντεῖν.* Cherson. § 19 p. 94: *βασκαίνειν καὶ διαλῦσαι πειρᾶσθαι.* Zenothem. § 9 p. 884: *ἐσκευωρημένον καὶ πεποιηκότα*, de quo loco infra agam, cet. cet. Etiam Isocrates solet *τὰ ἰσοδύναμα* coniungere, quod multis exemplis ostendere conatus sum *Mnem.* 1879 p. 65. Itaque quod in Panegyrico invenitur § 12: *διεσκαριφησάμεθα καὶ διελύσαμεν*, servari fortasse poterit quod Cobetus itidem eiicere voluit: *καὶ διελύσαμεν.* Equidem saepe, fateor, anceps haereo, sicubi de interpolationibus

φασις καὶ τὸ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντ' ἀνεχαίτισε· διὰ μιᾶς λέξεως καὶ πᾶσαν ἡμῖν τὴν παραβολὴν παρέστησε· καὶ τοῖς ἀπειθοῦσιν ἵπποις παρέβαλε τοὺς βίᾳ κατεχομένους καὶ ἐν καιρῷ πάλιν ἀφισταμένους συμμάχους. Itaque, uti auguror, in posterum de interpolatione non dubitabitur et admirationem movet saeculo undecimo, quo saeculo Doxopatrem vixisse invenio, in uno pluribusve fortasse libris locum integrum fuisse servatum. Contra Olynth. II § 20 p. 23 in optimis libris recte legitur: αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι τὰ τοιαῦτ' ὀνείδη, sed qui spuriam orationem composuit ad Epist. Phil. § 13 p. 155 συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι scripsit itemque apud Walzium I p. 200 Theon, qui Hadriani tempore floruisse fertur, itidem habet συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι. Sed hodie nemo iam dubitat quin istiusmodi interpolationes satis fuerint vetustae.

Verum Cobetus eo loco quem dixi, addidit aliquid quod equidem falsum esse arbitror. „Non solet orator", inquit, „otiose ἰσοδύναμα cumulare: συγκρύψαι τὰ τοιαῦτ' ὀνείδη tantundem est atque συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι: sententiae nulla vis additur neque numerosius sic cadit oratio neque ad aures accidit gratior. Cur igitur addidisset Demosthenes qui numquam orationi verba inutilia admiscet?"

Itane serio? Non solet Demosthenes otiose ἰσοδύναμα cumulare? Imo saepissime hoc facit et operae pretium est illum errorem diligenter refutare, qua in re utar locis, quorum maximam partem debeo Blassii diligentiae. Primum aliquot exempla dabo nominum inutiliter cumulatorum, sed sonus implet aures et numero oratorio aliquid dandum est.

Fals. Leg. § 146 p. 386 et similiter § 226 p. 411: πῶς οὐ δεινὸν καὶ σχέτλιον; sed Lept. § 156 p. 504: πῶς οὖν οὐ σχέτλιον καὶ δεινόν; Pac. § 4 p. 57: φορτικὸν καὶ ἐπαχθές. Fals. Leg. § 240 p. 416: τὴν ἀφανῆ καὶ ἄδηλον χάριν. Philipp. I § 36 p. 50: ἄτακτα, ἀδιόρθωτα, ἀόριστα ἅπαντα. Philipp. III § 40 p. 121: ἄχρηστα, ἄπρακτα, ἀνόνητα. Coron. § 12 p. 229: ἐχθροῦ μὲν ἐπήρειαν ἔχει καὶ ὕβριν καὶ λοιδορίαν καὶ προπηλακισμὸν ὁμοῦ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα. Cherson. § 13 p. 93: λόγοι καὶ προφάσεις. Fals. Leg. § 100 p. 373: σκήψεις καὶ προφάσεις. Fals. Leg. § 163 p. 392: σπουδὴ καὶ προθυμία. Philipp. III § 53 p. 124: τῷ λογισμῷ καὶ τῇ διανοίᾳ, cet. cet.

Etiam saepius verba conduplicantur et cumulantur. Mid. § 78 § 539: τοῦτον οὐδ' εἰ γέγονεν εἰδὼς οὐδὲ γιγνώσκων. Aristocr. § 122 p. 660: ἆρά γε ὁρᾶτε καὶ καταμανθάνετε; Fals. Leg. § 30 p. 350: σκοπεῖν καὶ ὁρᾶν. Cherson. § 46 p. 101: εἰδότας καὶ ἐγνωκότας. Olynth. I § 21 p. 15: ἐνθυμηθῆναι καὶ λογίσασθαι. Cherson. § 37 p. 99: τί ἐροῦμεν ἢ τί φήσομεν; quod vehementer Cobeto displicuit *Miscell.* p. 466, sed Doxopatres eo loco quem supra laudavi, itidem vulgatam lectionem repraesentat. Mid. § 77 p. 539: εἰπεῖν καὶ διηγήσασθαι. Coron. § 22 p. 232: ἐδίδαξας καὶ διεξῆλθες, sed sunt codices conferendi. Cherson. § 29 p. 79: δεῖ καὶ ἀναγκαῖόν ἐστι. Philipp. I § 19 p. 45: τούτῳ πείσεται καὶ ἀκολουθήσει. Fals. Leg. § 102 p. 373: πράξει ταῦτα καὶ ποιήσει similiterque Coron. § 62 p. 245: πράττειν καὶ ποιεῖν. Fals. Leg. 193 p. 401: δοῦναι καὶ χαρίσασθαι. Coron. § 14 p. 229: διέβαλλε καὶ διεξῄει. Coron. § 149 p. 277: συνθεὶς καὶ διεξελθών. Coron. § 21 p. 232: ἀκριβολογοῦμαι καὶ διεξέρχομαι. Coron. § 53 p. 243: ἀπολογήσασθαι καὶ διεξελθεῖν, cet. cet.

Duorum verborum quod significantius est et audaciore translatione usurpatum, interdum secundo loco ponitur, veluti Philipp. III § 28 p. 118: οὕτω δὲ κακῶς διακείμεθα καὶ διορωρύγμεθα κατὰ πόλεις. Philipp. III § 22 p. 116: καθ' ἕνα οὑτωσὶ περικόπτειν καὶ λωποδυτεῖν τῶν Ἑλλήνων. Olynth. I § 14 p. 13: τὴν φιλοπραγμοσύνην ᾗ χρῆται καὶ συζῇ. Philipp. IV § 63 p. 148: μισεῖν καὶ ἀποτυμπανίσαι, sed longe saepius contra quam expectaveris, inversus ordo est, veluti, ne nunc afferam illud ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε, quoniam gravi suspicione premitur, Olynth. III § 31 p. 37: ἐκνενευρισμένοι καὶ περιῃρημένοι χρήματα, ξυμμάχους. Androt. § 65 p. 613: τὰ παρὰ τῶν συμμάχων κλέπτοντες καὶ ἀπολλύντες. Fals. Leg. § 182 p. 398: εἰ ἀπελήρησέ τι καὶ διήμαρτεν. Coron. § 13 p. 229: ἐτραγῴδει καὶ διεξῄει. Coron. § 138 p. 273: ὑποσκελίζειν καὶ συκοφαντεῖν. Cherson. § 19 p. 94: βασκαίνειν καὶ διαλῦσαι πειρᾶσθαι. Zenothem. § 9 p. 884: ἐσκευωρημένον καὶ πεποιηκότα, de quo loco infra agam, cet. cet. Etiam Isocrates solet τὰ ἰσοδύναμα coniungere, quod multis exemplis ostendere conatus sum *Mnem.* 1879 p. 65. Itaque quod in Panegyrico invenitur § 12: διεσκαριφησάμεθα καὶ διελύσαμεν, servari fortasse poterit quod Cobetus itidem eiicere voluit: καὶ διελύσαμεν. Equidem saepe, fateor, anceps haereo, sicubi de interpolationibus

quaeritur. — His dudum perscriptis, laetus vidi quae Polacius in eandem sententiam disputat *Mnem.* 1902 p. 380.

§ 11 p. 21. Thessali εἰσὶν ἐψηφισμένοι Παγασὰς ἀπαιτεῖν καὶ περὶ Μαγνησίας λόγους ποιεῖσθαι. Non multum curaturus erat Philippus legatos ποιουμένους λόγους et probabat id quod sciolus aliquando adnotavit ad Philipp. I § 49 p. 54: ἀνοητότατοι γάρ εἰσιν οἱ λογοποιοῦντες. Thessali, uti suspicor, iusserant legatos coram rege non λόγους ποιεῖσθαι sed ἐλέγχους. Cf. v. c. Philipp. I § 15 p. 44: τὸ δὲ πρᾶγμα ἤδη τὸν ἔλεγχον δώσει.

§ 14 p. 22: ὅποι τις ἂν προσθῇ κἂν μικρὰν δύναμιν πάντ' ὠφελεῖ, αὐτὴ δὲ καθ' αὑτὴν ἀσθενὴς καὶ πολλῶν κακῶν ἐςι μεςή. Horum verborum sententia minime obscura est: Macedonia magnum affert *momentum* Thessalorum rebus cuicumque parti se applicuerit, sed ipsa per se debilis est et infirma; verum quid est ὠφελεῖ? Haud parum melius intelligam: ἐφέλκει.

§ 16 p. 22: οὐθ' ὅσ' ἂν ποιήσωσιν οὕτως ὅπως ἂν δύνωνται ταῦτ' ἔχοντες διαθέσθαι. Reiskius locum rectissime interpretatus est et tamen malo: ὅσ' ἂν πωλήσωσιν. Quas merces venales habent, eas extrudere nequeunt. Sententia ante pedes est posita.

§ 19 p. 23: λῃςὰς καὶ κόλακας καὶ τοιούτους ἀνθρώπους. Vulgatam lectionem tuetur Cobetus *Miscell.* p. 453; cur equidem praeferam πυλαϊςάς, haud incuriose ostendere volui *Mnem.* 1900 p. 137.

§ 21 p. 24: κἂν ῥῆγμα κἂν ςρέμμα κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ. Non exputo cur Blassius cum pr. m. Codicis Parisini hic σαθρῶν edere maluerit.

§ 28 p. 26: τίνος γὰρ ἕνεκα νομίζετε τοῦτον μὲν φεύγειν τὸν πόλεμον πάντας ὅσους ἂν ἐκπέμψητε ςρατηγούς, ἰδίους δ' εὑρίσκειν πολέμους .....; ὅτι ἐνταῦθα μέν ἐςι τὰ ἆθλα ὑμέτερα, οἱ δὲ κίνδυνοι τῶν ἐφεςηκότων ἴδιοι, ἐκεῖ δὲ κίνδυνοι μὲν ἐλάττους, τὰ δὲ λήμματα τῶν ἐφεςηκότων. Quae λήμματα hic intelliguntur? Explicavit ipse Demosthenes: sunt Λάμψακος, Σίγειον, τὰ πλοῖα

ἃ συλῶσιν. Itaque prae ceteris Chares hic notatur, de quo vide Arn. Schaeferum *Demosth.* I p. 171 et II p. 54. Omnes illi duces quos satis novit historia, vero nomine bellum cauponabantur nec quaerebant ἰδίους πολέμους, sed ἴδια λήμματα, quocirca rescribam: ἰδίους δ' εὑρίσκειν πόρους.

ΟΛΥΝΘΙΑΚΟΣ Γ.

§ 1 p. 28: ὅταν τ' εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους οὓς ἀκούω. Dixeris variandae orationis causa oratorem hoc modo fuisse locutum. Cf. Aristog. I § 34 p. 780: θεωρεῖτε δὲ μὴ πρὸς τὸν ἐμὸν λόγον ἀλλ' εἰς ἅπαντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἔθη βλέποντες. Alibi vix dubia optio est. Coron. § 210 p. 298: τὰς δὲ κοινὰς προαιρέσεις (σκοποῦντας) εἰς τὰ τῶν προγόνων ἀξιώματα ἀποβλέποντας, fere malim: πρὸς τὰ τῶν προγόνων ἀξιώματα, sed recte se habet § 283 p. 320: βλέπειν εἰς τὰ τουτωνὶ πρόσωπα τολμᾷς; — Quoniam de praepositione πρὸς sermo incidit, adscribam praeterea aliquot locos alio nomine memorabiles: Lept. § 146 p. 501: πρὸς ὑμᾶς εἰσελθὼν ἡττήθη, Mid. § 177 p. 572: ὅσοι πρὸς ὑμᾶς ἔρχονται, ibid. § 197 p. 578: ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν κατηγόρει, Androt. § 69 p. 615: προσελήλυθεν πρὸς ὑμᾶς, c. Phorm. § 1 p. 907: οὐδεμίαν πώποτε δίκην πρὸς ὑμᾶς εἰσήλθομεν, ibid. § 43 p. 920: εἰς ποῖον δικαστήριον εἰσέλθωμεν εἰ μὴ πρὸς ὑμᾶς, ibid. § 45 p. 920: οὔ φησι τὴν δίκην εἶναι εἰσαγώγιμον παρ' ὑμῖν, πρὸς οὓς ἐκεῖνος ἔγνω ἀπιέναι, Phaenipp. § 29 p. 1048: ἐπιωρκηκὼς ἥκεις πρὸς τούτους, denique Euerg. § 16 p. 1144: εἰσήγαγες πρὸς τὸ δικαστήριον.

§ 4 p. 29: ἐψηφίσασθε τετταράκοντα τριήρεις καθέλκειν καὶ τοὺς μέχρι πέντε καὶ τετταράκοντα ἐτῶν αὐτοὺς ἐμβαίνειν. Abundat pronomen etiamsi rectissime additum sit Philipp. I § 16 p. 44: πλευστέον εἰς ταύτας αὐτοῖς ἐμβᾶσιν. Scripserim: τοὺς μέχρι πέντε καὶ τετταράκοντα ἐτῶν γεγονότας ἐμβαίνειν (τετταρακονΤΕΤΩΝΑΥΤΟΥΣ — τετταρακονΤΕΤΩΝΓΕΓΟΝΟΤΑΣ). Admonet me hic locus Platonis qui ita scribit in Epist. VII p. 324 E: ὃν ἐγὼ σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπεῖν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε, sed quoniam de Socrate hoc dicitur iamdudum mortuo, arridet δικαιότατον γεγονέναι (δικαιόΤΑΤΟΝΕΙΝΑΙ — δικαιό-

ΤΑΤΟΝΓΕΓΟΝΕΝΑΙ). Magis autem refert Strabonem corrigere III p. 164 Cas.: *καὶ παιδίον δὲ τῶν δεδεμένων αἰχμαλώτων γονέων καὶ ἀδελφῶν ἔκτεινε πάντας κελεύσαντος τοῦ πατρὸς σιδήρου κυριεῦσαν.* Corrige: *παιδίον τεττάρων ἐτῶν* (Δ'ΕΤΩΝ) *δεδεμένων αἰχμαλώτων (τῶν) γονέων καὶ τῶν ἀδελφῶν ἔκτεινε πάντας.* Nec dissimili modo *Mnem.* 1900 p. 86 emendasse mihi videor Plut. de Educ. Puer. p. 8 E.

§ 5 p. 30: *ὡς γὰρ ἠγγέλθη Φίλιππος ἀσθενῶν ἢ τεθνεώς, ἦλθε γὰρ ἀμφότερα.* Raro usu de nunciis ita dicitur, ut scribit G. H. Schäfer. Equidem corrigam *ἠγγέλθη*.

§ 16 p. 33: *οὐχ οὓς εἰ πολεμήσαιεν, ἑτοίμως σώσειν ὑπισχνούμεθα, οὗτοι νῦν πολεμοῦνται.* Consentiunt fere interpretes illud *πολεμήσαιεν* vitium alere et Reiskius incertus haeret utrum probet *πολεμηθεῖεν* an *πολεμήσειεν ἐκεῖνος*, nam pronomen ab codicibus aliquid commendationis habet. Equidem malo: *οὓς εἰ προσπολεμήσειε*, nam de Philippo hoc dici apertum est et vide verbum *προσπολεμῆσαι* Olynth. II § 22 p. 24. Praeterea satis notum esse arbitror siglum praepositionis *πρός* saepissime neglectum fuisse. Prorsus abiicio Blassianum: *οὗτοι νῦν πολεμοῦσιν.*

§ 24 p. 35: *ὑπήκουε δὲ ὁ ταύτην τὴν χώραν ἔχων [αὐτοῖς βασιλεύς], ὥσπερ ἐςὶ προσῆκον βάρβαρον Ἕλλησι.* Vides quid suadeam.

ΚΑΤΑ ΦΙΛΙΠΠΟΥ Α.

§ 18 p. 45: *οὗτοι παντελῶς οὐδ' εἰ μὴ ποιήσαιτ' ἂν ἤδη, εὐκαταφρόνητόν ἐςι.* Itane recte? Scio quidem *εἰ* coniunctionem cum particula *ἂν* certa ratione coniungi posse. Veluti G. H. Schäferus affert Xen. Cyrop. I 6. 41: *οὐκ οἶδ' ἔγωγε εἴ τινα λίποις ἂν τῶν πολεμίων* et ad eandem normam Demosthenes dixit Rhod. lib. § 16 p. 195: *οὐκ οἶδ' εἴποτ' ἂν εὖ φρονῆσαι ἠθέλησαν* et c. Stephan. I § 45 p. 1115: *σκοπεῖτ' εἰ ἐάσαιτ' ἂν ἐναντίον ὑμῶν προσγράψαι τι.* Item facilem explicationem habet Polycl. § 2 p. 1026: *εἰ δ' ἐςὶν ἀληθῆ καὶ μηδεὶς ἄν μοι ἀντείποι*

ἄλλος ἢ οὗτος. Lept. § 117 p. 492: εἰ μηδ' ἂν εἷς ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ τοῦτ' ἔχοι δεῖξαι γεγονός. Mid. § 212 p. 582: εἰ δ' οὗτοι χρήματ' ἔχοντες μὴ πρόοιντ' ἄν, πῶς ὑμῖν καλὸν τὸν ὅρκον προέσθαι. Timocr. § 154 p. 748: οὐδὲ σπέρμα δεῖ καταβάλλειν οὐδένα τοιούτων πραγμάτων οὐδ' εἰ μήπω ἂν ἐκφύοι. Sunt loci paulo difficiliores nec tamen dubito quin particula recte addita sit Fals. Leg. § 172 p. 395: ἐξώλης ἀπολοίμην εἰ προλαβών γ' ἂν ἀργύριον πάνυ πολὺ μετὰ τούτων ἐπρέσβευσα et Polycl. § 67 p. 1227: εἰ τοίνυν ἂν ἐμοὶ τότε ὠργίζεσθε ὅτι οὐκ ἐπετριηράρχησα, πῶς οὐχὶ νῦν προσήκει ὑμᾶς τοῦτον εἰσπρᾶξαί μοι τὰ ἀναλώματα; Sed eo loco qui huic observationi ansam dedit, prorsus non video quid tandem particula significet.

§ 20 p. 45: τὰ μικρὰ [ποιήσαντες καὶ] πορίσαντες τούτοις προστίθετε. Dobraeus *Advers.* I p. 360 hic iam agnovit dittographiam, sed Blassius noluit ei aurem praebere. Cf. var. lect. Olynth. II § 16 p. 22.

§ 26 p. 47: ὥσπερ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους εἰς τὴν ἀγορὰν χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους καὶ τοὺς φυλάρχους [οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον]. Eiicienda sunt postrema vocabula et conferam Aesch. Timarch. § 97: γυναῖκα ἀμόργινα ἐπιςαμένην ἐργάζεσθαι εἰς τὴν ἀγοράν, quemadmodum Cobetus locum emendavit *Var. Lect.* p. 625. Vide praeterea Suidam εἰς ἀγορὰν ὑφαίνειν· τὸ εἰς τὴν ἀγορὰν ἐκφέρειν τὰ ὑφαινόμενα· οὕτω Μένανδρος, cf. *Mnem.* 1855 p. 279. Hinc etiam lucem accipiet Euripides Electr. vs. 388:

αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν
ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσιν.

Similiter autem Cobetus correxit § 30 p. 48: ἵνα μὴ μόνον ἐν τοῖς ψηφίσμασι κἀν ταῖς ἐπιςολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ [ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις].

§ 27 p. 47: οὐ γὰρ ἐχρῆν ταξιάρχους παρ' ὑμῶν ἄρχοντας οἰκείους εἶναι, ἵν' ἦν ὡς ἀληθῶς τῆς πόλεως ἡ δύναμις; Satis novimus quomodo post ἐχρῆν, ἔδει, ἐβουλόμην ἂν et sim. coniunctio ἵνα construi soleat cum indicativo; quodsi quis ex iunioribus eum usum nondum observavit, eum ablegare satis est ad Cobeti *Var. Lect.* p. 102. Praeter locum modo laudatum ex

Demosthene excerpsi: Androt. § 21 p. 599, Androt. § 28 p. 602, Aristocr. § 48 p. 635, Timocr. § 48 p. 715, Aphob. II § 5 p. 837, Olympiod. § 47 p. 1180, Nicostr. § 24 p. 1254, Callicl. § 5 et 6 p. 1273, c. Stephan. I § 17 p. 1106, Prooem. 23 p. 1434 et 32 p. 1441. Semel ὅπως inveni hoc modo usurpatum: pr. Phorm. § 20 p. 950: τίς οὐκ ἂν ..... τούτῳ ταῦτ' ἐδήλωσεν, ὅπως διὰ τούτου ταῦτ' ἠλέγχθη; Sed hic usus etiam latius patet, veluti Aphob. III § 17 p. 849: ἐξήτησεν ἄν με τὸν παῖδα, ἵνα εἰ μὴ παρεδίδουν μηδὲν δίκαιον λέγειν ἐδόκουν, pr. Phorm. § 47 p. 959: ταῦτ' ἀντὶ τοῦ κοσμεῖν καὶ περιςέλλειν, ἵνα καὶ τοῖς δοῦσιν ὡς εὐσχημονέςατ' ἐφαίνετο καὶ τοῖς λαβοῦσιν ὑμῖν, ἄγεις εἰς μέσον, Eubulid. § 15 p. 1303: εἰκὸς ἦν καὶ εἰς ὀψὲ ψηφίζεσθαι, ἵν' ἀπηλλαγμένοι ἦσαν ποιήσαντες τὰ ὑμῖν ἐψηφισμένα, c. Steph. I § 13 p. 1105: ἐμὸν ἦν τὸ προκαλεῖσθαι ... ἵνα ... μάρτυρας ποιησάμενος τεκμηρίῳ τούτῳ ἐχρώμην. Illud quoque Cobeti copiis addi poterit similiter ὄφρα usurpatum esse ab Apollonio Rhodio A 281:

αἴθ' ὄφελον κεῖν' ἦμαρ, ὅτ' ἐξειπόντος ἄκουσα
δειλὴ ἐγὼ Πελίαο κακὴν βασιλῆος ἐφετμήν,
αὐτίκ' ἀπὸ ψυχὴν μεθέμεν κηδέων τε λαθέσθαι,
ὄφρ' αὐτός με τεῇσι φίλαις ταρχύσαο χερσίν.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΕΙΡΗΝΗΣ.

§ 5 p. 58. Saepe apud Demosthenem articulus aut periit aut male conversus fuit in pronomen demonstrativum; solet enim loqui quemadmodum recte v. c. servata scriptura est Aristog. I § 30 p. 779: τοῖς ὧν ἀπέκτεινεν ὁ δῆμος τοὺς πατέρας. De hoc argumento Cobetus egit ad *Hyperidem* p. 54 sqq. et *Miscell.* p. 469 et tractavit de Pace § 2 p. 57. Phil. IV § 1 p. 131, Lept. § 137 p. 498, c. Steph. I § 70 p. 1123, ibid. § 84 p. 1127, Theocr. § 11 p. 1325. Sed alia haud ita pauca addi possunt. In Oratione de Pace § 5 p. 58: οἷα οὐδένες πώποτε πεπόνθασιν ὑπὸ τούτων οἷς ἐβοήθησαν, lege: ὑπὸ τῶν οἷς, *ab* iis *quibus*, non ab *his*. Eodem modo eadem de causa Philipp. II § 3 p. 66: κωλύσαιτ' ἂν ἐκεῖνον πράττειν ταῦτα ἐφ' ὧν ἐςι νῦν, lege: τά. Halonn. § 18 p. 81: πεπεισμένος ὑπὸ τούτων οἷς χρῆται φίλοις, lege: τῶν. Ibid. § 21 p. 82: ὅταν ἄπιςος φαίνηται τούτοις ὧν

προῄρηται εὐεργέτης εἶναι, lege: τοῖς. Fals. Leg. § 170 p. 394: συγκαλέσας τούτους οἷς αὐτὸς ἔχρησα τἀργύριον, lege: τούς. Ibid. § 278 p. 430: εἴ τι τούτοις ἄπρακτόν ἐςι τούτων ἐφ' οἷς ἐκείνων θάνατος κατέγνωςο, lege: τῶν. Lept. § 97 p. 486: τὸ μηδέν' εἶναι ἀτελῆ τούτων οἷς ὁ δῆμος ἔδωκεν, lege: τῶν. Ibid. § 154 p. 504: τούτους δι' ὧν ἢ μικρὰν ἢ μεγάλην ἔς' εἶναι τὴν πόλιν, lege: τούς. Prooem. 32 p. 1441: τὸν λέγονθ' ὁμοίως πεφύκασιν ἐξαπατᾶν ὥσπερ πρὸς οὓς ἂν λέγωνται· supple: (τοὺς) πρὸς οὓς ἂν λ. Prooem. 40 p. 1449: οὐδεὶς ἂν γένοιτο εὔνους τούτοις ὑφ' ὧν ἄν τι κακὸν πείσεσθαι προσδοκᾷ, lege: τοῖς. Epist. III § 29 p. 1481: πραθέντα ὑπὸ τούτων οἷς νῦν ὑπηρετῶν τοὺς κατ' ἐμοῦ λόγους ἔγραψεν, lege: τῶν. Etiam apud Aeschinem Ctes. § 81: συνέβη διαφέρεσθαί τι Δημοσθένην καὶ Φιλοκράτην σχεδὸν ὑπὲρ τούτων, ὑπὲρ ὧν καὶ ὑμεῖς αὐτοὺς ὑπωπτεύσατε διενεχθῆναι, prorsus necessarium esse iudicio: ὑπὲρ τῶν. Cur omnibus his locis articulum requiramus, non pronomen, facile est ad existimandum. Veluti c. Steph. I § 70 p. 1123, quem locum supra indicavi: ἀφῄρησαι δὲ τὴν σαυτοῦ πενθερὰν ταῦτ' ἀφ' ὧν ἔζη, scribere potuisset orator ἀφῄρησαι δὲ τἀπιτήδεια neque addidisset pronomen ταῦτα τἀπιτήδεια· hinc necessarium est: τὰ ἀφ' ὧν ἔζη et absonum est pronomen ταῦτα. De Pace § 5 p. 58: οἷα οὐδένες πώποτε πεπόνθασιν ὑπὸ τούτων οἷς ἐβοήθησαν, aeque bene dictum fuisset: ὑπὸ τῶν εὐεργετηθέντων, sed absurdum fuisset addere pronomen: vides quid inde sequatur. Fals. Leg. § 170 p. 394: συγκαλέσας τοὺς οἷς αὐτὸς ἔχρησα τἀργύριον· quid interest inter hoc et συγκαλέσας τοὺς χρησαμένους τἀργύριον? Nihil, opinor. Atqui ergo. Reliquis locis omnibus eadem ratio obtinet et ad eam normam nihil est cur umquam anceps haereas. De usu Byzantinorum videatur Reiskius ad Constant. Porph. de Ceremon. II p. 305 Ed. Bonn.

§ 10 p. 59: οὔτε συμφόρως οὔτε ἴσως οὔτε καλῶς προεῖσθε Φωκέας. Quid hoc est οὔτε ἴσως? nam quod Blassius edidit cum prima manu Parisini codicis: οὔτε ἴσως καλῶς, id prorsus inficetum est. Provocant ad Olynth. III § 26 p. 35: τὰ δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς τὰ δ' ἐν αὐτοῖς ἴσως διοικεῖν, sed nihil haec verba probare possunt, nisi hoc altero loco οὔτε ἴσως corruptum esse. Equidem conferam de Pace § 12 p. 60: οὔτ' ὀρθῶς οὐθ'

ὑγιῶς. Coron. § 298 p. 325: ὑγιῶς καὶ δικαίως πεπολίτευμαι. Addo Fals. Leg. § 39 p. 353: ταύτης τοίνυν οὐδ' ὁτιοῦν ἐσθ' ὑγιές et § 175 p. 396: οὐδ' ὁτιοῦν ὑγιὲς γράψαντες. Hinc emergit probabilis lectio: οὔτε συμφόρως οὔθ' ὑγιῶς οὔτε καλῶς. Commode nunc memini orationis prioris contra Aristogitonem § 12 p. 773: ὅσῳ γὰρ ἂν μᾶλλον ἡμῶν δειξάντων τὴν τούτου πονηρίαν μηδὲν ὑμεῖς φροντίζητε, τοσούτῳ μείζων ἡ καθ' ὑμῶν αἰσχύνη γενήσεται. Longe praeferam: μηδὲν ὑγιὲς φροντίζητε.

§ 12 p. 60: ὅταν δ' ἐπὶ θάτερα. ὥσπερ εἰς τρυτάνην ἀργύριον προσενέγκῃς, οἴχεται φέρον καὶ καθείλκυσε τὸν λογισμὸν ἐφ' αὐτό. Conferendus locus in Oratione de Corona § 298 p. 325: οὐδ' ὅσα συμβεβούλευκα τουτοισί, ὁμοίως ὑμῖν [ὥσπερ ἂν εἰ ἐν τρυτάνῃ] ῥέπων ἐπὶ τὸ λῆμμα συμβεβούλευκα. Cobetus in *Miscell.* p. 485 adstipulatur Dobraeo qui delere voluit verba quae uncinis circumdedi; nimirum intrusa videntur ex Oratione de Pace eaque suspicio etiam ab Codicibus commendatur. Contra ex Oratione de Corona efficio legendum esse in Oratione de Pace: οἴχεται ῥέπον. Compluribus exemplis ostendi *Mnem.* 1881 p. 225 creberrime confundi verba φέρειν et ῥέπειν, inter quae idem interest quod inter *ferre* et *vergere*. Ceterum infelix coniector fuit Badhamus *Mnem.* 1875 p. 210.

§ 14 p. 60: οὐκ ἂν ἡμῖν οἴομαι τούτων οὐδένα πολεμῆσαι καὶ πάντων ἥκιστα Θηβαίους. Malim: οὐδένας, coll. Cobet. *Miscell.* p. 460 et 485. De *civitatibus* aut *populis*, inquit, ἕκαστοι et οὐδένες necesse est dici. Sed quum de *singulis* hominibus ἕκαστος dicatur, non feram Cherson. § 24 p. 96: πάντες ὅσοι ἐκπεπλεύκασι παρ' ὑμῶν στρατηγοί, καὶ παρὰ Χίων καὶ παρ' Ἐρυθραίων καὶ παρ' ὧν ἂν ἕκαστοι δύνωνται, χρήματα λαμβάνουσι. Verum est, uti suspicor, παρ' ὧν ἂν ἑκάστοτε δύνωνται.

ΚΑΤΑ ΦΙΛΙΠΠΟΥ Β.

§ 11 p. 68. Sermo fit de rebus a maioribus gestis, quas πάντες μὲν ἀεὶ γλίχονται λέγειν, ἀξίως δ' οὐδεὶς εἰπεῖν δεδύνηται, διόπερ κἀγὼ παραλείψω δικαίως, ἔστι γὰρ μείζω τἀκείνων ἔργα ἢ ὡς τῷ λόγῳ τις ἂν εἴποι. Consentiunt omnes hunc esse

verborum late sonantium tinnitum, itaque Dobraeus p. 365 delere voluit postremam sententiam: ἔςι γὰρ μείζω — εἴποι. Si res mei arbitrii foret, nihil resecarem praeter ea verba, quae diductis literis significavi.

§ 14 p. 69: ἀλλ' ἐβιάσθη νὴ Δία καὶ παρὰ γνώμην ... συνεχώρησε ταῦτα. καλῶς. Animadvertas velim illud adverbium καλῶς, quod eodem modo usurpatum inveni Boeot. de nom. § 15 p. 998: τί μᾶλλον οὗτος ἐγγεγραμμένος ἔςαι ἐμοῦ; ὅτι νὴ Δία εἴσονται πάντες πότερός ποτ' ὦφλεν. καλῶς. Hoc est illud quod nos quoque in quotidiano sermone libenter usurpamus: *per me licet*, si quid concedimus simulque significare volumus nos horum nihil credere.

§ 15 p. 69: τοὺς μὲν οὖν ὄντας ἐχθροὺς Θηβαίων [Λακεδαιμονίους] ἀναιρεῖ, οὓς δ' ἀπώλεσεν αὐτὸς πρότερον [Φωκέας] νῦν σώζει. Vides quid suadeam.

§ 20 p. 70: πῶς γὰρ οἴεσθε δυσχερῶς ἀκούειν 'Ολυνθίους εἴ τίς τι λέγοι κατὰ Φιλίππου. Expuncto δυσχερῶς supple: πῶς γὰρ (ἂν) οἴεσθε, uti mox: ἆρα .... λέγοντος ἄν τινος πιςεῦσαι οἴεσθε;

§ 23 p. 71: ὑμεῖς δὲ διδόντα καὶ ὑπισχνούμενον θεωρεῖτε Φίλιππον, ἐξηπατηκότα δ' ἤδη καὶ παρακεκρουμένον ἀπεύχεσθ' ἂν σωφρονῆτ' ἰδεῖν. Hic primum cum Cobeto *Miscell.* p. 462 corrigemus ἀπεύξεσθε· sed quid est θεωρεῖτε Φίλιππον? Respondet Cobetus sibi legendum videri: ἡδέως ὁρᾶτε Φίλιππον. Nec satis lenis haec medicina est et, quantum intelligo, ἡδέως ὁρᾶν, quod per se perbene dicitur, sententiae parum convenit. Quid sit verum, ostendet Olynth. III § 7 p. 30: οὔτε Φίλιππος ἐθάρρει τούτους οὔθ' οὗτοι Φίλιππον et fidenter rescribo: θαρρεῖτε Φίλιππον.

§ 26 p. 72: οὐδὲν μᾶλλον ἀποσχήσονται τῆς Φιλίππου φιλίας οὐδ' ὧν ἐπαγγέλλεται. Aliter usurpatur verbum ἀπέχεσθαι, veluti: οἴνου τ' ἀπέχει καὶ γυμνασίων καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων. Verius iudico: ἀποςήσονται. Ecce loci aliquot qui eo faciunt: Halonn. § 8 p. 78: τῶν ἐν τῇ ἠπείρῳ ἁπάντων ἀφεςήκατε. Co-

ron. § 199 p. 295: οὐδ' οὕτως ἀποςατέον τῇ πόλει τούτων ἦν. Fals. Leg. § 128 p. 380: ἀποςῆναι τῆς πατρίου θεωρίας. Ibid. § 143 p. 385: ἀφεςηκέναι ἁπάντων καὶ τῶν κτημάτων καὶ τῶν συμμάχων. Zenoth. § 18 p. 887: τοῦ σίτου ἀφιςάμεθα, quod sane dici non potuit ἀπεχόμεθα. Dubitatio oritur circa Symmor. § 24 p. 184: οὕτω πολὺ τοῦ πορίσαι νῦν ἀποσχήσομεν, ubi quum in Aldina Taylori legatur ἀποχρησόμεθα, Reiskius commendavit ἀποσχησόμεθα vel ἀποςησόμεθα· posterius utique praestat. Ceterum conferri potuit Blassius in Museo Rhenano XLVII p. 285.

§ 37 p. 74: οὐδένα γὰρ βουλοίμην ἂν ἔγωγε οὐδ' εἰ (δεκάκις) δίκαιός ἐς' ἀπολωλέναι, μετὰ τοῦ πάντων κινδύνου καὶ τῆς ζημίας δίκην ὑποσχεῖν. Apparet quid inserendum esse censeam. Cf. Fals. Leg. § 53 p. 358: οὐδ' εἰ δεκάκις Φίλιππος αὐτοὺς ἐξηπάτα. Philipp. III § 65 p. 128: τεθνάναι γὰρ μυριάκις κρεῖττον ἢ κολακείᾳ τι ποιῆσαι Φιλίππῳ.

(*Continuabuntur*).

AD SCHOLIA ARISTOPH. LYS. 62.

Ne Acharnensium quidem — Lysistrata ait — *adsunt mulieres, quas omnium primas huc festinaturas putabam.*

Ad haec comici verba in scholiis adscripta leguntur:

εἰκότως, ἐπεὶ πολεμικοὶ ⟨οἱ⟩ Ἀχαρνεῖς. — εἰκότως, ἐπεὶ ὁ δῆμος τῶν Ἀχαρνέων ἐτετίμητο, διὰ τοῦτο τὰς ἐκεῖθεν προσδοκᾷ γυναῖκας.

Prior autem observatio cuivis perspicua, sed in posteriore quid sibi vult plusquamperfectum ἐτετίμητο? Nihil, opinor. Rescribimusne igitur ἐτιμᾶτο? Sic habebimus id quod vertit (non edidit) Rutherford: „the esteem in which the deme of Acharnae was held induces Lysistrata" etc. Sed neque satis apte dictum erit nudum illud τιμᾶσθαι, neque verum erit; nam loco Thucydideo qui huc facit *notantur* potius rusticorum animi iusto elatiores: οἱ Ἀχαρνῆς οἰόμενοι παρὰ σφίσιν αὐτοῖς οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν εἶναι Ἀθηναίων, ὡς αὐτῶν ἡ γῆ ἐτέμνετο, ἐνῆγον τὴν ἔξοδον μάλιστα. Neque aliter ipse comicus de illis carbonariis est locutus.

Quid multa: emendationem praebent ipsa quae attuli Thucydidis verba. In scholio una hasta abundat: non ЄΤЄΤΙΜΗΤΟ scribendum est sed ЄΤЄΤΜΗΤΟ. *Quoniam Acharnensium agri vastati erant, horum mulieres omnium primas adfore* putabat Lysistrata.

V. L.

HOMERICA.

AD ODYSSEAM

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

(*Cf. vol. XXVI p.* 408—415).

> Homeri Odysseae carmina cum apparatu critico ediderunt J. van Leeuwen et M. B. Mendes da Costa. Editio altera passim aucta et emendata Lugduni Batavorum apud A. W. Sijthoff. MDCCCXCVII.

α 260. *ᾤχετο γὰρ καὶ κεῖσε* (Ephyram) *θοῆς ἐπὶ νηὸς* Ὀδυσσεὺς
φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρα ϝοι εἴη
ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας· ἀλλ' ὃ μὲν οὔ ϝοι
δῶκεν, ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας.

Agar in Classical Review a. 1899, pag. 194 B merito haerens in verbo *νεμεσίζεσθαι* sic usurpato coniecit

ἐπεί ῥα θεοὶ νεμεσίζοντ' αἰὲν ἐόντες.

Quia tamen numerosior est vulgata lectio, nescio an potius ipsum verbum mendosum sit et poeta dederit

ἐπεί ῥα θεοὺς ἐποπίζετο αἰὲν ἐόντας.

Cf. ε 146 *Διὸς ἐποπίζεο μῆνιν*, Hymn. in Ven. 291 *θεῶν δ' ἐποπίζεο μῆνιν*, ξ 283 *Διὸς δ' ὠπίζετο μῆνιν*. Similiter cum obiecto personali X 352 *ἐμὲ δ' οὐδὲν ὀπίζεο νόσφιν ἐόντα*. Recte grammatici verbum *ἐντροπὴν ποιεῖσθαι* sive *ἐπιστρέφεσθαι* explicare assolent.

ron. § 199 p. 295: οὐδ' οὕτως ἀποςατέον τῇ πόλει τούτων ἦν. Fals. Leg. § 128 p. 380: ἀποςῆναι τῆς πατρίου θεωρίας. Ibid. § 143 p. 385: ἀφεςηκέναι ἁπάντων καὶ τῶν κτημάτων καὶ τῶν συμμάχων. Zenoth. § 18 p. 887: τοῦ σίτου ἀφιςάμεθα, quod sane dici non potuit ἀπεχόμεθα. Dubitatio oritur circa Symmor. § 24 p. 184: οὕτω πολὺ τοῦ πορίσαι νῦν ἀποσχήσομεν, ubi quum in Aldina Taylori legatur ἀποχρησόμεθα, Reiskius commendavit ἀποσχησόμεθα vel ἀποςησόμεθα· posterius utique praestat. Ceterum conferri potuit Blassius in Museo Rhenano XLVII p. 285.

§ 37 p. 74: οὐδένα γὰρ βουλοίμην ἂν ἔγωγε οὐδ' εἰ (δεκάκις) δίκαιός ἐς' ἀπολωλέναι, μετὰ τοῦ πάντων κινδύνου καὶ τῆς ζημίας δίκην ὑποσχεῖν. Apparet quid inserendum esse censeam. Cf. Fals. Leg. § 53 p. 358: οὐδ' εἰ δεκάκις Φίλιππος αὐτοὺς ἐξηπάτα. Philipp. III § 65 p. 128: τεθνάναι γὰρ μυριάκις κρεῖττον ἢ κολακείᾳ τι ποιῆσαι Φιλίππῳ.

(*Continuabuntur*).

AD SCHOLIA ARISTOPH. LYS. 62.

Ne Acharnensium quidem — Lysistrata ait — *adsunt mulieres, quas omnium primas huc festinaturas putabam.*

Ad haec comici verba in scholiis adscripta leguntur:

εἰκότως, ἐπεὶ πολεμικοὶ <οἱ> Ἀχαρνεῖς. — εἰκότως, ἐπεὶ ὁ δῆμος τῶν Ἀχαρνέων ἐτετίμητο, διὰ τοῦτο τὰς ἐκεῖθεν προσδοκᾷ γυναῖκας.

Prior autem observatio cuivis perspicua, sed in posteriore quid sibi vult plusquamperfectum ἐτετίμητο? Nihil, opinor. Rescribimusne igitur ἐτιμᾶτο? Sic habebimus id quod vertit (non edidit) Rutherford: „the esteem in which the deme of Acharnae was held induces Lysistrata" etc. Sed neque satis apte dictum erit nudum illud τιμᾶσθαι, neque verum erit; nam loco Thucydideo qui huc facit *notantur* potius rusticorum animi iusto elatiores: οἱ Ἀχαρνῆς οἰόμενοι παρὰ σφίσιν αὐτοῖς οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν εἶναι Ἀθηναίων, ὡς αὐτῶν ἡ γῆ ἐτέμνετο, ἐνῆγον τὴν ἔξοδον μάλιστα. Neque aliter ipse comicus de illis carbonariis est locutus.

Quid multa: emendationem praebent ipsa quae attuli Thucydidis verba. In scholio una hasta abundat: non ЄΤЄΤΙΜΗΤΟ scribendum est sed ЄΤЄΤΜΗΤΟ. *Quoniam Acharnensium agri vastati erant, horum mulieres omnium primas adfore* putabat Lysistrata.

V. L.

HOMERICA.

AD ODYSSEAM

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

(*Cf. vol. XXVI p.* 408—415).

Homeri Odysseae carmina cum apparatu critico ediderunt J. van Leeuwen et M. B. Mendes da Costa. Editio altera passim aucta et emendata Lugduni Batavorum apud A. W. Sijthoff. MDCCCXCVII.

α 260. *ᾤχετο γὰρ καὶ κεῖσε* (Ephyram) *θοῆς ἐπὶ νηὸς Ὀδυσσεὺς*
φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρα ϝοι εἴη
ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας· ἀλλ' ὃ μὲν οὔ ϝοι
δῶκεν, ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας.

Agar in Classical Review a. 1899, pag. 194 B merito haerens in verbo *νεμεσίζεσθαι* sic usurpato coniecit

ἐπεί ῥα θεοὶ νεμεσίζοντ' αἰὲν ἐόντες.

Quia tamen numerosior est vulgata lectio, nescio an potius ipsum verbum mendosum sit et poeta dederit

ἐπεί ῥα θεοὺς ἐποπίζετο αἰὲν ἐόντας.

Cf. ε 146 *Διὸς ἐποπίζεο μῆνιν*, Hymn. in Ven. 291 *θεῶν δ' ἐποπίζεο μῆνιν*, ξ 283 *Διὸς δ' ὠπίζετο μῆνιν*. Similiter cum obiecto personali X 352 *ἐμὲ δ' οὐδὲν ὀπίζεο νόσφιν ἐόντα*. Recte grammatici verbum *ἐντροπὴν ποιεῖσθαι* sive *ἐπιστρέφεσθαι* explicare assolent.

α 323. δίσσατο γὰρ θεὸν εἶναι.
Cur editores hic et alibi formam ὀίσατο plerumque traditam spreverint me quidem fugit, quoniam iota in verbo ὀΐομαι ab Homero constanter producitur.

α 345. ἐν δὲ γυνὴ ταμίη νύκτας τε καὶ ἦμαρ
ἔσχ' ἣ πάντ' ἐφύλασσε νόου πολυϊδρίῃσι.
Perquam dubia codicum lectio ἔσχ' ἣ sive ἔσκε(ν) ἣ. Compluria coniecta sunt, quorum nihil mihi satisfacit. Placeret:
ἔμπεδα πάντ' ἐφύλασσε κτέ.
i. e. ἀσφαλῶς, βεβαίως. Cf. *β* 227, *λ* 178, *τ* 525.

γ 256. δῖα Κλυταιμνήστρη.
Unice veram nominis formam esse Κλυταιμήστρη hodie planissime constat. Eandem in papyris Herculanensibus servatam esse nuper hos perlustrans animadverti, v. c. apud Philodemum de Rhetorica col. XXXV[a], 1 sq., ubi perperam Sudhaus in ed. p. 217 edidit Κλυταιμ⟨ν⟩ήστραν.

γ 299. ἀτὰρ τάς, πέντε νέας κυανοπρῳρείους
Αἰγύπτῳ ἐπέλασσε φέρων ἄνεμός τε καὶ ὕδωρ.
Sive sanum est κυανοπρῳρείους sive corruptum, assentiri nequeo Lugdunensibus „aegre desiderari Menelai nomen". De nullius enim alius navibus cogitari posse e praegressa narratione luce clarius apparet.

γ 479. ἐν δὲ γυνὴ ταμίη σῖτον καὶ ϝοῖνον ἔθηκε
ὄψα τε, οἷα ἔδουσι διοτρεφέες βασιλῆες.
Nauckio obtemperantes editores scribunt οἷ' ἔσθουσι. Quidni lenius et suavius οἷά τ' ἔδουσι, ut *θ* 160 ἄθλων, οἷά τε πολλὰ μετ' ἀνθρώποισι πέλονται et similia passim? Cf. Ebelingii lexicon Hom. II pag. 41 b.

δ 258. κατὰ δὲ φρόνιν ἤγαγε πολλήν.
Substantivum φρόνις, quod quamvis rediens *γ* 244 editores in suspicionem vocarunt, satis tueri videtur fictum nomen proprium Φρόνιος *δ* 630 et 648: υἱὸς Φρονίοιο Νοήμων.

δ 307. ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ᾧ τε Κρονίων
ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γεινομένῳ τε.

Minus feliciter Bekker eumque secuti Lugdunenses corrigunt γιγνομένῳ, luculenter enim docent versus sequentes poetam dedisse γειναμένῳ, i. e. γεννήσαντι, in quam emendationem nunc video iam Plattium incidisse.

ε 311. τῷ κ' ἔλαχον κτερέων, καὶ ἐμὸν κλέος ἦγον Ἀχαιοί.

In vulgus notae sunt posteriore aetate locutiones ἐντίμως, ἐν τιμῇ, διὰ τιμῆς ἄγειν τινά, sed nusquam, quod sciam, nudum verbum ἄγειν *honorandi* sensu ponitur. Homerice dici potuit καὶ ἐμὸν κλέος ἄφθιτον ἦεν, ut I 413, aut οὐρανὸν ἷκεν, ut Θ 192, θ 74.

Cogitari forsitan potest de corrigendo
καὶ ἐμὸν κλέος ἷκεν Ἀχαιούς
scil. Ithacenses, qui saepius ita dicuntur.

η 220 ἣ δέ (scil. γαστὴρ) με πάντων
ληθάνει, ὅσσ' ἔπαθον, καὶ ἐνιπλησθήμεν' ἀνώγει.

Verbi forma inaudita. Ambigo corrigamne λανθάνει, collato imperfecto ἐλάνθανον N 72, θ 93, 532, an potius:
ἣ δέ τε πάντων
λήθει μ' ὅσσ' ἔπαθον
quia praesens apud Homerum ubique est λήθω.

η 288. ηὗδον παννύχιος καὶ ἐπ' ἠόα καὶ μέσον ἦμαρ.
δύσετό τ' ἠέλιος, καί με γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν.

Quia non de crepusculo, sed de tempore meridiano (cf. editorum nota) loquitur Ulixes, neque ulla fide digna est lectio δείλετο, cogitarem de reponendo νίσσετό τ' ἠέλιος, quo sensu ι 58 dicitur ἦμος δ' ἠέλιος μετενίσσετο βουλυτόνδε, nisi graviorem errorem h. l. delitescere mihi persuaderet locus, quo hic respicitur ζ 117, ubi de diei tempore, quo e somno experrectus est heros, nulla fit mentio, sed puellarum clamor causa fuisse narratur, cur expergefieret. Unde nasci potest suspicio simile quid primitus h. l. dictum esse et lectionem ΔΥϹЄΤΟΤΗΕΛΙΟϹ, quae passim alibi in Homericis occurrens librariis erat familiarissima, depravatam esse ex ΑΥϹЄΝΔЄΤЄΤΙϹ, ut fuerit
ἤυσεν δέ τέ τις, καί με γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν.

Propter pronominis indefiniti usum generalem, quo nostro *men* saepe respondet, numerus singularis non obstat. Est enim illic

αἶ δ' ἐπὶ μακρὸν ἄυσαν, ὁ δ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεύς.

In praegressis vss. 278 sq.

ἔνθα κέ μ' ἐκβαίνοντα βιήσατο κῦμ' ἐπὶ χέρσου,
πέτρῃς πρὸς μεγάλῃσι βαλὸν καὶ ἀτερπέι χώρῳ

si recte viros doctos offendit forma novicia πέτρῃς (metro enim inimicam esse Fickii coniecturam πρὸς μεγάλῃσι πέτρῃσι bene observarunt editores), fortasse, mutata interpunctione, reponere licet

ἔνθα κέ μ' ἐκβαίνοντα βιήσατο κῦμ' ἐπὶ χέρσου,
πέτρῃσι μεγάλῃσι, βαλὸν πρὸς ἀτερπέι χώρῳ.

Similiter cum instrumentali verbum βιᾶσθαι sive βιάζεσθαι coniungitur Ψ 576. Cf. Λ 576, 589. Ο 727. Π 102.

θ 489. λίην γὰρ κατὰ κόσμον Ἀχαιῶν οἶτον ἀείδεις.

Non liquet utrum poeta voluerit *calamitatem qua Achaei Troianos affecerunt*, scil. Ilii excidium, an *quam ipsi passi sunt*, cum Hector naves eorum adoreretur. In hac autem narrationis parte nihil adhuc Demodocus cecinerat, sed θ 73 sqq. cecinit

νεῖκος Ὀδυσσῆος καὶ Πηλεΐδα' Ἀχιλῆος κτέ.

quod carmen Ἀχαιῶν οἶτος neutro sensu dici potuit, quoniam laetum omen futurae horum victoriae continebat. Cf. editorum nota ad vss. 75—80.

Nullum igitur sensum praebent vss. 488 sqq., nisi qualecumque Demodoci carmen Ἀχαιῶν οἶτον celebrans primitus his verbis antecessit. Unde liquet quam misere diasceuasta hanc Odysseae partem vexaverit, in qua, ut alia omittam, ineptissime certamina et donationes, quae brevi ante Ulixis reditum aptius commemorarentur, reliquam narrationem iusto prolixiorem et saepe misere languentem interrumpunt.

ι 106. Κυκλώπων δ' εἰς γαῖαν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων
ἱκόμεθ', οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισι
οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν οὔτ' ἀρόωσι κτέ.

Ad incitas, puto, redacti editores probare videntur Nitzschii interpretationem verborum θεοῖσι πεποιθότες, *vertrauend der Natur*,

cui ut fidem habeam equidem a me impetrare non possum. Nimis enim ea verba pugnant non quidem cum praegresso epitheto *ἀθεμίστων*, quod *legibus carentes* intellegi potest, sed cum impia Polyphemi oratione ι 275 sqq.:

νήπιός ἐσσ', ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δεδϝίμεν' ἢ ἀλέασθαι·
οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχοι' ἀλέγουσι
οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροί εἰμεν.

Quis vero credat bonum poetam, qualis est huius libri auctor, talem gentem dicere potuisse *θεοῖσι πεποιθέναι*? Quare nullus dubito quin gravis aliquis hic lateat error, quem corrigere nequeo. Deficientibus scholiis, quid veteres hic legerint ignoramus.

ι 259. *ἡμεῖς τοι Τροίηθεν ἀποπλαγχθέντες Ἀχαιοὶ*
παντοίοισ' ἀνέμοισιν ὑπὲρ μέγα λαῖτμα θαλάσσης
ϝοίκαδε ϝιέμενοι, ἄλλην ὁδόν, ἄλλα κέλευθα
ἤλθομεν· οὕτω που Ζεὺς ἤθελε μητίσασθαι.

Sic interpungi solet, conspirante scholio: *ἐκ παραλλήλου τὸ αὐτό. τὰ γὰρ δύο ἓν σημαίνουσιν.* Sed displicet iners tautologia, quare malim, deleta virgula, scribere:

ϝοικάδε ϝιέμενοι ἄλλην ὁδόν, ἄλλα κέλευθα
ἤλθομεν·

i. e. *aliam viam inimus quam qua patriam repetere volebamus.* Quia enim *ϝίεσθαι* valet *ὁρμᾶν*, commode iungi potest cum accusativo *ἄλλην ὁδόν.*

ι 325. *τοῦ μὲν ὅσον τ' ὀ ρ γ υ ῖ α ν ἐγὼν ἀπέκοψα παραστάς.*
Tam hic quam duobus reliquis locis κ 167 et Ψ 327 numeri admittunt (adeoque favent) vetustiori formae *ὀρόγυια(ν)*. Cf. nota editorum ad Ψ 327.

ι 492. *καὶ τότ' ἐγὼ Κύκλωπα προσηύδων· ἀμφὶ δ' ἑταῖροι*
μειλιχίοισι ϝέπεσσιν ἐρήτυον ἄλλοθεν ἄλλος·
„σχέτλιε, τίπτ' ἐθέλεις ἐρεθιζέμεν' ἄγριον ἄνδρα;
ὃς καὶ νῦν τοσσόνδε βαλὼν βέλος ἤγαγε νῆα
αὖτις ἐς ἤπειρον, καὶ δὴ φάμεν αὐθ' ὀλέεσθαι.

Haec apte et prudenter Ulixem monent sodales, qui ducem suum iterum Polyphemum compellare volentem cohibent, veriti

ne quod antehac factum erat (474—486) repeteretur; sed aeque inepta sunt quae post haec verba aliena, ni fallor, manus addidit:

εἰ δὲ φθεγξαμένου τε' ἢ αὐδήσαντος ἄκουσε,
σύν κεν ἄραξ' ἡμιν κεφαλὰς καὶ νήια δοῦρα
μαρμάρῳ ὀκριόεντι βαλών· τόσσον γὰρ ἵησι,

quae oratio neque *nunc ipsum* abhortantibus convenit, neque referri potest ad antegressa, ubi Cyclops, qui caecus, non surdus, erat, *auditis Ulixis convitiis* (cf. 475 sqq.) nec navem nec nautas saxo colliserat, sed saxi iactu aquam excitaverat, quae refluens navem reppulerat ad litus. Omni igitur sensu hi versus (in quibus etiam abundant verba *ἢ αὐδήσαντος*) carent et e textu exturbandi videntur.

ι 509. Τήλεμος Εὐρυμίδης.
Nomen patronymicum suspectum mihi admodum, quia ob breve *υ* Εὔρυμος non potest derivari neque a *ῥυμός* neque a *ῥυμή*. Recte se haberet v. c. Εὐδρομίδης.

κ 78. *τείρετο δ' ἀνδρῶν θυμὸς ὑπ' ἐρεσίης ἀλεγεινῆς*
ἡμετέρῃ ματίῃ, ἐπεὶ οὐκέτι φαίνετο πομπή.

Nescio an dativi instrumentales *ἡμετέρῃ ματίῃ* iungendi sint potius cum verbis *οὐκέτι φαίνετο πομπή*, itaque virgula sit delenda post *ματίῃ*, ponenda post *ἀλεγεινῆς*. Quamquam enim *ἐπεί* plerumque est prima sententiae vox, saepius tamen plura verba praemittuntur, velut Ε 27. Ζ 474. Θ 268, 397. Ψ 2. Φ 405. Hac autem interpunctione multo vividior fit oratio.

λ 599. *αὐτὰρ ὅ γ' ἂψ ὤσασκε τιταινόμενος, κατὰ δ' ἱδρὼς*
ἔρρεεν ἐκ μελέων, κονίη δ' ἐκ κρατὸς ὀρώρει.

Quae de Sisypho apud inferos poenas luenti dicuntur. Pro *ἐκ κρατός*, quod nemo intellegit, coniecta sunt *ἀμέγαρτος* (Naber), *ἄσβεστος* vel *ὑπὸ ποσσί* (editores Lugdunenses). Aliquanto lenius neque inepte, ut arbitror, conieceris *ἔκπαγλος*, quod *ἐκπληκτικός* explicare solent grammatici, coll. ξ 522 *χειμὼν ἔκπαγλος*.

μ 240. Dicitur de Charybdi
ἀλλ' ὅτ' ἀναβρόξειε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ,

πᾶσ' ἔντοσθ' ἐφάνεσκε κυκωμένη, ἀμφὶ δὲ πέτρη
δεινὸν ἐβεβρύχει, ὑπένερθε δὲ γαῖ' ἐφάνεσκε
ψάμμῳ κυανέη· τοὺς δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει.

Ultimus versus, cuius alterum hemistichium ex H 479 repetitum est, duplici de causa mihi suspectus; nam primo Homerus ceteris omnibus locis frequentissimis utitur forma ψάμαθος, deinde vero, quod etiam gravius, *arena* non *nigra* est, sed aut *flava* aut *candida*, neque igitur terram nigram reddere potest. Ita ἰλύι dicendum fuerat. Omissum vero vilem versiculum nemo, opinor, desiderabit. Sive autem cum Aristarcho κυανέη legimus, sive cum aliis κυανέῃ, res redit eodem.

ν 240. De Ithaca dicitur:

ἦ τοι μὲν τρηχεῖα καὶ οὐχ ἱππήλατός ἐστι,
οὐδὲ λίην λυπρή, ἀτὰρ οὐδ' εὐρεῖα τέτυκται·
ἐν μὲν γάρ τοι σῖτος ἀθέσφατος κτἑ.

Sententiae aperte laboranti succurrit ingeniosa editorum coniectura:

οὐδὲ λίην εὐρεῖ', ἀτὰρ οὐ λυπρή γε τέτυκται.

Sed male me habet ipsum illud λυπρή, quia alibi nusquam in Homericis radicis λυπ reperitur vestigium. Quare conieci:

οὐδὲ λίην λευρή, ἀτὰρ οὐδ' αὖ στεῖρα τέτυκται,

coll. η 123 λευρῷ ἐνὶ χώρῳ, et στεῖρα, *sterilis* κ 522. λ 30. υ 186, ubi de bove usurpatur, sed de terra adhibuit Euripides Andr. 712.

ν 274. τούς μ' ἐκέλευσα Πύλονδε καταστῆσαι καὶ ἐφέσσαι
ἢ εἰς Ἦλιδα δῖαν, ὅθι κρατέουσιν Ἐπειοί.

Molestum prothysterum facile evitari potuerat scribendo:

καταστῆσαι ἐφέσαντας.

ξ 295. εἰς Λιβύην μ' ἐπὶ νηὸς ἐφείσατο ποντοπόροιο
ψεύδεα βουλεύσας, ἵνα τοι σὺν φόρτον ἄγοιμι,
κεῖθι δέ μ' ὡς περάσειε καὶ ἄσπετον ὦνον ἕλοιτο.

Schol. τὸ ἑξῆς, ψεύδεα βουλεύσας ἐπὶ νηός μ' ἐέσσατο (sic) ποντοπόροιο ἐς Λιβύην, ἵνα — ἄγοιμι. Facile credimus, sed non est in constructione difficultas, verum in obscuritate verborum ψεύδεα βουλεύσας. Poenus ille personatum Cretensem navi imposuit,

ut falso dicebat, mercandi causa, sed re vera ut ipsum peregre venumdaret. Quare exspectatur aliquid huiuscemodi

ὡς φῇ ψευδόμενος, ἵνα κτἑ.

Sed dictionis obscuritas fortasse ipsi poetae imputanda est.

ξ 475. νὺξ δ' ἄρ' ἐπῆλθε κακὴ Βορέαο πεσόντος
πηγυλίς, αὐτὰρ ὕπερθε χιὼν γένετ' ἠύτε λάχνη
ψυχρή, καὶ σακέεσσι περιτρέφετο κρύσταλλος.

Quam apta est Naberi emendatio pro λάχνη, merito recepta a Lugdunensibus, tam infelix est eiusdem coniectura ψεδνή, quod *rara* significans non est huius loci, qui manifeste contrariam notionem *densa*, *spissa* postulat. Quapropter nescio an lateat πυκνή.

ρ 235. ὃ δ' ἐμερμήριξεν Ὀδυσσεύς,
ἠὲ μεταΐξας ῥοπάλῳ ἐκ θυμὸν ἕλοιτο,
ἢ πρὸς γῆν ἐλάσειε κάρη ἀμφουδὶς ἀείρας.

Suspecta hic et alibi in Homericis forma novicia γῆ pro epica γαῖα. Fieri potest ut primitus fuerit ἠὲ πέδονδ' ἐλάσειε κτἑ.

ρ 384. μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων
ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδόν, ὅ κεν τέρπῃσιν ἀείδων.

Huc rettulerim Hesychii glossam θεσπιάοιδος· ποιητής, leviter depravatam ex θέσπι<ς> ἀοιδός. Num enim quisquam poetam θεσπιάοιδον vocare potuerit, multum dubito.

σ 84. πέμψω σ' ἤπειρόνδε βαλὼν ἐν νηὶ μελαίνῃ
εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων,
ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέι χαλκῷ
μήδεά τ' ἐξερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

Pudenda *evelli* nequeunt, possunt *excidi*, quare exspectabam:

μήδεά τ' ἐκκέρσας κτἑ., i. e. ἐκτεμεῖν.

Sed vetustam sane librorum scripturam esse sive veram sive falsam, arguit locus simillimus χ 476, qui eandem admittit mutationem. Iudicent alii.

σ 112. Ulixem victorem e pugna cum Iro redeuntem his verbis proci salutant:

Ζεύς τοι δοίη, ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
ὅττι μάλιστ' ἐθέλεις καί τοι φίλον ἔπλετο θυμῷ,
ὃς τοῦτον τὸν ἄναλτον ἀλητεύειν ἀπέπαυσας.

Atticum est *τοῦτον τὸν*, non homericum. Rescribo *ὅς γ' οὕτως τὸν* (*istum*) *ἄναλτον ἀλητεύειν ἀπέπαυσας*. Simili vitio laborat τ 372: *ὡς σέθεν αἱ κύνες αἵδε καθεψιάονται ἅπασαι*, ubi conieci *ὥς* <*ῥα*> *σέθεν κύνες αἵδε κτέ.*

τ 44. Ulixes ad filium:

ἀλλὰ σὺ μὲν κατάλεξαι, ἐγὼ δ' ὑπολείψομαι αὖθι,
ὄφρα κ' ἔτι δμῳὰς καὶ μητέρα σὴν ἐρεθίζω.

In sequentibus vero neque ancillas neque Penelopen contra se irritat, sed revera uxori iis quae dicit vss. 70—89 iram movet contra ancillas, ut apparet ex huius oratione vss. 91—95. Quocirca corrigo:

ὄφρα κ' ἐπὶ δμῳὰς καὶ μητέρα σὴν ἐρεθίζω

ut etiam matrem incitem adversus ancillas.

τ 107. *ὦ γύναι, οὔ κέν τίς σε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν*
νεικέοι· κτέ.

Ferme nescio an huius loci sit maior laudatio, quae verbis inesset, si scriberetur *νικάοι*. *Nemo mortalium te praestantior.* Cf. B 370. I 130, 272. O 283. σ 319. Fortasse tamen nihil mutandum.

τ 177. *Δωριέες τε τριχάικες.*

Significare videtur *trifariam divisi prosilientes* (in pugna). Cf. editorum nota.

τ 188. *στῆσε δ' ἐν Ἀμνισῷ, ὅθι τε σπέος Εἰλειθυίης,*
ἐν λιμέσιν χαλεποῖσι, μόγις δ' ὑπάλυξεν ἀέλλας.

Naber, coll. Vergil. Aen. I 159 sqq. III 533 sqq. proposuit *χθαμαλοῖσι*, mihi haud displiceat *γλαφυροῖσι*, coll. μ 305 *στήσαμεν ἐν λιμένι γλαφυρῷ ἐυεργέα νῆα.* Cf. κ 92 *ἔντοσθεν λιμένος κοίλοιο.*

τ 255 sqq. Vid. Poittier, Mélanges Weil., p. 385 sqq.

τ 474. ἦ μάλ' Ὀδυσσεύς ἐσσι, φίλον τέκος· οὐδέ σ' ἐγώγε
πρὶν ἔγνων, πρὶν π ά ν τ α ϝάνακτ' ἐμὸν ἀμφαφάεσθαι.
Annotant editores „πάντα vix sanum; Duentzer ἄντα (γ' ἄντα?), vid. v. l. κ 453; sed cum verbo ἀφάεσθαι hoc adv. apte iungi vix potuit". Assentior. Conieci γ' α ὖ τ ε, *denuo.*

υ 116. μνηστῆρες πύματόν τε καὶ ὕστατον ἤματι τῷδε
ἐν μεγάροισ' Ὀδυσῆος ἑλοίατο δαῖτ' ἐρατεινήν,
οἳ δή μοι καμάτῳ θυμαλγέι γούνατ' ἔλυσαν
ἄλφιτα τευχούσῃ· νῦν ὕστατα δειπνήσειαν.
Vs. 118 sq. delet Duentzer, et vs. 119 sane melius abesset, sed vs. 118 procul dubio est genuinus.

υ 132. ἐ μ π λ ή γ δ η ν ἕτερόν γε τίει μερόπων ἀνθρώπων.
Sic Aristarchus, sed fortasse praestat altera lectio ἐ κ π λ ή γ δ η ν, *stolide.* Cf. σ 327 σύ γέ τις φρένας ἐ κ π ε π α τ α γ μ έ ν ο ς ἐσσί.

υ 138. ἀλλ' ὅτε δὴ κοίτοιο καὶ ὕπνου 'μιμνήσκοντο,
ἡ μὲν δέμνι' ἄνωγεν ὑποστορέσαι δ μ ῳ ῇ σ ι.
Propter vitiosum dativum I. H. Voss coll. γ 427 pro ἄνωγεν substitui iussit ἔειπεν. Num forte legendum δ μ ῳ ά ς ϝ ο ι, aut modulatius δ μ ο(ϝ)ϊ ά ς ϝ ο ι?

υ 166. ξεῖν', ἦ' ἄρ τ ί σ ε μᾶλλον Ἀχαιοὶ εἰσοράουσι,
ἦέ σ' ἀτιμάζουσι κατὰ μέγαρ', ὡς τὸ πάρος περ.
Vitiosus hiatus tolli potest scribendo:
ξεῖν', ἦ' ἄρ ν ύ τ ι μᾶλλον Ἀχαιοί <σ'> εἰσοράουσι κτἑ.

υ 185. τοῖσι δ' ἐπὶ τρίτος ἦλθε Φιλοίτιος ὄρχαμος ἀνδρῶν
βοῦν στεῖραν μνηστῆρσιν ἄγων καὶ π ί ο ν α ς α ἶ γ α ς.
Genuina lectio videtur π ί ο ν α μ ῆ λ α, scil. *oves*, nam Melanthius αἰπόλος αἰγῶν vs. 174 iam αἶγας ἦγεν, αἳ πᾶσι μετέπρεπον αἰπολίοισι, δεῖπνον μνηστήρεσσι, et proci vs. 250 ἱέρευον ὄις μεγάλους καὶ πίονας αἶγας, ἱέρευον δὲ σύας σιάλους (quas Eumaeus adduxerat) καὶ βοῦν ἀγελαίην. Sic demum omnia bene concinunt.

υ 361. ἀλλά μιν αἶψα, νέοι, δόμου ἐκ πέμψασθε θύραζε
εἰς ἀ γ ο ρ ὴ ν ἔρχεσθαι, ἐπεὶ τάδε νυκτὶ ϝεϝίσκει.

Naberum, quod locus requiratur, unde quoquo versus aspectus pateat, coniicientem *ὀροφὴν* iure refellunt editores animadvertendo obstare additum *θύραζε*. Si quid mutandum, melius conieceris *ἀγρούς*.

Φ 86. Antinous ad Eumaeum et bubulcum, qui conspecto heri sui, quem periisse putant, arcu lacrimas profuderant:

ἆ δειλώ, τί νυ δάκρυ κατείβετον ἠδὲ γυναικὶ
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὀρίνετον; ᾗ τε καὶ ἄλλως
κεῖται ἐν ἄλγεσι θυμός, ἐπεὶ Φίλον ὤλεσ' ἀκοίτην.
ἀλλ' ἀκέων δαίνυσθε καθήμενοι, ἠὲ θύραζε
κλαίετον ἐξελθόντε κατ' αὐτόθι τόξα λιπόντε.

In extremo libro praecedenti commemorata est cenae praeparatio, sed priusquam cenant, proci auctore Penelope sagittandi per secures certamen aggrediuntur, itaque permire h. l. Eumaeus et Philoetius tranquille cenare iubentur.

Num forte hic locus labem concepit ex similibus β 311, ξ 195 (cf. 110) et primitus fuit:

ἀλλ' ἀκέων νυ γένεσθε καθημένοι κτέ.,

collata nota formula *ἀκὴν ἐγένοντο?*

χ 21. Interfecto Antinoo

τοὶ δ' ὁμάδησαν
μνηστῆρες κατὰ δῶμα, ἐπεὶ ϝίδον ἄνδρα πεσόντα,
ἐκ δὲ θρόνων ἀνόρουσαν ὀρινθέντες κατὰ δῶμα
πάντοσε παπταίνοντες ἐὺ δμητοὺς ποτὶ τοίχους.

Manifesto librariorum errore vox *δῶμα* repetita est. Poeta, ni fallor, dederat

ὀρινθέντες κατὰ θυμὸν κτέ.

ut passim legitur *θυμὸν* (*ἦτορ, κῆρ*) *ὀρίνειν*. Rectissime vero χ 360 legitur *ὀρινομένῳ κατὰ δῶμα*, qui locus fortasse huic fuit perniciosus. Frequentissimam esse apud Homerum formulam *κατὰ θυμόν* nemo ignorat.

χ 55. *ἀτὰρ ἧμες ὄπισθεν ἀκεσσάμενοι κατὰ δῆμον*
ὅσσα τοι ἐκπέποται καὶ ἐδήδεται ἐν μεγάροισι,
τιμὴν ἀμφὶς ἄγοντες ἐϝεικοσίβοια ϝέκαστος,
χαλκόν τε χρυσόν τ' ἀποδώσομεν, κτέ.

Recipi nequit Hartmani coniectura *ἀγειράμενοι*, quoniam quae epota sunt et comesa *compensari* quidem possunt, *colligi* vero nequeunt. Locis ν 14 et τ 197, quae attulit, nullum inest praesidium.

χ 171. Ulixes ad Eumaeum:

ἤ τοι ἐγὼ καὶ Τηλέμαχος μνηστῆρας ἀγαυοὺς
σχήσομεν ἔντοσθεν μεγάρων μάλα περ μεμαῶτας·
σφῶι δ' ἀποστρέψαντε πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε
εἰς θάλαμον βαλέμεν, — σανίδας δ' ἐκδῆσαι ὄπισθε, —
σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτόο πειρήναντε
κίον' ἀν' ὑψηλὴν ϝερύσαι πελάσαι τε δοκοῖσι,
ὥς κεν δϝῆθὰ ζωὸς ἐὼν χαλέπ' ἄλγεα πάσχῃ.

De inextricabilibus huius loci difficultatibus, quas luculenter exposuerunt editores, nihil addam. Deleto cum Bothio vs. 174 *εἰς — ὄπισθε*, expectamus aliquid huiuscemodi:

σφῶι δ' ἀποστρέψαντε διαμπερὲς εὖ μάλα χεῖρας,
σειρὴν δὲ πλεκτὴν κτέ.

coll. vs. 189 sq.

σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε 'δίδεν θυμαλγέι δεσμῷ
εὖ μάλ' ἀποστρέψαντε διαμπερές, ὡς ἐκέλευσε,
σειρὴν δὲ πλεκτὴν κτέ.

Quantumvis enim incerta, non improbabilis tamen videtur suspicio, verba hic lecta *πόδας χεῖράς τε* interpolatorem movisse, ut vs. 173, cuius prius tantummodo hemistichium superfuerit, expleret verbis *πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε* ope loci Iliadis E 122.

Locis adeo misere habitis nullum certum remedium paratum esse non est quod dicam.

χ 225.

νείκεσσεν δ' Ὀδυσῆα (Minerva) *χολωτοῖσιν ϝεπέεσσι·*
οὐκέτι σοί γ', Ὀδυσεῦ, μένος ἔμπεδον οὐδέ τις ἀλκή,
οἵη ὅτ' ἀμφ' Ἑλένῃ λευκωλένῳ ἠυπατείρῃ,
εἰνάϝετες Τρώεσσιν ἐμάρναο νωλεμὲς αἰεί,
πολλοὺς δ' ἄνδρας ἔπεφνες ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι.
πῶς δὴ νῦν, ὅτε σόν γε δόμον καὶ κτήμαθ' ἱκάνεις,
ἄντα μνηστήρων ὀλοφύρεαι ἄλκιμος εἶναι;

Ultima verba sensu cassa. Intellegi posset *ὀλοφύρεαι ὥς τις* (vel *ἠύτ'*) *ἄναλκις*, nisi rem nimis exaggerare dea ita dicens

videretur. Ulixes enim vs. 208 minime *lamentatur* Minervam Mentoris specie indutam his verbis compellans:

Μέντορ, ἄμυνον ἀρήν, μνῆσαι δ' ἑτάροιο φίλοιο,
ὅς σ' ἀγάθ' ἐρρέζεσκον· ὁμηλικίη δέ μοί ἐσσι.

Quae res movisse videtur Lugdunenses, ut ipsum verbum ὀλοφύρεαι mendosum esse rati ἐπιλήθεαι proponerent. Numquam vero apud Homerum verbum λήθεσθαι cum compositis (ἐκ-, ἐπι-, κατα-, ἀπεκ-), cuius innumera exstant exempla, cum infinitivo coniungitur, excepto unico loco κ 557 ἐκλάθετο — καταβῆναι, sed constanter cum genetivo. Altius igitur vulnus, quod curare non possum, his verbis illatum videtur. Recte v. c. diceretur

ἄντα μνηστήρων ὀλίγων ἐπιδευέαι ἀλκῆς,

opposito vs. 229 πολλοὺς δ' ἄνδρας ἔπεφνες.

χ 344. Phemius supplex ad Ulixem:

γουνάομαί σ', Ὀδυσεῦ, σὺ δέ μ' αἴδεο καί μ' ἐλέησον.
αὐτῷ τοι μετόπισθ' ἄχος ἔσσεται, εἴ κεν ἀοιδὸν
πέφνῃς, ὅς τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀείδω.
αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
παντοίας ἐνέφυσε· ϝέϝοικα δέ τοι παραείδειν
ὥς τε θεῷ· τῷ μή με λιλαίεο δειροτομῆσαι.

Non temere editores num verbum compositum hic tantum occurrens παραείδειν huic loco aptum sit quaerere videntur. Mihi imprimis displicet propter sequentia verba ὥς τε θεῷ et requiri puto verbum simplex, ut in praegressis. Accedit quod nusquam alibi apud Homerum apparet ἔοικα pro ἔοικέ με, quod crebro legitur. Vide igitur an corrigendum sit

ϝέϝοικε δέ τοί (σοί?) μ' ἄρ' ἀείδειν
ὥς τε θεῷ κτέ.

χ 367. Medon supplex ad Telemachum:

ὦ φίλ', ἐγὼ μὲν ὅδ' εἰμί· σὺ δ' ἴσχεο, ϝειπὲ δὲ πατρί,
μή με περισθενέων δηλήσεται ὀξέι χαλκῷ, κτέ.

Verba, quod olim iam monui, sensu cassa, propterea quod Medon πεπτηὼς ὑπὸ θρόνου ipsum Telemachum patri dicentem audiverat (356)

ἴσχεο, μηδέ τι τοῦτον (Phemium) ἀναίτιον οὔταε χαλκῷ.

καὶ κήρυκα Μέδοντα σαώσομεν, ὅς τέ μεʼ αἰεὶ
ϝοίκῳ ἐν ἡμετέρῳ 'κηδέσκετο παιδὸς ἐόντος.

Vix igitur huic dicere potuit: *Contine te* et *patri dic* (ut idem faciat), quae nunc ipsum fecisse noverat.

Exspectatur aliquid huiuscemodi:

ὦ Φίλʼ, ἐγὼ μὲν ὅδε· περὶ δὲ σχέο ⟨λισσομένοιο⟩,
μή με πατὴρ θείνων δηλήσεται ὀξέϊ χαλκῷ.

Cf. A 393 περίσχεο παιδός et ι 199. De verbi περισθενέων sanitate iam dubitarunt editores.

χ 379. ἑζέσθην δʼ ἄρα τώ γε (Phemius et Medon) Διὸς μεγάλου ποτὶ βωμόν,
παντόσε παπταίνοντε, Φόνον ποτιδεγμένω αἰεί.

Si hi versus genuini sunt, apparet utrumque etiam post benigna Ulixis verba 372 sq. θάρσει κτέ. vitae suae metuisse. Is autem vs. 375 dicens

ἀλλʼ ἐξελθόντες μεγάρων ἕζεσθε θύραζε
ἐς Φόνον εἰς αὐλήν

Iovis aram, ubi considendum iis esset, non indicaverat. Iam vero, si genuinus est vs. 379, aperte omni suspicione vacat vs. sequens, quare improbanda videtur Hartmani coniectura hunc versum solum delentis, sed aut ambo simul servandi (quod malim) aut delendi, ut genuinus sit solus vs. 378

ὣς Φάτο, τὼ δʼ ἔξω βήτην μεγάροιο κιόντε.

Non magis eidem assentior haerenti in πολλοὺς post πάντας vs. 383 sqq.

τοὺς δʼ ἔϝιδεν μάλα πάντας ἐν αἵματι καὶ κονίῃσι
πεπτεότας πολλοὺς ὥς τʼ ἰχθύας, οὕς θʼ ἁλιῆας
κοῖλον ἐς αἰγιαλὸν πολιῆς ἔκτοσθε θαλάσσης
δικτύῳ ἐκϝέρυσαν πολυωπῷ, τοὶ δέ τε πάντες
κύμαθʼ ἁλὸς ποθέοντες ἐπὶ ψαμάθοισι κέχυνται.

Multos procos *omnes* vidit in sanguine et pulvere iacentes, ut *multi* pisces rete capti *omnes* iacent in litore undam marinam desiderantes. Quid quaeso in his absoni aut inepti?

χ 443. Dicitur de ancillis:

θεινόμεναι ξίΦεσιν τανυήκεσιν, εἰς ὅ κε πάσας
ψυχὴν ἐξαΦέλησθε καὶ ἐκλελάθητʼ ʼΑΦροδίτης,

τὴν ἄρ' ὑπὸ μνηστῆρσιν ἔχον μίσγοντό τε λάθρῃ.

Lugdunenses ultimum versum suspectant, quod vix Graecum sit Ἀφροδίτην ἔχειν. Reputandum vero hic Ἀφροδίτην non ipsam deam esse, sed voluptatem veneream, prorsus ut B 426 σπλάγχνα ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο non Vulcanus significatur, sed ignis. Quocirca nulla mihi videtur inesse huic locutioni iustior offensio, quam si haereas in ἡδονὴν ἔχειν, λαμβάνειν similibusve.

ψ 218—224. Adversus Aristarchum satis probabiliter hos versus tuetur Platt, Class. Rev. 1899, 383.

ω 210. δμῶες ἀναγκαῖοι, τοί ϝοι φίλα ϝεργάζοντο.

I. e. *quae ipsi* (Laertae) *placebant*. Cf. ξ 227 ἐμοὶ τὰ φίλ' ἔσκε, τά που θεὸς ἐν φρεσ' ἔθηκε, alia multa. Moneo propter Hartmanum φίλα corruptum iudicantem.

ω 230. αὐτὰρ ὕπερθε

αἰγείην κυνέην κεφαλῇ ἔχε, π έ ν θ ο ς ἀ έ ξ ω ν.

Editores „Causa potius indicanda erat cur pileo caput texerit senex. Vid. vs. 229 sq., v. Herwerden (Quaest. ep. et el.) θάλπος ἀλέξων, E. Schultze πνῖγος ἀλέξων; neutrum tamen substantivum in Homero extat, neque activum ἀλέξειν usurpatur de eo qui se ipsum defendit [recte tamen hic habere videtur quia significat *a capite arcens*]. Si quid eiusmodi latet, suspicamur potius ad ψῦχος vel ὄμβρον (Hartman cf. Ar. Nub. 268) vitandum capiti imposuisse pilum". Coniecturae ὄμβρον favet imprimis Hesiodi locus Opp. 545 sq.

κεφαλῆφι δ' ὕπερθε

πῖλον ἔχειν ἀσκητόν, ἵν' οὔατα μὴ καταδεύῃ

scil. ὑετός. Potest etiam cogitari de scribendo αἶθρον ἀλέξων, i. e. *caeli intemperiem*, si recte quondam, assentientibus editoribus, ita hoc vocabulum interpretatus sum ξ 318.

ω 313. θυμὸς δ' ἔτι νῶιν ἐώλπει

μ(ε)ίξεσθαι ξενίῃ ἠδ' ἀγλαὰ δῶρα δ ι δ ώ σ ε ι ν.

Tolerabilius sane quod proponunt Lugdunenses:

ἰδὲ (vel καὶ) δωσέμεν' ἀγλαὰ δῶρα.

Malim tamen, quo melius appareat quae exspectatur donorum reciprocatio:

ἠδ' ἀγλαὰ δῶρ' ἐπαμείψειν

coll. vs. 384 sqq.:

εἰ γάρ μιν ζωόν γε κίχῃς Ἰθάκης ἐνὶ δήμῳ,
τῷ κέν σ' εὖ δώροισιν ἀμειψάμενοι ἀπέπεμψε
καὶ ξενίῃ ἀγαθῇ.

Sic Z 230

τεύχεα δ' ἀλλήλοισ' ἐπαμείψομεν, ὄφρα καὶ οἵδε
γνώωσ' ὅ ξεῖνοι πατρώιοι εὐχόμεθ' εἶναι.

ω 395. Δολίος δ' ἰθὺς κίε χεῖρε πετάσσας
ἀμφοτέρω, Ὀδυσεὺς δὲ λαβὼν κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.

Ex ultimis verbis recte imitatorem agnovit Hartman, coll. E 458. Qui magis etiam agnoscitur e Laertae verbis ω 376 sqq.

αἲ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,
οἷος Νήρικον εἷλον ἐΰ κτίμενον πτολίεθρον,
τοῖος ἐὼν κτέ.

quae Nestoris in Iliade personam referunt.

ω 426. Eupithes, Antinoi proci pater, in Ithacensium concione sic alloquitur factionem Ulixi adversariam:

ὦ φίλοι, ἦ μέγα ϝέργον ἀνὴρ ὅδε μήσατ' Ἀχαιούς·
τοὺς μὲν σὺν νήεσσιν ἄγων πολέας τε καὶ ἐσθλοὺς
ὤλεσε μὲν νῆας γλαφυράς, ἀπὸ δ' ὤλεσε λαούς·
τοὺς δ' ἐλθὼν ἔκτεινε Κεφαλλήνων ὄχ' ἀρίστους.
ἀλλ' ἄγετε, πρὶν τοῦτον ἢ εἰς Πύλον ὦκ' ἀφικέσθαι
ἢ καὶ ἐς Ἤλιδα δῖαν, ὅθι κρατέουσιν Ἐπειοί,
ἴομεν· ἢ καὶ ἔπειτα κατηφέες ἐσσόμεθ' αἰεί.

Num genuini sunt vss. 430 sq., qui facili negotio interpolari potuerunt ope locorum π 376 et ν 274 sq.? Si sunt, mente supplendum erit: *ut inde petant auxiliatores*, qualis tamen sententia vix et ne vix quidem, praesertim in sermonis epici ubertate, omitti potuisse videtur. Nisi vero hoc poeta voluit, me quidem iudice idoneo sensu hi versus carent. Qui enim quaeso cogitari poterat Ulixes vix redux in patriam et suarum rerum potitus fugam esse capturus?

In proximis recte iam editores eiecerunt vs. 437 inutilem et molestum.

AD SENECAM.

SCRIPSIT

W. C. K. CAPEL.

Senecae Epist. ed. O. Hense, ap. Teubner. 1898.

Ep. 89, 16. In hac paragrapho lacunam et quidem satis amplam mihi videor deprehendere. Morali enim philosophiae parte pertractata Seneca naturalem disponere incipit; haec autem *in duo scinditur: corporalia et incorporalia. utraque dividuntur in suos, ut ita dicam, gradus. corporum locus in hos primum, in ea quae faciunt et quae ex his gignuntur: gignuntur autem elementa. ipse ⟨de⟩* [1] *elementis locus, ut quidam putant, simplex est, ut quidam, in materiam et causam omnia moventem et elementa dividitur. Superest ut etc.*

Quomodo haec ulli interpreti sana videri potuerint, non intellego: nam elementa *gigni* dicuntur, deinde S. addit nonnullos esse qui locum ⟨de⟩ elementis „in materiam et causam omnia moventem et elementa" dividant. Mira sane elementa, quae et ipsa „gignantur" et „in materiam et causam omnia moventem et elementa" dividi possint. Quod vitium fortasse ita tolli potest, ut aut voc. *et elementa* tamquam glossema voc. *omnia* deleamus, aut pro *dividitur* legamus *dividuntur* (tunc subiectum est voc. *elementa*, et *autem* idem valet quod *etiam*). Sed gravius restat: nihil enim discimus de modo quo „incorporalia" dividi soleant; quod vix ac ne vix quidem neglegentiae auctoris attribui

1) *De* inserit unus e recentioribus cod, omittit B.

potest; quare satis multa hic excidisse suspicor, quae tamen supplere ne conabor quidem.

Ep. 90, 5. Saeculo aureo neminem iniustum fuisse Seneca perhibet, *cum bene imperanti bene pareretur nihilque rex maius minari male parentibus posset, quam ut abirent e regno.*

Gronovius legere iussit: *quam abire se regno*, quod quamquam Hensius in textum non recepit, tamen verum credit. Equidem Gronovii coniecturam necessariam non duco; haec enim, ni fallor, sententia est: „Gravissima poena, qua rex ille sapiens male parentes afficere poterat, exilium erat, quod ideo homines tantopere metuebant quia nusquam alibi tam feliciter vivebatur quam ubi sapiens reipublicae praeerat".

Ibid. 17. *Quid ergo? non quilibet*[1]) *virgeam cratem texuerunt manu et vili obliverunt luto, deinde* [*de*] *stipula aliisque silvestribus operuere fastigium, et pluviis per devexa labentibus hiemem transiere securi?*

Sic Hensius edidit; sed quid in hoc contextu voc. *quilibet* sibi velit non video; Haasii contra lectio mihi potior videtur: *non quaelibet virgea in cratem*[2]) *texuerunt etc.?* Subiectum quidem sic desideratur, quod tamen facillime mente suppleri potest; sed optimum sensum sic nanciscimur: „homines illi naturam sequentes", inquit Seneca, „non magna cura virgas legebant quas in cratem texerent, sed prima quaque virgula contenti erant".

Ibid. 22. Salse Seneca Posidonium deridet, qui, ut illius verbis utar, „sapientem etiam in pistrinum summittit". Panis enim coctionem Posidonius sapientem dicebat invenisse collato modo quo fruges in ore humano fractae in ventrem perveniant. Quod sic nobis Seneca narrat: *receptas*, *inquit* (Posidonius), *in os fruges concurrens inter se duritia dentium frangit, et quicquid excidit, ad eosdem dentes lingua refertur: tunc vero miscetur, ut facilius per fauces lubricas transeat.*

---

1) *Quaelibet* cod. B; *quilibet* aut *quamlibet* recentiores

2) Sic codex Velzensis; ceteri praepositionem omittunt.

Aliquid hic desiderari iam in recentioribus mss. indicatur, quorum nonnulli *salivae* post *vero* addunt; Buecheler autem *et umore miscetur* legere mavult. Tale quid hic omissum esse e sequentibus quoque apparet, ubi (§ 23) in panis fingendi descriptione legimus: *tum farinam aqua sparsit* etc. Sed quare Buechelero recentiorum lectio, quae, etiamsi e coniectura nata sit, bonum tamen sensum praebet, satisfacere non potuerit, me fugit; mihi quidem ea huic loco multo aptior videtur quam illud *umor*, quod magis generalem sensum habet.

Ibid. 38. De saeculo aureo loquens S. haec dicit: *Quid hominum illo genere felicius? in commune rerum natura fruebantur. sufficiebat illa ut parens in tutela* [1]) *omnium.*

Quod Buecheler proposuit, *ita tutela*, Hensius recepit, meo tamen iudicio iniuria. Sic enim *tutela* tutricis sensum accipit, quod nisi apud poetas [2]) fieri non solet. Ideo potius cum Haasio recentiorum lectionem sequi velim.

Ep. 92, 10. Vergilii notissimis de Scylla versibus (Aen. III 426 sqq.) citatis:

prima hominis facies et pulchro pectore virgo
pube tenus, postremo immani corpore pistrix
delphinum caudas utero commissa luporum,

ita S. pergit: *huic tamen Scyllae fera animalia adiuncta sunt, horrenda, velocia: at isti* (sc. Epicurei) *sapientiam ex quibus composuere portentis? prima ars hominis est ipsa virtus: huic committitur inutilis caro et fluida, receptandis tantum cibis habilis, ut ait Posidonius.*

Quomodo *arti* committi possit caro me latet; contra *pars*, quod recentiores exhibent, facile intellegitur; tunc enim *prima* idem significat ac *primaria*. Hanc lectionem etiam sequentia confirmare videntur: *virtus illa divina in lubricum desinit et superioribus eius partibus venerandis atque caelestibus animal iners ac marcidum adtexitur.*

---

1) Sic B A, *in tutelam* rec.

2) Cfr. e. g. Ovid. Met. XII 612; Fasti I 415. Priap. 36, 7. Hor. Od. IV 14, 43; Ep. I 1, 103 Tantummodo *navis tutela* pro dei imagine, quae in prora posita erat, etiam in prosa invenitur, e. g. Sen. Ep. 76, 13. Petron. 105; 108.

Quae deinde leguntur: *illa utcumque altera quies nihil quidem ipsa praestabat animo, sed impedimenta removebat: voluptas ultro dissolvit et omne robur emollit* non recte post *honesto inhonestum* (§ 6) transponi iussit O. Ribbeck; imperfecta enim illa *praestabat* et *removebat* indicant de re iam antea tractata hic sermonem fieri; si contra haec verba § 6 legerentur, praesens tempus omnino necessarium erat. Sed me iudice voc. *utcumque* utique delendum est, cum quomodo explicandum sit non videam; in § 6, unde huc irrepsisse videtur, bene iungitur cum verbo *recipi,* sed hic, ni fallor, omni sensu caret.

Ibid. 29. Haec paragraphus a Buechelero in integrum restituta esse mihi videtur; tantummodo pro voc. *hanc* in sent.: *per hanc potest non paenitenda agi vita* potius *haec* substituerim; nam *per hanc* nihil aliud significare potest quam *per hanc aetatem* (vid. contextus), quod vix aptum sensum praebet. Contra *per haec* omnia supra dicta: „oculorum et aurium sensum, bonam valetudinem, non foedum aspectum corporis, aetatis longius spatium", continet.

Ep. 94, 31. In hac epistula quaeritur utrum ad vitam beatam *decreta* sufficiant an *admonitiones* quoque aliquid conferre possint. L. l. adversarius hoc obiicit: *si quis non habet recta decreta, quid illum admonitiones iuvabunt vitiosis obligatum?* Tunc S. respondet: *hoc scilicet, ut illis liberetur. non enim extincta in illo indoles naturalis est, sed obscurata et oppressa. sic quoque temptat resurgere et contra prava nititur, nancta vero praesidium et adiuta praeceptis evalescit, si tamen illam diutina pestis non infecit nec enecuit: hanc enim ne disciplina quidem philosophiae toto impetu suo conisa restituet.*

Pro *infecit*, quod codices dant, Buecheler *interfecit* legere mavult, quod Hensius etiam recepit, iniuria tamen, si me audias. Non multum enim interesse videtur inter *interfecit* et *enecuit*; contra *infecit* optime de diutinae pestis efficacitate dici potest, quare hoc omnino retinendum censeo.

Ibid. 41. *Nec tibi facile dixerim quemadmodum prosit* (sc. conversatio virorum bonorum), *sic ut illud intellegam profuisse.*

In altera sententiae parte non sine causa haeserunt Baehrensius et Buecheler, quorum alter pro *sic ut* potius *licet*, ille autem *cum* legi iubet. Neutrum tamen mihi placet; nam si Seneca revera clare intellexisset quomodo res se haberet, hoc alii quoque explicare potuisset. Quamobrem mihi ita legendum videtur: *nec — prosit, sic, ut illud intellegas profuisse.*

Ep. 95, 16. *Inde suffusio luridae bilis et decolor vultus tabesque in se putrescentium et retorridi digiti articulis obrigescentibus nervorumque sine sensu iacentium torpor aut palpitatio corporum sine intermissione vibrantium.*

Voc. *corporum*, quod iam Muretus delevit, ne ego quidem ferendum duco; alii autem *cordum* (Windhaus) aut *praecordiorum* (Buecheler) coniecerunt. Quod ad sententiae priorem partem attinet, non facile quis negaverit ad voc. *putrescentium* aliquid addendum esse; P. Thomas *tabesque viscerum putrescentium*, Koch *putrescentium dentium* temptaverunt. Quidni vitium unum cum altero tollamus transposito voc. *corporum* post *tabesque*, ita ut haec sententia evadat: *inde — tabesque corporum in se putrescentium et — nervorumque sine sensu iacentium torpor aut palpitatio sine intermissione vibrantium.*

Ep. 101, 8. *Qui cotidie vitae suae summam manum imposuit, non indiget tempore. ex hac autem indigentia timor nascitur et cupiditas futuri exedens animum. nihil est miserius dubitatione venientium quorsus evadant etc.*

Quid hic sibi velit: *venientium* sic nude positum frustra quaero; quare legendum censeo: *verentium* [1]), quod cum antecedentibus: *ex hac autem indigentia timor nascitur* e. q. s. bene cohaerere videtur.

Ep. 102, 27. Mortis metum inanem esse docens S. haec dicit: *Aequo animo membra iam supervacua dimitte et istuc corpus inhabitatum diu pone: scindetur, obruetur, abolebitur. quid contristaris? pereunt saepe velamenta nascentium.*

---

1) Cf. Ter. And. 176: „heri semper lenitas | verebar quorsum evaderet".

Iure Hensius voc. *saepe* corruptum putat; nam velamenta nascentium non *saepe*, sed *semper* pereunt. Viam medendi, ni fallor, iam diu indicavit Gruterus, *aeque* proponens, quam coniecturam lenissimam valde miror Hensium in textum non recepisse. Quod autem Buecheler coll. ep. 92, 34, ubi haec invenimus *divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur — non magis ad se iudicat pertinere quam secundas ad editum infantem*, hic quoque *secundae* mavult, mihi utique displicet. Fac enim nos hunc virum doctum sequi, tunc ipso illo loco collato *velamenta nascentium* hic, ut supervacuum additamentum, delendum erat, et ne sic quidem bonum contextum nancisceremur: „ita solet fieri: pereunt secundae". Omnino aliquod vocabulum necessarium est, quod comparationem institui ostendit, neque video quomodo haec melius indicari possit quam eo quod Gruterus temptavit.

Ep. 104, 23. *Magnanimos nos natura produxit et ut quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum, ita nobis gloriosum et excelsum spiritum, quaerentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivat, simillimum mundo, quem quantum mortalium passibus licet, sequitur aemulaturque; profert se, laudari et aspici credit.*

In hisce verbis duo vocabula viris criticis iure displicuerunt: pro *credit* enim Pincianus *gestit*, Gruterus *quaerit*, Hensius *contendit* vel *tendit* coniecerunt; mihi autem etiam *cupit* in mentem venit, quod satis prope a litteris traditis abest. Sed altera quaestio gravior restat, utrum cum codicibus *mundo* an cum Bartschio *deo* legendum sit. Vix mutatio haec dicenda est, cum facillime ex *simillimum deo* per dittographiam *simillimum mundo* nasci potuerit; tantummodo quaeramus oportet utrum in hunc contextum melius quadret. Hensius *mundo* servat coll. N. Q. II 45, 3 et prol. 13, qui loci hoc quidem probant Senecae mundum sive naturam et deum sive Iovem eosdem visos esse; sed inde non sequitur ubivis ea vocabula apte inter se commutari posse. Praeterea hoc nobis tenendum est Senecam in difficillimis quaestionibus, qualis est de natura dei, non semper sibi constitisse. Quas ob causas mihi certum videtur scriptorem hic, ubi de exemplo quod hominem sequi decet, loquitur, ei

non *mundum* sed *deum* ante oculos posuisse; quomodo enim aliquis mundum vel quadamtenus aemulari possit non intellego.

Ep. 109, 14. Satis mihi displicet quod Hensius in sent.: *In his* (sc. rebus civilibus ac domesticis) *sic illi opus est alieno consilio quomodo medico, quomodo gubernatore, quomodo advocato et litis ordinatore* lectionem codicum B A praetulit, qui *gubernatori* et *ordinatori* exhibent. Ea quae supra dedi in recentioribus quidem mss. reperiuntur, sed multo meliorem sensum praebent. Nam contextus, ni fallor, loci hic est: Si sapienti res est cum communis vitae rebus, quarum quamvis „summa adeptus" (§ 1) imperitus est, alieno auxilio indiget, aeque ac aegrotans medici, navigans gubernatoris, causam agens advocati ac litis ordinatoris opem requirit.

Ep. 116, 5 sq. Adulescenti cuidam quaerenti an sapiens amaturus esset Panaetium quondam haec respondisse Seneca refert: se de sapiente nihil statuere velle, hominibus autem ad sapientiam nitentibus amorem rem gravem periculosamque sibi videri; *aeque*, inquit, *facilitas amoris quam difficultas nocet: facilitate capimur, cum difficultate certamus. itaque conscii nobis imbecillitatis nostrae quiescamus. nec vino infirmum animum committamus nec formae nec adulationi nec ullis rebus blande trahentibus.*

Ultima verba *nec vino — trahentibus* Haasius olim traiecit in sequentem paragraphum, ita ut haec sententia efficeretur: *Quod Panaetius de amore quaerenti respondit, hoc ego de omnibus adfectibus dico: nec vino infirmum animum committamus nec formae nec adulationi nec ullis rebus blande trahentibus. Quantum possumus, [nos] a lubrico recedamus: in sicco quoque parum fortiter stamus.* Quae transpositio primo aspectu mihi satis verisimilis videbatur; re tamen diutius perpensa credo Hensium iure omnia intacta reliquisse. Si enim haec verba, ut Haasius voluit, Senecae, non Panaetii fuissent, tunc illud *blande*, ut opinor, non adiecisset. Seneca enim semper et ubique nos docet non solum voluptates sed etiam tales affectus quales sunt dolor, ira etc. vitare, qui non „blande" tamen nos trahunt (quamquam dolor nonnumquam in voluptatem cedere potest; vid. ep. 99, 25—30). Ne quis autem mihi obiiciat non esse dubium quin

Panaetius Stoicus idem quod Seneca in hac re censuerit, hoc observare velim: Panaetius iuveni de amore quaerenti primo respondet quid sibi de eo videatur; deinde pauca addit de aliis quae non minus quam amor voluptate sua nos allicere possint; Seneca contra per totam hanc epistulam non modo de voluptariis affectibus agit, sed omnem de iis locum tractat. Quod autem attinet ad voc. *nos*, quod supra intra cancellos posui, iure mihi videtur Haasius delevisse, licet Hensius retineat. Nam si *recedamus* sanum iudicamus, *nos* vitiosum videtur: nullum enim pondus in pronomine hoc loco inesse potest. Alii verbum corruptum duxerunt, sed nulla coniectura tam lenis excogitari potest quam est Haasii pronomen, quod fortasse per dittographiam natum est (possu*mus*, *nos*), delentis.

Ep. 119, 14. *Egregie itaque Horatius negat*[1]) *ad sitim pertinere quo poculo aqua aut quam eleganti manu ministretur. Nam si pertinere ad te iudicas, quam crinitus puer et quam perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis.* Ad voc. *aqua* hoc Hensius annotat: „vide ne glossema sit *aqua* vel *aquae* (sic B A). Non sine causa Hensius hoc coniecit, quia nec Horatius voc. „aqua" usus est nec sitis omnino aqua sedanda; omnibus tamen accuratius perpensis glossema huic loco inesse non puto; si enim ad tam severam regulam omnia hic exigere velimus, etiam voc. *aut quam eleganti manu* spuria debeant esse, cum ne ea quidem apud poetam legantur. At vocabulo *et* in secunda parte sententiae deleto contextus mihi multo elegantior fieri videtur: *nam si pertinere ad te iudicas quam crinitus puer quam perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis.*

Ep. 120, 20. *Maximum indicium est malae mentis fluctuatio et inter simulationem virtutum amoremque vitiorum adsidua iactatio. is*

„*habebat saepe ducentos*
saepe decem servos e. q. s." [2]).

Voc. *is* neque Mureto neque Buechelero satisfacere potuit,

---

1) Sat. I 2, 114: „num tibi, cum fauces urit sitis, aurea quaeris | pocula?"
2) Hor. Sat. I 3, 11 sq.

quorum alter delendum censuit, hic autem *aliquis* proposuit; mihi potius *iste* aut *talis* scribendum videtur.

Initio contra sequentis paragraphi voc. *isti* sanum non duco; quod ut indicem totus contextus inspiciendus est. Horatii versibus notissimis citatis ita Seneca pergit: *Homines* (sic felicissime Buecheler pro *omnes*) *isti tales sunt, qualem hunc describit Horatius Flaccus, numquam eundem, ne similem quidem sibi: adeo in diversum aberrat. multos dixi? prope est, ut omnes sint.* Sed ut textus nunc se habet, nusquam Seneca voc. *multos* utitur, quod tamen scriptoris neglegentiae attribui vix potest; ideo *multi* legere malim pro *isti*, quod quamquam per se non molestum tamen sine ullo sententiae detrimento omitti potest. Denique credo lectionem Horatii versuum qualem nobis Senecae codices exhibent meliorem esse quam est ea quae in poetae mss. invenitur:

modo reges atque tetrarchas,
omnia magna loquens, modo „sit mihi mensa tripes et
concha salis puri et toga quae defendere frigus
quamvis crassa queat".

Sic edi solet; nonne tamen sententia aliquanto elegantior evadit si voc. *et* inter *puri* et *toga* delemus? Nam ipsum illud asyndeton versum ita in duas partes dividit, ut in priore de supellectilis atque cenae, in altera de vestis simplicitate sermo fiat.

Ep. 121. Perlegenti hanc epistulam suspicio quaedam mihi nata est, quam licet multum absit ut ego certissimis atque invictis argumentis stabilire possim, tamen reticere nolui, quia fortasse ea quae a me in medium proferentur alios monebunt ad accurate perpendendas difficultates, quae mihi in hac epistula inesse videntur. Sic autem incipit: *Litigabis, ego video, cum tibi hodiernam quaestiunculam* [1]*, in qua satis diu haesimus, exposuero. iterum enim exclamabis: „hoc quid ad mores?" sed exclama, dum tibi primum alios opponam, cum quibus litiges, Posidonium et Archidemum: hi iudicium accipient.*

1) Sc. „an esset omnibus animalibus constitutionis suae sensus" (§ 5).

In nullius ore haec magis mira videri possunt quam in ore Senecae, qui ipse facere solet quod nunc metuit ne Lucilius facturus sit: quotiens enim hic ei quaestiones proponit, quae non ad morum correctionem faciant, eas solvere quidem temptat, sed ita ut saepe in fine epistulae Lucilio obiiciat quod non potius ea tantummodo, quae ad mores spectent, curet (vid. e. g. ep. 48; 85, 1; 106; 113; 117); at nunc, ut S. expectat, Lucilius *litigabit* et *iterum (!) exclamabit: „hoc quid ad mores?"* Quapropter suspicio quaedam mihi exorta est, quam tamen vix in medium proferre audeo: potestne fieri ut haec epistula non Senecae ad Lucilium, sed Lucilii ad Senecam inscribi debeat? Sic enim initium bene se habet. Huc duae aliae res accedunt: primum quod multo aptius Lucilius auctoritatem Posidonii et Archidemi invocare posse videtur quam Seneca: disciputi enim, non magistri est magnorum philosophorum nomina memorare ut ostendat ea quae quaerat ne iis quidem studio indigna visa esse: deinde quod § 18 de prioribus epistulis sermo est, in quibus narratum erat tenera quoque animalia statim postquam nata sunt, bene scire quid sibi infestum sit; cuiusmodi nihil in antecedentibus epistulis invenitur [1]); quod argumentum quamquam probe scio non permultum valere, quia in viginti libris qui nobis servati sunt multa interire potuerunt, tamen non omni pondere in hac quaestione caret. Nec nomen Lucilii in hac epistula usquam legi observatum velim, quamquam etiam a plerisque aliis abest.

Quod ad scribendi modum attinet, non nego hunc eiusmodi esse ut nihil insit quod non a Seneca sic dici potuerit; immo libenter concedo eum plane Senecae aptum videri. Sed hoc loco memorare mihi liceat quae G. Boissier scripsit in libro „La religion romaine" II p. 43, ubi agit de litteris Sereni quae dialogum de animi tranquillitate praecedunt: „Il est surtout une réflexion qu'on ne peut s'empêcher de faire, quand on lit le traité de Sénèque et la lettre qui le précède: on y voit que Serenus a subi entièrement l'empreinte du maître. Il s'exprime comme lui, il recherche les traits fins et piquants (voyez la

1) Quod Hensius ep. 102, 3 huc vocat ut ostendat plura hodie desiderari, mihi ideo non magni momenti videtur, quod ibi contextus totus non sanus videtur; Haasius e. g. in fine praecedentis epistulae lacunam sibi videtur deprehendere.

description des repas de son temps et surtout ce trait (1, 6): „cibus rediturus qua intraverit"); il n'est pas exempt non plus d'une certaine emphase (1, 10: „ut omnibus civibus, omnibus denique mortalibus utilior paratiorque sim"): c'est tout à fait la manière et le style de Sénèque." — Nam cum Serenus in scribendi colore alter, ut ita dicam, Seneca factus sit, nulli mirum videri poterit Lucilium, inter quem et Senecam per multos annos litterarum commercium exstitit, eodem plane modo ac Senecam scribere coepisse.

Sed quominus pro certo affirmare ausim hanc epistulam Lucilio attribuendam esse, obstant quae § 4 leguntur. Postquam is, ad quem data est, haec dicens inductus est: *Ego volo discere, quomodo minus cupiam, minus timeam. superstitionem mihi excute. doce leve esse vanumque hoc, quod felicitas dicitur, unam illi syllabam facillime accedere*, sic pergitur: *desiderio tuo satisfaciam, et virtutes exhortabor et vitia converberabo. licet aliquis nimium inmoderatumque in hac parte me iudicet; non desistam persequi nequitiam et adfectus efferatissimos inhibere et voluptates ituras in dolorem compescere et votis opstrepere. quidni? cum maxima malorum optaverimus, et ex gratulatione natum sit quidquid adloquimur. interim permitte mihi ea, quae paulo remotiora videntur, excutere.* Concedo haec omnia melius a Seneca quam a Lucilio dici potuisse; praesertim illud *votis opstrepere* nobis in mentem revocat epistulam sexagesimam, ubi de eadem fere re agitur; e. g. § 1: *o quam inimica nobis sunt vota nostrorum! eo quidem inimiciora quo cessere felicius* e. q. s. Nihilominus in hac paragrapho nescio quid inest quod dubito annon Seneca ita scripturus fuerit: *non desistam — a f f e c t u s e f f e r a t i s s i m o s inhibere et v o l u p t a t e s i t u r a s i n d o l o r e m compescere.* Sicine Seneca loqui solet? Vid. modo quae ep. 116 legimus: *Utrum satius sit modicos habere adfectus an nullos, saepe quaesitum est — ego non video quomodo salubris esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi* (§ 1); *inbecillus est primo omnis adfectus. deinde ipse se concitat et vires, dum procedit, parat: excluditur facilius quam expellitur. — ergo intrantibus resistamus, quia facilius, ut dixi, non recipiuntur quam exeunt* (§ 3); *sapienti non sollicite custodire se tutum est — nobis quia non est regredi facile, optimum est omnino non progredi* (§ 4). Cfr. praeterea § 6 sqq.

Hisce omnibus accurate perpensis me adhuc in dubio esse quid statuendum sit fateor; epistulam Senecae non esse ex iis quae § 1 sq. leguntur mihi admodum verisimile fit; collata tamen § 4 pro certo affirmare non ausim Lucilio deberi. Ergo lis adhuc sub iudice videtur; spero tamen fore ut mox aliquis existat qui nebulas disiciat et totum epistulae sensum atque contextum clarum reddat. Cum tamen vulnus indicandum prius quam sanandum sit, oleum et operam me non perdidisse confidere audeo.

Ep. 122, 15. Hoc loco Seneca nobis Pedonis Albinovani „fabulatoris elegantissimi" narratiunculam satis festivam de S. Papinio „lucifuga" servavit; § 16 haec legimus: *circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. quaero* (sc. Albinovanus) *quid sit: dicitur mulsum et halicam poposcisse, a balneo exisse. excedebat, inquit, huius diem cena minime, valde enim frugaliter vivebat: nihil consumebat nisi noctem. itaque credendo dicentibus illum quibusdam avarum et sordidum „vos", inquit, „illum et lychnobium dicetis"*. Mitto quod cum Madvigio pro ultimis verbis legere malim: *illum ἐλλυχνιόβιον dicite*; multo enim molestius est verbum *credendo* quod BAp exhibent, *credo* autem recentiores. Ante omnia statuendum est ubi ipsius Albinovani verba desinant; nisi ego fallor, Seneca rursus loqui incipit post *noctem*; si enim *itaque — dicetis* adhuc Albinovani essent, pro *inquit* omnino *inquam* legendum erat. Quod autem ad voc. *credendo* attinet: lectio recentiorum mihi non magis quam Hensio placet; praeterea verisimile non est librarios pro solito *credo* satis rarum illud *credendo* errore scripsisse. Itaque pro certo habeo in emendando proficiscendum esse a voc. *credendo*; quod ut iure defendat Hensius multum vereor. Ego plane aliam viam inire malim; pro *credendo* potius nomen proprium, quod post magnum intervallum bene repeti potest, expectaverim, ita ut haec nanciscamur: *itaque* ***idem Pedo*** *dicentibus illum quibusdam avarum et sordidum „vos" inquit „illum*[1]) *et lychnobium dicetis* (vel potius: *ἐλλυχνιόβιον dicite*)".

1) An pronomen delendum tamquam repetitum ex praecedentibus?

Ep. 123, 4. *Aestimari non potest, quantam voluptatem capiam ex eo, quod lassitudo mea sibi ipsa adsuescit: non unctores, non balineum, non ullum aliud remedium quam temporis quaero. nam quod labor contraxit, quies tollit. haec qualiscumque cena aditiali iucundior erit. aliquod enim experimentum animi sumpsi subito.* In hisce verbis nonnullos viros doctos, inter quos gaudeo Hensium non fuisse, male habuerunt voc. *aliquod enim*; iam codices recentiores: *aliquando enim* exhibent, Haasius autem verba seclusit, Weidner coniecit *aliquotiens*, Gertzius *aliquod denique.* Quid enim simplicius excogitari potest quam ea quae hic leguntur: „cena quam expectans in lectulo iaceo, mihi iucundissima erit; hodie enim animi patientiam temptavi, quod temptamen mihi tam bene cessit, ut eo cenam meam, quae sine dubio frugalissima, ne dicam sordida erit, conditum iri merito credam."

Ibid. 16. *mors malum non est: quid quaeris? sola ius aecum generis humani.* Sic B A; at haec lectio non omnibus satisfecit, nam in Hensii annotatione haec legimus: „*scilicet ius* coniecit Bartsch, potuit *quid quaeris illa? ius* e. q. s.". Ergo ne Hensius quidem ipse locum sanum ducere videtur; ego contra illud *sola* omnino retinere velim; „tantum", inquit Seneca, „abest ut mortem malum vocari liceat, ut ea contra *sola* omnibus hominibus par sit; cum in ceteris omnibus rebus inter se differant, vita peracta unus atque idem finis omnes exspectat".

Ep. 124, 10 sq. Postquam Seneca nos docuit „bonum non in quolibet corpore, non in qualibet aetate inveniri et tantum abesse ab infantia, quantum a primo ultimum, quantum ab initio perfectum", haec sequuntur: *ergo nec in tenero, modo coalescente corpusculo est. quidni non sit? non magis quam in semine. hoc si dicas, aliquod arboris ac sati bonum novimus: hoc non est in prima fronde, quae emissa cum maxime solum rumpit.*
Voc. *hoc si dicas* nonnullis corrupta visa sunt, quorum coniecturas memorat Hensius, qui tamen ipse omnia iure optimo, ni fallor, intacta reliquit. Sic enim locus mihi explicandus videtur: „bonum non est in corpusculo quod modo natum est, non magis quam in semine. Si tu tamen hoc dicas (sc. bonum quoddam in semine esse), hoc obiecerim: novimus quidem ali-

quod arboris ac sati bonum, sed hoc nondum est in prima fronde, nedum in semine." Hoc modo si verba tradita accipimus, fortasse auctor paulo obscurius hic locutus esse merito dici potest, nulla tamen mutatione opus esse videtur.

Ibid. 24. *Tunc beatum esse te iudica, cum visis, quae homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non dico quod malis, sed quod velis.*

Verbum *eripiunt* utique corruptum esse censeo; quid enim hoc loco significare potest? De talibus enim solum rebus dicitur, quas iniusto modo adipiscimur; at Seneca hic de omnibus fortunae bonis quocumque modo quaesitis loquitur. Nec non ordo verborum satis mirabilis est: primum *eripiunt*, deinde *optant*, denique *custodiunt*. Mihi in mentem venit *cupiunt*, quod tamen propter sequens *optant* [1]) nisi dubitanter proponere non audeo.

1) An et hoc vitiose traditum pro *appetunt*?

AD VERGILII AEN. I 39 SQQ.

Pallasne exurere classem
Argivom atque ipsos potuit submergere ponto
unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem
disiecitque ratis evertitque aequora ventis,
illum exspirantem transfixo pectore flammas
turbine corripuit scopuloque infixit acuto;
ast ego, quae divom incedo regina Iovisque
et soror et coniunx, una cum gente tot annos
bella gero.

His in versibus nequaquam clare apparet ea oppositio quae exstare debebat tum inter Minervam et Iunonem tum inter naves et Aiacem (cf. sis illud *classem Argivom atque ipsos*): et mihi quidem vix esse dubitandum videtur quin e multis illis qui volventibus annis Vergilii carmina exscripserunt ab aliquo ita peccatum fuerit, ut quae fuerant *illa* et *ipsum* pronomina, ea commiscuerit atque in alterius alterum sedem leviter mutata forma migrare coegerit. Quod si verum est, ita refingendus est locus:

Illa Iovis rapidum cet.
ipsum exspirantem cet.

M. LAMSON EARLE.

AD LUCIANUM.

SCRIPSIT

K. G. P. SCHWARTZ.

(*Continuantur e Vol. XXX pag.* 366.)

Prometh. C. 4: *περιμένειν ἀναγκαῖον, ἔστ' ἂν ὁ ἀετὸς καταπτῇ ἐπιμελησόμενός σου τοῦ ἥπατος.* Non tam inhumane et scurriliter quam absurde et inficete hoc dictum est. Mica salis ioco non inest, in quo id quod per ambages significatur, non aliqua pelluceat. Quid autem inter se commune habent *iecur corrodere* et *iecori consulere*? Nihil prorsus. Poterat hoc iactari in pharmacopolam vel medicum ignarum: 'En virum, qui curam iecoris tui suscipiat, cui bene est mandatum iecur tuum!' Verum de ave rapaci rostro et unguibus miseri Titanis praecordia lacerante, si acerbe iocari voluisset, eiusmodi aliquid dictum oportebat: 'quae ex iecore tuo minutal est factura' vel 'cui tu saliares dapes suppeditabis' vel 'quae novi generis parasitae te regem faciet', vel quae praeterea innumera excogitari possunt legentibus magis minusve placitura, non tamen omnino improbanda, dummodo contineant quod supplicio, cui illuditur, connexum sit. Accedit quod malevolentia et immanitas a Mercurii persona, qualis a Luciano in hoc dialogo inducitur, sunt alienae; clementem et misericordem animum produnt vota pro liberatione herois, quem patrocinium generis humani cruci affixit: *εἰ γὰρ γένοιτο, ὦ Προμηθεῦ, ταῦτα καὶ ἐπίδοιμί σε λελυμένον, ἐν ἡμῖν εὐωχούμενον*; et mox discedens: *ὑπόμενε οὖν καρτερῶς· εἴη δὲ ἤδη σοι τὸν Θηβαῖον ὃν φὴς τοξότην ἐπιφανῆναι, ὡς παύσειεν ἀνατεμνόμενον ὑπὸ τοῦ ὀρνέου.*

Quid sit legendum, locus ille Vergilii docebit unus omnium praeclarissimus de Laocoontis una cum filiis foedissimo interitu:

'Illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat et miseros morsu *depascitur* artus'.

Exstat ad hunc versum annotatio Heynii: 'Morsu depascitur, ἐπινέμεται, proprie de eo, qui devorat; h. l. ornate pro mordet'. 'Quod quaerimus, hic est'. Scilicet νέμεσθαι, ἐκνέμεσθαι, ἐπινέμεσθαι locum habent, ubi malum aliquod serpit et diffunditur, in morbo, in incendio, in dolore ceterisque animi affectibus. Sic etiam de aquila lento morsu pedetentim Promethei iecur exedente atque depascente optime dictum erit: ἐπινεμησόμενός σου τὸ ἧπαρ.

Ibid. C. 6: πάνυ γοῦν, ὦ Προμηθεῦ, μακρῶν δεῖ λόγων καὶ ἱκανῆς τινος παρασκευῆς ἐπὶ τὰ σοὶ πεπραγμένα. Nimis languidum hoc videtur; loci ironia fortius aliquid requirit et nervosius. Respectu habito eorum, quae paullo ante Vulcanus dixerat: ἐγὼ γὰρ οὐ πρὸς λόγοις τοῖς δικανικοῖς εἰμι et Platonis verborum in C. 23 Piscatoris: ἀλλά τινος ἐλεγκτικῆς καὶ δικανικῆς παρασκευῆς, nihil dubito quin hic quoque δικανικῆς scribendum sit.

Ibid. C. 16: ἔτι καὶ τοῦτο ἴσως φαίης ἄν, ὅτι ἀνάγκη πολλὰ ἡμᾶς ἔχειν πράγματα ἐπιμελουμένους. αὐτῶν. οὐκοῦν διά γε τοῦτο καὶ ὁ νομεὺς ἀχθέσθω ἐπὶ τῷ ἔχειν τὴν ἀγέλην. Quam pueriliter et κακοφώνως adiicitur: διότι ἀναγκαῖον ἐπιμελεῖσθαι αὐτῷ αὐτῆς!

Deor. Dial. 4. 1. Ganymedes vix oculis suis credens, cum eum, quem modo aquilam conspexerat, derepente hominem, ut putat, factum videt: ἄνθρωπε, οὐκ αἰετὸς ἄρτι ἦσθα; ... πῶς οὖν τὰ μὲν πτερά σοι ἐκεῖνα ἐξερρύηκε, σὺ δὲ ἄλλος ἤδη ἀναπέφηνας; Pro ἄλλος, quod mihi merito suspectum erat, dubitanter olim ἀλλοῖος proposueram; nunc mihi obtusus videor, qui non intellexerim in voce corrupta nihil aliud posse latere quam ἄνθρωπος, quod per compendium ἄνος exaratum cum

ἄλλος saepe confunditur. Rem extra dubium ponit Iovis responsum: *ἀλλ' οὔτε ἄνθρωπον ὁρᾷς, ὦ μειράκιον, οὔτε αἰετόν.*

Cyclopas Iovi fulmina fabricari iam inde ab Hesiodo vulgi erat opinio; nec dissentit Lucianus, cuius rei vide disertissimum testimonium in Timonis C. 19: *σὺ δέ, ὦ Ἑρμῆ, μέμνησο ἐπανιὼν πρὸς ἡμᾶς ἄγειν τοὺς Κύκλωπας ἐκ τῆς Αἴτνης, ἵνα τὸν κεραυνὸν ἀκονήσαντες ἐπισκευάσωσιν.* Itaque magnopere miror, quod nunc eundem Iovem ita facit loquentem: *Διὸς δὲ οὐκ ἤκουσας ὄνομα τοῦ ὕοντος καὶ βροντῶντος καὶ ἀστραπὰς ποιοῦντος;* Scribendum existimo: *προϊέντος.* Quo verbo eo sensu, qui apud Homerum est pervulgatus, *emittendi* scilicet et *iaculandi,* suo iure Lucianus uti potuit. Quam multa enim Homero sublegit, quae apud alios solutae orationis scriptores aut multo rarius inveniuntur aut omnino desunt! Prorsus eodem modo in Timonis C. 3 verbo *προακοντίζω* usus est, quod alibi legi non videtur: *ἡ ἀστραπὴ συνεχὲς ὥσπερ εἰς ἀκροβολισμὸν προηκοντίζετο.*

Ibid. C. 4 Ganymedi roganti: An tibi iucundius cum alio dormire? *ναί, μετά γε τοιούτου* respondet Iuppiter *οἷος εἶ σύ, Γανύμηδες, οὕτω καλός.* Cui ille rursus: *τί γάρ σε πρὸς τὸν ὕπνον ὀνήσει τὸ κάλλος;* Multi verba *οὕτω καλός* ut glossema expungunt; quos neutiquam sequor. Quid enim? Est Ganymedes, qualis a Luciano informatur, puer simplex, subrusticus, omnis mali ignarus, modestiae et innocentiae et pastoricii candoris plenus. Ipsum Iovem sic afficit, ut mirabundus exclamet: *ὡς ἀφελὴς ὁ παῖς ἐστι καὶ ἁπλοϊκὸς καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο παῖς ἔτι!* Caditne in eiusmodi indolem atque mores, sicubi 'talis qualis tu' sibi dici audiat, tamquam pavonem laudatum continuo caudam explicare et pulchritudinis gloria titillari? Vanam et placendi studiosam puellam hoc deceat; Ganymedes se formosum esse ne suspicari quidem potest; robustum se esse novit et industrium et sobrium; si laudem meruit, propter haec se meruisse arbitrari debet. Responsum eius stare non poterit, nisi verba *οὕτω καλός* retinueris.

Ibid. 20. 16. — Paris ad Venerem: *οὐκοῦν ἐπὶ τούτοις δίδωμι τὸ μῆλον, ἐπὶ τούτοις λάμβανε.* Haec ita refinxit Cobetus ut

priora *δίδωμι* in *δίδου μοι* mutata Veneri tribueret, ad quae Paris malum porrigens: *ἐπὶ τούτοις λάμβανε.* Considerandum tamen annon magis etiam placeat *δίδως μοι*, quod et traditae scripturae est propius et deae subblandienti quam maxime conveniens. In 21. 2 pro *ὃν ἐχεμυθεῖν ἠπιστάμην*, quia manifesto soloecum est — quis enim locus est infinitivo? — repone *ἐχέμυθον*, et 26. 1 *ἄρτι μὲν νεκρός, ἄρτι δὲ θεός ἐστιν ἑκάτερος αὐτῶν* pro *ἅτερος*. Cf. 24. 2: *τὰ τῆς Λήδας τέκνα παρ' ἡμέραν ἑκάτερος ἐν οὐρανῷ ἢ ἐν ᾅδου εἰσίν.*

Dial. Deor. Mar. 4. 2. Proteus: *σὺ δέ μοι, Μενέλαε, δοκεῖς οὐδὲ πολύπουν ἑωρακέναι πώποτε οὐδὲ ὃ πάσχει ὁ ἰχθὺς οὗτος εἰδέναι.* Menelaus: *Ἀλλὰ τὸν μὲν πολύπουν εἶδον, ἃ πάσχει δέ, ἡδέως ἂν μάθοιμι παρὰ σοῦ.* Ignorare se naturam polypi his verbis declarat. Quam a Proteo edoctus *Φασὶ ταῦτα· τὸ δὲ σὸν πολλῷ παραδοξότερον, ὦ Πρωτεῦ.* Fierine potest, ut qui modo se omnia de polypo nescire dixisset, *ὀστράκου μεταπεσόντος* tamquam de re notissima 'ita aiunt' respondeat? Non credo, et suspicio mihi nata est veram lectionem fuisse: *Φύσει ταῦτα*, hoc sensu: quae tu de polypo narras mira sunt quidem, sed *secundum naturam*; tuae vero transfigurationes naturam violant et multo magis sunt praeposterae.

Ibid. 8. 1: *καὶ μέμφομαί γε τῷ Διονύσῳ ὅτι ὑμᾶς καταναυμαχήσας μετέβαλε, δέον χειρώσασθαι μόνον, ὥσπερ τοὺς ἄλλους ὑπηγάγετο.* Immo: *τοὺς ἄλλους οὓς ὑπηγάγετο.*

Ibid. 10. 2: *τὸν δράκοντα δέ, ὃς νῦν ἐξοιστρεῖ αὐτὴν φοβῶν.* Quod conieceram: *σοβῶν*, id egregie confirmatur versu Antipatris Sidonii (Anth. VI, 219), ubi haec eadem verba coniuncta leguntur: *σεσοβημένος οἴστρῳ.*

Dial. Mort. 2. 1. Pluto Menippum leniter reprehendens, quod Midam et Croesum et Sardanapallum omnibus modis vexet et derideat: *ἀλλ' οὐ χρή· λυποῦνται γὰρ οὐ μικρῶν στερόμενοι.* Deest aliquid ad sententiam: *iustum* ac *legitimum* esse dolorem praedicandum erat. Quapropter rescripserim: *λυποῦνται γὰρ οὐ μάτην οὐ μικρῶν στερόμενοι.* Quam facile id excidere poterat!

Ibid. 5. 2: καὶ ὅλως ἀεὶ θανόντι ἐοικὼς ἔρρωται πολὺ μᾶλλον τῶν νέων· οἱ δὲ ἤδη τὸν κλῆρον ἐν σφίσι διῃρημένοι βόσκονται ζωὴν μακαρίαν πρὸς ἑαυτοὺς τιθέντες. Pro absurdo ἀεὶ θανόντι scripseram ἀσθενοῦντι, idque Sommerbrodtius in textum recepit. Sed praeterea male me habet βόσκονται absolute positum, neque apud interpretes quod satisfaciat invenio. Periit, nisi fallor, unum vocabulum, quo revocato sensum restitues: ἐλπίσι βόσκονται. Decantatum est illud Euripidis in Phoenissis:

αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος;

itemque Sophocles (Antig. 1225): ἐλπίσιν δὲ βόσκομαι.

Ibid. 6. 3: ταῦτα μὲν, ὦ Τερψίων, πολὺ συνετώτερα γίγνεται ἤπερ σοὶ δοκεῖ. Mendose pro συνετώτερον; patet enim *adverbium* requiri: συνετῶς ταῦτα γίγνεται, *sapienter* haec fiunt. Deinde pergit: 'Novam artem vos excogitastis, flagrantes amore senum et vetularum, καὶ μάλιστα, εἰ ἄτεκνοι εἶεν, οἱ δὲ ἔντεκνοι ὑμῖν ἀνέραστοι. καίτοι πολλοὶ ἤδη τῶν ἐρωμένων συνέντες ὑμῶν τὴν πανουργίαν τοῦ ἔρωτος, ἢν καὶ τύχωσι παῖδας ἔχοντες, μισεῖν αὐτοὺς πλάττονται, ὡς καὶ αὐτοὶ ἐραστὰς ἔχωσιν. Ridemus aliena cogitantem, cum perspicillum quaerit, quod in naso positum habet; sed non multo saniores sunt οἱ ἐρώμενοι, qui odium in liberos simulant, ὡς ἐραστὰς ἔχωσι; i. e., qui operose id appetunt quod habent; siquidem ἐρώμενος is est cui sunt ἐρασταί. Et iidem quattuor verborum intervallo ἀνέραστοι dicuntur! Requiritur plane contrarium, et verum existimo: πολλοὶ ἤδη τῶν παρορωμένων. Qui liberos habent negliguntur et in nullo sunt numero. Speciem aliquam errori praebuerunt verba τοῦ ἔρωτος; quae si genuina sunt — de qua re multum dubito, nam et prorsus sunt supervacua et incommodo loco adhaerent — non amorem in eos, qui liberos habent, spectant — nam is quidem nullus est — sed in orbos et orbas.

Ibid. 11. 1. Μοίριχον τὸν πλούσιον ἐγίγνωσκες, ὦ Διόγενες .... οὗ ἀνεψιὸς Ἀριστέας, πλούσιος καὶ αὐτὸς ὤν; ὃς τὸ Ὁμηρικὸν ἐκεῖνο εἰώθει ἐπιλέγειν·

ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σε.

Supra quam dici potest ineptum hoc est et naturae rei contra-

rium. Ex duobus heredipetis, qui *ἐθεράπευον ἀλλήλους ὑπερβαλλόμενοι τῇ κολακείᾳ*, alterum alteri intonare solitum fuisse: Aut tu me de medio tolle aut ego te! Novum et ante hunc diem inauditum genus hoc adulationis, mortem alicui minari! Accedit quod nulla causa redditur cur Aristeas, qui secundas in fabula agit, talia in Moerichum iactaret, non item Moerichus in Aristeam. Non magna mutatione opus est, ut ex absurdo invento verum proveniat et rei quae narratur aptissimum. Legendum: *οἷς τὸ Ὁμηρικὸν ἐκεῖνο εἰώθειν ἐπιλέγειν*. 'Quotiens' ait Crates 'duos illos, qui simulata amicitia alter alterius opibus inhiabant, conspicabar vel de iis cogitabam, Homericum illud mihi succurrebat et in eos transferre id solebam'. Proprie utitur verbo *ἐπιλέγειν*, quod locum habet ubi citatur poëtae versus vel proverbium vel sollemnis aliqua acclamatio. Cuius usus exempla aliquot e Plutarchi Moralibus afferre liceat: *ἐὰν ἐν ἀποδημίᾳ τις ἀποθάνῃ, στένουσιν ἐπιλέγοντες·*

δύσμορος, οὐδ' ἄρα τῷ γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ὄσσε καθαιρήσουσιν (117 B);

ἐπιλέγουσι δὲ καὶ οἱ παροιμιαζόμενοι·

τὰν χεῖρα ποτιφέροντα τὰν τύχαν καλεῖν (239 A);

τῆς φωνῆς, ἣν ἐπιλέγουσι τῷ διωκομένῳ·

ἔξω μὲν βούλιμον, ἔσω δὲ πλουθυγίειαν (694 A);

οὗτοι καὶ 'θείως' καὶ 'θεοφρήτως' καὶ 'ἀπροσίτως' ἐπιλέγοντες (45 F); *ταύταις μόναις ταῖς ἡδοναῖς τὸ 'καλῶς' ἐπιλέγεσθαι*.

Ibid. 12. 5: *καὶ ἵνα σοι μὴ τὰ ἐν Τύρῳ μηδὲ τὰ ἐν Ἀρβήλοις διηγήσωμαι, ἀλλὰ καὶ μέχρι Ἰνδῶν ἦλθον*. Non est haec, ut quibusdam talia videntur, grata negligentia, sed pars sententiae intercidit in hunc fere modum restituenda: *οὐ Περσῶν ἐκράτησα μόνον, ἀλλὰ καὶ μ. Ἰ. ἦλθον*. Quod post pauca legitur: *ὡς γὰρ δὴ ἐκράτησε τῶν Ἰταλῶν, ἐῶ λέγειν ὅτι οὐκ ἰσχύι, ἀλλὰ πονηρίᾳ καὶ ἀπιστίᾳ καὶ δόλοις*, id fortasse quodammodo defendi potest, sed quanto melius scribetur: *ἐῶ λέγειν πλὴν ὅτι οὐκ ἰσχύι*.

Ibid. 15. 4: *μὴ καὶ γέλωτα ὄφλωμεν ὥσπερ καὶ σὺ τοιαῦτα εὐχόμενοι*. Commendo: *εὐχόμενος* (*γέλωτα ὀφλισκάνεις* sc.).

Ibid. 24. 2. ὁ δὲ τάφος καὶ οἱ πολυτελεῖς ἐκεῖνοι λίθοι Ἁλικαρνασσεῦσι μὲν ἴσως εἶεν (ἂν) ἐπιδείκνυσθαι καὶ φιλοτιμεῖσθαι πρὸς τοὺς ξένους, ὡς δή τι μέγα οἰκοδόμημα αὐτοῖς ἐστι. Particula, quae in libris Mss. deest, a viris doctis est suppleta. Recte sane, si εἶεν in textu retineatur. Sed quam mirum genus dicendi videtur: ὁ τάφος καὶ οἱ λίθοι εἰσὶν ἐπιδείκνυσθαι! Quid si in εἶεν lateat οἷον? Comparari potest quod apud Xenophontem in Anabasi legitur: οὐ γὰρ ἦν ὥρα οἵα τὸ πεδίον ἄρδειν, vel in Cyropaedia: δοκεῖ μοι τὸ πολὺ τῶν ἀνθρώπων οἷον ἕπεσθαι.

Ibid. 27. 9. τοῦτον οὖν τὸν ὑπεργήρων ἐρέσθαι βούλομαι. τί δακρύεις τηλικοῦτος ἀποθανών; τί ἀγανακτεῖς, ὦ βέλτιστε, καὶ ταῦτα γέρων ἀφιγμένος; Facile vincam haec ita corrigi et interpungi debere: ἐρέσθαι βούλομαι, τί δακρύει τηλικοῦτος ἀποθανών. τί ἀγανακτεῖς, ὦ βέλτιστε, καὶ ταῦτα γέρων ἀφιγμένος; Nunc satis inepte bis idem rogatur, ut taceam verba ὦ βέλτιστε, ubi duae deinceps quaestiones ponuntur, priori magis quam posteriori convenire.

Ibid. 28. 2. οὐδὲν χαλεπόν, ὦ Τειρεσία, εἴ σοι ῥᾴδιον. Prorsus necessarium: ἐπεί. In sqq. vix sanum videtur: οὐ χρὴ γὰρ ἀπιστεῖν τοῖς τοιούτοις, ἀλλ' ὥσπερ τινὰ βλᾶκα μὴ ἐξετάζοντα εἴτε δυνατά ἐστιν εἴτε καὶ μή, παραδέχεσθαι; pro eo, quod omnibus tali sensu in usu est: ἀποδέχεσθαι.

Necyom. C. 11. Narrat Menippus *umbras* mortuorum apud inferos tribunal Minois circumstare ad testimonium dicendum in eos, quos, 'dum vita manebat', comitari solebant: καὶ σφόδρα τινὲς αὐτῶν ἀξιόπιστοι δοκοῦσιν ἅτε ἀεὶ ξυνοῦσαι καὶ μηδέποτε ἀφιστάμεναι τῶν σωμάτων. Non omnes igitur fide digni erant testes! Quam ob causam? An sunt etiam umbrae, quae aliquando a corporibus discedunt et rursus coniunguntur, sicut pueri legere solebamus in lepida fabella de Peter Schlemihl? Scribendum: τινὲς αὗται. In vicinia transpone: ὁ δ' οὖν Μίνως ἐξετάζων ἕκαστον ἔπεμπεν ἐς τὸν ἀσεβῶν χῶρον. Editur: ἔπεμπεν ἕκαστον.

Ibid. C. 16. ἐπειδὰν δὲ ὁ τῆς πομπῆς καιρὸς παρέλθῃ, τηνικαῦτα ἀποδοὺς τὴν σκευὴν καὶ ἀποδυσάμενος τὸ σχῆμα [μετὰ τοῦ σώματος] ὥσπερ (melius ὅσπερ) ἦν ἐγένετο. Comparatur vita hominum cum pompa sollemni; ubi ad finem propositum ea pervenit, reddenda sunt ornamenta, quae quisque a chorago mutuatus erat, ut idem fiat qui ante pompam fuisset. *Mortem* esse, quae ducentes despoliet, significatur quidem, sed ita, ut imago pompae illa non discutiatur; quod fecit is, qui explicandi causa μετὰ τοῦ σώματος infeliciter addidit. Utar hoc loco, ut Xenophontis Anabasin persimili additamento liberem. Scribitur (3. 2. 20): οἳ εἴσονται ὅτι ἐάν τι περὶ ἡμᾶς ἁμαρτάνωσι, περὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς καὶ σώματα ἁμαρτήσονται. Ingeniosus hic est Germanus editor, qui quamvis in angustias adductus sit, tamen manus non dat, sed audacter: τὰς ψυχάς, *die getödtet*, σώματα, *die gegeisselt werden!!* Invenietur fortasse unus et alter, cui hae argutiae imponant; plerosque mihi assensuros confido spuria verba καὶ σώματα esse affirmanti, eo consilio a magistello aliquo addita, ne quis ψυχάς *animos immortales* intelligeret. Sed nihil tali auxilio indigemus: Homericum ψυχὰς παρθέμενοι omnes ἔναυλον habemus et scimus hunc vocabuli usum per omnia saecula propagatum fuisse. Cum quotidie, non sine offensione, innumera a viris doctis et semidoctis expungi video nullam aliam ob causam quam quod salva sententia omitti possunt, magnopere miror tam manifestum emblema omnes, quantum scio, ad hunc diem fefellisse.

Charon. C. 1. ὁ δὲ ὀξύθυμός ἐστι καὶ δέδια μὴ βραδύναντά με ὅλον ὑμέτερον ἐάσῃ εἶναι, παραδοὺς τῷ ζόφῳ. Id quod sententia flagitat ποιήσῃ eo confidentius repono, quod eadem haec verba a librariis confusa sunt in Dial. D. Mar. 6, ubi pro eo, quod vulgo edebatur: πηγὴν ἐπώνυμόν σοι ἀναδοθῆναι ἐάσω a multis ποιήσω correctum est. Mox si recte didici, quid inter καταλείπειν et ἐγκαταλείπειν intersit, praestare dixerim: μὴ ἐγκαταλίπῃς με.

Ibid. C. 3. κατὰ ταὐτὰ δὴ καὶ σὺ πρᾶττε ὁπόσα καλῶς ἔχειν νομίζεις κυβερνήτης νῦν γε ὤν· ἐγὼ δέ, ὥσπερ ἐπιβάταις νόμος, σιωπῇ καθεδοῦμαι πάντα πειθόμενος κελεύοντί σοι. Prae-

bent hunc usum tralaticii librorum Mss. errores, quod sicut malus demersae navis, ubi scopulus lateat, saepe indicat, ita ut ab iisdem erroribus caveamus, nos admonent; veluti πράττειν et προστάττειν in codicibus perpetuo confundi cum res notissima sit, minus timendum ne toties illusi in eundem laqueum turpiter incidamus. Quod tamen nunc, nescio quo modo, accidit; nam si usquam alibi, hoc loco evidens est mendum πρᾶττε pro πρόσταττε. Quid quod paucis interiectis ad eandem rem indicandam hoc ipso verbo noster utitur: πρόσταττε· ὑπουργήσω γὰρ ὅσα δύνατα?

Ibid. C. 16. ἢν καὶ πέσῃ, ἀψοφητὶ κείσεται, μόλις καὶ τοῖς γείτοσιν ἐξακουσθέντος τοῦ πτώματος. Absurde sic scribi pro πεσεῖται iam antea monui nec muto sententiam; risum movet ἀψοφητὶ κεῖσθαι; nisi forte putas Homerum, si per metrum liceret, δούπησεν δὲ κείμενος dicere potuisse.

Ibid. C. 21. ὦ μακάριε, οὐκ οἶσθα, ὅπως αὐτοὺς ἡ ἄγνοια καὶ ἡ ἀπάτη διατεθείκασιν, ὡς μηδ' ἂν τρυπάνῳ διανοιχθῆναι αὐτοῖς τὰ ὦτα· τοσούτῳ κηρῷ ἔβυσαν αὐτά. Hactenus Lucianus; sequitur scholium: οἷόνπερ ὁ Ὀδυσσεὺς τοὺς ἑταίρους ἔδρασε δέει τῆς Σειρηνῶν ἀκροάσεως. Non poterat ieiunius!

De Sacrificiis C. 8. καὶ ὅτι μὲν χαλκοῦς ἐστι τὰ ἔξω, καὶ πρὸ ἡμῶν τοῦ Ὁμήρου λέγοντος ἠκούσαμεν. Auctor huius libelli — sive Lucianus is est sive Luciani imitator — in ludibrium vertit poëtarum commenta vulgique superstitiones de diis et rebus divinis; itaque nullo modo fieri potest, ut id, quod tamquam ineptum traducit, a se ipso dictum esse praedicet; neque in superioribus quidquam, quod ad caeli speciem referri possit, occurrit. Ludificatur nos prava lectio, quam confusio praepositionum πρό et πρός, ut solet, peperit, et rescribendum: τὰ ἔξω καὶ πρὸς ἡμῶν, *pars caeli exterior et ad nos versa*; quo nihil potest esse aptius aut luculentius.

Ibid. C. 13. ὁ μέν γε Σκύθης πάσας τὰς θυσίας ἀφεὶς καὶ ἡγησάμενος ταπεινὰς αὐτοὺς τοὺς ἀνθρώπους τῇ Ἀρτέμιδι

παρίστησι καὶ οὕτως ποιῶν ἀρέσκει τὴν θεόν. Verba misere corrupta; nam quod significare debent, Dianae humanas hostias a Scythis immolari, id neque verbo *παριστάναι* inest neque locutioni *οὕτω ποιῶν*. Cibos apponere *προτιθέναι*, *παρατιθέναι* ab omnibus dicitur, non *παριστάναι*. Ferri hoc tamen posset, si pro *οὕτως ποιῶν* — quae verba nunc sunt prorsus supervacua, et male abundat *ποιῶν* — aliquid legeretur, quo ambiguitas vocis *παριστάναι* tolleretur. Sententia requirit verbum quale *ἑστιῶν*; quaerenti quod a tradita scriptura non nimis recedat, mihi se obtulit: *θοινῶν*. Poëtarum hoc potius esse ultro concedo; *θοινίζω* tamen apud Herodotum occurrit: *τὸ δεῖπνον, τό μιν ἐκεῖνος σαρξὶ τοῦ παιδὸς ἐθοίνισε*; et *θοινάζω* in Xenophontis Agesilao (8. 7), qui etiam habet *θοινατικός* (Oecon. 9. 7); et *θοίνη* apud Platonem hic illic legitur et apud Lucianum in Parasito (C. 5).

Utrum describentium an ipsius Luciani est vitium, quo Grammatica vapulat, in verbis Vitarum Auctionis (C. 18): *εἰ δέ που εἶεν, οὐκ ἂν εἶεν* pro *ἦσαν*? Certius est in C. 20 non legendum esse: *τίς πάντα μόνος εἰδέναι θέλει*; sed *εἶναι θέλει*; Paradoxon est Stoicorum, omnia esse sapientem; unde Horatius:

'Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat: Sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens'

et post pauca:

'sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex'.

Sic hic quoque sapiens *βασιλεὺς* dicitur, *νομοθέτης*, *ῥήτωρ*, quin etiam *μάγειρος* et *σκυτοδέψης* et *τέκτων*.

Ibid. C. 23. *τί σοι τῆς σοφίας τὸ τέλος, ἢ τί πράξεις πρὸς τὸ ἀκρότατον τῆς ἀρετῆς ἀφικόμενος*; Nonne multo melius scribetur *προέξεις*? 'Quo tibi sapientia? quid ceteris *praestabis*, ubi ad summam virtutem perveneris?'

Ibid. C. 24. *ἀλλ' ὅρα, μή σε κατατοξεύσω* (ita Cobetus pro *ἀποτοξεύσω*) *τῷ ἀναποδείκτῳ συλλογισμῷ.* Syllogismus *ἀναπόδεικτος* est syllogismus, *qui probari non potest*; quale telum

nemo reformidet; qui *refelli* non possit, arcui est imponendus, si adversarium configere velis. Itaque legatur: ἀ ν α π ε λ έ γ κ τ ῳ. Alibi non occurrere si forte obiicias, et mihi id religionem affert, fateor. Quamquam conferri possunt in eundem modum formata sescenta; et quam multa apud Lucianum sunt singularia!

Ibid. C. 27. ἀλλ' ἔγωγέ σε ἤδη ἐμβαλὼν ἐς τὸν μυλῶνα πείσω εἶναι δεσπότης κ α τ ὰ τ ὸ ν χ ε ί ρ ω λ ό γ ο ν. Ita emptor stomachosus ad scepticum, qui omnia humana et ipsam auctionem in dubium vocat. Sed quid sibi vult κ α τ ὰ τ ὸ ν χ ε ί ρ ω λ ό γ ο ν? An idem quod ἥ τ τ ω λ ό γ ο ν? At id loci sententia respuit. An fidem habeamus interpreti verba Graeca Germanice reddenti: *auf eine unangenehme Art?* Nugae hae sunt, quae vera lectione reperta explodentur. Scripserat sine dubio: κ α τ ὰ τ ὸ ν χ ε ι ρ ῶ ν λ ό γ ο ν. Quam apposite ad hominem confutandum et irridendum haec dicta videantur, considera! 'Tua ratio', inquit, 'omnis posita est in captionibus et spinis disserendi atque definiendi; cui iam meam rationem opponam, quae manuum est et lacertorum, et per vim et violentiam tibi me dominum tuum esse persuadebit'. Prorsus eodem modo apud Aeschinem dicitur: ἐ ν χ ε ι ρ ῶ ν ν ό μ ῳ τὰς πολιτείας διαλύειν (1, 5); neque dissimile est: ἐν τῇ χειρὶ τὸ δίκαιον τιθέμενοι (Piscator. C. 10).

Piscator. C. 3. αἰδέσεσθε γὰρ ἴσως τὰ ἔπη καὶ οὐ π α ρ ό ψ ε σ θ ε ῥαψῳδήσαντά με. Iamdudum π ε ρ ι ό ψ ε σ θ ε correctum oportebat. In C. 5 non dederat, opinor: οὕτως ὡ ς ἀ ν δ ρ α π ό δ ο ι ς ἀ λ η θ ῶ ς οἴει διαλέγεσθαι; sed transposita particula: οὕτως ἀ ν δ ρ α π ό δ ο ι ς ὡ ς ἀ λ η θ ῶ ς; et in C. 9 manifesto vitiosum est: τοσοῦτον ὑπερφέρω τοῖς δικαίοις καὶ ἐκ περιουσίας ἀ π ο λ ο γ ή σ α σ θ α ι ὑπολαμβάνω pro ἀ π ο λ ο γ ή σ ε σ θ α ι. Nondum causam dixerat, sed dicturus erat; cf. C. 8: ἐγὼ δὲ ἀ π ο λ ο γ ή σ ο μ α ι πρὸς τὰ ἐγκλήματα. Nec magis sanum videtur in C. 13: ἐνταῦθα γὰρ ἐν Κεραμεικῷ ὑ π ο μ ε ν ο ῦ μ ε ν αὐτήν; quod inde ab Homero recte dicitur de eo, qui hostilem impetum sustinet, non item, si quis otiose inambulans adventum alicuius praestolatur. Unice verum est: π ε ρ ι μ ε ν ο ῦ μ ε ν, ut in hoc ipso dialogo (C. 17): σὺ δέ, ὦ Ἔλεγχε, αὐτοῦ π ε ρ ί μ ε ν ε.

Ibid. C. 14. *καὶ τίνα τοῦτον ξυλλαβόντες ἄγετε;* Quid scripserit, ostendunt verba in fine capitis posita, ubi de eadem hac re: *τί δ' οὖν αὐτὸν ἄγχετε;* Non enim quoquam captivus Lucianus *abducitur*; nam quod supra vidimus, expectant dum Philosophia veniat; sed irati philosophi circumstant eum urgentes et strangulantes.

Ibid. C. 23. *εἰ γάρ τι καὶ πρὸς ἀλλήλους διαφερόμεθα ἐν τοῖς λόγοις, σὺ δὲ τοῦτο μὲν μὴ ἐξέταζε, μηδ' ὅστις ἐστὶν ὁ ἀληθέστερος νῦν λέγε.* Vix sufficere videtur *λέγειν*, *verbo significare*, et longe me iudice praestat: *ἔλεγχε*, *demonstra*, *expone.*

Ibid. C. 25. *ὁ θεὸς ἴσως χαίρει φιλογέλως τις ὤν.* Sententia *imperfectum* *ἔχαιρε* postulat. Quo recepto haec verba *senarium* efficere vides, et comicorum fragmentis addenda esse.

Ibid. C. 26. *ὁ δὲ .... ἀγορεύει κακῶς .... ἅπαντας οὔτε ἑορτῆς ἐπιούσης οὔτε ἰδίᾳ τι πρὸς ἡμῶν παθών.* Iure quibusdam displicuit *ἐπιούσης*; non enim die festo *appetente*, sed ipso sollemnium die spectacula eduntur. Evidens correctio peti potest e praegressis: *ἐτόλμων τοιαῦτα ἐν Διονύσου, ἐφειμένον αὐτὸ δρᾶν*; unde legendum apparet: *οὔτε ἑορτῆς ἐπιτρεπούσης.*

In C. 32 in verbis *καὶ ἀπὸ τοῦ κακῶς βιοῦντος πονηρὰ περὶ ὑμῶν εἴκαζον τῶν πρὸ πολλοῦ τεθνηκότων*, ut oppositio appareat, adde *βιοῦντος νῦν*. Contra in C. 33: *ἤν τινα καὶ τῶν μεμυημένων ἰδὼν [ἐξαγορεύοντα] τοῖν θεοῖν τἀπόρρητα [καὶ] ἐξορχούμενον* delenda sunt uncinis inclusa respectu habito eorum, quae ipse annotat Lucianus in libello de Saltatione: *ἐκεῖνο δὲ πάντες ἀκούουσιν, ὅτι τοὺς ἐξαγορεύοντας τὰ μυστήρια ἐξορχεῖσθαι λέγουσιν οἱ πολλοί.* In fine c. 46 legendum: *ἀπάγειν ἐπὶ τὸ καυτήριον τοῦτον ἀποκείραντα πρότερον τὸν πώγωνα, ὡς ἔδοξεν.* ΠΑΡΡ. *Ἔσται ταῦτα, ὦ Φιλοσοφία.* Vulgo verba *ὡς ἔδοξεν* Parrhesiadae tribuuntur.

Ibid. C. 48. *εἴληψαι λιχνεύων περὶ τὰς πέτρας, ἔνθα λήσειν ἤλπισας ὑποδεδυκώς.* Piscis hamo conspecto, ut periculum vitet, petit saxa, sub quibus lateat. Mire tamen saxa

ligurrire dicitur, nam nec saxa quidquam quo pisces delectentur continent nec si quam maxime continerent, piscis ille formidine trepidans et anxie latebras quaerens nunc cibi appetens est aut cuppediarum, sed refugii. Una litterula recisa ἰχνεύων legendum arbitror: *vestigans*, *indagans*, *saxa undique oculis lustrans*, num forte receptui esse possint.

Catapl. C. 1. ἢ τάχα που κλωπεύει ὁ γεννάδας παρελθών. Errorem indicavit, non sustulit Cobetus περιελθών reponens. Scribatur quod de furibus aliisve qui clam introeunt verbum est proprium et usitatum: παρεσελθών. Cf. Gall. C. 28: μετοίσω γὰρ αὐτὰ παρεσελθών; Dial. Meretr. 12. 3: παραγαγὼν τὸν στροφέα παρεσῆλθον ἀψοφητί. In C. 8 deleatur puerile interpretamentum: εἶτά σοι αὐτόματος ἥξω [καλοῦντος μηδενός].

Ibid. C. 22. ἢ τῷ δικγνῷ τις ἐνταῦθα εἰ καλλίων Φρύνης Σιμμίχη. Perabsurde hoc dicitur, et apparet plane contrarium requiri; sufficere videtur: Φρύνη ἢ Σιμμίχη.

Ibid. C. 24. ὁπόσα ἄν τις ὑμῶν πονηρὰ ἐργάσηται παρὰ τὸν βίον, καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει. Hinc correctio petatur loco similiter conformato in libello de Imagin. C. 15: ἀλλ' ὁπόσαι τῆς ψυχῆς ἀρεταί, καθ' ἑκάστην εἰκὼν μία γεγράψεται, ubi pro ὁπόσαι librariorum socordia αἱ πᾶσαι in textum irrepsit.

De Mercede Conduct. C. 3. καὶ πρῶτόν γε, ὁπηνίκα περὶ τῶν τοιούτων ὁ (delendum) λόγος ἐνέπεσεν .... ἑώρων ὅπως ἐκεχήνεις πρὸς αὐτά. Si πρῶτον recte haberet, quid *deinde* factum sit, memoratum oportebat. Sed nihil eiusmodi in sequentibus reperire queas; et dederat, opinor, quod loco apprime convenit: καὶ πρῴην γε. Infra quoque in C. 20 omni sensu caret πρῶτον in verbis: ὡς μὲν οὐκ εὐδαιμονέστατος εἶ τῶν ἐν τῇ πόλει ἁπάντων, ὦ οὗτος, οὐκ ἂν εἴποις, ᾧ γε τοῦτο πρῶτον ὑπῆρχεν, ὃ πολλοῖς πάνυ γλιχομένοις μόλις ἂν γένοιτο παρὰ τῆς Τύχης, λέγω δέ, ὁμιλίας ἀξιωθῆναι καὶ ἑστίας κοινωνῆσαι καὶ ἐς τὴν πρώτων οἰκίαν τῶν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ καταδεχθῆναι. Aliud

latet, et suspicio mihi nata est scriptum fuisse: ᾧ γε τοῦτο ἐπέπρωτο, quod postquam in πρῶτον abiit, ut sententia constaret, ὑπῆρχεν additum est. Optime verbo q. e. πέπρωται usus est, cum ipsa Τύχη saepe ἡ πεπρωμένη, τὸ πεπρωμένον dicatur.

Ibid. C. 5. εἴ τις ἡδονῇ χαίρει καὶ ταύτην ἐξ ἅπαντος θεραπεύει, ὅπως μεθέξει αὐτῆς. Notabilis hic est usus verbi θεραπεύειν, quo idem valet et eadem constructione utitur atque ἐπιμέλεσθαι. Itaque quemadmodum, si hoc verbum potius adhibuisset, non ταύτης ἐπιμέλεται, ὅπως μεθέξει αὐτῆς scripturus fuisset, sed τούτου, sic nunc quoque τοῦτο est reponendum. In C. 9 supplendum: πλὴν εἰ μὴ κἀκείνων τίς (με) μεμνῆσθαι ἀξιώσειε. Contra expungendus articulus in verbis C. 12: καὶ δὴ εὐτύχηταί σοι πάντα τῆς εὐχῆς μειζόνως. Proverbii instar haec sunt, ut et in Cap. 6: εὐχῇ γὰρ ἂν ἐοικότα εἴη, μὴ πονήσαντα μηδὲ καμόντα ἕτοιμον ἀργύριον λαβεῖν. In fine libelli de Liberis Educandis, quem vulgo Plutarcho adscriptum Wyttenbachius multis et certis argumentis spurium esse ostendit, Hercherus cum parte librorum: τὸ μὲν οὖν πάσας τὰς προειρημένας συμπεριλαβεῖν παραινέσεις τύχης ἴσως ἔργον ἐστί, cum ceteri recte εὐχῆς exhibeant. Quis enim hic *fortunae* aut *casui* est locus?

Ibid. C. 19. συνίημι ὡς οὐχὶ μισθοῦ ἐλπίδι προσεληλυθας ἡμῶν τῇ οἰκίᾳ, τῶν δὲ ἄλλων ἕνεκα, τῆς εὐνοίας τῆς παρ' ἡμῶν καὶ τιμῆς, ἣν παρὰ πᾶσιν ἕξεις. Pro ἄλλων, quod mire languet et vix recte cum articulo iungitur, multo melius scribetur: καλῶν sive, quod praetulerim: καλλιόνων. In C. 20 supplendum: καὶ πρὸς ἄλλα (πολλὰ) τούτων ἀναγκαιότερα δαπανῶντι.

Ibid. C. 28. τὸ μὲν γὰρ λιμῷ ξυνόντα καὶ νὴ Δία γε διψῶντα μύρῳ χρίεσθαι καὶ στεφανοῦσθαι τὴν κεφαλήν, ἠρέμα καὶ γελοῖον. Verba misere corrupta et omni sensu vacua. An fuit Ἡράκλεις, ὡς γέλοιον? Suadere hoc videtur, quod in C. 8 simillimum exstat: Ἡράκλεις, ὡς καταγέλαστον. Remedium est violentius, non nego. Atqui compluria huic libro in-

sunt non minus foede corrupta aut lacunosa, ut certa ratione sanari non possint.

Ibid. C. 42. ἐννόησον, εἴ σοι καλῶς ἔχει προσελθόντα εἰς τὴν εἰκόνα κατὰ ταύτας τὰς θύρας κατ' ἐκείνην τὴν ἔμπαλιν αἰσχρῶς οὕτως ἐκπεσεῖν. Quam necesse sit εἰσελθόντα reponere, apparet e superioribus: βούλομαι .... εἰκόνα τινὰ τοῦ τοιούτου βίου σοι γράψαι, ὅπως ἐς ταύτην ἀποβλέπων εἰδῇς, εἴ σοι παριτητέον ἐς αὐτήν; et mox: ἑστάτω σφόδρα ἐκπεπληγμένον τῇ εἰσόδῳ.

Hermot. C. 8. ἀλλ' εὐφημεῖν χρή, οἶμαι, μηδὲ ὅσιον εἶναι ἐξετάζειν τὰ ὑπὸ τῶν σοφῶν γιγνόμενα. Compositio loci laborat; unde enim pendet Infinitivus εἶναι? Nec fugit hoc Fritzschium, qui εἴη substituit. Atqui *votum* in hunc locum omnino non quadrat, quo potius leni ironia ridetur caeca et stolida quorundam admiratio, qui nefas habent inquirere in vitia eorum, quos tamquam deos colere sibi proposuerunt. Quod ut appareat, scribendum arbitror: μηδὲ ὅσιον οἰόμενον εἶναι ἐξετάζειν. Perfacile hoc excidere potuit.

Ibid. C. 11. Senex philosophus, Hermotimi magister venerabilis, inter cenandum et disputandum post tergum stanti puero frusta carnis tradiderat servanda et domum asportanda. Convivio dimisso erus, antequam crapulam edormiret, sordibus vel ipsam ebrietatem vincentibus, μόνον ἀριθμῷ παραλαβὼν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἑστῶτι παρεδεδώκει, καὶ σημηνάμενος ἐπιμελῶς τὸ ἀπ' ἐκείνου καθεύδει. Quid est ἀριθμῷ παραλαβὼν τὰ κρέα? Carunculis, quas servus domum portaverat, *ab eo acceptis, ut eas numeraret et obsignaret?* At sine praepositione ἀριθμῷ id significare non potest, et necessario scribendum: ἐπ' ἀριθμῷ παραλαβών. Et scripsit fortasse. Quamquam in perpetua confusione praepositionum παρά et περί probabilitate non caret ἀριθμῷ περιλαβὼν esse reponendum, similiter adhibitum ac supra in C. 6: χρόνῳ περιλαβεῖν, ubi praeter necessitatem Cobetus ὅρῳ substituebat.

Ibid. C. 14. Lyc. μία τις ὁδός ἐστιν ἡ ἐπὶ φιλοσοφίαν ἄγουσα,

ἢ τῶν Στωικῶν ὑμῶν, ἢ ἀληθῆ ἐγὼ ἤκουον ὡς καὶ ἄλλοι πολλοί τινές εἰσιν;

Herm. Μαλὰ πολλοί, Περιπατητικοὶ καὶ Ἐπικούρειοι καὶ οἱ τὸν Πλάτωνα ἐπιγραφόμενοι .... καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ Πυθαγόρου καὶ ἔτι πλείους.

Lyc. Ἀληθῆ ταῦτα· πολλοὶ γάρ εἰσι. πότερον δή, ὦ Ἑρμότιμε, τὰ αὐτὰ οὗτοι λέγουσιν ἢ διάφορα;

Qui hoc agit, facile agnoscet aliquid turbatum esse; nam verbis ἀληθῆ ταῦτα· πολλοὶ γάρ εἰσιν responsum oportebat ad *Lycini* quaestionem: ἀληθῆ ἐγὼ ἤκουον; quod nunc secus est. Rectum ordinem restitues omnia usque ad ἔτι πλείους *Lycino* continuando, deleta voce πολλοί, quae post ἄλλοι e dittographia nasci potuit. Tum *Hermotimus*: ἀληθῆ ταῦτα· π. γ. ἐ.; et rursus *Lycinus*: πότερον δή, ὦ Ἑρμότιμε, τὰ αὐτὰ οὗτοι λέγουσιν ἢ διάφορα;

Ibid. C. 32. οὐκ ἂν εὐλόγως θρασὺς εἶναι δόξειεν ἂν σοί; Dubitationem movet tam brevi intervallo repetitum ἄν; et collatis superioribus ἀνάλογον τοίνυν κείσθω τις ἡμῖν considerandum, num hic quoque ἀναλόγως sit scribendum. Obversatur adhuc animo disputantis comparatio illa cum Aethiope: οὐδεπώποτε ἐξ Αἰθιοπίας τὸν ἕτερον πόδα προελθών.

Ibid. C. 37. οὐκοῦν σαφέστερον χρὴ λέγειν, εἰ ἑτεροῖόν τι ἀλλὰ μὴ τοιοῦτον φήσεις. Respondet his Lycinus ad ea quae dixerat Hermotimus, videri sibi parum intelligere Lycinum quid dicere vellet. Unde apparet pro *futuro*, quod sententiae repugnat, *praesens* tempus φής reponi debere. Vicinum εἴσῃ scribae imposuit. In C. 38 scribe οὐ γὰρ δῆλόν πω, non που.

Ibid. C. 48. ὁμολογοῦντες μὴ ταῦτα εἰδέναι πάντα τὰ τῆς ἑαυτοῦ αἱρέσεως ἕκαστος. Hoc cum manifesto vitiosum esset, transpositione loco succurrebam: ὁμολογοῦντες ταὐτά, μὴ εἰδέναι. Nunc video simplicius et melius corrigi posse: μηδ' αὐτὰ εἰδέναι πάντα τὰ τῆς ἑαυτοῦ αἱρέσεως ἕκαστος. In C. 49 dele interpretamentum: εἰ δὲ καὶ εὕροιμεν ἄλλως [κατά τινα ἀγαθὴν τύχην] περιπεσόντες αὐτῷ. In C. 64 scribendum: μόνως γὰρ ἂν οὕτως εὑρεθῆναι φῄς τἀληθές pro δή.

Ibid. C. 52. ὁδοὶ δὲ πολλαὶ ἐπὶ φιλοσοφίαν ἑκάστη καὶ ἀρετὴν ἄγειν φάσκουσαι. Insolentius hoc dictum est, itaque Cobeto adstipularer δοκοῦσαι corrigenti, nisi me retineret quod in C. 49 haud dissimile legitur: πολλὰ γάρ ἐστιν ὅμοια αὐτοῖς λέγοντα ἕκαστον αὐτὸ εἶναι τἀληθέστατον; et in C. 70: αἱ δὲ (ἀποδείξεις sc.) τοῖς πάνυ προδήλοις τὰ ἀφανέστατα συνάπτουσαι ἀποδείξεις ὅμως αὐτῶν εἶναι φάσκουσιν.

Ibid. C. 56. αὐτὸς ἅπαντα καὶ ὅλον ἕκαστον κατανοήσας. Mirum ni scripserit quod solet: καθ' ἓν ἕκαστον, cum praesertim opponantur τὰ κεφάλαια. In C. 59 καὶ οὐδὲν ἂν ἔγωγε ἀντείποιμι legendum pro ἀντεῖπον; et in C. 65: οὐδέπω οὐδὲ τότε δῆλον ἔσεσθαι νομίζω pro τοῦτο.

Ibid. C. 66. ἔδει δ' οἶμαι πρότερον φανερὸν γενέσθαι ὅτι ἔγνωσται τἀληθὲς καὶ πάντως ἔχει τις αὐτὸ εἰδὼς τῶν φιλοσοφούντων. Molestum hic est participium εἰδώς, a sciolo additum, ut appareret, quo sensu ἔχει esset accipiendum. Nec magis genuinum videtur quod mox legitur: οὐδέποτε ἄρα [ἐξ ὧν σὺ φής] εὑρήσομεν. Statim enim sequitur: τοῦτο ξυμβαίνει γε ἐξ ὧν φής. In C. 69 legatur: οὐδὲν γάρ σοι ἐξευρηκὼς ἔδειξα ὅ σ' ἐγγυτέρω ποιήσει τῆς ἐλπίδος pro ὡς ἐγγυτέρω σε ποιήσειν, quod soloecum est. In C. 85 male abundat ἀκρίτων in verbis: τῶν ἄλλων ἀκρίτων ἐρήμην καταγνούς.

In fine Herodoti 'Si cum magni nominis' ait 'athletis componar, omnium impudentissimus videar; sin per me ipsum me spectabitis, τάχ' ἂν οὐ πάνυ μαστιγώσιμος ὑμῖν δόξαιμι· ὡς ἐν γε τηλικούτῳ σταδίῳ ἱκανὸν ἐμοὶ γοῦν καὶ τοῦτο. Particula ὡς, si Latine *nam* vertas, neque aliter verti potest, a contextu aliena; nulla enim *causa* praecedentium redditur. Non tamen delenda est, sed mutata interpunctione scribendum: δόξαιμι ὡς ἐν γε τηλικούτῳ σταδίῳ· ἱκανὸν ἐμοὶ γοῦν καὶ τοῦτο; i. e. *ut in tali stadio; ratione habita magnitudinis et claritudinis arenae.* Cf. Zeuxidis C. 10: πολλοὶ δ' ὡς ἐν ταράχῳ τοσούτῳ κατελαμβάνοντο.

In Zeuxidis C. 3 non recte dicitur de muliere *mammam prae-*

bente infantibus: *ἀνατρέφουσαν δὲ προσέτι παιδίω διδύμω* pro *τρέφουσαν*, ut in C. 4: *καὶ τρέφει ἀνθρωπικῶς ἐπέχουσα τὸν γυναικεῖον μαστόν*. Quod in C. 5 legitur: *γραφέων παῖδες ἐπαινούντων*, quamquam his prolaliis saepe senilis inest verbositas, tamen vix ab ipso Luciano additum crediderim ieiune et insipidum illud: *οἷς ἔργον εἰδέναι τὰ τοιαῦτα*. Mox legendum: *ἀλλὰ καὶ κατὰ θάτερον τὸ τοῦ ἀνθρώπου* pro *καὶ καθ' ἕτερον τοῦ ἀνθρώπου*; et in C. 9: *καὶ ἡ ἵππος ἡ τῶν πολεμίων ἐπελαύνῃ* pro barbarico *ἐπελαύνηται*; et in C. 10: *ἐμπεσόντων ἐς αὐτούς* pro *ἐπ' αὐτούς*.

Harmon. C. 2. *ὥστε ἐπαινέσουσι καὶ αὐτοί*. Constans et perpetuus Luciani usus formam Futuri *mediam* requirit, ut paullo supra: *καὶ οὗτοι ἐπαινέσονταί σε*. Utique corrigendum: *ἐπαινοῦσι*. Agitur enim de iis, quae *fieri solent*, ut vulgus eos laudet, quos a principibus viris laudari videat. Nec magis ferendum in C. 3: *εἴη γὰρ οὕτω φανήσεσθαι* pro *φαίνεσθαι*. Post pauca satis absurde editur: *ἤν που καὶ νῦν ἐμοὶ ἐς τὸ χεῖρον ῥέπωσιν αἱ ψῆφοι ἐν τῷ λόγῳ*. *Post*, non *inter* orationem iudicium fertur, opinor; itaque reponatur: *ἐπὶ τῷ λόγῳ*.

Scyth. C. 5: *ὡς οὐκ ἔστιν ὅ τι ἂν μεῖζόν σοι καλὸν χαρίσασθαι δυναίμην*. Ne Graecum quidem est *μέγα καλὸν χαρίσασθαι*, et apparet *μεῖζόν σοι ἄλλο* esse legendum.

Ibid. C. 7. Toxaris ad Solonem: Donum tibi fero omnium acceptissimum, peregrinum amico et magistro indigentem. Brevissimam eandemque certissimam viam mihi reperisse videor, quam ingrediens mox omnia cognitione digna cognoscet et ipse optimo cuique notus erit: *τοῦτο δ' ἦν σοὶ προσαγαγεῖν αὐτόν*. Deinde pergit: *εἰ τοίνυν ἐγὼ Σόλωνα οἶδα, οὕτω ποιήσεις καὶ προξενήσεις αὐτοῦ, καὶ πολίτην γνήσιον ἀποφανεῖς τῆς Ἑλλάδος*. Corrupta sunt verba *οὕτω ποιήσεις*; nihil enim est in praegressis quo ulla ratione referri possint. Sententiae aptum est: *τοῦτον προσήσει*, *hunc in amicitiam recipies*.

(*Continuabuntur*).

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e Vol.* XXX *pag.* 393.)

XI.

Ad locos venio illos, ubi Taciti mentem nondum bene perspectam a viris doctis aut expertus sum aut non sine causa suspicari mihi videor. Eos ergo sic proponam ut quomodo mihi intelligendi videantur enarrem. Hic quoque nonnumquam inutile aliquod emendandi conamen refutare conabor.

A. XIII, 43. Agitur de causa Suillii, qui imperante Claudio famosus delationibus fuerat; is nunc Senecae opera reus factus, primum se in omnibus rebus Claudio paruisse aiebat, tum iussa Messalinae praetendebat. Hic adversarii eius rogabant:

„cur neminem alium delectum qui saevienti impudicae vocem praeberet?"

addebantque:

„puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegent."

Primo aspectu inania hic fundere verba videtur Tacitus, nam quis *minister* non utrumque facit? Et quod illa descriptio coniunctione *ubi* annectitur praecedentibus, hoc imprimis absurdum videtur. Sed, si recte video, haec senatorum, qui ista dicunt, mens est: „puniendi sunt ministri, *ubi in iudicio apparet* pecuniam quidem eos accepisse, sed nullo alio se argumento defendere posse quam quod iussi fecerint."

A. XIV, 12. Abiectissima adulatione senatores mortuam Agrippinam omni contumelia afficiunt:

„Thrasea Paetus silentio vel brevi assensu priores adulationes transmittere solitus *exitium senatui* ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit."

Sic codex; recipitur plerumque Lipsii coniectura *exiit tum senatu*, quae speciosa quidem est, nec tamen sententiam praebet ab omni parte probandam. Quid enim nunc Thraseae vitio dat Tacitus? Quod senatu exiit? Nonne ergo hoc decebat virum gravem qui ceterorum serviles animos iam ferre non posset? An quod non palam Neroni restitit totumque admonuit senatum ut seque et rempublicam vindicaret in libertatem? Non solet eos laudare Tacitus qui sponte certam adeunt perniciem. Praeterea, tum demum necessaria esset Lipsii coniectura si aliunde appareret ab eo inde tempore Thraseam in senatu nunquam adfuisse; at loci, quos Nipperdeius ad XIII, 49 affert, contrarium docent. Contra, si vulgatam retinemus, quid tandem fecerit dixeritve Thrasea non dicit Tacitus, sed tamquam rem vulgo notam reticet [1]). Fortasse revera senatores adhortatus est ut libertatem capesserent, non solum frustra sed etiam cum suo periculo et multorum senatorum pernicie. Quid quod si nihil nisi *exiit senatu* Thrasea, sed cum quadam contemptus et indignationis ostentatione, illa quoque res *tecte* verbis traditis potuit significari. Etenim constat a certo quodam tempore Neronem de industria in senatores furere coepisse; nonne aliquid quod Thrasea fecit dixitve (qualecunque illud erat) eius rei ansam praebere potuit?

A. XIV, 60 „Mox in Campaniam pulsa est (Octavia) addita militari custodia. Inde crebri questus nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt. *His quamquam Nero paenitentia flagitii revocavit* Octaviam. Exim laeti Capitolium scandunt deosque tandem venerantur. Effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant umeris e. q. s.". Sic codex; Nipperdeius pro *quamquam* legit *tamquam*, pro *revocavit revocarit* et post *his* lacunae ponit signum; hactenus, ut

1) Non abhorret hoc ab usu Taciti; iam in praecedentibus unum et alterum locum vidimus ubi illud usu veniret, et alios praeterea, occasionem nacti, indicabimus.

opinor, rectissime. Sed quod lacunam illam his fere verbis supplendam statuit: *Vocibus supervenit inanis rumor*, falli videtur vir praestantissimus. Equidem eiusmodi aliquid desidero: *Poppaea his questibus permota rumorem per homines sibi deditos sparsit.* Nam omnia quae deinde fiunt Poppaeae fiunt instinctu: illa statim turbis illis in honorem Octaviae motis abutitur ad Octaviam perdendam. Quid ergo verisimilius quam ipsas quoque illas turbas Poppaeae dolo excitatas? Territa questibus eorum, quos Octaviae miserebat, ea struebat, quae Neroni quoque metum essent iniectura: spargebat rumorem de Octavia revocata, intelligens tum demum apertum fore populi in se odium et erga Octaviam favorem.

A. XV, 50. Postquam narravit qui fuerint Pisonis conscii et quid eos ad tantum facinus audendum impulerit, sic pergit:

„Et cepisse impetum Subrius Flavus ferebatur in scaena canentem Neronem aggrediendi, aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. Hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis *pulcherrimum* animum exstimulaverant, nisi impunitatis cupido retinuisset, magnis semper conatibus adversa."

Pro *pulcherrimum* Urlichsius *pulcherrima* legit, Orellius (quod praestare videtur) *pulcherrimum ad facinus*. Sed hoc mittere possumus, de ceteris videamus. Primum quaero nonne pro *ferebatur* legendum sit *fertur*: incredibile enim videtur per integrum annum incolumem fuisse Flavum, quamvis eiusmodi de eo essent rumores vel inter conscios. Hoc tamen ex *exstimulaverant* pro certo efficere possumus iam satis diu ante illud tempus in eo fuisse Flavum ut Neronem aggrederetur, et *qua fere occasione* hunc ceperit impetum, hoc quoque satis est perspicuum, licet absurdum sit *ardente domo* neque adhuc probabiliter emendatum. At subito ista *impunitatis cupido* nos de alia rerum condicione cogitare iubet: ante oculos nostros nunc stat aliquis, qui ut ipse facinoris poenam effugiat, *conscios suos indicat*: absurdum enim est consilium aliquod periculi plenum, quod *nullo conscio* ceperis, impunitatis cupidine missum facere. Ergone fortasse totius narrationis haec est sententia: „iam multo antea Flavus solus consilium ceperat, ubi prima daretur facultas, sua manu occidendi Neronis (sic certe fertur); sed re accuratius pensitata

melius ei visum est, cum aliis, si huius rei daretur facultas, consilium communicare: sic enim post socios latere se posse credebat vel, si res contra caderet, illos indicare, denique aliquo modo sibi parare impunitatem"?

A. XV, 71. Pisonis sociis quid deprehensa coniuratione acciderit et aliis narratur verbis et hisce:

„E tribunis Gavius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit; Statius Proximus veniam, quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit".

Ne de utroque aliis verbis prorsus idem narraretur, viri docti nescio quid interesse inter *absolvi* et *veniam accipere* commenti sunt. At ego censeo aetate imperatoria, praesertim autem imperante Nerone, plane eodem utrumque rediisse: quem non ipse imperator incolumem esse vult, de eo actum est. Restat ergo ut non idem esse statuamus quod verbis *sua manu cecidit* et quod verbis *vanitate exitus* significatur. Neque tunc incredibile aliquid statuimus: nam ipsa vox *vanitas* demonstrat non ideo reprehendi Proculum quod, cum vivere posset, mori maluerit, sed quod *illo modo* mortuus sit. Iam ille modus quis fuerit nos latet: cum ultima Annalium parte illius rei narratio periit; unum hoc sumere licet Proculum ad ostentandam virtutem inutile aliquod adiisse periculum.

A. XVI, 14. Antistius exul Anteium et Ostorium Scapulam indicat tamquam res novas molitos in eaque re Chaldaeorum usos arte:

„Ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Antei nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exstitisset monito prius Anteio ne supremas tabulas moraretur."

Monito certa est Agricolae emendatio pro *monitus*. Quaeritur ergo quo modo illum metum Antei familiaribus Tigellinus ademerit. Respondet Nipperdeius: „monendo Anteio ne s. t. m." At primum quotusquisque eorum id auditurus erat? Hoc enim consilium, ut opinor, solus soli Tigellinus dedit. Sed quid multa? Nonne ipsi sermoni Latino aperte vim facimus cum, legentes de eo qui obsignare nolentibus *auctor exstitit*, quidquam aliud eum fecisse coniicimus quam *primum obsignasse*? Cetera nunc sponte sequuntur, et totius loci hic sensus est: „obsignare

iam Antei testamentum audebat nemo, ergo ipse Tigellinus primum mortis necessitatem misero homini indixit; qui cum hac re audita testamentum fecisset, Tigellinus ceteris obsignandi exemit scrupulum dum primus omnium facit illud." Nunc demum, id quod recte Furneaux observat, *prius* recte hic ponitur.

H. I, 17. (Iam Pisonem adoptavit Galba, et post aliquam deliberationem decretum est ut in castris praetoriis ea adoptio nuncuparetur):

„Circumsteterat interim Palatium publica exspectatio, magni secreti impatiens."

Si quis quaerit quod sit *magnum* illud *secretum*, quod homines tantopere cognoscere gestiant, in promptu est respondere: „ipsa adoptio his vocabulis significatur, plebecula enim non adfuerat comitiis illis imperii, quae c. 14 describuntur, ergo nunc ardent studio audiendi quem sibi successorem Galba elegerit." At ipse Tacitus hoc responsum refutat statim verbis, quae citavi, addendo: „et male coercitam famam supprimentes augebant", nam fama de filio a Galba adoptato utcumque *coerceri* et *supprimi* potest, *augeri* nullo modo potest. Admodum obscure hic loquitur Tacitus, et de qua re nunc cogitet aliquanto post demum fit perspicuum. Cum enim de Galbae ad milites (c. 18) oratione narrat, et alia inde profert et hoc: „ac ne dissimulata seditio in maius crederetur, ultro asseverat quartam et duoetvicesimam legiones paucis seditionis auctoribus non ultra verba ac voces errasse et brevi in officio fore." *Magnum* ergo illud *secretum*, quod hactenus coercebatur et supprimebatur, est defectio legionum Germanicarum, quas pugnae caedisque avidas iamiam adfuturas anxia plebs auguratur. At apud milites Galba *ultro*, non rogatus, de illa re tantum asseverat quantum illos scire utile credit.

C. 26 de praetorianis iamiam ad Othonem transituris haec legimus:

„Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit, ignarus militarium animorum consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus et adversus peritos pervicax."

De Cornelio Lacone „mortalium ignavissimo" (c. 6) cum legimus eum una in re *pervicacem* fuisse, statim suspicamur

eiusmodi illam rem fuisse ut pervicaciam redderet quam stultissimam. Ergo in adiectivo *peritos* acumen aliquod inesse debet, et revera inest, si sic accipimus: „peritos militarium animorum ideoque gnaros periculorum a militibus instantium". Tam iners, ignavus, somnolentus homo Laco erat ut quidquam credere nollet de periculis quae in castris nascerentur; tum demum fiebat firmus, immo stolide pervicax, cum aliquis, cui milites notiores essent, monere eum et meliora docere studeret.

H. I, 34. „Praemissus tamen in castra Piso ut iuvenis magno nomine, recenti favore et infensus Tito Vinio, seu quia erat, seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur". Ultima vocabula *et facilius .... creditur* non ad Pisonem Viniumque solos pertinent, sed generalem quandam efficiunt sententiam: omnino cum ad odium provocatur, facilius huic argumento quam ceteris omnibus aurem praebent homines.

Aliter se res habet in vocabulis quibusdam, quae alio quodam loco subsimili ratione praecedentibus sunt annexa. H. I, 41. Postquam Tacitus narravit varios esse de supremis Galbae verbis rumores, haec addit:

„non interfuit occidentium quid diceret."

Putasne, tantummodo *exornandi* causa vocabula illa adiecta? Non ego; nam non Taciteam indolem eiusmodi referret ornamentum; sic loquitur cui molle est pectus et ad lacrimas pronum, non vir fortis pauloque durior, qualis est Tacitus aut certe videri vult. Non misericordia haec provocavit verba, non hic deflet aliquis miseram Galbae sortem, qui senex iam infirmus tam inexorabiles nactus sit adversarios; historicus loquitur, qui cur tam parum constet de supremis Galbae verbis rationem reddit. Haec enim in paucis illis insunt vocabulis: „audire verba illa praeter ipsos, qui Galbam occiderunt, nemo potuit; at illorum non interfuit quid disceret, ergo postea nullus de ea re idoneus testis inveniebatur." Unice veram hanc esse horum verborum explicationem vel e solo perfecto *interfuit* apparet.

H. I, 72. „Apud Galbam Titi Vinii potentia defensus est (Tigellinus) praetexentis servatam ab eo filiam".

Ex ipsis verbis vix efficias de Galbaene an de Vinii filia sermo sit, sed Galbae tamen filiam significari e sequentibus apparet verbis, quae et ipsa aliquam requirunt explanationem:

„et haud dubie servaverat, non clementia quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis".

Sententia haec est: Vinius — quacunque tandem de causa — parcere Tigellino volebat; utebatur ergo sua apud Galbam gratia argumentumque attulit speciosius quam verius (praetexebat) Galbae filiam a Tigellino servatam; et servaverat sed suis prospiciens commodis. Sic mali homines semper agunt: cum rerum metuunt conversionem, quae suae sit potentiae finem allatura, adversus publicum odium privatam quaerunt gratiam. *Eiusmodi consiliis* (unde) homines non a male agendo retinentur (cura innocentiae) sed inter se parant impunitatem. Intellexerat Tigellinus ad exitum vergere Neronis imperium, et praesertim a Galba instare periculum. Non illa Galbae filia nunc tamquam pacis utitur pignore, neque iam antea de illa poenas sumit earum rerum, quae de patre eius exspectantur (atque id non solum permittebant antiquae opiniones, sed etiam Tigellinum, si se fidelem Neronis socium praebere voluisset, decebat illud), sed iam antea Galbae, arma contra imperatorem moventi, impunitatem praestitit, quam invicem ab illo se accepturum sperabat. At aliter res çecidit: populus enim dudum Tigellino infestus, cum videret inviso homini auxilium ferri a Vinio, qui et ipse hoc tempore in publicum incurrerat odium, eo pertinacius Tigellini perniciem flagitabat.

H. II, 45. Enarrato proelio, quo Othoniani a Vitellianis ita sunt profligati ut ipse Otho sua sibi manu conscisceret mortem, sic pergit Tacitus:

„At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit, non ausis eadem die obpugnationem castrorum."

Ceteri editores quo modo accipere haec soleant nescio, nihil enim annotant, sed metuo ne multos eorum in errorem induxerit et ne legentes etiam in errorem inducat plerosque haec Orellii annotatio, qua nihil novi perversius: „*castrorum*, non illorum quae c. 39 commemorantur". Capite enim 39 haec legimus: „promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit" i. e. quatuor nunc milibus passuum propius absunt a Vitellianis; ex illis

deinde castris procedunt ad pugnam, sed eo loco, quod vix commemorare opus, ubi proelium est commissum, nulla castra ponunt; profligantur a Vitellianis, qui eos persequuntur donec ipsi V milia passuum a Bedriaco, i. e. mille passus a castris illis capitis 39, absunt. Potuitne ullus locus aptior excogitari Vitellianorum deliberationi utrum castra ipsa oppugnent necne?

H. II, 46. Post proelium apud Bedriacum milites omnibus modis consolari Othonem student, demonstrantes se ad quasvis novas paratos pugnas.

„Nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, *ut nemo dubitet* potuisse renovari bellum e. q. s.".

Verba *ut nemo dubitet* tum demum aliquid significabunt, cum intellexerimus hic a Tacito illos refutari historicos, qui docuerunt post pugnam Bedriacensem de Othonis causa actum fuisse, eumque *desperatione* ad mortem compulsum. Qui illi historici fuerint ignoramus; *fuisse* unum pluresve hoc solum constat. Id ego hic propter Mommsenum moneo, qui de discrepantia Plutarchum inter Tacitumque, Othonis mortem narrantes, sic fere disputavit:

„Plutarchus narrat *nulli* proelio adfuisse Othonem sed Brixilli eum remansisse (c. V); transiisse eum Bedriacum ante pugnam ut consilium haberet militare (c. VIII), inde Brixillum rediisse (c. X); post pugnam ipso absente in consilio militari de causa Othoniana omittenda decretum factum. Denique Othonem, de clade certiorem factum, quamvis in fide perstare milites videret, abrumpere vitam suam statuisse *ut civibus parceret*: *βιώσας οὐδὲν ἐπιεικέστερον Νέρωνος ἀπέθανεν εὐγενέστερον* ipse Plutarchus ait.

Tacitus contra in illo demum consilio militari, quod ante ipsam pugnam habitum sit (v. c. 33 et 39), decretum esse ait ut Otho Brixillum proficisceretur, tamquam si hactenus semper in castris adfuisset. „Is primus dies Othonianas partes afflixit" haec sunt verba eius. „In consilio militari, quod post pugnam habetur, ope Moesiacarum copiarum fortunam mutari posse declaratur".

De ipsa discrepantia nihil dico: adesse eam quis neget? Sed quod illa nisus Mommsenus contendit mihi quidem videtur falsissimum. Sic enim disputat: „de industria quaedam hic

reticet Tacitus, et sic totum de Othonis morte locum ita detorquet ut narrationi tragicae fiat aptior. Reticet quaecunque documento sunt desperatione Othonem ad mortem actum; sic ille heros fit tragicus, qui duobus inclaruit facinoribus, altero flagitiosissimo altero egregio; alterum illud facinus Plutarchus non *egregium* vocat sed, multo verecundius, *εὐγενέστερον*".

Hic mihi Mommsenus ipse facere videtur quod Tacito vitio dat: ut alia reticeat, alia distorqueat. Quid distorqueat sponte apparet, quid reticeat duobus hisce locis optime illustratur:

A. Suetonius, licet disertis verbis dicat: *nulli pugnae adfuit*, Othonis mortem *τραγικωτέραν* etiam reddit: affert enim c. 10 testimonium (idque *sui patris*) Othonem *semper* bellum civile esse detestatum, et quomodo Othoni consilium sui occidendi natum sit narratione illustrat ad animos commovendos aptissima [1]).

B. Iam Martialis tempore exstabat „dramatica" illa de Othonis morte opinio VI, 32:

Cum *dubitaret adhuc* belli civilis Enyo,
  Forsitan et mollis *vincere posset* Otho,
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
  Et fodit certa pectora tota manu.
Sit Cato, dum vivit, sane vel Caesare maior:
  Dum moritur, numquid maior Othone fuit?

In deliciis esse *τὰ τραγικά* Tacito constat et ipsi id exemplis demonstrare conati sumus; sed quod exemplum hic Mommsenus attulit, id prius finxit ipse.

H. II, 51. Post pugnam Bedriacensem:

„earum, quae Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit, et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis quibus praefuerat".

Post *concedentibus* Ritterus inseruit *quoque*, sed ita ingrate inter se iunguntur duae res diversae. Equidem ablativo absoluto *concedentibus .... iis copiis*, opinor *rationem reddi* cur adversus cohortes illas tam placabiles fuerint victores; non enim leve erat quod illae copiae transibant, quae paulo ante (c. 35 sq.) in proelio illo, quod navale fere fuit, tanta exhibuerant negotia.

---

1) Illa narratio non est apud Tacitum eo loco, ubi de Othone agitur; demum III, 54 legitur, ubi Vitellii res tractantur.

Vereor tamen ut omnia recte se hic habeant, nam quod *per* Flavium Sabinum eae copiae concedunt documento est illum iis etiamnunc *praeesse.* Excidisse nomen *Macer* suspicor (*quibus Macer praefuerat*), ut hic de iisdem militibus prorsus idem dicatur quod c. 36.

H. II, 56. „Ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello afflictabatur". Post *atrocius* Haasius inserit *victoria*; sed sic perire videtur acumen quoddam Tacito pergratum. Bellum iam non erat in Italia, dispersis per municipia victoribus, at alia nunc res miseram regionem afflictabat, idque atrocius quam bellum.

H. II, 78. Ut imperium capessat Vespasianum hortatur oratione Mucianus, hortantur milites responsa vatum referentes, et ipse quoque animo recolebat omina, quibus multo ante summa sibi esset claritudo promissa:

„sed primo triumphalia et Iudaicae victoriae decus implesse fidem ominis videbantur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat".

Quis non ista legens primo aspectu pronomine *haec* significari putet praecedentia *triumphalia* et *victoriae decus*? Tamen non illud voluisse Tacitum mox apparet, nam illa eum adeptum esse iam dixit. Cogimur ergo (cogimur, nam satis mira res est) illud *haec* non de iis rebus accipere, quas ipsa grammatica suggerit, sed sic fere interpretari locum: „ut *praesentem occasionem* nactus est".

H. II, 80. Cum Vespasianum cubiculo egressum milites imperatorem salutarent:

„in ipso nihil tumidum, arrogans aut in rebus novis novum fuit: ut primum tantae altitudinis [1]) offusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus laeta omnia et affluentia excepit. Namque id ipsum opperiens Mucianus alacrem militem in verba Vespasiani adegit e. q. s.".

Haec omnia ut bene intelligantur prae ceteris accurate vox *namque* est consideranda. Etenim quae post illam leguntur *explanationem* continent verborum *laeta omnia et affluentia excepit*: non ergo: *statim postquam* „militariter locutus" est Vespasianus

---

1) Haec Trilleri coniectura omnium maxime mihi arridet; in codice *multitudinis* legitur. Cum *altitudinis* autem egregie *caligo* iungitur: comparatur Vespasianus cum aliquo qui, subito in loco edito positus, inde despiciens vertiginem sentit.

„laeta omnia et affluentia excepit". Sed illud *namque* et quae sunt annexa sic sunt accipienda: etenim [1]), quod attinet ad rerum eventuumque seriem, quibus Vespasianus imperator factus est, huiuscemodi fuit: Mucianus exspectabat *id ipsum* i. e. cursum rerum in castris Vespasiani Caesareae, quem ubi felicem fuisse cognovit, milites in verba Vespasiani adegit; ante Idus Iulias Syria omnis in eodem sacramento fuit, mox Sohaemus accessit Antiochusque e. q. s.

H. III, 10. In castris Antonii seditiosorum militum furor se omnis in Tampium Flavianum convertit, quem causam Flavianam prodere insimulant; solus Antonius ipse praesentem ab eo perniciem avertit. Aliquanto post:

„Profectus eadem nocte Flavianus obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus est".

Quid revera factum sit e Taciti verbis vix efficias, tam breviter et obscure loquitur; quid enim est „obviis litteris discrimini eximi"? Coniectura demum eorum et totius loci sensum assequimur. Facundia sua et auctoritate Antonius furentium militum manibus eripuit Flavianum, et, ut ego opinor, in suo abscondidit tabernaculo, unde nocte demum prodiit ille et e castris profugit. In ea fuga obviam venit Vespasiani nuntiis quibusdam, forte ad ipsum litteras ferentibus, quibus munitus iam in castra redire et sine periculo ibi manere potest: argumentum enim earum eiusmodi erat ut illis inspectis ne turbulenti quidem illi, irati, suspicaces milites dubitare possent quin apud Vespasianum in summo esset honore Flavianus.

A mire conformata sententia incipit huius libri (H. III) caput 22:

„At Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonae et reciperatis cibo somnoque viribus confectum algore atque inedia hostem postera die profligare ac proruere ratio fuit, indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora paratis iam dispositisque Flavianis impingitur".

Quid Vitellianis faciendum fuerit perspicue exponitur: *opponi* nunc oportebat id quod revera fecerunt (hac ipsa nocte in hostem sunt profecti); illud autem non disertis dicitur verbis sed cogitandum relinquitur legentibus; at quem effectum habuerit ea

1) Verte ergo *namque* Belgice non „want" sed „namelijk".

res, quae cogitatione est supplenda, id vero perspicue enuntiatur: „paratis iam dispositisque Flavianis impingitur".

H. III, 32. Cremonae incendendae quis auctor fuerit Tacitus non declarat; hoc solum narrat:

„Ceteri duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat. Is balineas abluendo corpori propere petit. Excepta vox est, cum teporem incusaret, statim futurum ut incalescerent: vernile dictum omnem invidiam in eum vertit tamquam signum incendendae Cremonae dedisset".

Vernile non reprehensionem continet, nihil aliud significat quam servi (balneatoris) ea verba fuisse. Ob teporem aquae Antonius servum illum reprehenderat; responderat ille: „mox incalescet". Antonius quid dixisset nemo sciebat, sed homines, qui prope adstabant, aliquem Antonio respondentem audiverant „mox incalescet", inde coniectura nata est de incendenda urbe inter eos fuisse sermonem.

H. III, 39. „Blaeso super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit: integris quoque rebus a Caecina et primoribus partium iam Vitellium aspernantibus ambitus abnuere perseveravit".

Integris quoque rebus i. e. priusquam pugna Cremonensi partium Vitellianarum opes fractae erant. Si post illam pugnam Blaesus abnuisset *Vitellianorum dux fieri*, parum insigne dedisset fidei documentum: tum enim Vitellianae illae partes nullius iam erant pretii, illarumque dux fieri quivis noluisset, non fide erga Vitellium ductus sed *totius rei contemptu*. Haec omnia observo, quia interpretem, qui solus notus mihi est, perversissime hunc locum accipere vidi. Ritterus enim Boetticheri hanc probat annotationem: „später, als die Gegenpartei schon gesiegt hatte, war Treue weniger hoch anzurechnen, da so später Abfall wenig vom Sieger erwarten liess". At invitatus fuerat Blaesus, non ut ad Vespasianum transiret (hoc enim *ambeundi* verbo significari nequit) sed ut pro Vitellio ipso dux Vitellianarum fieret partium. Hoc ab eo petiverant Caecina et primores partium, qui Vitellium iam *aspernabantur*, i. e. parum dignum idoneumque ducem putabant. Sic demum *ambeundi* verbum suo sibi sensu positum erit.

H. III, 47. Naves, quibus Ponti accolae utuntur, sic describuntur:

„Camaras vocant, artis lateribus latam alvum sine vinculo aeris aut ferri conexam; et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur".

Haud dubie Nipperdeius sanum locum corrupit pro *artis* legendo *altis*. Nam paulo quidem obscurius loquitur hic Tacitus (et fere dixerim inepte eum loqui), sed quid sibi velit tamen pro certo affirmare possumus. Erat illarum navium alvus lata, sed imponebantur alvo tabulae pronae ita ut spatium quod inter dexteras et sinistras esset tabulas semper fieret angustius; quod *latera* (i. e. tabulas) nunc „arta" vocat, subridiculum quidem est, sed quo sensu illo utatur adiectivo coniicere in promptu est. Tumido autem mari, quo altiores fiebant fluctus eo plures tabulae tabulis superimponebantur et spatium illud magis magisque coartabant, donec tandem aliquando totum navigium tamquam tecto clauderetur. Quod autem *camaras* appositum habet *alvum connexam* in eo molesti est nihil.

H. III, 79. Antonius, bellum iam peractum ratus, quod boni sit ducis officium obliviscitur:

„utque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat" i. e. suos sibi eligere centuriones permisit, quemadmodum apparet ex iis quae statim sequuntur: „eo suffragio turbidissimus quisque delecti; nec miles in arbitrio ducum, sed duces militari violentia trahebantur". Vocabula minime ambigua; sed quae nunc addit Tacitus minus accurate legentem possint inducere in errorem: „quae seditiosa et corrumpendae disciplinae mox in praedam vertebat". Noli putare ex ipso illo pravissimo consilio, de quo hactenus est narratum, lucri aliquid quaesivisse Antonium, licet verba *in praedam vertebat* primo aspectu illud significare videantur. Nam legatus legionis si ipse centurionatus dat, potest ob eam rem pecuniam accipere ab honorem illum petentibus; at cum suos sibi centuriones eligunt milites, omnem praedandi facultatem legatus amisit. Ergo *in praedam vertebat* sic est accipiendum ut Antonius dicatur pro consilio illo, quo omnis disciplina corrumpebatur, mox aliud introduxisse, quod cuiusmodi fuerit hactenus tantummodo prodit Tacitus ut dicat praedandi illud facultatem Antonio praebuisse.

Paulo post (c. 58) idem *vertendi* verbum explanationem quan-

dam requirere videtur. Victus iam et profligatus Vitellius senatum convocat:

„Servorum numerum et pondus argenti senatoribus indicit; equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii a metu profecta *verterat in favorem*; ac plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur".

Hoc narrat Tacitus: „homines opulenti officium *simulare* coeperant metu Vitellianorum militum et clamantis plebeculae; at ex ea simulatione quodammodo favor quidam erat natus (fortasse quia, cum animi semel sunt commoti, homines quid revera sentiant non quaerunt, fortasse etiam quia in tanta clamitantium multitudine facile ad quosvis affectus compelluntur homines. Haec certe favoris causa accedebat quod) plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur".

H. IV, 54. Post mortem Vitellii et apud Germanos belli ardor augetur et Galli animos tollunt. Utriusque rei causis narratis haec addit Tacitus:

„incesseratque fama, primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, ne deessent libertati, si populum Romanum continua civilium bellorum series et interna mala fregissent".

Non statim apparet haec quid sibi velint; sed re accuratius perpensa verum loci sensum perspicere mihi videor. Hoc enim narrat Tacitus: Otho primores quosdam Galliarum, qui tum forte Romae aderant, dimiserat ut suos quisque populares contra Vitellium incitaret. Hi ergo, cum eodem tempore ab urbe proficiscebantur, priusquam in suam quisque civitatem digrederentur, in aliqua urbe, unde diversae exibant viae, convenerant, ibique (sic certe rumor ferebat) pepigerant ne deessent libertati e. q. s.".

H. V, 1. Prima sunt libri verba:

„Eiusdem anni principio Caesar Titus, perdomandae Iudaeae delectus a patre et privatis utriusque rebus militia clarus, maiore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis; atque ipse ut super fortunam crederetur e. q. s.".

Voluit ergo Titus *super fortunam credi*, sed quid hoc est? Putes, ut opinor, de eo hoc dici qui, cum in edito sit loco

positus, tamen contentus eo non est, et maiorem etiam quam pro fortuna famam appetit. At hoc si voluisset Titus, iam non tamquam imperatoris filius suspici sed tamquam imperator coli cupiisset. Et multum abest ut tantam ei tribuat arrogantiam Tacitus; de eodem enim porro narrat: „decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans ac plerumque in opere, in agmine *gregario militi mixtus*, incorrupto ducis honore". Profecto non sunt haec eius quem sui status, quamvis egregii, poenitet. Mire hic a quotidiano loquendi scribendique usu recedit Tacitus et honorificentissimum hoc Tito dat testimonium: „videri hominibus is esse cupiebat, quem fortuna neque corrumperet, neque ad ignaviam detruderet, qui fortunae imperaret (κρείττων τῆς τύχης) non ab illa regeretur".

Ann. II, 3: „Nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnumque".

Quaesivi quo modo haec inter se cohaererent. Tandem hanc esse Taciti mentem intellexi: „quamquam illis matrimonii regnique vinclis id effectum videri poterat ut inter fratres nemo esset cuius magnopere interesset quis regnaret, nemo qui imperii obtinendi causa insidias strueret fratri regnanti — et hoc praecipuum est principum periculum — tamen nulli eorum diuturnum fuit imperium".

Ann. IV, 19. Invisum sibi Silium reum fieri cupit Tiberius: „immissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur".

Insignis hic locus est ad demonstrandum quantopere cum temporibus mutentur mores. Nam nunc, primo aspectu, stultus et ineptus nobis ille videtur, qui, ne parum idoneus dicatur accusator, inimicitias *obtendat* et *simulet* paternas, atque „tantum abest" aliquis dixerit „ut eiusmodi sint *obtendendae* inimicitiae, ut potius, si revera adsint, omni modo illas accusator *dissimulare* debeat ne iure reiiciatur". Varro vero est ex numero abiectorum istorum hominum qui aliorum periculis et pernicie crescere volunt; accusat ergo quos Seianus perdere cupit estque simillimus Atheniensibus sycophantis; ergo illorum utitur sermone, qui quam maxime metuunt ne sycophantae videantur. Cff. Lysiae et alii loci et hic XIV, 2: ἐγὼ μέντοι, ὦ ἄνδρες δικασταί,

καὶ πρότερον πρὸς τοὺς πατέρας [1]) *ἡμῖν διαφορᾶς ὑπαρχούσης, καὶ πάλαι τοῦτον ἐχθρὸν ἡγούμενος ..... πειράσομαι περὶ πάντων τῶν πεπραγμένων μεθ' ὑμῶν αὐτὸν τιμωρήσασθαι.*

XII.

Agetur hic de iis Taciti narrationibus quae, sicut apud eum leguntur, intelligi probarique non possint, obscuris, turbatis, imperfectis; quaeque vitiis illis laborant non unius alicuius vocabuli culpa, quod parum apte sit positum, sed quia aut ad historicum nostrum nil nisi vagus rumor pervenit, aut quia nudam narrare veritatem noluit, aut denique quia rem aliquam ita proposuit ut legenti admodum sit difficile non in aliquem incidere errorem. Causam autem cur interdum *noluerit* rem ita ut gesta esset tradere, hanc praecipuam fuisse quod ad dirissima saevissimaque credenda iusto fuerit pronior, iam satis accurate in praecedentibus demonstravimus; nonnunquam rei alicuius ante multos annos peractae rationem eum fugisse invitum quis mirabitur? Iam vero ipsam orationem Taciteam identidem efficere ut auctor male intelligi vel possit vel debeat, id vero tantum abest ut incredibile videatur ut non multo saepius illud accidere iure miremur.

Ann. XI, 25. „Famosos probris quonam modo senatu pelleret anxius (Claudius), mitem et recens repertam quam ex severitate prisca rationem adhibuit, monendo secum quisque de se consultaret peteretque ius exuendi ordinis; facilem eius rei veniam; et motos senatu excusatosque simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixta ignominiam molliret".

Mirum, hercle, consilium, quodque ne a Claudio quidem exspectes, etiamsi re vera tam hebes stultusque fuit quam videri eum Tacitus cupit. Quid enim? Admonet *famosos probris senatores* ut „missionem" petant „honestam", seque in ea danda non

---

1) Verba dubitationi obnoxia sunt (quamquam ipse quin cum Frohbergero *πρὸς πατέρων* legendum sit *non* dubito) sed sententia certissima.

solum facilem fore promittit sed etiam effecturum ne quisquam quidquam de probris illis suspicetur. Simul enim et eorum qui *honestam* illam obtinuerint missionem et eorum qui (cum summa nimirum ignominia) inviti a censoribus senatu moti sint se propositurum nomina, ita ut „pudor sponte cedentium et iudidicium censorum permixta ignominiam molliant". At, quaeso, utris illud consilium profuturum est? Certe non iis qui honestam acceperunt missionem: nihil enim obstabit quominus et ipsi putentur a censore senatu moti. Fortasse grata res iis accidet, qui revera a censore moti sunt senatu; haud pauci enim illorum putabuntur honestam missionem accepisse, quae fama aliquot annis postea haud dubie magnopere iis proderit: tum enim obliti erunt homines olim evenisse ut et iis honesta missio concederetur qui *probris famosi* essent.

Eidem Claudio et aliud adscribitur consilium non minus inauditum atque absurdum XII, 53:

„refert ad patres de poena feminarum, quae servis coniungerentur; statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsae in servitute, sin consensissent, pro libertis haberentur".

Auctore ergo Tacito Claudius *ad coercendam libidinem impudicitiamque πάνυ σεμνῶς* poenam statuit facinoris, quod rarissimum erat in civitate, quodque, si iam semel iterumque certis testimoniis indiciisque deprehendebatur, tamen ita plecti vix et ne vix quidem poterat. An unquam quidquam innotuit de Messalina aliqua, quae in servitutem alicui civi sit tradita? Nam cogitandum hic esse de aliqua importunitate diraque impudicitia, quae cadere non possit nisi in eas feminas, quas nimius luxus ad quodvis dedecus compulerit, sponte intelligitur. Nec minus ridicula est Pallantis gravitas, qui in hoc senatusconsulto promendo magistrum suum adiuvat et pro illa opera a servilibus senatoribus summo afficitur honore. Subesse incredibili narrationi hanc veritatem suspicor. Non *coercendae libidini* senatusconsultum Claudianum inserviebat, sed dirimebatur eo controversia quaedam saepius inter doctos agitata iurisconsultos: nonne hoc fuit negotium dignum Claudio nostro, docto antiquario et eiusmodi disceptationum amantissimo? Certe de Senatus consulto Claudiano iurisconsulti postea spinosissimas protulerunt argutias; at senatusconsultum, quod illi commentariis illustrant, ad *liberorum* pertinet

6

statum, ex eiusmodi coniunctionibus natorum. Neque factum illud ad cohibendam aliquam libidinem, quae alioquin saepius esset eruptura, testis est Iustinianus, qui, tamquam rem prorsus inutilem et absurdam plane sustulit. Atque eodem modo quo Tacitus Suetonius quoque peccat, immo gravior etiam, si fieri potest, illius error est. Is enim ét totum senatusconsultum Vespasiano adscribit, ét de illo hanc profundit sapientiam ludimagistello dignam magis quam historico qui adultis scribit (c. 11): „lubido atque luxuria *coercente nullo invaluerat*, auctor senatui fuit decernendi, ut quae se alieno servo iunxisset ancilla haberetur"! Ergo tantopere illa libido invaluerat et frequens facta erat, ut ne tota civitas permixtione sanguinis corrumperetur, atque adeo pessumdaretur metuere inciperent graves illi senatores Claudiani vel Flaviani!

A. XII, 60 „(Procuratoribus suis) Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursum Serviliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent".

Post *redderent* Nipperdeyus in utraque editione lacunae posuit signum. Quo argumento, putas? Quod duae fuerunt leges Serviliae, Caepionis altera, altera Glauciae, quarum illa senatoribus reddidit, haec iterum ademit iudicia. Putat ergo Nipperdeyus Tacitum scripsisse „.... iudicia redderent *vel adimerent*". At mihi multo videtur verisimilius nihil ultra nomina hic Tacito innotuisse, semperque eum latuisse id quod hodierna de antiquitatibus Romanis enchiridia docent de duabus legibus Serviliis: etiam nunc, nisi fallor, est quaedam de iis inter viros doctos controversia. Tacitumne credamus in eiusmodi rebus tractandis omnia bene perspexisse et distinxisse? Haud opinor: nam vel hic multo gravior deprehenditur confusio quam ea est, quam supplemento suo tollere Nipperdeyus conatur. Nonne enim ridicule iudicia privata et publica in eundem coniiciuntur locum, tamquam si interesset nihil? Nonne diversissima inter se coniungit qui, postquam narravit de magistratibus apud quos *lege agitur* deque eorum decretis, statim disceptare incipit de *iudiciis*, quae modo penes ordinem amplissimum modo penes ordinem splendidissimum fuerint? An credamus, cum Claudius *omne ius*

traderet procuratoribus, etiam permissum iis esse ut de maiestate, de repetundis simm. cognoscerent?

Ann. XV, 48. „Ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus, coepta simul et aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores eques miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus e. q. s.".

Narrare hic de Pisone ita Tacitus incipit, tamquam si nunquam antea eum nominasset. At nominavit, idque loco qui confusionis et incuriae plenus est XIV, 65 (ergo in ipsa nostri loci vicinia).

(Agitur de Neronis libertis, quos ille eodem anno „veneno interfecisse creditus", e quibus) „Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut C. Pisonis socium; sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. Unde Pisoni timor et orta insidiarum in Neronem magna moles et improspera".

Ergo iam a. 62 Pisonis socium dici capitale crimen erat. Quid fecerat Piso? „Iam tum" viri docti aiunt „secreta fovebat consilia, illorum habebat socios, suspectus erat Neroni". Tamenne per tres fere annos non solum incolumis fuit, sed etiam libere quodvis inire consilium poterat a nullo magistratu, a nullo e Neronis canibus custoditus? Nam magna illa anni 65 coniuratio Scaevini demum vanitate prodita est; antea „mirum" (ipsius haec Taciti verba sunt) „quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, sexus, dites, pauperes taciturnitate omnia cohibita sint". De Pisone nemo quidquam est suspicatus antequam Milichus, Scaevini libertus, quae domi patroni vidisset magni alicuius facinoris, quod parabatur, certa indicia prodidisset Neroni; immo vero ne ipse quidem Milichus quidquam de Pisone suspicabatur, ne nomen quidem eius ei in mentem venit, cum sollertibus Scaevini responsis paene mendacii convinceretur; tum Milichi uxore opus erat, quae maritum admoneret „Antonium Natalem multa cum Scaevino ac secreta collucutum et *esse utrosque C. Pisonis intimos*". Si per tres illos annos adeo suspectus Neroni fuisset Piso, ipse Milichus, ad incitas redactus, nihil, ut opinor, prius commemorasset quam amicitiam Pisonis patronique; immo vero iam tum Neronem eiusque aulicos de illa fecisset certiores, cum nondum illam pugionis tragoediam spectasset. Fingamus tamen factum esse quod plane sit incredibile,

et a. 62 iam in ore omnium fuisse Pisonis nomen tamquam viri qui insidias Neroni strueret et ab ipso Nerone vehementer metueretur, sed post duos annos et nomen et virum tantopere in oblivionem abiisse, ut, nulla indicia nullos proditores metuens, coniurationem quandam omnibus numeris absolutam ordiri posset, ipsine Tacito, cum de illa narrare inciperet (XV, 48), oblivisci licebat se iam antea non solum Pisonem nominasse, sed etiam palam declarasse tum (i. e. ante tres annos) revera illam coniurationem cepisse initium? Haec enim verba eius sunt: „unde Pisoni timor et orta insidiarum in Neronem magna moles et improspera". Num iusto severioribus usus sum verbis cum de *confusione* et *incuria* loquebar, quibus tota illa de Pisone narratio laboraret?

A. I, 16. Hic locus est ubi Tacitus nulla sua culpa male sit intellectus et perversa sollicitatus emendatione. Et ne illud quidem vitio ei dandum quod narratio eius diligentissimam lectionem et longiorem requirit explanationem; aequales, quibus scribebat, ipsam rem optime facillimeque intelligebant. De Pannonicarum legionum seditione narraturus ita incipit:

„Castris aestivis tres simul legiones habebantur."

Pro *aestivis* Sirkerus coniecit *hibernis*, potuitque sententiae suae argumentum afferre admodum speciosum. Etenim c. 27 Cn. Lentulus dicitur *hiberna castra* repetere. At Lentulum illum, qui fuit e Drusi comitatu, milites adorti sunt in iis castris de quibus toto c. 16 sermo est; si ergo *in hiberna* fugit, periculum illud, quod vitare vult, in *aestivis* natum est. Praeterea, si Sirkeri coniecturam probamus, magnas nobis exhibet molestias capitis 25 initium. Quid enim? c. 16 Sirkero auctore in castris *hibernis* tres simul legiones erant duce Iunio Blaeso „qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis . . intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, *discordare* (v. de hac voce vol. XXX p. 346 sq.)" . . . . denique in castris *hibernis* magna quaedam existit seditio, ad quam comprimendam Tiberius Drusum cum primoribus civitatis et aliis et Cn. Lentulo mittit: „postquam vallum introiit" (nimirum Drusus, simulque Cn. Lentulus alii) . . . . vallum, ergo (si semel Sirkerum sequimur) *hibernorum*, nam de aliis nunc agi castris et non de iis, quae c. 16 commemorantur, nemo quidquam nos docet. Igitur in *hibernis* Drusus milites

placare studet, in *hibernis* contumax a militibus accipit responsum, in *hibernis* militum ira praesertim in Cn. Lentulum se convertit, qui metu perculsus aufugit .... et *hiberna* petit. Profecto ad incitas nos doctum illud Sirkeri redigit commentum. Neque tamen nulla est coniecturae, quam protulit ille, utilitas: accuratius enim Taciti verba perpendere cogit illa, quod cum facimus, hic demum locus nos rem quandam edocet et tantum non ante oculos ponit, quam bene tenere debemus quoties de legionibus Romanis nobis narratur aliquid. Etenim territus Lentulus castra hiberna non *petit* sed *repetit*. Ergo ex hibernis venerat et cum maxime in *aestivis* (nam missam iam facimus Sirkeri coniecturam) ei exitium minantur, saxaque in eum iaciunt milites. Refugere nunc eo unde venerat conatur .... in hiberna. Hisce omnibus bene intellectis simul nobis quam maxime fit perspicuum inter castra hiberna et castra aestiva quae intercedat ratio. In provincia non nimis longe a finibus hostium legiones urbis instar habent castra hiberna: ibi eorum est domicilium, quamdiu bellum non est; a ministris militaribus ea urbs semper incolitur et ab aliis hominibus, quorum opera efficitur ut qui eo advenit commode in illa urbe degere quamdiu libet possit. Eo ergo nobiles homines, qui ex urbe ad exercitum mittuntur, ut militum animos cognoscant aliisve de causis, se convertunt, ibi deversantur. At cum milites ad expeditionem proficiscuntur, prope hostem, modo hic modo illic, castra ponunt aestiva, quae appropinquante hieme tolluntur; legati ergo Roma missi, cum expeditionum tempore videre et alloqui milites volunt, ex hibernis, ubi deversantur, se conferunt in aestiva, sed officio suo functi statim suum sibi, quod in hibernis habent, *deversorium repetunt*: idem miser ille Cn. Lentulus facere conatur, heu sero!

Non tam facile me expedio ex difficultate, quam eiusdem libri c. 38 praebet, aut si me inde expedio, Tacitum gravissimo crimine involvo: incredibilem enim ab eo commissum errorem arguo, quo situs et populi Germaniae mirum in modum perturbentur. In *Chaucis* vexillarii discordium legionum praesidium agitant; quos (et ipsos, ut opinor, tumultuantes) M' Ennius praefectus supplicio duorum militum reprimit — sed in breve tantummodo tempus, nam mox:

„intumescente motu profugus repertusque [1]), postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. Simul exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos".

Cuivis hominum multitudini apta fraude impetum dari posse novimus, sed opus est ut qui illa fraude utatur brevissimo tempore ad propositum finem rem perduxerit. Sic et hic, nisi paucissimis horis Ennius copias illas in hibernis collocavit fraus perpluit et multo maior discordia erumpit: de aliquot dierum itinere cogitare res ipsa vetat. Et tamen dubium non est quin cum hibernis hic nobis res sit, ubi et aliae adsint copiae; nam illud solum, quod sunt in hibernis, milites ad discordiam propensos non, ut opinor, in officio obsequioque retinere potest. Vox hiberna quid significet satis accurate p. 84 sq. mihi demonstrasse videor: talem autem urbem militarem praesidium agitantes isti vexillarii non habuerunt, ad Visurgim talia hiberna non adfuerunt; ergo ripa illa, quo vexillum vertit Ennius, non Visurgis est sed Rheni ripa et hiberna nulla alia sunt quam quae Germaniae legionibus sunt extructa vel in terra Ubiorum (c. 36) vel „loco cui Vetera nomen est" (c. 45). Sequitur, res tristis sed vera est, ut Chaucos, Visurgis Albisque accolas, sibi ad Rhenum habitantes finxerit Tacitus, plane oblitus eorum, quae ante aliquot annos scripserat G. 35: „Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur". Quae quamquam et ipsa omnem ludibrio habent geographiam, tamen diserte declarant Chaucorum regionis nullam fuisse partem unde unius diei itinere ad Ubios (ne de Veteribus loquar) perveniri posset.

A. I, 43. Iam taedet Germanicum tumultuum et discordiarum, iam in eo est ut seditiosos milites relinquat et ad superiorem proficiscatur exercitum; certe uxori ut eo abiret persuasit, iamque „incedebat muliebre et miserabile agmen": ea res milites vehementer commovet, fitque Germanico eos alloquendi copia.

---

1) Ecquid delendum istud *repertusque*?

In qua oratione et alia leguntur et haec: „Hunc ego nuntium patri, laeta omnia alia e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos non missione, non pecunia satiatos; hic tantum interfici centuriones, eici tribunos, includi legatos, infecta sanguine castra, flumina, meque precariam animam inter infensos trahere. Cur enim primo contionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o improvidi amici?"

Ultima haec quorsum spectent probe novimus. Capite enim 35 legimus, ubi primum castra introiisset Germanicus, non solum de miseriis suis ad eum conquestos esse milites sed etiam ipsi obtulisse imperium: „tum vero quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit. Opposuere abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille moriturum potius, quam fidem exueret clamitans ferrum a latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent".

Et tamen *Germanicum* verbis „primo contionis die" cum usum esse legimus, subridemus. Non enim decent ista virum militarem militum seditiosorum placantem animos. Quem deceant quaeris? Oratorem de discordiis legionum Germanicarum facunde et ex artis praeceptis narrantem, ideoque legentibus diligenter in memoriam revocantem quae iam sint orationes habitae .... quotque quibusque modis.

A. I, 44. Tandem aliquando sedatis militum animis Germanicus „centurionatum egit". De vocabulis multa disputant viri docti, rem ipsam satis accurate sequentia illustrant: „citatus ab imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset, et cui erant dona militaria, edebat. Si tribuni, si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebant ordinem: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia".

Cf. c. 32: „repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt .... prostratos verberibus mulcant sexageni singulos .... tum convulsos laniatosque et partim exanimes ante vallum aut in Rhenum proiciunt".

Habemus hic de eadem re duas narrationes admodum, ut opinor, inter se diversas. Modo audimus de centurionibus mulcatis, convulsis, laniatis, exanimibus, proiectis, modo de mili-

tibus questus suos ordine placideque proferentibus, videmusque imperatorem questus illos recognoscentem et de iisdem illis centurionibus iudicium censuramque exercentem. Non ergo occisi illi erant. Dixeris ne e capite quidem 32 effici posse illos ad unum omnes tunc esse interfectos. Concedo utcunque fieri potuisse ut unus et alter perniciem effugeret, sed, si verum est quod c. 32 narratur, vel unum superfuisse, qui in illo censu suis stare pedibus posset, id ego pertinaciter nego. Aut mirum in modum quae c. 32 leguntur omnia aucta sunt et exaggerata, aut census ille habitus est de sauciis laceris animam vix trahentibus: certe nemo eorum militiae vel ordini aptus iam erat.

Ann. I, 56. Germanicus „expeditum exercitum in Chattos rapit" iisque „adeo improvisus advenit, ut, quod imbecillum aetate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit. Iuventus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem coeptantis arcebant; dein tormentis sagittisque pulsi, temptatis frustra condicionibus, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur".

Quo ordine haec omnia gesta sint e Taciti verbis vix efficias, ipse id exputare debes; quod ubi fecisti, res tibi stat ante oculos clara nimis atque perspicua: non de antiquis Romanis haec narrari tibi videntur sed de illis aequalibus nostris, qui Romanis se similes paresque gloriantur atque dira certe et immani crudelitate (quae nisi in abiectissimos, pravissimos, ignavissimos, homines cadere non solet) Romanorum pessimos superare solent. In terram hostium Romani adveniunt, sed qui Chattorum armis gerendis pares sunt trans flumen se receperunt in locos sibi aptos. Irati Romani imbellibus, senibus, sauciis, aegris, sed feminis praesertim infantibusque necandis quae sua sit virtus ostentant. Inde ponte traiicere flumen tentant Romani: diu iis obsistunt Germani, pro aris focisque pugnantes. Qui ubi multiplici praedonum numero cedere coguntur, pacis offerunt conditiones, quas lupi isti toti praedae inhiantes (aurum enim celare illa dicebatur terra cf. XI, 20) respuunt. Nunc „quidam ad Germanicum perfugiunt" i. e., ut ego opinor, unus et alter e regulis pretio atque promissis capitur ita ut magna pars populi in deditionem venisse videatur. At reliqui, i. e. ipsi illi, qui prae ceteris strenui sunt bellatores, nunc illa utuntur pugnandi

ratione, quae funestissima esse solet alienarum terrarum raptoribus. In Romanorum dicionem Chattorum regio pervenit nunquam.

A. I, 57—59. Quae hic narrantur revera alio modo gesta esse ét res ipsa clamat (narratio enim eiusmodi est ut nemo ei fidem habere possit) ét quaedam vocabula, quibus Tacitus utitur, indicant. Germanicus, ab illa in Chattorum terram expeditione castra sua repetens (c. 57 „vertit ad Rhenum"), medio itinere se convertit („Germanico pretium fuit convertere agmen" ib.) ut Segestem liberet, qui a popularibus circumsedetur, apud quos Arminius potior illo erat, et „ereptus (est) Segestes magna cum propinquorum et clientium manu". Verum, si ita res se habuit, quomodo apud inclusum illum Segestem Arminii uxor esse potuerit in tenebris latet. Neque hoc minus obscurum qui sermo hic esse possit de *deditione* (c. 57 f.: „qui tum in deditionem veniebant" et c. 59 in. „fama dediti benigneque excepti Segestis"). Denique Segestes non beneficium a Romanis acceptum agnoscit, non gratias iis agit quod ex aliquo sit carcere liberatus, sed se de Romanis egregie meritum gloriatur his verbis (c. 58): „non hic mihi primus erga Romanum fidei et constantiae dies". Quid revera evenerit non opus est ut diu quaeramus: Romanus scriptor, ut fieri solet, turpissimam rem speciosis involvit verbis. Non ereptus est Segestes e custodia, quam ei circumdederat Arminius, sed absente Arminio neque quidquam eiusmodi metuente, Segestes patriae causam valido atque opulento raptori *prodit*, atque uxorem Arminii cum fidissimis illius comitibus in captivitatem tradit Germanico, cui „pretium fuit convertere agmen" ut tantae turpitudinis emolumentum haberet. At Tacitus eiusmodi flagitia pulchra exornat specie . . . dummodo sint commissa a Germanico, quo neminem magis habet in deliciis. Tacito auctore neque turpiter neque stulte agere Germanicus potuit. En quid sit „sine ira et studio" historiam scribere.

Eiusdem Germanici praeclarum scilicet consilium et callidum inventum describitur II, 6. Ut neque longis itineribus, quae Romanos milites exhauriebant, et sine magna equorum copia, quibus ministrandis iam fessae erant Galliae, legiones quam celerrime in mediam possint perduci Germaniam, navibus eas per mare ad fluminum ora vehere decrevit, sic „integrum

equitem equosque mox media in Germania fore" ratus. Quam misere eum spes fefellerit ne Tacitus quidem celare potest. De ipso consilio videamus Germanicique in eo peragendo prudentia. Mille naves ad eam rem construi iubet, quarum erant „plures adpositis utrimque gubernaculis converso ut repente remigio hinc vel illinc appellerent". *Appellere* hic non est „appellere ad littus" sed „dirigere, cursumque flectere". Cf. H. III, 47 ubi eadem res eodem describitur modo: „pari utrimque prora et mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere indiscretum et innoxium est". Sed quid navibus opus sit, quae tam facile cursum mutare subitoque, cum opus est, in contrariam volare partem possint, cum tamen non ad proelium navale mittuntur sed ad transportandos milites commeatumque, dicat qui intelligat. Fortasse hic tamen de more Tacitus rem, quo magis fieret mirabilis, amplificare studens, ornamentum aliquod addidit imprudens invitusque quod ab hoc loco prorsus esset alienum. De rebus ab ipso Germanico post miram illam navigationem gestis videamus. c. 8.

„.... lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiae ore relicta laevo amne; erratumque in eo quod non subvexit transposuit militem dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumpti".

Vocem *ore* addidit Nipperdeius, recte ut opinor; *subvexit transposuit* quomodo emendemus parum refert, omnia enim hic satis sunt perspicua, dummodo hoc teneamus verba *plures dies efficiendis pontibus absumpti* hic posita esse ut statim verborum *erratumque* e. q. s. ratio redderetur, nam in rerum gestarum ordine illud fuit ultimum; huiuscemodi enim ille ordo fuit:

a. In ore Amisiae ad ripam sinistram appellunt naves.

b. Ibi escendunt milites, quorum tamen nonnulli, priusquam terram tenerent, hausti sunt.

c. Ripa sinistra aliquamdiu milites iter faciunt.

d. Pontes fiunt ut reliquum iter dextra possit fieri ripa.

Haec tamen, quamquam aliquam requirunt explanationem, a Tacito non nimis contorte obscureve sunt narrata. Sed quam cupidus esse debuit scriptor, qui immanem illum Germanici errorem, copias non ea ripa, qua pergendum erat, exponentis

fere dissimulet, certe non gravissima obiurgatione vituperet? Fateor mortalium neminem me magis esse

ἄπειρον ἀθαλάττωτον ἀσαλαμίνιον

et tamen quanta illa fuerit Germanici stultitia penitus sentio. Avorum nostrorum memoria, cum nulla hic fiebant itinera nisi placidis illis navigiis, quae remulco trahebantur, et ad quae regenda vix ulla opus erat peritia, tamen nullus unquam nauta, ut opinor, eiusmodi aliquid commisit .... aut expertus est vectorum tranquille otioseque confabulantium unum tamen et alterum cerebrosum. Laudamus Tiberium, qui tam imperitum copiarum ducem quam primum inde revocarit, ubi remanere non posset sine legionum pernicie summoque reipublicae detrimento. Quidquid in Germania fecit Germanicus omnia et inutilia prorsus fuerunt et periculi plena. Velut hoc est quod c. 25 narratur, puerorum ludo similius quam prudenti imperatoris consilio:

„Marsos irrumpit, quorum dux Mallovendus nuper in deditionem acceptus propinquo loco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat. Missa extemplo manus, quae hostem a fronte eliceret, alii, qui terga circumgressi recluderent humum; et utrisque adfuit fortuna".

Quamquam Romanis, *ἁρπαγίνδα* ludentibus, ineptiores ipsi Germani, qui non contenti aquila humi defossa ... praesidium ibi ponunt, scilicet rati sic melius illud *κειμήλιον* in sua potestate permansurum, quam si loco esset abditum, quem vix quisquam notum haberet.

A. II, 34. In praecedenti capite narratum est de sententiis in senatu dictis senatusconsultoque facto cum Haterius et Fronto de luxu coercendo dixissent. Sequitur:

„Inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur; simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius, et quamquam verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent".

Deesse narrationi aliquid aut totam rem, quam apud auctores suos invenerat, non intellexisse Tacitum mihi constat. Nam hoc quidem admodum credibile, gravem aliquem senatorem, cum

saepe de corruptis moribus ageretur, excessisse relationem et de omni genere vitiorum, nec de eo solo quod tunc coercendum esse dicebatur, conquestum esse; neque hoc a natura rei alienum eum ipsa argumenti acerbitate solito magis commotum et aliis usum esse orationis flosculis et hoc: „in tam corrupta urbe vivere me taedet, migrabo in rus aliquod solum et desertum"; quin etiam fingere possum strenuum illum oratorem in fine sententiae surrexisse, abiisse, valvas curiae non sine magno strepitu impulisse, sed fingere non possum, si sic res se habuit, ipsum illud abeundi consilium et a senatoribus et a Tiberio tamquam serium tam graviter acceptum. Aut denique, si hoc quoque factum, nihil facilius erat quam placare iratum. Dicere poterat Tiberius sibi optime de republica meritum videri Pisonem, qui tanto ardore in corruptos esset invectus mores, poterat in eam sententiam fieri senatusconsultum. Verum nihil eiusmodi dicere vel decernere, sed putare mitibus verbis vel propinquorum auctoritate precibusve a proposito abductum iri Pisonem stultitia erat .... certe si tota haec res ita se habuit ut Tacitus narrat, quod mihi non facile persuadebitur. Nisi Pisoni propria quaedam fuit et peculiaris causa cur sic ageret, ineptus ipse fuit, sed aliquanto ineptiores Tiberius senatoresque, qui eum retinere vel reducere sint conati. Si legerem derisum a senatoribus Pisonem propter nimiam vehementiam, iam constare mihi rei narratae videretur ratio. Sed alio monstrare videntur haec verba l. IV, c. 21 „actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro. Is namque, ut retuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat". Mitto nunc quod nostro loco non „retulit" illud Tacitus, certe non plane idem; sed propter illud „factiones accusatorum" suspicari incipio Pisonem iam tum sensisse quantum sibi mali a delatoribus esset exspectandum (v. quae de Granio narrantur IV, 21), ergoque postulasse ut severo senatusconsulto obviam iis iretur, quod cum impetrare non posset, exiisse eum e senatu.

A. III, 36. „Exim promptum, quod multorum intimis questibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris; libertinique etiam ac servi, patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur".

Haud leves molestias mihi quidem vocabula *arrepta imagine Caesaris* exhibent. Si de vera aliqua Caesaris cogitamus imagine, ad quam isti homines tamquam ad aram confugiunt, hoc male nos habet, quod hic sermo non est de maleficis, qui *perpetrato iam facinore* imaginem Caesaris arripiant ne puniri possint, sed de iis, qui pone quoddam latent propugnaculum, unde impune perpetrare possint quod in animo habent. Sin figurate ea verba accipimus ut *arripere imaginem Caesaris* sit: Caesaris nomine tamquam aliquo uti terriculamento, sive, ut rem ipsam quam apertissime significemus: „laesae maiestatis minari crimen", quid quo referantur habent haec verba C. Cestii, qui primus sententiam dicit: „principes quidem instar deorum esse; sed neque a diis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur"?

III, 46. In tumultuantes Gallos copias educens Silius et aliis verbis significat plane contemnendos esse hostes et hisce:

„Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Aeduos evincite et fugientibus consulite".

Quod „quanto ditiores tanto imbelliores" dicuntur Aedui, Silius est qui sic milites edocet, non ita ratiocinantes vel ratiocinaturi finguntur milites. Ergo perversissima est Pfitzneri coniectura *esse* post *imbelles* inserentis, quam tamen probavit Nipperdeyus. Monentur, ut opinor, milites ut id faciant quod militum est, sive *evincere* hic fere *devincendi* vim habet, sive corruptus locus est et Tacitus Silium induxit militibus narrantem quae esset *unice vera ratio* hostibus tam imbellibus utendi. Sed *fugientibus consulite* egregie dictum videtur, summus inest in illis vocabulis contemptus, si hoc dicit Silius: „cum pugnantibus non erit vobis res; curate modo ut fugientes habeant fugiendi spatium, nolite eos ullo modo retinere, videbitis quam velociter currant", quae est oratio viro militari aptissima. Et quod ego puto a Silio hic iussos esse milites, id revera fecisse videntur, caedem enim factam non audimus, quae haud dubie facta esset, si cum tam imbellibus hostibus conseruissent manum fortissimi Romanorum. Ergo non possunt non admirationem quandam haec movere verba: „et circumfudit eques, frontemque pedites invasere, nec cunctatum (?) apud latera". Nam hercle non *consulunt*

fugientibus qui hostes ab omni parte includunt: ubi hoc legimus, sequi solet ut hostes paucis relictis trucidentur.

A. V, 10. Operae pretium est observare quam suspensos nos relinquant, quam sint imperfectae, omnes narrationes Taciteae de hominibus ignotis, qui sibi nomen indiderint viri alicuius nobilis, qui dudum mortuus est, atque ea fraude aliquantisper ludibrio habuerint multos mortales. Sed nulla tantopere hoc nomine reprehendenda quam quae hic legitur de pseudo-Druso, „qui iam iuventutis concursu iam publicis studiis frequentabatur .... cum auditum id Poppaeo Sabino, Macedoniae curis intento." Sequuntur multa de celerrima quadam Poppaei circum Graeciam navigatione deque eius in coloniam Nicopolim adventu:

„ibi demum cognoscit sollertius interrogatum, quisnam foret, dixisse M. Silano genitum et multis sectatorum dilapsis ascendisse navem, tamquam Italiam peteret".

Quis, quaeso, sollertius impostorem interrogavit? Opinor, magistratus aliquis, ad quem ille prehensus et oneratus catenis esset adductus. Qui ergo supplicium effugit? Illud vero quod hisce adiungit Tacitus:

„Scripsitque haec Tiberio, neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus"

risum movet, in mentemque revocat nobis, quae lepidissime Cicero (pro Caelio § 65) iocatus est de mimo in quo clausula non invenitur. Naeniis quoque puerorum aptae sunt obscurae eiusmodi exituque carentes narratiunculae, non gravi historiarum libro.

A. VI, 2. Punito iam Seiano punitaque uxore eius Livia, tamen senatores, ut Tiberii inirent gratiam, atroces in illos proferebant sententias:

„Scipiones" ait Tacitus „et Silani et Cassii isdem ferme aut paulum immutatis verbis adseveratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. Nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent".

Quid sibi vult ista oppositio? Indignum, profecto, erat spectaculum homines summo loco natos tam abiecta uti adulatione; at si homo ignobilis idem facit, aliquanto minus indignum fit

idem. Hoc tamen minus etiam e Taciti verbis apparet quid ridiculi habuerit Togonii sententia. Melius nos Dio Cassius (58, 17) edocet observando: „sic efficiebatur ut *adversus ipsum senatum* tutus esset Tiberius". Et revera, sicut Dio Cassius totam hanc rem tradit, in ea satis inest ridiculi: is enim revera *ab ipso senatu decretum* esse narrat ut eiusmodi praesidium Tiberio praeberetur. Hoc, ut opinor, ridiculum est, ipsum senatum declarare in senatu tam parum tutum esse imperatorem, ut ei praesidio opus sit armato. At senator Togonius in eam sententiam declamans neque ridiculus est neque videri vult: perfidissima astutissimaque insimulatione haud paucos senatores suspectos reddere et in vitae adducere discrimen studet ut illorum pernicie crescat ipse. Nunc demum apparet quam praestans, quam apta prudensque Tiberii fuerit epistola, quam paulo post Tacitus commemorat, qua non hercle animi causa „ludibria seriis permiscet" Tiberius, sed in re gravissima optimi principis luculentum simulque facetum dat documentum. Postremo ipsa illa epistola declarat tunc de praesidio Tiberio dando *senatus consultum factum* esse (quid enim sibi volebat illa, si nihil ad Tiberium relatum erat nisi hoc: *unum senatorem* censuisse illud et per deridiculum esse auditum?) atque Taciti narrationem tam esse imperfectam ut sensu cassa videri possit.

Denique, si quis aniles Taciti nugas de superstitione quamvis absurda cognoscere cupit, is mihi libri VI legat caput 22: adversus mathematicorum fraudes tam parum firmum se vix quisquam unquam praestitit quam hoc loco nobilissimus historicus noster.

(*Continuabuntur*).

AD ARISTOPHANIS PLUTUM.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e Vol. XXX pag.* 427).

V.

Venio nunc ad quaestionem ceteris graviorem, quae est *de duplici Pluti editione*. De qua quid censeam tam succincte et perspicue quam potero exponere conabor.

§ 1.

Plutum fabulam Aristophanes archonte Antipatro (vere anni 388) in certamen commisit, aemulis usus Nicochare, Aristomene, Nicophonte, Alcaeo; quini enim ea aetate certabant. Ex quorum poetarum operibus nihil ad nos pervenit praeter nomina duosque nullius pretii versiculos; frustra autem rogamus Lenaeisne an Liberalibus Aristophanes Pluto certaverit quisve ex illo certamine victor evaserit. Parum denique constat suone an filii nomine Aristophanes hanc fabulam dederit; nam veteris Argumenti verba huc pertinentia apertis vitiis laborant, quae quomodo sint corrigenda incertum.

Quid vero est quod Plutum fabulam vigesimo anno ante, quam scripta est, datam esse credere iubemur alibi? Nempe etiam *archonte Diocle*, vere anni 408, Aristophanes Plutum docuisse perhibetur. Eamne quae extat fabulam? Affirmarunt certatim viri docti et negarunt; hodie autem neglecta iacet

haec quaestio, cum aut omnes aut plerique in hac fere sententia acquievisse videantur: duas fabulas Pluti nomine inscriptas dedisse comicum, quarum altera anno 408 scenae fuerit commissa, altera anno 388, a priore plane diversa; ad nos pervenisse posteriorem.

Non tamen e priscorum interpretum commentariis haec opinio est ducta. Immo — id quod primus clara in luce collocavit Hemsterhuys — *nostra fabula* haud uno scholiorum loco dicitur anno 408 in certamen esse proposita [1]); miratur autem grammaticus qui ea annotavit versiculos aetatem recentiorem aperte testantes.

Locos videamus.

Ad versum 173, ubi *auxilia Corinthiaca* commemorat comicus, haec leguntur: „δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι ὡς ἔσχατον (l. a. ὃς ἔσχατος) ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. εἰ μή, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου τοῦτο μετενήνεκται. ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει". — Quae verba licet misere sint corrupta, vel sic tamen id quod dixi aperte satis testantur.

Ad versum 179: „hic quae leguntur de Laide meretrice famosissima" scholiasta ait „temporum rationi adversantur, nam *archonte Diocle* haec annos nata fuit quatuordecim".

Ad vs. 972 „τὸ πρὸ τούτου ἔτος" dicitur annus 410/9, quo *Glaucippus* fuit archon. De quo loco infra plura erunt dicenda.

Ad versum 1147 de *Phylae a Thrasybulo anno* 403 *occupatae* mentione haec observantur in scholiis: „ἀλλὰ ταῦτά γε οὔπω ἐπέπρακτο, οὐδὲ τὰ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἤδη ἦν, ἀλλὰ καί, ὡς Φιλόχορός φησιν, πέμπτῳ ἔτει ὕστερον, τῆς Θρασυβούλου γενομένης <εἰσβολῆς> [2]), Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ". — Videmus inde a *Diocle* archonte (409/8) nunc quoque temporum computationem institui.

Alienum a nostra quaestione est scholion ad vs. 115: „τῆς ὀφθαλμίας] ἀντὶ τοῦ τῆς τυφλώσεως (l. a. πηρώσεως). ἰδίως δὲ

1) *Recte* quod dici Hemsterhuys putabat, aevi id erat vitium. Qui quo erat mentis acumine, veterum errores non repetivisset aut auxisset, nisi Graeculorum verbis quantumvis absurdis plus tribuisset quam suo ipsius iudicio.

2) Supplevi quod verum videbatur, alii aliter; Polak νίκης, fortasse recte. Errat vero EMeyer (Gesch. des Alt. V p. 39) dubitanter locum sic rescribens: πέμπτῳ μηνὶ ὕστερον τῆς Θρασυβούλου <καθόδου εἰς Φυλὴν> Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ.

AD ARISTOPHANIS PLUTUM.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e Vol. XXX pag.* 427).

V.

Venio nunc ad quaestionem ceteris graviorem, quae est *de duplici Pluti editione.* De qua quid censeam tam succincte et perspicue quam potero exponere conabor.

§ 1.

Plutum fabulam Aristophanes archonte Antipatro (vere anni 388) in certamen commisit, aemulis usus Nicochare, Aristomene, Nicophonte, Alcaeo; quini enim ea aetate certabant. Ex quorum poetarum operibus nihil ad nos pervenit praeter nomina duosque nullius pretii versiculos; frustra autem rogamus Lenaeisne an Liberalibus Aristophanes Pluto certaverit quisve ex illo certamine victor evaserit. Parum denique constat suone an filii nomine Aristophanes hanc fabulam dederit; nam veteris Argumenti verba huc pertinentia apertis vitiis laborant, quae quomodo sint corrigenda incertum.

Quid vero est quod Plutum fabulam vigesimo anno ante, quam scripta est, datam esse credere iubemur alibi? Nempe etiam *archonte Diocle*, vere anni 408, Aristophanes Plutum docuisse perhibetur. Eamne quae extat fabulam? Affirmarunt certatim viri docti et negarunt; hodie autem neglecta iacet

haec quaestio, cum aut omnes aut plerique in hac fere sententia acquievisse videantur: duas fabulas Pluti nomine inscriptas dedisse comicum, quarum altera anno 408 scenae fuerit commissa, altera anno 388, a priore plane diversa; ad nos pervenisse posteriorem.

Non tamen e priscorum interpretum commentariis haec opinio est ducta. Immo — id quod primus clara in luce collocavit Hemsterhuys — *nostra fabula* haud uno scholiorum loco dicitur anno 408 in certamen esse proposita [1]); miratur autem grammaticus qui ea annotavit versiculos aetatem recentiorem aperte testantes.

Locos videamus.

Ad versum 173, ubi *auxilia Corinthiaca* commemorat comicus, haec leguntur: „*δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ Φέρεσθαι ὡς ἔσχατον* (l. a. *ὃς ἔσχατος*) *ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. εἰ μή, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου τοῦτο μετενήνεκται. ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει*". — Quae verba licet misere sint corrupta, vel sic tamen id quod dixi aperte satis testantur.

Ad versum 179: „hic quae leguntur de Laide meretrice famosissima" scholiasta ait „temporum rationi adversantur, nam *archonte Diocle* haec annos nata fuit quatuordecim".

Ad vs. 972 „*τὸ πρὸ τούτου ἔτος*" dicitur annus 410/9, quo *Glaucippus* fuit archon. De quo loco infra plura erunt dicenda.

Ad versum 1147 de *Phylae a Thrasybulo anno* 403 *occupatae* mentione haec observantur in scholiis: „*ἀλλὰ ταῦτά γε οὔπω ἐπέπρακτο, οὐδὲ τὰ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἤδη ἦν, ἀλλὰ καί, ὡς Φιλόχορός Φησιν, πέμπτῳ ἔτει ὕστερον, τῆς Θρασυβούλου γενομένης* <*εἰσβολῆς*> [2]), *Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ*". — Videmus inde a *Diocle* archonte (409/8) nunc quoque temporum computationem institui.

Alienum a nostra quaestione est scholion ad vs. 115: „*τῆς ὀΦθαλμίας*] *ἀντὶ τοῦ τῆς τυΦλώσεως* (l. a. *πηρώσεως*). *ἰδίως δὲ*

---

1) *Recte* quod dici Hemsterhuys putabat, aevi id erat vitium. Qui quo erat mentis acumine, veterum errores non repetivisset aut auxisset, nisi Graeculorum verbis quantumvis absurdis plus tribuisset quam suo ipsius iudicio.

2) Supplevi quod verum videbatur, alii aliter; Polak *νίκης*, fortasse recte. Errat vero EMeyer (Gesch. des Alt. V p. 39) dubitanter locum sic rescribens: *πέμπτῳ μηνὶ ὕστερον τῆς Θρασυβούλου* <*καθόδου εἰς Φυλὴν*> *Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ*.

ὀφθαλμίαν τὴν πήρωσιν τῶν ὀφθαλμῶν φησι· διὸ καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ μεταπεποίηται·

τῆς συμφορᾶς ταύτης σε παύσειν ἧς ἔχεις",

ubi prius id fuisse quod *nostra* praebet fabula, dein mutatum esse versum, perhibet scholiasta. Quid autem sibi velit haec τοῦ δευτέρου mentio incertum, sed nisi fallor grammaticus dicit *in alio fabulae exemplari* inveniri versum ita mutatum. Mutatum inquam? immo mutilatum. Itaque glossema ἔμμετρον olim sedem versiculi genuini occupasse statuerim potius quam ipsum poetam „ut auribus Atheniensium teretibus et fastidiosis obsecundaret" — sic Hemsterhuys — „in Pluti διασκευῇ, voce ὀφθαλμίας „abiecta, versum talem substituisse" ... in quo miserrime langueret illud ἧς ἔχεις. Nam etiamsi legamus ἥ σ' ἔχει, quod suasit Valckenaer, concinnius quidem erit dictum, sed nihilo minus supervacaneum.

Idem observatum esto de verbis quae ad versum vicinum 119 leguntur adscripta: „μεταπεποίηται δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ δευτέρῳ". Sed quidquid duplex haec „τοῦ δευτέρου" mentio sibi vult, nemo inde efficiet *ante nostram fabulam* alium Plutum a poeta esse scriptum, itaque impune nunc — quod dixi — a nobis potest neglegi.

§ 2.

„Priorem" igitur Plutum illum quis novit? quis vidit?

Frustra anquirimus testimonia, quae quidem ullius sint pretii. Verba sane nonnulla, quae a grammaticis ex Aristophanis Pluto afferuntur, cum hodie in fabula illa aut non extent aut credantur non extare, ad priorem referre iubemur; sed rem accuratius pervestigantibus mox apparet nugas nobis venditari. Nam si demimus unum et alterum verbulum, quod *falso* ad Plutum est relatum, — cuiusmodi errores plurimos commiserunt veteres opera poetarum scenicorum laudantes, — ea tantum restant quae in fabula nostra suo loco possunt indicari.

In fragmentorum collectione Kockiana, quae aliis est amplior, octo verba et una sententiola „Pluto priori" tribuuntur. Videamus singula.

1) *βλάξ. βλακεύειν* [1]), *βλακεύεσθαι καὶ βλάκες καὶ βλακικῶς. Πλάτων Γοργίᾳ, ὁ αὐτὸς Εὐθυδήμῳ, Ἀριστοφάνης Πλούτῳ.* — Bekk. Anecd. p. 84.

Videmus grammaticos e notissimis Platonis dialogis — nam pluribus locis apud eum haec stirps invenitur — et e comici fabula omnium plurimum lectitata petivisse exempla vocis rarioris. Impense autem miror criticos hodiernos hanc notulam ita coniungentes cum Etymologici M. verbis „*βλάξ, ὁ εὐήθης καὶ* „*ἀργὸς καὶ ἀνόητος. Ἀριστοφάνης βλάκες φυγεργοί*", ut Aristophanem *in Pluto priore* verbis „*βλάκες φυγεργοί*" usum esse statuant. Nam nihil eiusmodi apud utrumvis grammaticum legitur, prior autem locus sine ulla violentia potest referri ad *nostri* Pluti versum 325:

καὶ συντεταμένως κοὐ κατεβλακευμένως [2]),

posterior vero sive recte a me sic scribitur: „*βλάξ] ὁ εὐήθης καὶ ἀργὸς καὶ ἀνόητος. Ἀριστοφάνης. — βλάκες] φυγεργοί*", sive aliter verba sunt iungenda, a quaestione, in qua nunc versamur, omnino est alienus, quoniam *Pluti* fabulae illic ne mentio quidem fit.

2) *ἔχομεν τὴν χρῆσιν τοῦ* „*ἦν ἐγώ*" *παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν Πλούτῳ ... καὶ παρὰ Μενάνδρῳ ἐν τῷ Γεωργῷ·* „*ἦν δ' οὐ πονηρὸς οὐδ' ἐδόκουν*". — Choeroboscus in Bekk. Anecd. p. 1380.

Haec verba postquam viri docti errore insigni coniunxere cum Suidae quadam notula de locutione „*ἦν δ' ἐγώ inquam*" Platoni [3]) et Aristophani usitata, eo devenerunt ut statuerent „*ἦν δ' ἐγώ inquam*" lectum esse *in Pluto priore*. At quot verba tot errores! Nam in Choerobosci verbis illud „*ἦν ἐγώ*" significat *eram ego* [4]); observat enim grammaticus in Pluto Aristophanis adhibitam esse imperfecti verbi *εἶναι* formam recentiorem *ἦν*, pro qua et alii et ipse Aristophanes olim dixissent *ἦ* = *ἦ(σ)α*. Quae in scholiis Aristophaneis saepius redit observatio [5]). Et

1) Legendumne *βλακεία*?
2) Verum etiam Blaydes vidit.
3) Pro *Platonis* philosophi nomine illic legitur *Plutarchus*; corr. Ruhnkenius.
4) Etiam Blaydes hoc observavit.
5) Vid. ad vs. 77, alibi.

optimo iure sic scripsere grammatici; nam *tribus nostri Pluti locis* invenitur ea forma *ante vocalem*:

πένης ἦν. — οἶδά τοι (vs. 29).
ἐπειδὴ μεστὸς ἦν ἀνεπαυόμην (vs. 695).
οὐχ οἷός τε γὰρ
ἔνδον μένειν ἦν, ἔδακνε γὰρ τὰ βλέφαρά μου (vs. 222) [1]).

Aelius Dionysius apud Eustathium: Ἀττικοὶ ἣ μονοσυλλάβως οἱ δὲ μέσοι σὺν τῷ νυ, οἷον· „ἐπειδὴ μεστὸς ἦν ἀνεπαυόμην".

Qualia in fabulis antiquioribus non inveniuntur.

3) ἐπικρούσασθαι verbum ab Aristophane in Pluto ἐπὶ τοῦ νουθετῆσαι adhibitum esse affirmat Pollux. Non ibi extat, sed extat ὑποκρούσασθαι [2]). Quid igitur? Dudum verum vidit, opinor, qui Pollucem secutus apud Aristophanem l.l. correxit ἐπεκρούσω. Sed etiamsi ὑπο- in textu Aristophaneo recte traditum esse cum Dindorfio autumet aliquis, inde non sequitur ut Pollucem e „priore" Pluto suum habere absurde statuat, — nam quis credat Pollucem, cui *noster* Plutus, fabula in scholis longe frequentissime lectitata, ignotus esse non potuit, *aliam* quandam fabulam fabulaeve editionem cogitasse cum scriberet „ἐν Πλούτῳ"? — sed aut ipsum Pollucem aut librarios, per quorum manus eius opus ad nos pervenit, errasse statuat is cui ὑπο- verum videtur. *Prioris* alicuius Pluti nullum hic est vestigium.

4) Alio loco Pollux inter artium nomina affert τὸ ζυγοποιεῖν, ὡς ἐν Πλούτῳ Ἀριστοφάνης. Non legitur illud verbum in nostra fabula, sed fortunae benignitas Dobraeique acumen effecerunt ut Pollucis error posset corrigi. In *Pherecratis* enim *Persis* erat certamen anapaesticum, quod simile videtur fuisse τῷ ἀγῶνι Pluti Aristophanei; decem certe Pherecratis tetrametri, quos inde exscripsit Athenaeus, in cognato argumento versantur. Illic autem et aliorum operariorum et τῶν ζυγοποιῶν fit mentio. Itaque apud Pollucem confusa esse Aristophanis Pherecratisque

---

1) Itaque etiam Menandri l.l. illud ἦν ante vocalem lectum esse, delendum igitur esse δέ, est cur suspicemur. Nam locis ubi *ante consonam* reperiatur ἦν nullam inesse πειθανάγκην, cum salvo metro deleri possit -ν, non nos soli videmus, sed etiam veteres opinor videbant grammatici.

2) Plut. 548.

nomina vidit Dobree; cuius sententiam plane confirmat error in Crameri Anecd. Ox. I 277 commissus, ubi Pherecratei huius fragmenti versus quidam disertis verbis tribuitur Aristophani. En igitur „prioris Pluti" illud fragmentum quod statuebat Brunck!

Contrario errore Pherecrati versiculum ex Aristophanis Pluto desumtum tribuit grammaticus aliquis ignotus [1]: „*ἐκποτέον καὶ τὴν τρύγα*"· *ἐπὶ τῶν καὶ τὰ μὴ χρηστὰ λαμβανόντων. Φερεκράτης.* Ubi leve quod est discrimen inter verba allata et Pluti versum notissimum „*ξυνεκποτέ' ἐστί σοι καὶ τὴν τρύγα*" [2]) non originis diversae indicium ducet qui sapit, sed excribentium neglegentiae tribuet soli. *Pherecratis* autem nomen ductum esse suspicor e proverbio vicino, quod *sine auctoris nomine* nunc affertur: „*ἐκποτέον τὴν τούτου*" *ἐπὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης τὰ ἑτέρων κακὰ ὑπομενόντων* [3]), — ubi mente supplendum est „*κύλικα*", quemadmodum apud Herodam „*ἐκ καινῆς πεπωκέναι*" dicitur vir uxoris oblitus" [4]).

5) „*γραΐζειν*" *ὅταν τὸ συναγόμενον ἐν ταῖς χύτραις καὶ ἐπαφρίζον ἐκχέωσιν.* Ἀριστοφάνης Πλούτῳ. — Bekk. Anecd. p. 88.

Quis non videt in brevius contracta legi hic quae fusius olim disputarunt grammatici, rarum autem *τῆς γραός spumae καὶ τοῦ γραΐζειν despumandi* usum illustrari collata fabula Pluto, in cuius exitu iocandi materiem praebet ambigua huius vocis potestas? Non viderunt qui talia adscripserunt: „fuit igitur in priore quoque Pluto locus similis Pluti versibus 1206 sq.".

6) *ἀναπειρία* (*-πηρία*) vox ex Aristophanis Pluto affertur [5]). Non tamen ibi legitur. Quid igitur? Sequimurne Brunckium aliosque, qui aut nostrae fabulae vs. 115 pro *ὀφθαλμίας* legendum esse *ἀναπηρίας* autumarunt aut in altera fabulae editione esse lectum? Non opinor, cum e Polluce corrigi possit error; *Cratini* enim *Pluto* — immo *Plutis*, cuius fabulae complura supersunt fragmenta — vocem *ἀναπηρίαν* hic vindicat. Et facile intellegimus necessarios paene huiuscemodi fuisse errores. Nam

---

1) Proverb. e cod. Coislin. 172 (Pherecrat. fr. 249).
2) Plut. 1085. 3) Ibid. n° 170.
4) Herod. Mimiamb. I 25.
5) Bekk. Anecd. p. 78 et apud Suidam.

recentiores grammatici si „*e Pluto fabula*" allatum invenirent aliquod verbulum, fieri vix poterat quin *Aristophanis* fabulam longe notissimam significari putarent. Contra veri est dissimillimum „Pollucem suo ipsius errore Cratinum nominasse pro Aristophane" (immo: Cratini Plutum nominasse pro Pluto Aristophanis).

7) ἐμπαίζειν verbum rarius excitatur e Pluto Anecd. Bekk. p. 95. Frustra in fabula nostra quaesieris, at extat in Thesmophoriazusis [1]); quo loco tam insolite est dictum, ut corruptum habeatur hodie pro συμπαίζειν, ita ut facile nobis persuadeamus etiam olim notatu dignum esse visum. Pro Pluto igitur Thesmophoriazusas scribere debebat grammaticus.

8) „ῥυφῆσαι διὰ τοῦ ῡ" in Aristophanis Pluto legi perhibet grammaticus in Bekk. Anecd. p. 113. Quod ut credibile videri possit, sumamus oportet Ionicum aliquem hominem loquentem illic prodiisse [2]). Sed scribatur: „ῥυΠῆσαι διὰ τοῦ Η", spectant enim haec ad Pluti versum 266: „ῥυπῶντα". Quam non vanam esse suspicionem testantur scholia ad illum versum: „ἔστι καὶ ῥυπόω, -ῶ, καὶ ῥυπάω, ὡς ἐνταῦθα, καὶ ῥυπαίνω". — Nempe in crisi Homerica minus certum videbatur verborum ῥυποῦν et ῥυπᾶν discrimen; εἵματα ῥερυπωμένα commemorantur ζ 59, sed δὴ ῥυπόω (l. a. οὐ λιπόω) τ 72 ψ 115 ab intransitivo ῥυπᾶν *sordere* est ductum, participium autem ῥυπόωντα ab aliis — invito ni fallor Aristarcho — scribebatur ῥυπόεντα (ζ 87 etc.).

9) Ex novem quae videbantur testimoniis infirmata sunt octo. Superest unum. Scholiasta ad Ran. 1093 „ἐν Πλούτῳ πρώτῳ" hos versiculos dicit lectos esse:

τῶν λαμπαδηφόρων τε πλεί-
στων αἰτίαν
τοῖς ὑστάτοις πλατειῶν.

Hi iambi unde ducti sint nescio; sed post omnia quae disputa-

1) Thesmoph. 975.

2) Cf. ῥυφεῖν] τὸ ῥοφεῖν Ἴωνες· οὕτως Ἱππῶναξ (Phot.) et Hippocrates; ῥύψαι] (post alia) ῥοφῆσαι et: ῥυψόμεθα] ῥυφησόμεθα (Hesych.).

vimus temeraria videri nequit opinio, quam min me dubitanter profero, similem hic obtinere errorem atque ceteris quos tractavimus locis, sive ἐν Πλούτῳ Α⟨ρχίππου⟩ hi versiculi legebantur, sive aliunde sunt desumti; nam etiam *Nicostratus* scripsit fabulam Πλοῦτον, *Cratinus* — ut vidimus — Πλούτους, *Antiphanes* et *Anaxilas* Πλουσίους. Et id potius est mirandum quod hodie, in hac testimoniorum inopia, postquam longe plurima priscae artis monumenta litteraria interierunt, *octo* errores certis argumentis et documentis possunt redargui, quam quod *unus* restat locus cuius origo nos lateat. Aut nihil valent argumentatio inductiva et ratio probabilitatis aut hic valent.

§ 3.

Ultimum locum si omittimus, Plutus hactenus nonnisi *unus* apparuit. Itaque qui sapit, non multum tribuet duobus locis, ubi nostra fabula dicitur „*Plutus altera*" [1]). E quibus locis hoc unum potest effici: inde a secundo post Chr. n. saeculo fuisse qui putarent duas Aristophanis fabulas — vel duas eiusdem fabulae editiones — olim Pluti nomine designatas fuisse. Recte eos putasse inde non sequitur, plerique autem Aristophanis interpretes „Plutum priorem et posteriorem aut ignorarunt aut „non commemorandum putarunt" [2]).

Id vero luculenter apparet, merae esse temeritatis, si qui nostrae fabulae locus videatur impeditior, duas editiones inter se permixtas esse suspicari [3]). Et omnino ieiuna iam videntur quae de lectionibus geminis εἰδώς — οἶδ' ὡς [4]), πλείστων — ἀπίστων [5]), λήμαις — γνώμαις [6]), προθύματα — θυλήματα [7]), ἰπνός — ἶπος [8]) aliisque huiuscemodi e duplici fabulae recensione repetendis docte mehercule et fuse olim philologi disputarunt.

Quid quod longius longiusque a veris et certis aberrantes quidam sibi persuaserunt nostrum Plutum neque secundum esse

1) Sic Herodianus in schol. Hom. Ψ 361, quo loco nostrae fabulae citatur versus 992 (ubi vid. schol.), et Athenaeus 368*d*, qui versum affert 1128.

2) Ritteri in opere mox laudando haec sunt verba verissima.

3) Id quod de vs. 540—546 e. g. statuebat vVelsen.

4) Vs. 119. 5) Vs. 521. 6) Vs. 581.

7) Vs. 660. 8) Vs. 815.

neque primum, sed tertium quendam, nescio quando aut quomodo quove consilio ex utraque editione concinnatum [1]).

Cuiusmodi opiniones omni fundamento sunt destitutae. Nam recte observatum est, inter *veteres* certe nullum esse qui alteram fabulam alterius διασκευήν appellaverit [2]), et certum est fabulam illam, quam anno 408 scenae commissam perhibent, nihil praeter nomen potuisse habere commune cum eo quem novimus Pluto. In eodem argumento plus semel versari poeta potuit sane; potuit etiam duas easque diversissimas fabulas eodem nomine designare; — quamquam frustra quaesierit quispiam cur obsoleto nomine denuo uti quam novum novae fabulae inscribere maluerit, — sed potuere certe haec fieri, ut dixi: — — *non* potuit eo vitae tempore, cui Lysistrata Thesmophoriazusae Ranae debentur, scribere fabulam quae nostro Pluto aliqua ex parte esset similis.

Nam fabula, quae ad nos pervenit, eam aetatem, quam vetus Argumentum ex auctoritate τῶν Διδασκαλιῶν ei tribuit, in fronte gerit apertissimam. Anno 389 scriptam, anno 388 ineunte actam esse cum res tum verba passim luculenter testantur. Nihil inest quod non potuerit illo anno scribi, pauca quae potuerint prius scribi, plurima vero quae ipsum illud tempus indicant, plurima quae Ecclesiazusarum fabulae nuper scenae commissae artissimam cognationem testantur. Senescentis autem poetae est totum opus, et ipsum argumentum, quod est de divitiis sive spernendis sive appetendis, — quatenus quidem in certo aliquo

---

1) Sic Petitus, Kuster, Brunck, Brentano, alii. Ad quam opinionem tuendam frustra critici protulerunt Chremylum parum — ut illi arbitrabantur — sibi constantem. Nullum enim eiusmodi vitium fabulae nostrae inesse ostendisse mihi videor vol. prior. pag. 212 sq.

2) Ritteri haec sunt verba. Quapropter miror Blaydesium anno 1886 in fronte editionis Pluti postquam obsoletas quasdam veterum editorum observationes αὐτολεξεὶ repetivit, haec de suo addentem: „fabula quam hodie possidemus διασκευὴ (i e. recensio sive altera editio, Anglice *a refashionment*) prioris fabulae est".

Nec non e verbis Bernhardii in Historia Litterarum Graecarum — viri ingeniosi profecto et acuti — apparet quam aegre in libertatem nos asseramus ab erroribus inveteratis: furca expellas, tamen usque recurrunt. Qui postquam prudenter observavit Pluti fabulae argumentum et compositionem ex *Ecclesiazusis* esse desumta, mox sibi oblocutus διασκευὴν eam vocat fabulae ante quatuor lustra scriptae („eine Ueberarbeitung desselben Themas").

argumento fabula versari dici potest, — senectuti convenit melius quam mediae aetati comici, aliis potissimum studiis tunc dediti. Ab eo qui *Thesmophoriazusas* vel *Ranas* fecit tanto intervallo distat huius fabulae poeta quanto Athenae Alcibiadis a civitate Cononis; inter *Acharnenses* autem et Plutum ea omnia intercessisse quae ex iuvene hilaro credulo dicaci petulanti fecere senem morosum neque admodum lepidum, — ipsam nimirum intercessisse vitam vitaeque multiplices vicissitudines, id nemo non sentit qui utramque deinceps perlegit fabulam; nec usquam sui dissimiliorem se praestat poeta quam ubi se ipsum imitari videtur. Chremylus Iovis regnum et fulmina vix uno asse aestimans misere sordet cum Pisetaero illo comparatus, qui caelitibus commeatum intercludebat ipsique Iovi fulmen callido consilio eripiebat; et ab eodem Pisetaero Herculem odore dapum succulentarum domanti ingenti discrimine remotus est Cario impudenter imperitans Mercurio esurienti. In Nubium autem fabula sophistarum admirator fragores caelestes cum corpusculi sui tonitribus tam apposite comparabat ut etiam hodiernis lectoribus plane necessarium videatur illud „παππαπαππάξ" [1]): — Carionis impudentia deabus et Mercurio oppedentis nihil habet festivi. Inutiles sunt eius πορδαί: veniam non impetrant.

Etiam „poeticam" quam dicimus „iustitiam" in nostra fabula frustra quaeras. Nam Paupertas postquam ex vero et probabiliter disputavit, is qui meras minas et iurgia eius argumentis opponere potuit alter fit Croesus, beatissimam exinde vitam cum suis transacturus. In Avibus olim Pisetaerus cum ingeniosissima oratione evicisset se optimo iure potiturum esse imperio caelesti, nullam indignationem movebat Iovis sceptro et fulmine potitus; in Nubibus autem qui Iniusti Oratoris monitis obtemperaverat, a suo ipsius filio mox vapulabat.

Ridet etiamnunc comicus sexagenarius, sed ... γναθμοῖσιν ἀλλοτρίοισιν, σαρδάνιον μάλα τοῖον. Laeti effusique cachinni conticuere; deferbuit inventionis audacia, sententiolae humi repunt; nihil magni movetur: composita vel deposita sunt odia vehementia. Non iam suum ducit civitatis litterarumve saluti invigilare. Quem acerrime olim insectari solebat Euripidem, nunc eum

1) Nub. 390; cf. etiam Nub. 293.

imitatur, *χρώμενος αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ* [1]), nec iam suo iure exclamare potuisset quod olim magnifice de se sentiens fuerat prolocutus: „*τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ ἐκεῖνος ποιῶ*". Concidit felix illa sui confidentia, qua Cleones olim fuerat aggressus. Qualia si etiamtunc admisissent tempora mutata, ex eius tamen ore non denuo fuissent audita. *Πρίν ποτ' ἦν, πρὶν ταῦτα· νῦν δ' οἴχεται.*

Itaque Coryphaei ultima verba: „*οὐκέτι τοίνυν εἰκὸς μέλλειν οὐδ' ἡμᾶς*" ominis aliquid habere videntur et ab ipsis Gratiis proferri. Quae olim

τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
ζητοῦσαι ψυχὴν ηὗρον 'Αριστοφάνους,

nunc cum lusciniis aliorsum properant ingruente frigore hiemali. Tacet exinde comici musa procax, *ἡμεῖς δὲ χαίρομεν τῇ σιωπῇ.* Nam plura si poeta senescens evulgasset [2]), verendum fuisset ne nimis nimisque ei aptum fieret Priami illud dictum: in iuvene quidlibet esse decorum, sed senem nudum humi prostratum triste et turpe praebere spectaculum.

Sed illuc unde digressus sum redeo. Prudenter profecto egit Franciscus Ritter, qui primus sapere ausus in dissertatione de Aristophanis Pluto [3]) demonstratum ivit nostram fabulam anno 388 scenae esse commissam, neque quidquam in eam manasse ex editione priore. Quamquam prior quoque Plutus quin olim fuisset, nullus dubitabat, atque adeo grammatico, cui scholion ad vs. 115 debetur, eam ad manum fuisse putabat. De priore autem illa fabula multa fundebat somnia, — recens quippe e schola Suevernii, — quae impune iam possunt neglegi, perinde atque Bernardi Thierschii commenta, qui biennio post Ritterum de Pluto disputans perhibuit comicum hanc fabulam eo consilio composuisse „ut cives a rerum novarum studio ... sive, ut uno verbo dicam, a Dorismo revocaret"; *Paupertatem* nimirum

1) Compluribus locis Pluti fabulae apparet comicum Ionis Phoenissarum Orestis aliarum tragoediarum fuisse memorem.

2) De Aeolosicone et Cocalo, quas filio dedisse fertur scenae committendas, vix quidquam novimus: id novimus filium illum „nive frigidiorem" visum fuisse aequalibus (vid. Alex. fr. 179).

3) Bonnae 1828, paginis 78.

Spartam referre, „gloriam autem ante potentiam Atheniensium „reviviscere non posse nec stare nisi civitas omnium rerum „abundantia gauderet et cives mores patrios custodirent". Sic scilicet alter hic Suevernii discipulus nubes et inania captabat, magistrum aemulatus.

Hodie ad talia subridemus, et fabulam, licet minime singularibus aliquibus ingenii dotibus splendeat, aliud tamen esse quam Xenophontis περὶ Πόρων libellum metro adstrictum, satis sentimus. Utiliora sunt quae Ritter et Thiersch in fabula nostra indicarunt recentis aetatis vestigia. Cum tamen minime exhauserint illam materiem, equidem quae observavi paucis iam recensebo, nullus dubitans quin ego quoque nonnulla neglexerim.

Belli Corinthii vs. 170 fit mentio, ubi qui regem Persarum propter divitiarum deum superbire dicit, cogitat Timocratis Rhodii talenta, unde bellum illud anno 395 est conflatum. Apertius autem eaedem res indicantur vs. 173, ubi Pluti ope auxilia Corinthi ali dicuntur.

Phylae anno 404 a *Thrasybulo* occupatae mentio fit vs. 1146, certa autem ostendi potest causa quae anno potissimum 389/8 comicum moverit ut civibus eam rem in mentem revocaret ipsumque Thrasybulum patriae liberatorem honorificentissime commemoraret (vs. 550): — nuper enim cum classe profectus tunc erat Thrasybulus in Hellespontum [1]), ut rem Atheniensem labantem illic erigeret; feliciter autem illic versabatur, sed gravissimis criminibus petebatur ab inimicis.

Eodem pertinet *Agyrrhii* nomen vs. 176; qui hoc anno praetor fuit, mortuo autem Thrasybulo successor mox est missus ἐπὶ τὰς ναῦς [2]). Idem bis vellicatur in Ecclesiazusis [3]); quorum locorum posterior docet cur comico nostro haudquaquam gratus, populo vero his annis gratissimus ille fuerit. Invexerat nimirum τὸ ἐκκλησιαστικὸν et nuper etiam auxerat; id quod recte scholia l.l. observant et magis etiam aperte docet [Aristot.] de Rep. Ath. 41 § 3: πρῶτον μὲν Ἀγύρριος ὀβολὸν ἐπόρισεν, μετὰ δὲ τοῦτον Ἡρακλῆς ὁ Κλαζομένιος ὁ βασιλεὺς ἐπικαλούμενος διώβολον, πάλιν δὲ Ἀγύρριος τριώβολον. Itaque τριωβόλου ἕνεκα cives

1) Anno 389: Xen. Hell. IV 8, Diodor. XIV 94.

2) Xen. ibidem.

3) Eccl. 96 sq. et 183 sqq.

iam ὠστίζονται ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [1]), et facile credimus Aristophanem de harum largitionum auctore idem censuisse atque civem quem Plato comicus in scena exclamantem fecit:

λαβοῦ λαβοῦ τῆς χειρὸς ὡς τάχιστά μου!
μέλλω στρατηγὸν χειροτονεῖν Ἀγύρριον [2]).

Etiam usum τῶν γραμμάτων Α—Κ, unde ter iocus ducitur in fabula nostra [3]), brevi ante annum 389 in sortitione iudicum invaluisse primum, intellegimus collato Ecclesiazusarum loco, ubi eadem res iocandi praebet materiem [4]). Apparet tunc temporis in re iudiciaria quaedam fuisse novata, simpliciorque cum olim obtinuisset mos, quem e Vesparum fabula novimus, magis elaborata iam ratione cives usos esse in designandis tribunalibus, iudicibus legendis, sententiis ferendis [5]).

Timotheus Cononis nuper vita functi filius et heres, cuius luxus vs. 180 in transitu tangitur, idem tempus indicat.

Idem tempus *Pamphilus* (vs. 174), qui anno 388 strategus fuit [6]).

Etiam parodia *Philoxeni* dithyrambographi Cytherii [7]), qui in aula Dionysii maioris floruit, huic demum tempori est apta.

Item *Neoclides* ὁ γλάμων et *Aristyllus* homo impurus, qui cum in nostra fabula tum in Ecclesiazusis petuntur et iisdem quidem iocis easdemque ob causas petuntur, aequales fere esse duas has fabulas testantur.

Nec non γραῦς quae iuventam praeteritam ementita amatores captare frustra conatur ψιμυθίῳ καταπεπλασμένη, cum Ecclesiazusis fabulae est propria, tum Pluto [8]). Cum ipso poeta insenuere feminae quas in scenam induxit: pro puellis ἡβυλλιώσαις καὶ ὑποπαρθένοις prodeunt iam vetulae. Quid quod et Abundantiae Deum, quem iuvenem vel puerum ostendere solebat prisca ars, senem decrepitum et morosum finxit comicus. Ipsa autem vox

1) Plut. 329 sq.; cf. Eccl. 301 sqq.
2) Plat. fr. 185. Quos e Σκευαῖς desumptos esse versus, ad annum igitur fere 390 referendam esse eam fabulam, satis certum videtur coll. fr. 133. Vid. ad Ran. 367 sq.
3) Vs. 277, 972, 1167.
4) Eccl. 682 sqq.
5) Cf. Vesp. 991 (et tota ea fabulae pars) cum [Aristot.] Rep. Ath. c. 63 sq.
6) Xen. Hell. V 1 § 2.
7) Vs. 290 sqq.
8) Eccl. 877 sqq. et Plut. 959 sqq., inprimis vs. 1063 sq.

ψιμύθιον apud nostrum nonnisi in fragmento quodam redit [1]), et in utraque fabula anus „rogo quam toro aptior" dicitur.

Etiam *ἐμπορίας σκῆψις* [2]) et *στροφή* vocabulum ambiguum [3]) in utraque praebent occasionem iocandi.

Propriae praeterea utrique fabulae sunt locutiones:

τί (οὐδὲν) πλέον σοι ἔσται [4]).
καταλείπειν (ἔχειν) οὐδὲ ταφῆναι [5]).
ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ [6]).
τοὺς τρόπους βελτίων [7]).
ἦ μὴν ... ἔτι in minis [8]).
λιπαρὸς χωρῶν [9]).
ἐπιπολῆς [10]).
ἐκπυνθάνεσθαι [11]).
ὁ ἡ κεκτημένος -νη dominus -na [12]).
οὐκ ἂν φθάνοις cum participio [13]).
τι τῶν προύργου [14]).
ξυλλαβεῖν ... μείρακα [15]).

Addo quae Plutus fabula praebet prima: *ὦ τᾶν* ad plures dictum [16]), *δῆλος* vel *φανερὸς γνῶναι* — ubi aut solum adiectivum expectabatur aut *ῥᾴδιος γνῶναι* — [17]), *συνεῖναι μετά τινος* [18]), *ἕπεσθαι μετά τινος* [19]), *ἀνθ' ὧν = διότι* [20]), *παρὰ πολύ* [21]), *πώμαλα* [22]),

1) Ar. fr. 320*; praeterea apud comicos recentiores.
2) Eccl. 1027 Plut. 904.
3) Eccl. 1026 Plut. 1154.
4) Eccl. 1094 Plut. 531.
5) Eccl. 592 Plut. 556.
6) Eccl. 221—228 Plut. 95.
7) Eccl. 214 Plut. 105.
8) Eccl. 1034 Plut. 608.
9) Eccl. 652 Plut. 616.
10) Eccl. 1108 Plut. 1207. Quod non *novum* est adverbium, sed nostro nunc demum usitatum.
11) Eccl. 752 Plut. 60.
12) Eccl. 1126 Plut. 4.
13) Eccl. 118 Plut. 485, 874, 1133.
14) Eccl. 784 Plut. 623.
15) Eccl. 1037 sq. Plut. 1079.
16) Vs. 66; quod apud Ar. non redit, licet etiam Cratinus (iunior?) dixisse feratur.
17) Vs. 48, 489.
18) Vs. 504.
19) Vs. 823.
20) Vs. 432.
21) Vs. 445.
22) Plut. 66 et in Cocalo (fr. 346).

προσβιάζεσθαι [1]), *ἀπαρτί* [2]), *μαγγανεύειν* [3]), *πενιχρός* [4]), [*ἀλήθεια*] [5]), *ἐκνομίως* [6]), *ἄμης* [7]), *ὑπήκοος* [8]).

A rebus autem et verbis ut ad sonum verborum veniamus, *οὐδὲ εἷς* et *οὐδὲ ἕν* pronomina, quorum elisio olim nonnisi raro fuerat neglecta [9]), in Pluto demum fabula frequenter, ut apud recentiores, tres syllabas implent [10]). Item novicia sunt *ἦν* pro *ἦ* [11]), *ξυμπαραμειγνύων* pro *-γνύς* [12]), *ὕβρεος* pro *-ως* [13]), *ζήσειν* pro *βιώσεσθαι* [14]), *ἐξεπίτηδες* pro *ἐπίτηδες* [15]). Et omnino fluxi quid habet dictio et socordiam quandam etiam in rebus grammaticis testatur passim; quae saepius vitio data est librariis, cum esset referenda inter indicia aetatis senilis poetae, quae per totam fabulam oculos lectorum hoc agentium advertunt.

Denique idem testantur *nomina propria*, quae comicus suis personis dedit. *Chremes* et *Blepyrus* in Ecclesiazusis prodeunt sodales: *Chremylus* et *Blepsidemus* in Pluto. Qualia nomina, *οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν*, hac demum aetate personis scenicis tribui sunt coepta [16]). Olim *civitatis amorem* vel *Cleonis odium* vel *studium ruris* vel *persuadendi peritiam* ipso nomine testabantur qui in scenam prodibant: nunc e vita communi nomina desumuntur, — nomina inania et muta, quorum ipsa tamen inanitas diserte testatur novum advenisse tempus.

Chorus autem, qui inter humillimas hasce de victu quotidiano disceptationes vix habet quod agat, cum in Pluto fabula tum in Ecclesiazusis *ἠλίθιος παρέστηκεν*, — id quod de choreutis Euripideis ridens aliquando comicus perhibuerat. Utiliorem olim se praestiterat Pacis fabulae chorus in numine optatissimo reducendo; qui cum advocati essent agricolae, non nugis tempus

1) Vs. 16. 2) Vs. 388. 3) Vs. 310.
4) Vs. 976. 5) Vs. 891. 6) Vs. 981, 992.
7) Vs. 999. 8) Vs. 146.
9) Eq. 569 Lys. 1044 Ran. 927 Cratin. fr. 302 Cratet. 14 Eupol. 357*; Pluti demum tempore hunc morem invaluisse perperam statuebat Ritter.
10) Plut. 37, 138, 870, 1115, 1182.
11) Vid. supra pag. 99 sq.
12) Vs. 719. Quod unicum est in vetere comoedia huius conformationis exemplum; non enim huc sunt referendi loci ubi per metrum nihil obstat quominus prisca restituatur forma (vid. Av. 520).
13) Vs. 1044. 14) Vs. 263. 15) Vs. 916.
16) Scientem me neglegere locos, quales sunt Vesp. 232 sqq. Pac. 1155, utpote ab hoc argumento alienos, vix est quod dicam.

terebant neque taciti otiosique adstabant, sed ipsum statim opus strenue aggressi almam Pacis deam suisce manibus in lucem protrahebant. Plutus vero sine ulla choreutarum ope — neque potuissent eum adiuvare etiamsi voluissent! — videndi facultatem recuperat: adsint absint illi, nil refert.

Verissimum igitur est quod *ἐν τοῖς περὶ Κωμῳδίας* invenitur a vetusto grammatico observatum: „*ὁ Πλοῦτος νεωτερίζει κατὰ τὸ πλάσμα*". *Novae comoediae affinis* est haec fabula; „*τήν τε γὰρ ὑπόθεσιν οὐκ ἀληθῆ ἔχει*" — id est: argumentum non ex ipsa vita rebusque publicis est desumtum — „*καὶ χορικῶν*[1]) *ἐστέρηται· ὅπερ τῆς νέας ὑπῆρχε κωμῳδίας*".

Quae qui scripsit, de *duobus* Plutis nihil — ut vides — inaudiverat.

§ 4.

Ergo haec est res. Manibus tenemus fabulam, quam anno 388 datam esse et veteres affirmant ex auctoritate monumentorum publicorum, et ipsa fabula singulis fere versibus luculenter testatur. At eandem — non aliam, sed hanc ipsam — anno 408 datam esse fuere qui putarent. Non iam rogamus utris sit credendum, nam manifestus et vere absurdus hic est error; sed scire avemus error unde sit natus. *Dioclis* archontis nomen undenam in temporum computationes irrepsit et miserrimas earum fecit turbas?

Intellegere id mihi videor, et periculum faciam an alios in meam sententiam pertrahere possim.

Prius autem recordemur oportet verborum, item aperte falsorum, quae de *Nubibus* fabula scripsit quidam grammaticus. Hanc fabulam non iterum in certamen publicum admissam esse constat, de „alteris" autem Nubibus, quarum hic illic fit mentio, quid sit statuendum satis apparet[2]). Et tamen disertis verbis traditum accepimus: „*αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος*". Quem errorem, aptissimum ad quemlibet decipiendum, nisi aliunde posset refutari, pepererunt vetusti interpretis verba

1) Vulgo *χορῶν*.
2) Vid. Nub. Proleg. p. v—xxviii.

male intellecta: „ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπ' Ἀμεινίου. πρὸ τούτου „δέ ἐστιν Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι εἰσήχθησαν". Hinc nescio quis effecit, τὰς δευτέρας igitur εἰσαχθῆναι ἐπ' Ἀμεινίου [1]).

Simile quid in Pluti anno constituendo obtinuit. Quod quomodo sit factum ut perspicue possit exponi, denuo considerandi sunt loci ubi iocose commemoratur usus τῶν „γραμμάτων" in indicandis tribunalibus [2]). Ecclesiazusas et Plutum qui deinceps perlegit, fieri non potest quin sentiat *novum* illud tunc temporis fuisse institutum; neque alibi est indicium ullum, unde efficias etiam aliquot annis antea viguisse morem tribunalia litteris A—K designandi. Itaque confidenter statuo brevi ante Ecclesiazusas fabulam in certamen propositam hunc morem esse natum [3]).

Iam videamus scholia ad Plut. 973:

ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι.

Hic annotata legimus: παρ' ὑπόνοιαν τὸ „ἔπινες" ἀντὶ τοῦ „ἐδίκαζες". ὅτι δὲ κατὰ γράμματα ἐκληροῦντο ⟨τότε⟩, προείρηται [4]). οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐβούλευον οὕτω [5]), τῷ πρὸ τούτου ἔτει ἀρξάμενοι. Φησὶ γὰρ ὁ Φιλόχορος ἐπὶ Γλαυκίππου (anno 410/9) „καὶ ἡ βουλὴ κατὰ γράμμα τότε πρῶτον ἐκαθέζετο καὶ ἔτι νῦν ὄμνυσιν ἀπ' ἐκείνου καθεδεῖσθαι ἐν τῷ γράμματι ᾧ ἂν λάχωσι" [6]).

Vera falsis miserrime commixta [7]). Quod non priscus ille grammaticus deliquit, qui primus allatis Philochori verbis hunc versum illustravit; sed dum excribuntur, decurtantur, turbantur quae prudenter ille observaverat, absurda tandem sunt facta. Dixerat ille: „quo tempore data est Plutus, etiam *in tribunalibus* „invaluisse morem qui *in describendis prytaniis senatorum* dudum „viguisset teste Philochoro". Recentiores vero eius verba cum

1) Schol. Nub. 549; vid. Nub. p. 5, 4.

2) Vid. supra pag. 108.

3) „Wir haben ... kein Recht dies System für älter zu halten als die Reformen „unter dem Archon Eukleides" Fränkel Geschworenenger. p. 106. Etiam decennio fere recentius esse ex Aristophane efficio.

4) In scholiis ad vs. 277.

5) Codd. οὗτοι; corr. Hemsterhuys.

6) Quominus Polakium sequar semicolon post „Φιλόχορος" scribi iubentem, ita ut „ἐπὶ Γλαυκίππου" ipsius Philochori sint verba, obstat τότε adverbium.

7) Multo etiam deteriora sunt scholia ad vs. 277: „ein wahrer Rattenkönig von „Verwirrung" (Fränkel).

parum intellexissent [1]), inde effecerunt „in Pluto fabula respici „morem *recens natum*" — nam de re nova sermonem fieri illi quoque sentiebant — „senatores per γράμματα describendi". Qui mos quoniam ἐπὶ Γλαυκίππου ortus fuerat teste Philochoro, sequebatur ut anno sequenti, ἐπὶ Διοκλέους, Plutus fabula data esse crederetur. Hinc demirari illi quod Thrasybuli et Dionysii et belli Corinthiaci in ea fieret mentio et Lais cum annum ageret decimum quartum famosissima diceretur meretrix. Et ab illo inde tempore moveri coepta est quaestio tam perplexa quam inanis.

Ablegetur igitur *Plutus Diocle archonte data* illuc quo dudum relegatae sunt *Nubes alterae archonte Aminia scenae commissae* et *Atheniensium expeditio archonte Isarcho in Euboeam suscepta* [2]) multaque alia quae sunt huius generis. Conferantur etiam velim quae de scholiis ad Ran. 1026 olim disputavi [3]).

Ad finem est perventum. Si cui parum persuasi, is dicat poetam duas fabulas, quibus Plutus esset nomen, scripsisse ferri, sed harum alteram impune a nobis posse neglegi, nihil enim de eius consilio argumentove esse cognitum et vix ullum — fortasse nullum omnino — ex ea aetatem tulisse fragmentum; nihil autem ei commune fuisse cum fabula quae anno 389 inventa et elaborata est et proximo anno ineunte scenae est commissa.

Sic igitur statuant quibus non satis certa videantur quae de „prioris" Pluti nomine mero errori tribuendo probatum ivi.

Mihi vero firmiter persuasum est *ab Aristophane unam tantum fabulam Plutum factam esse* neque postmodo eam sive ab aliis sive ab ipso poeta esse retractatam.

1) *Didymo* deberi quae de fabula nostra anno 408 acta leguntur in scholiis, docte nuper et acute et probabiliter admodum demonstratum ivit amicus collega Polak in Albo Gratulatorio quod in honorem Herwerdeni conscriptum est 1902 p. 173 sqq, praesertim fretus scholio ad vs. 550, ubi revera Didymi fit mentio. De quo loco corrupto quid mihi videretur dixi vol. praeced. p. 406.

2) Schol. Vesp. 115.

3) Mnem. 1888 p. 69 sq. et brevius in commentario ad Ranas.

QUID SIGNIFICAT ΛΕΙΡΙΟΣ SIVE ΛΕΙΡΙΟΕΙΣ?

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

In Bacchylidis editione principe, quam tanta cura tantaque eruditione ornavit Kenyon, ut sequentibus editoribus agenda quidem nonnulla reliquerit, vituperanda nonnisi paucissima, ad poetae XVII 95 verba:

κατὰ λειρίων τ' ὀμμάτων δάκρυ χέον

annotata leguntur haec: „*λειρίων*: an odd use of the epithet, „unless *ὀμμάτων* is to be taken as meaning 'faces' or 'cheeks'. „*λείριος* is elsewhere applied only to the complexion or voice, „but perhaps it is no greater a stretch to apply it to the eye".

Nempe id quod suadet ratio, ut ad efficiendam verbi rarioris significationem primitivam a notis ad ignota proficiscamur et antiquissima praesertim testimonia perpendamus, id nunc effecit ut adiectivum *λείριος* sive *λειριόεις* multis obscurum videretur. Quam nebulam quoniam ipsa haec Bacchylidis verba dispellere mihi videntur, periculum faciam an et Kenyoni et aliis persuadere possim non mirifice vel parum apte — qualia multa alibi peccavit Bacchylides in adhibendis vel fingendis epithetis — nunc usurpatum esse hoc adiectivum, sed propriam vim hic potissimum obtinere.

Sic fere ratiocinari solent viri docti: *λείρια* sunt *lilia*, flores candidi: ergo *λειριόεις* est *liliacus*, hinc *candidus*, *λευκός*; quod *faciei* genisve puellae convenit optime epitheton, vix convenit *voci* („lilienrein" Göbel, „Lilienstimme" Hehn), *oculis* autem omnino non convenit.

Equidem sic potius rem mihi informo. Stirps significat *clarum*, nostrum *helder*, quod Graeco *φαιδρῷ* satis accurate potest reddi.

Itaque *flores*, quorum candor niveus et veluti lucidus procul in pratis vel inter arbores conspicitur, aptissimum hinc nomen adepti sunt λείρια *lilia* (h. Cer. 428 et postea); χρὼς λειριόεις (N 830) audit *corporis pars* quae veste et armis a telis hostium ipsisque solis radiis solet protegi, ea igitur pars μάλισθ' ὅθι καίριόν ἐστι vulnus illatum; *oculi* autem clari atque corusci a Bacchylide pulcre nunc dicuntur λείριοι. Nam verba κατὰ λειρίων τ' ὀμμάτων δάκρυ χέον hoc valent: *qui nativo fulgore splendere solebant oculi, dolore iam lacrimisque offuscabantur.*

Et nonne *Podalirii* nomen simul iam illustratur? Est enim πόδα λείριος is qui ποδαργής sive ἀργίπους sive λευκόπους vocatur alibi, is qui τῇ μαρμαρυγῇ sive τῷ ἀμαρύγματι τῶν ποδῶν oculos ferit, *pernix* frater Machaonis. Rectene autem an secus Fick (Bezzenb. Beitr. XXVI p. 313 sqq.) ad *Aesculapii serpentem* rettulerit Ποδαλείριον nomen, id quaerere nunc omitto.

Translata denique notione ἀπὸ τῶν ὁρωμένων ἐπὶ τὰ ἀκουόμενα — ut recte priscus interpres — *vox* altissima et tenuissima *cicadarum* dicitur λειριόεσσα sive *clara* apud Homerum Γ 152.

Itaque simile quid valet de hoc adiectivo atque de χλωρῷ. Quod si *colorem* potissimum significare sumimus, perridiculus erit Bacchylides puellam formosam χλωραύχενα dicens V 172, „χλωρὸς not being generally a complimentary epithet of the complexion", ut iocatur Kenyon. Sin dicimus proprie ea designare quae sunt *vegeta, florida*, hinc de colore novorum foliorum et herbarum usurpari coeptum esse, nihil habebit inepti de puellae collo dictum.

Sed merae nugae habenda essent quae scripsi, si quid tribuendum esset opinioni quae magna Hehnii auctoritate fulta est, vocem λείριον *lilium* cum ipso flore ex oriente ad Graecos demigrasse, e persica autem lingua esse interpretandam. Quam linguam quoniam ita calleo equidem ut Pseudartabas ille, viros me peritiores adii, a quibus laetus mox didici veri dissimillimam esse illam originationem, persicam enim vocem *lālä*, a cuius forma primitiva graecum λείριον fuere qui ducerent, neque quod ad formam adtinet ei satis esse cognatam, neque quod ad significationem, non enim *lilium* sed quosvis flores agrestes designare.

Nihil igitur quod videam obstat quominus vere Graeca du-

cantur *λείριον* et *λειριόεις*. Id unum manet notatu dignum, terminum *-εντα* non substantivo — si vera sunt quae disputavimus — nunc esse subiunctum, sed adiectivo. Attamen ne sic quidem a parte analogiae destitutum est *λειριόεις*, nam plane eandem conformationem habent *ὑψιπετήεις*, *αἰπήεις*, *μεσήεις*, *Φαιδιμόεις*, *ὀξυόεις*, *τροφόεις*, *ἀλγινόεις*, *ἀργινόεις*, *ὀκρυόεις*, — ut cuncta enumerem quae praebet Homeri textus traditus. Deme quae aut suspecta sunt aut apertis erroribus debentur: manent tamen certa *ἀλγινόεις*, *Φαιδιμόεις*, *ὑψιπετήεις*, alia, et

Φαίδιμος: *Φαιδιμόεις* = *λείριος*: *λειριόεις*.

VELLUS AUREUM.

Initio anni proximi cum fabulam velleris aurei e maris vento commoti solisque matutini luce refulgentis imagine originem sumpsisse contenderem, versuum quorundam Catulli, quibus aequoris horrentis spectaculum poeta depinxit ita ut de vellere aureo cogitasse eum dixeris, prorsus fui immemor. Iuvat igitur et nunc eos laudare:

qualis flatu placidum mare matutino
horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
aurora exoriente vagi sub limina solis,
quae tarde primum clementi flamine pulsae
procedunt (leni resonant plangore cachinni),
post vento crescente magis magis increbrescunt
purpureaque procul nantes a luce refulgent.

Nonne Catulli verba „*vagi sub limina solis*" regiam illam Solis, ubi Mimnermo auctore

ἀκτῖνες χρυσέῳ κείαται ἐν θαλάμῳ
'Ωκεανοῦ παρὰ χεῖλος, ἵν' ᾤχετο θεῖος 'Ιήσων,

revocant in mentem? (cf. Mnem. 1902 pag. 64 sqq.).

Accedit quod versus hi leguntur in Pelei Thetidisque epithalamio (vs. 269—275), quae materia non a Catullo est inventa sed perantiqua, oriunda ex illa Graeciae regione ubi Argonautarum quoque fabulam natam esse credimus omnes, e Thessalia.

J. VÜRTHEIM.

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DEMOSTHENEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e pag.* 16.)

ΠΕΡΙ ΑΛΟΝΝΗΣΟΥ.

Argum: πέπομφε γὰρ πρὸς τοὺς Ἀθηναίους ἐπιστολὴν περὶ πολλῶν διαλεγόμενος. Lege: διαφερόμενος.

§ 3 p. 77: τοῦτον δὲ τὸν λόγον ὡς οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐ χαλεπόν ἐστιν αὐτοῦ ἀφελέσθαι. Hanc locutionem Reiskius utcumque conatur explicare; equidem tamen legam: οὐ χαλεπόν ἐστιν ἀποφαίνεσθαι.

§ 6 p. 78: οὐχ ἵν' εὐεργέτημά τι καταλογίσηται πρὸς ὑμᾶς· γέλοιον γὰρ ἂν εἴη τοῦτό γε τὸ εὐεργέτημα. Expuncto vocabulo τὸ εὐεργέτημα secundum Demosthenis perpetuam consuetudinem Hegesippus dixit: γέλοιον γὰρ ἂν εἴη τοῦτό γε. Nec levem correctionem adnotassem, nisi viderem Blassium hic titubare, quum iusto plus tribuat Parisini Codicis auctoritati.

§ 6 p. 78: τοῦτο δ' ὑμῖν οὐ ποιητέον ἐστίν. Praestabit: οὐ περιοπτέον ἐστίν, sed Herwerdenus hoc iam vidit *Mnem.* 1875 p. 125.

§ 10 p. 79: *ὅρκων ὀμωμοσμένων·* hoc omnino satis est et inutiliter adhaerent verba: *οὓς Φίλιππος τοῖς οἰκοῦσιν ἐν Ποτειδαίᾳ ὤμοσεν.*

§ 11 p. 79: *Ἀμύντας [ὁ πατὴρ ὁ Φιλίππου].* At tunc temporis Athenis nemo docendus erat Philippum esse Amyntae filium.

§ 22 p. 82: *εἰ δέ τι μὴ καλῶς γέγραπται [ἐν τῇ εἰρήνῃ], τοῦτ' ἐπανορθώσασθαι.* Relege totum locum et senties interpolata esse verba quae notavi.

§ 25 p. 83: *τὸ γὰρ ψήφισμα τοῦ Φιλοκράτους καθ' ὃ ὑμεῖς ἀπώλλυτε Ἀμφίπολιν, ἐναντίον ἦν τοῖς προτέροις ψηφίσμασι, καθ' ἃ ὑμεῖς ἐκτήσασθε ταύτην τὴν χώραν.* Haec quidem omnino satis sunt ac fere iam plus quam satis, sed mire languent quae continuo sequuntur interpolata verba: *τοῦτο μὲν οὖν παράνομον ἦν τὸ ψήφισμα τὸ τοῦ Φιλοκράτους καὶ οὐχ οἷόν τ' ἦν τὸν τὰ ἔννομα γράφοντα ταὐτὰ τῷ παρανόμῳ ψηφίσματι γράφειν.* Haec omnia retinenda censuit Voemelius, censet etiam Blassius; equidem hoc plurimum miror et Dobraeus etiam plura eiecit; sed quantum video resecta interpolatione optime sequentur reliqua: *ἐκείνοις δὲ [τοῖς προτέροις ψηφίσμασι] τοῖς οὖσιν ἐννόμοις καὶ σώζουσι τὴν ὑμετέραν χώραν, ταὐτὰ γράφων ἔννομά τ' ἔγραψα καὶ ἐξήλεγχον τὸν Φίλιππον.*

§ 28 p. 83: *οἱ πρότερον ἐν Ἀμφιπόλει οἰκοῦντες [πρὶν Φίλιππον λαβεῖν].* Expelle tria postrema verba, ne Hegesippus coram pueris vel senibus obliviosis dixisse videatur.

§ 29 p. 84: *τὴν χώραν ἣν οἱ Ἕλληνες καὶ βασιλεὺς [ὁ Περσῶν] ἐψηφίσαντο ὑμετέραν εἶναι.* Redit eadem interpolatio ad Philipp. Epist. § 6 p. 153, sed emendate scribitur Philipp. III § 16 p. 114.

§ 31 p. 84: *ἡγούμενοι καὶ δίκαιον τοῦτο καὶ φιλάνθρωπον μὴ μόνον ἡμᾶς καὶ τοὺς συμμάχους τοὺς ἡμετέρους καὶ Φίλιππον καὶ τοὺς συμμάχους τοὺς ἐκείνου ἄγειν τὴν εἰρήνην, τοὺς δὲ μήθ'*

ἡμετέρους ὄντας μήτε Φιλίππου ἐν μέσῳ κεῖσθαι .... ἀλλὰ καὶ τούτοις διὰ τὴν ὑμετέραν εἰρήνην ὑπάρχειν σωτηρίαν. Incommode dictum est illud μὴ μόνον et plurimum arridet: μὴ μὲν οὖν. Secundum vulgatam lectionem Athenienses iustum ducunt eos qui neutrarum partium sunt ἐν μέσῳ κεῖσθαι καὶ ὑπὸ τῶν κρειττόνων ἀπόλλυσθαι, sed quoniam hoc ipsum summo opere indignantur, μὴ μόνον stare non potest et facillima correctio est: μὴ μὲν οὖν. Vide has particulas tum alibi tum Coron. § 130 p. 270: ὀψὲ λέγω; χθὲς μὲν οὖν καὶ πρῴην. Ibid. § 140 p. 274: οὐ μὲν οὖν ἦν εἰπεῖν ἑτέρῳ. Idem vitium redit Halonn. § 36 p. 85: ἐπιτρέπειν Φησὶ περὶ τούτων ἕτοιμος εἶναι ἴσῳ καὶ κοινῷ δικαςηρίῳ, περὶ ὧν μόνων οὐδὲν δεῖ ἐπιτροπῆς, ἀλλ' ἀριθμὸς ἡμερῶν ἐςιν ὁ κρίνων. Facile vincam absurdum esse μόνων et scribendum esse: περὶ ὧν μὲν οὖν. Eadem particula tertium periit Olynth. III § 34 p. 38: οἴκοι μένων βελτίων, τοῦ δι' ἔνδειαν ἀνάγκῃ τι ποιεῖν ἀπηλλαγμένος. Impedita constructio est, nec multum proficitur Dindorfii coniectura, qui illud βελτίων e textu voluit removere. Equidem reliquis non possum mederi, sed hoc intelligo praestare: οἴκοι μὲν οὖν βελτίων. Etiam quartus locus mihi ad manus est: Cherson. § 51 p. 102: ἣν μέν τις ἐλευθέρων ἀνδρῶν ἀνάγκην εἴποι, οὐ μόνον ἤδη πάρεςιν ἀλλὰ καὶ πάλαι παρελήλυθε. Cobetus hic incertus haeret *Miscell.* p. 466. „Insana", inquit, „haec oratio est. Absurdum est dicere aliquid *non solum adesse, sed etiam dudum praeteriisse.* Mendosum est παρελήλυθεν, sed nihil excogitare possum, quod et sententiae sit aptum nec multum a librorum scriptura discrepet." Facile credo, nam sanum est verbum παρελήλυθεν, quod ostendere poterit Coron. § 48 p. 241: καὶ γὰρ εἰ παρελήλυθεν ὁ τῶν πραγμάτων καιρός, ὁ τοῦ γε εἰδέναι τὰ τοιαῦτα καιρὸς ἀεὶ πάρεςι τοῖς γε σώφροσιν. Sed iam vides quid requiram: οὐ μὲν οὖν ἤδη πάρεςιν ἀλλὰ καὶ πάλαι παρελήλυθεν, i. e. nec *vero* iam adest tempus, sed dudum praeteriit.

§ 38 p. 86: ὑπὲρ οὗ ὑμεῖς τρεῖς πρέσβεις ἐπέμψατε [ἀπαιτοῦντες]. Participium eliminandum est, sicuti in proxime sequentibus post οὐδ' ἀναίρεσιν ἔδωκεν Cobetus expunxit ἵνα ταΦῇ, quam suspicionem Blassius, cum plurimis aliis, ne memoravit quidem. Est praeterea Parisini Codicis lectio πρέσβεις,

cum ceteri fere πρεσβείας habeant; mihi quidem placet: ὑπὲρ οὗ ὑμεῖς τρὶς πρέσβεις ἐπέμψατε, quod cur praestet non opus est diserte dicere.

§ 40 p. 86. Legitur epigramma:

Τόνδε καθιδρύσαντο θεῷ περικαλλέα βωμόν
Λευκῆς καὶ Πτελέης μέσσον ὅρον θέμενοι
ἐνναέται χώρης σημήιον· ἀμμορίης δὲ
αὐτὸς ἄναξ μακάρων ἐστὶ μέσος Κρονίδης.

Hic haerent interpretes multaque moliti sunt quae praestat oblivioni tradere; si quis infelices suspiciunculas cupit cognoscere, is consulat quae G. H. Schäferi diligentia collegit; sed reliquis etiam infelicius Blassius, quod etiam in textum intulit:

μοίρης σημήιον ἀμμορίης τε.

Nempe provocavit ad Odyss. υ 75, ubi de Iove legimus:

ὁ γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα
μοῖράν ἀμμορίην τε καταθνητῶν ἀνθρώπων.

Aperte dicam quid sentiam: haec coniectura nec coelum nec terram tangit. Cogita autem cur orator hoc epigramma laudaverit: nimirum vult probare esse Chersonesi fines non Ἀγοράν, ἀλλὰ βωμὸν τοῦ Διὸς τοῦ ὁρίου, quamquam id hodie ex vulgata epigrammatis lectione neutiquam possis exsculpere. Nec tamen ulla mutatione opus est, sed literae aliter dispescendae fuerunt:

ἄμμ' ὁρίης δὲ
αὐτὸς ἄναξ μακάρων ἐστὶ μέσος Κρονίδης.

Nunc Chersonesitae diserte loquuntur et videmus cur orator tam luculentum testimonium attulerit. Confinia appellat poeta τὴν ὁρίην (χώραν): sit hoc sine exemplo, sed μεθορίαν vel ἐφορίαν per metri leges appellare non potuit.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΕΝ ΧΕΡΡΟΝΗΣΩΙ.

§ 10 p. 92. Observasse mihi videor post pronomen ὁ αὐτός perpetuo sequi relativum ὅσπερ, non ὅς· exempla per totum Demosthenicarum orationum corpus pullulant neque opus est infinitos locos excerpere. Sequitur esse locos fere octo, ubi pro ταῦτα rescribendum est ταὐτά, nempe Mid. § 220 p. 585, Aristog. I § 25 p. 777, Timocr. § 57 p. 718, pr. Phorm. § 18

p. 950, Boeot. de nom. § 27 p. 1002, Steph. I § 86 p. 1127 et Conon. § 22 p. 1264 et § 30 p. 1266, sed fieri sane potest ut inter legendum unus alterve locus me fugerit. Contra pro ταὐτά requiritur ταῦτα Coron. § 285 p. 321. Pronomen ὅς in ὅσπερ commutandum est Cherson. § 10 p. 92: εἰς τὸν αὐτὸν τρόπον δι' οὗ τὰ πράγματ' ἀπολώλεκεν, vel quod cum Dobraeo p. 361 malo ἀπόλωλεν, coll. Phil. I § 46 p. 53 et Cherson. § 20 p. 95. Item Fals. Leg. 241 p. 416: ἃ γὰρ ὡρίσω σὺ δίκαια, ταὐτὰ δήπου ταῦτα καὶ κατὰ σοῦ προσήκει ἰσχύειν. Pr. Phorm. § 48 p. 959: ἃ γὰρ ἂν σὺ δίκαια σαυτῷ κατὰ τούτου τάξῃς, ταὐτὰ ταῦθ' ἥξει κατὰ σοῦ, denique Timocr. § 100 p. 731, sed hic, uti nunc video, Blassius iam attendit animum. Superest ut corrigatur Macart. § 15 p. 1054: κατὰ τὸν (αὐτὸν) νόμον καθ' ὅνπερ καὶ οὗτοι προσεκαλέσαντο. Quod autem dixi de pronomine ὁ αὐτός, idem valet de adiectivo ἴσος, veluti Fals. Leg. § 29 p. 350: τῶν ἴσων αἴτιος ἦν ἂν κακῶν, ὅσωνπερ καὶ οὗτος. In tanta locorum multitudine miror tam paucas dari exceptiones.

§ 19 p. 94: τἄλλ' οἰκείως συναγωνιζομένους. Adverbium plane non intelligo; quidni scribimus ἐπιεικῶς?

§ 23 p. 95: εἰ γὰρ μήτε .... μηθ' ὅσ' ἂν αὐτὸς αὑτῷ πορίσηται ἐάσετε .... οὐκ ἔχω τί λέγω. Sine sensu ita editur: rescribendum: ἐπαινέσετε. Cf. paulo supra § 22: ὅσ' ἂν αὐτὸς αὑτῷ πορίσηται ἐπαινοῦμεν.

§ 31 p. 97: ὡς μὲν οὐκ ἀληθῆ ταῦτ' ἐστὶν οὐχ ἕξετε ἀντιλέγειν, ἄχθεσθαι δέ μοι δοκεῖτε κτέ. Non tanti debet esse Parisini libri auctoritas, ut futurum ἕξετε amplectamur prae praes. ἔχετε.

§ 43 p. 100: τῆς πολιτείας [καὶ τῆς δημοκρατίας]. Hoc modo locum iam sanavit Cobetus *Miscell.* p. 37 et 466. Cf. § 40 p. 99: οὐδενὶ μᾶλλον πολεμεῖ ἢ τῇ πολιτείᾳ. Rhod. lib. § 20 p. 196: τοὺς τὰς πολιτείας καταλύοντας καὶ μεθιστάντας εἰς ὀλιγαρχίας. Foed. Alex. § 14 p. 215: τυραννίδων ἀντὶ δημοκρατιῶν καθισταμένων καὶ τῶν πολιτειῶν καταλυομένων. Conferri autem

poterit Aesch. Tim. § 4 et Ctes. § 6, sed iam satis nota res est, *πολιτείας* nomine liberam plerumque reip. formam intelligi. Notandum autem est Cherson. § 43 p. 100 iam interpolatum fuisse quum sua inde hauriret qui consarcinavit Phil. IV § 15 p. 135.

§ 45 p. 101: *ὑπὲρ δὲ τῶν μελινῶν καὶ τῶν ὀλυρῶν τῶν ἐν τοῖς Θρᾳκικοῖς σιροῖς ἐν τῷ βαράθρῳ χειμάζειν.* Nihili est ea lectio, etiamsi rhetor nil mali suspicatus eam transtulerit in Philipp. IV § 16 p. 135. Nec magis quidquam proficitur ex Harpocratione: *οὐ κυρίως αὐτὸ λέγει ἀλλ' ἐκ μεταφορᾶς, οἷον, ἐν τῷ ὀλέθρῳ.* Serione credis eum potuisse dicere quid esset *ἐν τῷ ὀλέθρῳ χειμάζειν*? Vetusta corruptela est quae Harpocrationis tempore iam inoleverat, sed Dionysius Halicarnassensis emendatam vocem in suo Demosthenis codice invenerat; etenim satis sentimus unde habeat p. 645. 11: *ἐν ὑπαίθρῳ χειμάσοντες.* Hoc modo omnibus locis in unum collatis poterit fortasse aliquando coniectura capi de tempore quo Philippica Quarta conflata fuit, quae interdum meliores lectiones repraesentat, sed ex turbido fonte profluit. Attigit hoc argumentum Cobetus *Miscell.* p. 43. Etiam Cherson. § 54 p. 103: *τῷ Φυλακὴν εἰπεῖν δι' ἧς σωθήσεται*, verius est quod habet Philipp. IV § 56 p. 146: *εὑρεῖν.* Cf. Herwerd. *Mnem.* 1875 p. 126.

§ 59 p. 104. Dum totam mentem defigo in antiquitate cognoscenda et in rebus digerendis quas Athenienses cum Philippo gesserunt, non possum non recordari eorum quae ex ultima Africa quotidie afferuntur. Deinde si forte incido in id quod in nostra tempora scriptum possit videri, venit mihi in mentem colonorum qui adversus plus quam decemplicem hostium numerum nihil non pro libertate ausi, divino auxilio freti, hucusque toties ex ultimo discrimine evaserunt. Quod de Philippo orator habet: *ἀλλ' ἐπειδὰν ἐπ' αὐτοὺς ἡμᾶς τί Φήσομεν; ἐκεῖνος μὲν γὰρ οὐ πολεμεῖν, ὥσπερ οὐδ' Ὠρείταις ϛρατιωτῶν ὄντων ἐν τῇ χώρᾳ, οὐδὲ Φεραίοις πρότερον πρὸς τὰ τείχη προσβάλλων, οὐδ' Ὀλυνθίοις ἐξ ἀρχῆς, ἕως ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ τὸ ϛράτευμα παρῆν ἔχων. ἢ καὶ τοὺς ἀμύνεσθαι κελεύοντας πόλεμον ποιεῖν Φήσομεν; οὐκοῦν ὑπόλοιπον δουλεύειν· οὐ γὰρ ἄλλο γ' οὐδέν ἐϛι μεταξὺ τοῦ*

μητ' ἀμύνεσθαι μήτ' ἔχειν ἡσυχίαν ἐᾶσθαι, idem hoc mutato nomine ante triennium audiri potuit Praetoriae in Senatu [1]).

§ 67 p. 106: *τῇ μὲν τῶν ὠνίων ἀφθονίᾳ λαμπροί.* Non deterius mihi videtur quod invenitur Philipp. IV § 69 p. 149: *τῇ μὲν (τῶν) κατὰ τὴν ἀγορὰν εὐετηρίᾳ λαμπροί.* Cf. quoque Philipp. IV § 49 p. 144: *τὸ τῶν ὠνίων πλῆθος ὁρῶντες καὶ τὴν εὐετηρίαν τὴν κατὰ τὴν ἀγοράν.*

§ 70 p. 107: *οἱ τῆς παρ' ἡμέραν χάριτος τὰ μέγιστα τῆς πόλεως ἀπολωλεκότες*, quocum conferemus Philipp. III § 49 p. 123: *τὰ πλεῖστα τοὺς προδότας ἀπολωλεκότας.* Reiskius recte improbat Canteri *ἀποδεδωκότες*· equidem incideram in: *προπεπωκότες*, coll. Coron. § 296 p. 324: *τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες* et Olynth. III § 22 p. 34: *προπέποται τῆς παραυτίκα ἡδονῆς τὰ τῆς πόλεως πράγματα.*

ΚΑΤΑ ΦΙΛΙΠΠΟΥ Γ.

§ 1 p. 110: *πάντων φησάντων ἂν εἰ καὶ μὴ ποιοῦσι τοῦτο καὶ λέγειν καὶ πράττειν κτέ.* Imo: *εἰ καὶ μήπω ποιοῦσι.*

§ 4 p. 111: *οὔτε μικρὸν οὔτε μέγα [οὐδέν].* Uncinos addidi. Itidem scribam Fals. Leg. § 17 p. 346: *οὔτε μικρὸν οὔτε μέγα [οὐδ' ὁτιοῦν].* Recte legitur Lacrit. § 17 p. 928: *οὔτε μέγα οὔτε μικρὸν ἔπραττον* et Olympiod. § 44 p. 1179: *φωνὴν οὔτε μικρὸν οὔτε μεγάλην.* Eadem correctione utere Mid. § 75 p. 539: *οὔτε μικρὸν οὔτε μέγα [οὐδ' ὁτιοῦν].*

§ 23 p. 116: *ἀλλ' ὅμως οὐχ ὑμῖν οὐδεπώποτε συνεχωρήθη τοῦθ' ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων.* Perperam et inutiliter adhaeret: *ποιεῖν ὅ τι βούλοισθε.*

§ 24 p. 117. De Atheniensibus recte dictum est: *ἐπειδή τινες οὐ μετρίως ἐδόκουν προσφέρεσθαι, πάντες ᾤοντο δεῖν καὶ οἱ μηδὲν ἐγκαλεῖν ἔχοντες μετὰ τῶν ἠδικημένων πολεμεῖν*· sequitur de

1) Scriptum m. April. 1902.

Spartanis: ἐπειδὴ πλεονάζειν ἐπεχείρουν .... πάντες εἰς πόλεμον κατέστησαν, sed quod ex superioribus parum eleganter iteratur: καὶ οἱ μηδὲν ἐγκαλοῦντες αὐτοῖς ne verum quidem est, nam omnes Spartanorum imperium pariter perosi erant.

§ 27 p. 118: ἐν Εὐβοίᾳ καὶ ταῦτα ἐν νήσῳ πλησίον [Θηβῶν καὶ] Ἀθηνῶν. Nescio quomodo Thebarum et Athenarum nomina interdum confunduntur.

§ 27 p. 118: Ἦλιν ἔχει τηλικαύτην πόλιν [ἐν Πελοποννήσῳ]. Otiose hoc additum nec dicit Demosthenes ubi Ambracia sita sit, quae certe urbs longe minore fama nobilitata erat quam Elis. Sed, fateor, additamentum etiam Aristides habet IX p. 354.

§ 32 p. 119. Longa ῥῆσις ab verbo κύριος usque ad μέτεστι in Parisino libro deest itemque § 58 p. 125 omissa fuerunt: τότε μὲν πέμψαι τοὺς μετ' Εὐρυλόχου ξένους, πάλιν δὲ τοὺς μετὰ Παρμενίωνος. Haec igitur Blassius, quum sublestae fidei essent, minoribus literis excudenda curavit; Cobetus autem *Miscell.* p. 33 disertis verbis pronunciat sibi spuria videri; etenim quum priore loco exclamavisset orator: τί τῆς ἐσχάτης ὕβρεως ἀπολείπει; tum sequuntur ὑβριστικὰ quaedam, sed quod intercalatur: κύριος δὲ Πυλῶν καὶ τῶν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας παρόδων ἐστὶ καὶ φρουραῖς καὶ ξένοις τοὺς τόπους τούτους κατέχει, ut minime tolerabile sit, tamen non est ὑβριστικόν. De altero loco ubi Eurylochi et Parmenionis mentio fit, historici est secundum Cobetum haec minutiora commemorare, non oratoris; unde suspicatur excerpta fuisse ab aliquo Scholiasta ex Theopompo. Est hoc autem eiusmodi ut in utramque partem disputare liceat nec tanti mihi est Parisinus liber, quanti videtur Blassio; itaque quaestionem ne attigissem quidem, nisi indicare possem leve indicium, unde coniectura capi potest quam sit hoc additamentum vetustum. Scilicet Photius, qui uti videtur ex Aelio Dionysio profecit, adnotavit in lexico: παρώσας· ἐκβαλών. Pertinet adnotatiuncula ad § 32, in qua ita legimus: ἔχει δὲ καὶ τὴν προμαντείαν τοῦ θεοῦ παρώσας ἡμᾶς καὶ Θετταλούς. Illud quoque considerandum quo iure Cobetus postremum hoc ὑβριστικόν esse neget. Sed intricatam quaestionem studiosissime persecutus est Johannes

Dräseke in *Jahrb. f. Class. Philolog.* VII *Supplem. B.* 1874 p. 97—190 et imprimis de nostro loco conf. p. 126 et 157.

§ 43 p. 122. Iamdudum multis spuria visa sunt verba: *ἡ γὰρ Ζέλειά ἐϛι τῆς Ἀσίας·* notus locus est quem nihil opus est integrum describere, sed quod continuo sequitur: *ἐκεῖνοι Ζελείτην τινὰ Ἄρθμιον δοῦλον βασιλέως ἐχθρὸν αὐτῶν ἀνέγραψαν*, Arthmii nomen iam praecesserat et orator contemtim simpliciter *Ζελείτην τινά* hominem appellavit.

§ 61 p. 126: *τῶν δὲ πολλῶν εἴ τις αἴσθοιτο ἐσίγα καὶ κατεπέπληκτο τὸν Εὐφραῖον οἷα ἔπαθε [μεμνημένος]*. Vides quid suadeam. Plurimum miror fuisse qui ex libris Paris. et Marc. arriperent *μεμνημένοι*.

ΚΑΤΑ ΦΙΛΙΠΠΟΥ Δ.

§ 35 p. 140: *πάντων ὅσα ἐκλείπει, δέον παρά του γίγνεσθαι, ἐπὶ τοῦθ' εὑρήσετε τὴν αἰτίαν ἀναφερομένην*. Quantum comperi, ab Wolfio usque ad Voemelium nemo locum expedire potuit; equidem scripserim: *παραυτά* = *statim*. Scio quidem post Valckenaerium *Diatr. Eurip.* p. 179 B *παραυτά* plerisque visum fuisse proprium cadentis Graecitatis, sed tum invenio Aristocr. § 157 p. 672: *τί δὴ συμβαίνει παραυτά*, tum ferri poterit in spuria oratione, etiamsi usum ab ipso Demosthene abiudicaveris.

§ 47 p. 143: *παρελθὼν ἐπὶ τὴν τάξιν ἐφ' ἧς ὑμῖν τετάχθαι προσῆκεν ἕτερος, οὗτος εὐδαίμων γέγονεν*. Languet istud *ἕτερος*; concitate sophista scripserat mutata interpunctione: *ὁ ὄλεθρος οὗτος εὐδαίμων γέγονεν*.

§ 76 p. 151: *ἀργύριον μὲν τῷ λέγοντι ποιήσων*. Cobetus *Mnem.* 1858 p. 186 et *Miscell.* p. 44 correxit *οἴσων*, ego vero cum Herwerdeno *Mnem.* 1875 p. 127 fere malim: *περιποιήσων*.

ΠΕΡΙ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ.

§ 12 p. 169: *τῶν διαρρηγνυμένων (ἂν) εἰ ταῦτα γενήσεται*. Uniuscuiusque est talia corrigere.

§ 12 p. 169: *τί δ' ἡμῖν ἀπὸ τῶν Δημοσθένους λόγων ἀγαθὸν γέγονεν; (ὅς) παρελθὼν ἐνέπλησεν ὑμῖν τὰ ὦτα λόγων.* Vides quid exciderit.

§ 21 p. 172: *Θεμιςοκλέα τὸν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν ςρατηγοῦντα καὶ Μιλτιάδην τὸν ἡγούμενον Μαραθῶνι*, quibus consimilia leguntur Aristocr. § 198 p. 686, sed quum utrobique paulo post sequatur: *οὐδ' ἔς' οὐδεὶς ὅςις ἂν εἴποι τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν Θεμιςοκλέους ἀλλ' Ἀθηναίων, οὐδὲ Μαραθῶνι μάχην Μιλτιάδου ἀλλὰ τῆς πόλεως*, non video quomodo Themistoclis et Miltiadis propria nomina illic possimus retinere.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΣΥΜΜΟΡΙΩΝ.

§ 1 p. 177. Supplendum: *λόγον κεχαρισμένον (μέν), οὐ μὴν συμφέροντά γ' ἐκείνοις.* Convenit cum vlg. Prooem. 7.

§ 9 p. 180: *τούτους δ' ὑμῖν καὶ τοῖς μεθ' ὑμῶν κινδυνεύουσι πλείους ὑπάρχειν νομίζω.* Lege cum Dobraeo p. 383: *κινδυνεύσουσι.*

§ 11 p. 181: *τί τοὺς ὁμολογοῦντας ἐχθροὺς ἔχοντες ἑτέρους ζητοῦμεν;* absurda haec scriptura est, nec multo melior est *ὁμολογουμένους*, quae est in margine Codd. Marciani et Parisini Υ, vel *ὡμολογημένους* apud Dionysium. Quam miror nondum inventum fuisse quod ante pedes positum est: *τί τοὺς ὁμοροῦντας ἐχθροὺς ἔχοντες ἑτέρους ζητοῦμεν;* Intelligit Thebanos, uti vides.

§ 24 p. 184. Contendit orator Athenienses nunc quidem de belli subsidiis securos esse posse: *εἶναι γὰρ πόρον ἂν δέῃ μέγαν καὶ καλὸν καὶ δίκαιον, ὃν ἂν μὲν ἤδη ζητῶμεν, οὐδ' εἰς τόθ' ὑπάρχειν ἡγησόμεθα ἡμῖν· οὕτω πολὺ τοῦ πορίσαι νῦν ἀποσχήσομεν· ἐὰν δ' ἐῶμεν, ἔςαι.* De verbo *ἀποσχήσομεν* supra egi ad Philipp. II § 26 p. 72: ceterum necessarium iudico: *οὐδ' εἰς τόθ' ὑπάρξειν ἡγησόμεθα*, sicuti mox sequitur: *τίς οὖν ἔσθ' οὗτος ὁ νῦν μὲν οὐκ ὤν, ὑπάρξων δ' εἰς τότε·* itemque § 32 p. 187: *οἱ γὰρ ἡμῶν κρατήσαντες ἐκείνου γε πάλαι κρείττους ὑπάρ-*

χουσι, futurum prorsus necessarium est. Denique quam contorte enunciatum est: ἐὰν δ' ἐῶμεν· quin reponimus: ἐὰν δὲ δεώμεθα, i. e. *sicubi opus erit.*

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΡΟΔΙΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ.

§ 3 p. 191: οἱ Βυζάντιοι τοῖς ἀτυχήμασιν αὐτῶν οὐ βεβοηθηκότες. Blassius in *Museo Rhenano* XLIII p. 285 recte intellexit longe praestare Marciani libri lectionem: τοῖς ἀτυχήσασιν, nec tamen ausus est in editione ducem suum Parisinum deserere. Itaque ut assensum extorqueam, aliquot locos indicabo, ubi simile quid invenitur. Rhod. lib. § 22 p. 196: δόξαν ἔχοντας τοῦ σώζειν τοὺς ἀτυχήσαντας ἀεί. Ibid. § 21 p. 196: περὶ τῶν ἀτυχούντων δήμων. Epist. III § 11 p. 1477: τοῖς ἀτυχήσασιν ἀεὶ κοινὴν ἔχει καταφυγήν. Coron. § 323 p. 332: ἀτυχησάντων τῶν Ἑλλήνων. Etiam Aristocr. § 70 p. 643: οὐκ ἐπέθεντο τοῖς ἀτυχήμασιν, Weilius optime correxit ἀτυχήσασιν. Sed etiamsi hi loci deessent, tamen recte ratiocinando unusquisque incidere potuerat in id quod illic verum est: τοῖς ἀτυχήσασιν αὐτῶν οὐ βεβοηθηκότες.

§ 14 p. 194: παρῄνεσα ἂν ὑμῖν τούτους ἑλέσθαι. Commendo: δέχεσθαι. Ipsa historia hoc suadet, nam Rhodii Atheniensium auxilium implorarant.

§ 18 p. 195: οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως ὀλίγοι πολλοῖς [καὶ] ζητοῦντες ἄρχειν τοῖς μετ' ἰσηγορίας ζῆν ᾑρημένοις εὖνοι γένοιντ' ἄν. Coniunctio καί qua locutionis elegantia obscuratur, quantocius expungenda est, sed nullam idoneam causam video cur cum Blassio deleam ὀλίγοι πολλοῖς. Omnia certe ea quae acutissime disputare solet de Demosthenis numero oratorio et de oratione non ligata quidem sed tamen quasi ligata, adulescens doctrinam nondum repertam cognoscere non potui; nunc autem seni ista perdiscere sero est. Quae Blassius ex illa inexhausta penu hucusque depromsit, mihi perexigui momenti esse videntur ad corruptorum locorum emendationem. Sed iuniores haec aliquando diiudicabunt.

§ 33 p. 200: *χρῆν τοίνυν καὶ τοὺς τὴν ὑπὸ τῶν προγόνων τάξιν ἐν τῇ πολιτείᾳ παραδεδομένην λιπόντας* [*καὶ πολιτευομένους ὀλιγαρχικῶς*] *ἀτίμους τοῦ συμβουλεύειν ὑμῖν αὐτοῖς ποιεῖσθαι.* Interpolata verba misere languent.

ΥΠΕΡ ΜΕΓΑΛΟΠΟΛΙΤΩΝ.

§ 5 p. 203: *σκεπτέον μὴ πρότερον τούσδε γενέσθαι Φοβεροὺς καὶ μεγάλους ἐάσωμεν ἢ 'κεῖνοι μικροὶ γενήσονται.* In Parisino libro est *τε γενήσονται*, unde effinxeram: *γεγενήσονται*, sed Weilius me antevertit et Blassius Weilii corectionem probavit.

§ 18 p. 206: *αἱρετώτερον ἡγοῦμαι τὸν Ὠρωπὸν ἐᾶν ἢ Λακεδαιμονίοις Μεσσήνην προέσθαι* [*καὶ Πελοπόννησον*]. Ultimum hoc spurium videtur, sed talia sentiri possunt, sine multis ambagibus demonstrari non possunt.

§ 18 p. 206. Codicum lectio est: *οὐ γὰρ ἂν ἡγοῦμαι περὶ τούτου μόνον ἡμῖν εἶναι τὸν λόγον πρὸς ἐκείνους, ἀλλ' ἐάσω τό γ' ἐπελθὸν εἰπεῖν μοι· περὶ πολλῶν δ' ἂν οἶμαι κίνδυνον ἡμῖν γενέσθαι.* Hic primus Cobetus vitium odoratus est *Miscell. Crit.* p. 81. „Scribe", inquit, „*ἡμῖν εἶναι τὸν λόγον πρὸς ἐκείνους*, tum post breve silentium: *ἀλλ' ἐάσω τό γ' ἐπελθὸν εἰπεῖν μοι*, deinde tanquam spuria abiicienda sunt verba: *περὶ πολλῶν δ' ἂν οἶμαι κίνδυνον ἡμῖν γενέσθαι.*" Hanc suspicionem ut confirmaret, optimum praesidium Cobetus habuisset, si veteres interpretes apud G. H. Schaeferum consuluisset vel etiam Walzii Indicem: etenim Hermogenes p. 346 hoc affert *ἀποσιωπήσεως* exemplum: *οὐ γὰρ περὶ τούτων· ἀλλ' ἐάσω τό γ' ἐπελθὸν εἰπεῖν μοι.* Adstipulatus est Cobeto Weilius, deinde supervenit Herwerdenus, cui *Mnem.* 1875 p. 127 nihil genuinum est praeter ea quae legerat apud Hermogenem. De priore sententiae parte Blassius consentit, sed ei genuina sunt illa postrema: *περὶ πολλῶν — γενέσθαι*, qua in re certe eum non sequentur qui cum Herwerdeno subintelligunt: Non enim agitur de *unius* oppidi possessione, sed de universa nostra salute; non enim futurum erat periculum *περὶ πολλῶν*, sed *περὶ πάντων*. Si res

mei arbitrii foret ederem: *οὐ γὰρ ἂν ἡγοῦμαι περὶ τούτου — ἀλλ' ἐάσω τοὐπελθὸν εἰπεῖν μοι*, reliquis tamquam spuriis resectis. Quod autem scripsi *τοὐπελθόν* pro *τό γ' ἐπελθόν*, feci cum Cobeto *Mnem.* 1855 p. 244.

§ 25 p. 208: *τὰς μὲν Θεσπιὰς καὶ τὸν 'Ορχομενὸν καὶ τὰς Πλαταιὰς κατοικίζεσθαι Φῶμεν δεῖν καὶ συμπράττωμεν αὐτοῖς καὶ τοὺς ἄλλους ἀξιῶμεν.* Cobetus, *Miscell.* p. 82, post alios bene correxit *αὐτοί·* sed quam est mire dictum illud *Φῶμεν δεῖν* et post *Φῶμεν δεῖν* quam languet *συμπράττωμεν*. Scripserim: *κατοικίζεσθαι ἐῶμεν καὶ συμπράττωμεν αὐτοί.* Sic quoque § 26 p. 209: *ὅταν ἀεὶ τὰς μὲν οὔσας πόλεις ἐῶμεν ἀναιρεῖν, τὰς δ' ἀνῃρημένας ἀξιῶμεν οἰκίζειν.*

§ 30 p. 210: *βέβαιοι σύμμαχοι Θηβαίων [δικαίως] ἔσονται.* Adverbium recte deest in Codice Ω.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΣΥΝΘΗΚΩΝ.

§ 15 p. 215: *τοὺς συνεδρεύοντας καὶ [τοὺς] ἐπὶ τῇ κοινῇ Φυλακῇ τεταγμένους.* Apparet quid velim et cur ita velim.

§ 17 p. 216: *βουλευσώμεθα πῶς δεῖ χρῆσθαι τοῖς δεσποτικῶς καὶ ἀσελγῶς διακειμένοις.* Inseram: *ἀσελγῶς* (*οὕτω*), cf. § 21: *τοῖς οὕτω ὠλιγωρημένοις.*

§ 26 p. 218: *τὸ δὲ ὑβριστικώτατον καὶ ὑπεροπτικώτατον [τῶν Μακεδόνων].* Duo vocabula delenda.

§ 28 p. 219: *ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις [διειρημένου] μηδὲν τοιοῦτον εἰσδέχεσθαι.* Nescio quomodo Weilius participium eiiciendum censuit itemque Blassius eum secutus uncinis circumdedit. Prorsus non video quomodo carere possimus vocabulo e quo pendeat infinitivus *εἰσδέχεσθαι*, sed praeferam nom. absol. *διειρημένον.* Sic ipse quoque Blassius Lacrit. § 52 p. 941: *γεγραμμένου 'Αθήναζε ἥκειν τὰ χρήματα*, praetulit *γεγραμμένον* et Herwerdenus Thuc. VI 58 *ἀγγελθέν* maluit quam *ἀγγελθέντος.*

(*Continuabuntur*).

DE PLAUTI PSEUDOLO.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

Prodiit nuper Groningae specimen litterarium inaugurale de Pseudolo, quod conscripsit I. W. Bierma, qui cum accuratam comicorum latinorum eorumque fontium cognitionem sibi paravisset, docte et sagaciter persecutus est quicquid recentiores v. d. de fabulae compositione, indole, personis, vitiis denique observaverant, adnotans interim quid ipsi displiceret in universa huius comoediae oeconomia, eo eventu, ut spreta illorum opinione, qui Pseudolum interpolationibus inquinatam esse perhiberent, eam potius ex duabus graecis conflatam esse contenderet, quarum altera pro argumento habuisset frustrationem Ballionis per lepidum dolum (huc pertinerent I 2. 3, II 2—4, III 1. 2, IV 1—4, 7), altera frustrationem Simonis, quem callidus servus XX minis circumverteret ad emendam filii amicam. Hae fabulae in unum conciliari non potuerunt sine multis mutationibus et additamentis, unde factum esse affirmat, ut nunc nobis supersit comoedia multis nominibus inconcinna sibique contraria.

Quamquam hanc thesin magna arte praeparavit et defendit, mihi tamen probare eam non potuit. Non autem in animo est omnes viri doctissimi argumentationes nunc persequi. Rerum plautinarum studiosos ad ipsam dissertationem relego, quam nemo qui de Pseudolo iudicare velit sine damno negliget [1]).

1) Quaestiones de Plauti Pseudolo, Groningae ap. Scholtens 1897. Praeter ipsam fabulam multa tetigit lectu digna, imprimis p. 49—82, „de interpolationibus Plautinis", ubi plerasque reicit et Bücheleri opinionem refellit multas interpolationes ortas esse inde, quod spurcioribus locis verecundiora supponerentur, et p. 105—143 „de criticis et exegeticis".

Ipse potius exponam, quam mihi opinionem de Pseudoli indole et compositione informaverim.

Non deesse in Pseudolo quae interpolationum vel contaminationis suspicionem movere possint, olim observatum est nemoque negabit. De qua re ut rite aestimemus, disputatio incipienda est a fabulae narratione, in quo iam statim cavendum, ne incidamus in errorem omnium, ni fallor, interpretum, qui fabulae expositionem ordiuntur a scena I, praetervidentes in ea omissam esse rem ante actam quaeque ad expositionem omnino pertinet, sed quae legitur demum I 3. 351 sqq., ubi Calidorus sic loquitur ad Ballionem:

Quid ais, quantum terram tetigit hominum periurissime?
Iuravistin te illam nulli venditurum nisi mihi?
Ba. Fateor. Cal. Nempe conceptis verbis? Ba. Etiam consutis quoque.
Cal. Periuravisti, sceleste. Ba. At argentum (XV minas) intus condidi.

Si cum his comparamus quae Pseudolus dixit 279:

Hunc pudet, quod tibi promisit quoque id promisit die,
Quia tibi viginti minas pro amica etiam non dedit,

apparet Ballionem, a l i q u a n t o a n t e s t i p u l a t i o n e m i l l a m c u m m i l i t e unde fabulae expositio incipit in I 1, iurasse se Phoenicium nulli venditurum nisi Calidoro eamque huic cessurum esse si praestituta die XX minas dedisset.

Igitur ab hoc inde tempore Calidorus argentum parare conatus est, quod spectant Simonis verba ad Calliphonem I 5. 418:

Ita nunc per urbem solus sermoni omnibust,
Eum velle amicam liberare et quaerere
Argentum ad eam rem: hoc alii mihi renuntiant
Atque id iam pridem sensi et subolebat mihi
Sed dissimulabam.

et ad Pseudolum 484:

Ecquas viginti minas.
Paritas ut a med auferas?
quas meo gnato des, qui amicam liberet? [1])

---

1) Utrumque locum Langen aliique perperam traxerunt ad stipulationem Ballionis cum milite, unde mirae turbae ortae sunt

Sed Calidorus et Pseudolus lenti fuerunt in conquirenda pecunia, securi nimirum propter iusiurandum lenonis, et praeterire siverunt praestitutam diem, unde Calidorus in exordio comoediae 96:

Quid ego ni fleam,
Quoi nec paratus nummus argenti siet
Neque libellai spes sit usquam gentium?

At nunc urgente tempore rem fortius aggredietur Pseudolus 104:

Spero alicunde hodie me bona opera aut hac mea
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.
Atque id futurum unde unde sciam nescio,
Nisi quia futurumst: ita supercilium salit.

et quae sequuntur usque ad vs. 120.

Haec igitur facta erant antequam Calidorus, secundum expositionem primae scenae, epistolam accepit a Phoenicio, quam post multos dies demum Pseudolo ostendit, quaerenti quid tristis esset et exanimatus, qui post multa ioca eam recitat. Continet praeter alia hoc gravissimum indicium 51:

„Leno me peregre militi Macedonio
Minis viginti vendidit, voluptas mea,
Et priusquam hinc abiit quindecim miles minas
Dederat: nunc unae quinque remorantur minae.
Ea causa miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex anulo suam imaginem,
Ut qui huc adferret eius similem symbolum
Cum eo simul me mitteret: ei rei dies
Haec praestitutast: proxuma Dionysia." —
Cras ea quidem sunt. Cal. Prope adest exitium mihi,
Nisi quid mihi in test auxili ...

Hac igitur epistula Calidorus et Pseudolus certiores fiunt de stipulatione quam nuper fecerat Ballio cnm milite atque disertis verbis condiciones eius atque tempus cognoscunt.

Iam vero in scenis sequentibus permulta leguntur quae pugnare videntur cum hac diserta stipulationis cognitione quam ex epistula habuerunt Calidorus et Pseudolus.

1. Secundum vs. 60 et vs. 82 „ille abducturus est mulierem cras" legatus militis exspectatur cras, sed secundum sequentia hodie:

373 Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas.
623 Nam olim quom abiit, argento haec dies praestitutast.

venitque Harpax revera hodie [1]).

2. In fine scenae I 2 Ballio sic territat Phoenicium 225:

Tu autem, quae pro capite argentum mihi iam iamque semper numeras,
Ea pacisci modo scis, sed quod pacta's non scis solvere,
Phoenicium, tibi ego haec loquor, deliciae summatum virum:
Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur,
Cras, Phoenicium, poenicio corio invises pergulam.

Exprobratio in vs. 226 „Ea pacisci modo scis" e. q. s. a spectatoribus necessario referri debet ad stipulationem cum milite, quam paulo ante acceperunt ex epistola, cum ignorent adhuc stipulationem anteriorem cum Calidoro, omissam, ut vidimus, in expositione scenae primae. Sed in stipulationem cum milite non quadrant verba „quod pacta's non scis solvere", quoniam iam solutae sunt XV minae et reliquae V mox sequentur. Itaque iure hoc reprehendit Langenus p. 199: „Was in dieser Scene Ballio der Phoenicium vorhält, steht in scharfem Wiederspruch mit der Thatsache, dass sie bereits verkauft und 15 minae bezahlt sind und sie heute noch abgehollt werden soll (373 ff.)." Accedit quod comminatio poenae (228) in diem proximum inepta est: „(er) droht ihr mit Strafe fur den folgenden Tag, wo sie jedoch voraussichtlich gar nicht mehr in seinem Besitze ist."

Neque spectatoribus tantum, sed etiam Phoenicio exprobratio et minae vanae videri debent, cum secundum vs. 226 ipsa pactionem inierit, se cras vel hodie venum datum iri [2]).

3. Eandem ob causam incongrua sunt quae continuo leguntur in proxima scena, ubi Calidorus, immemor epistulae, fidem habet Ballionis minationi et Pseudolum sic implorat 230:

Pseudole, non audis quae hic loquitur? Ps. Audio, ere, equidem atque animum advorto.
Cal. Quid mihi's auctor huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?

1) Cf. Bierma p. 87 sq. Lorenz, praef. p. 3, hanc repugnantiam mire excusavit propter poetae erroris sui inscitiam. Langenus Plaut. Stud. p. 198 sqq. de hac re omnino tacuit.

2) Bierma, quantum video, hanc quaestionem non tetigit.

Recte denuo Langenus: „Ebensowenig ist also auch die Besorgniss des Calidorus der Sachlage entsprechend." (Cf. Bierma p. 37). Nec Calidoro tantum, amatori oblivioso fortasse et nimis anxio, sed ipsi Pseudolo excidit memoria cum epistolae tum promissi, se hodie inventurum esse XX minas, cuius rei commemoratio omnem curam erili filio eximere potuerat, sed consolatur tantum et simul suo nomine lenoni minatur inania 232:

Nil curassis: liquido's animo: ego pro me et pro te curabo.
Iam diu ego huic bene et hic mihi volumus et amicitiast antiqua:
Mittam ego huic suo die natali malam rem magnam et maturam.

4. Omnium maxime pugnat cum epistola ingens laetitia Calidori cum Ballio affirmat 323 „Vel sex menses opperibor ... quia enim non venalem iam habeo Phoenicium", et ingens ira atque indignatio, cum idem verba sua sic explicat 341 „Non habeo profecto (venalem), nam iam pridem vendidi ... XX minis militi Macedonio et iam XV habeo minas." Cum rem dudum cognovisset ex epistula, ineptum est haec Calidorum ita commovere ut gladium poscat quo se occidat (349).

Dicat aliquis Calidorum simulasse laetitiam et indignationem, sed primum hoc abhorret ab eius indole, quam Lorenz recte sic descripsit p. 3: „ein gutherziger und vertrauensvoller aber charakterschwacher und rathloser Jüngling", praeterea utraque animi commotio tam repentina pingitur quam sincera et nata ex ipsis verbis lenonis, denique simulationi nulla causa esset idonea; etenim si lenoni statim respondisset: „at iam vendidisti et accepisti XV minas", hic sine mora id promisisset, quod nunc pollicetur multo post, 376: „si tu argentum attuleris, cum illo perdidero fidem". Simulatio igitur inserviisset tantum scenae protrahendae per facetias et convicia (327—329, 347—370), quod Graeco saltem poetae imputare noluerim [1]).

5. Esse etiam in prima scena quae pugnent cum epistola sic observavit Langenus p. 199: „Gemäss dem Briefe ist Phoenicium bereits verkauft, was dem Calidorus deshalb die 20 minae welche er verlangt (80. 97) nützen sollen, vermag man zuvör-

1) Cf. de hac re Langen p. 200 et Bierma p. 36

derst nicht zu begreifen". Consentaneum fuerat ut Calidorus post acceptam epistolam, memor foederis iurati cum lenone, statim in iram exardesceret eumque ab hac parte adoriri pararet iuvante Pseudolo, ut nunc fit demum post 350 sq.

Sed cohaeret hoc cum mutatione consiliorum, quibus ero opem ferat, in Pseudolo, de qua re opus est peculiari disquisitione.

6. In prima scena etiam Pseudolus loquitur et meditatur tantum de invenienda pecunia, nec minus in scena I 3 usque ad versum 342 stipulationem cum milite omnino ignorat et cum Ballione ita colloquitur ut, si inveniantur modo XX minae, acquisitio mulieris salva esse videatur Calidoro. Supra citavi 279 sq. idemque docent 283 sq. [1]).

Illa igitur ignorantia Pseudoli pugnat cum iis quae ipse recitavit ex epistula, cogitat tantummodo de emenda Phoenicio XX minis neque hilum temporis suspicatur aliquem militem esse, qui emptionem anteverterit. Sed mutatur hoc consilium derepente inde a vs. 381, postquam a lenone de militis stipulatione edoctus est novamque inde viam iniri posse et debere perspexit potiundi muliere. Novum consilium suppeditatur his verbis lenonis 373:

Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas,
Sicut haec est praestituta summa ei argento dies:
Si id non adfert, posse opinor facere me officium meum.
CAL. Quid id est? BA. Si tu argentum attuleris, cum illo perdidero fidem.

Hinc igitur percipit Pseudolus amissam esse Phoenicium, nisi eam ante adventum legati militaris cum V minis, qui sine dubio non morabitur, aliquo dolo praeripuerit. Qualis autem fallacia adhibenda sit nullum temporis momentum dubitare poterat, quin etiam spectatores, opinor, hoc extemplo suspicabantur, recordantes quotiens lenones, milites aliique inhonesti viri in fabulis deciperentur per simulatas personas falsa specie indutas, ut in Persa, Milite, Epidico et postea in Phormione. Erat hoc consilium effectu quidem difficile, sed non ἀδύνατον:

---

1) Duo tantum loci excipiendi sunt, 284 et 323, in quibus metus venditionis exprimitur; de his postea videbimus.

opus erat V minis, falso nuntio, epistula facticia (ut in Bacchidibus), utque sciretur nomen militis, Phoenicio procul dubio non ignotum; de symbolo cum non locutus esset Ballio, hoc Pseudolus curare non debebat.

Pseudolum *post verba lenonis* consilium mutavisse ostendunt ea quae loquitur vs. 381 sqq. ubi iam non ut antea calliditatem suam et peritiam ad turbelas ciendas generaliter praedicat, aut inania minatur, ut 109 et 232 sqq., sed *aliquem dolum* se animo concepisse significat, quo leno certissime capi possit atque huius doli praeparandi initium iam facit imperans Calidoro, ut certum et cautum operis adiutorem sine mora sibi quaerat; cum enim leno abiens dixit: „Negoti sum plenus", Pseudolus cum fiducia praedicit fore ut paullo post etiam plus negotii lenoni facessat:

Paullo post magis.
Illic homo meus est, nisi omnes di me atque homines deserunt.
Exossabo ego illum simulter itidem ut muraenam coquos.
Nunc, Calidore, te mihi operam dare volo

et quae sequuntur ad finem scenae.

Vidimus quam multa pugnent in his scenis cum venditione Phoenicii expressa in tabellis quas Pseudolus ero recitavit. Iam vero ut hae repugnantiae uno ictu summoveantur, non necesse est ut tota tollatur epistula, sed ut ii tantum versus expellantur qui *rationem et tempus* venditionis continent. Atque necesse est quidem, ut aliquam monitionem Calidorus ab amica acceperit imminere periculum ne propediem alienetur, secus enim nulla causa esset cur is, qui tamdiu laxus et negligens fuerat in quaerenda pecunia, nunc subito hoc omni opera studeret, idque probant quoque versus, quos supra indicavi

284 Nam id hic metuit ne illam vendas ob simultatem.
382 Opperiare hos sex dies aliquos modo,
Ne illam vendas neu me perdas hominem amantem.

quae verba ab altera parte excludunt certam venditionis notitiam in Pseudolo et Calidoro, ab altera tamen aliquem metum produnt venditionis, quem suppeditare debuit Phoenicii epistula. Itaque pro iis quae nunc leguntur in vs. 51—60, Phoenicium *hoc tantum monere* debuit, esse cur metuat, ne peregrino

amatori tradatur, nisi Calidorus mature intercedat atque stet pactione cum Ballione olim inita, etenim huius pactionis quoque mentio fieri debuit in his litteris, uti mox apparebit. Hac correctione evanescunt obstacula quae offendimus:

1. Discrepantia temporis inter cras et hodie tollitur.

2 et 3. Poena prostitutionis, quam Ballio minitatur 225 sqq., iustum horrorem inicere potest Phoenicio, spectatoribus, Calidoro et Pseudolo, quandoqnidem ignorant mulierem hodie vel cras abductum iri e domo lenonis. Sed si tollitur ex epistula pactum cum milite, quem sensum tunc habet spectatoribus vs. 226 „Ea pacisci modo scis, sed quod pacta's non scis soluere", cum nihildum illi audiverint de aliqua pactione Phoenicii? Hoc igitur est quod dixi, in tabellis Phoenicii commemoratam fuisse pactionem Calidori cum milite breviter quidem, sed tamen ita ut eius reminiscerentur spectatores ad hunc versum. Et de hoc foedere revera dici potest ipsam Phoenicium illud pactam esse, dum foedus cum inviso milite non ipsam sed Ballionem fecisse statuendum sit.

4. Laetitia et desperatio Calidori genuinae sunt et iustae si primum a lenone cognoscit venditionem.

5 et 6. Rectissime Pseudolus in primis scenis usque ad vs. 381 hoc tantum agit ut inveniantur XX minae ad emendam mulierem, quam iam veniisse nondum cognoverat.

Proposita epistolae correctione etiam leviora vitia tolluntur, quae notavit Langenus. Primum ad vs. 9 sqq

Quid est quod tu exanimatus hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis
Neque tui participem consili quemquam facis?

de quibus hoc observat: „Auffällig ist dabei, und nicht im geringsten begründet, dass Calidorus sich nicht bereits früher und unaufgefordert an Pseudolus gewand hat, da diese ihn sonst doch immer in seinen Verlegenheiten zu helfen pflegte", vs. 16 flg.

Et p. 199 ad vs. 22: „Mann sollte erwarten Pseudolus habe ihn (epistolam) sofort gelesen: dies geschieht jedoch keineswegs, sondern der Sklave macht zunächst allerlei Scherze und beginnt erst bei vs. 41 zu lesen". Si nulla dies venditionis în epistula fuit commemorata, non erat periculum in mora poteratque sine damno Pseudolus iocari antequam legeret et Calidorus

solus maerere et lacrimis lavare tabellas antequam ostenderet servo [1]).

Cum autem vs. 51—60 damnandos esse dicerem, hoc volebam eos corrumpere fabulae oeconomiam atque ideo afuisse ab exemplo graeco, cum comoedias Menandri, Philemonis aliorumque ingeniorum graecorum huiusmodi vitiis caruisse probabile, ne dicam certum sit. Quod efficimus ex iis fabulis Plautinis et Terentianis, quae oeconomiae vitiis, nisi levissimis, omnino carent et communi doctorum consensu graecorum exemplorum sanitatem et concinnitatem optime referre videntur. Itaque quaeritur a quonam et cur hae mutationes in latinum Pseudolum inlatae sint.

Continent hi versus nihil quod non ex aliis comoediae versibus interpolari potuerit: 344—346, 373, 647—649, 753 sq., 1001 sq., sed postrema verba proxima Dionysia, non interpolatorem, verum Plauti manum mihi prodere videntur, quem puto hanc partem epistolae ex illis locis confinxisse atque Dionysiorum mentionem, quam frequenter habet, adiecisse pro flosculo et tamquam graecae originis symbolo. Fecit hoc temere, cum in reliqua fabula hoc temporis indicium non modo prorsus omittatur, sed etiam v. 123, „cras agam cum civibus", ostendat diem proximum non feriatum fuisse sed fastum, nec praeterea credibile sit, huiusmodi negotium transigi potuisse in Graecia ipsis Dionysiis (cf. vs. 82).

Cur autem hos versus substituit? Nimirum ut dolor et desperatio Calidori statim ab initio auditores vehementius commoveret propter periculum proxime imminens, cum enim in graeca fabula temporis indicium deesset, spectatores aequiore animo Pseudoli consiliorum eventum exspectabant. Quod autem parvi

---

1) Tabellas multos dies sibi servatas a Calidoro iam reprehenderat Lorenz in praef. adn. 25. Bierma p. 48 minus feliciter hunc locum tractavit: flagitabat sane argumenti ratio ut Pseudolo inter exiguum temporis spatium auxilium esset inveniendum, verum huic rei satisfactum esset acceptis tabellis pridie vel hoc ipso die mane. In iis autem quae Langenus addidit p. 198: „Sollte aber in der That Ps. nichts von der Verlegenheit des Cal. wissen? Simo wenigstens kennt dieselbe und behauptet, die ganze Stadt spreche davon, 418 ff.", agnoscis errorem supra a me notatum, ut non distingueret inopiam Calidori et pecuniae conquisitionem priorem (de qua Simo loquitur) ex sua stipulatione cum lenone, a posteriore quae oriebatur ex militis stipulatione.

fecit repugnantias quae inde orerentur, hanc levitatem prorsus Plautinam esse, qui non adstricto percurrit pulpita socco (Hor. Ep. 2. 1. 174), multis exemplis docuit Langeni caput „de argumenti vitiis" p. 89—232, ex quibus etiam si improbas multa, satis magna tamen vitiorum copia manebit.

Ostendimus supra (p. 135) inde a vs. 381 Pseudolum propositum suum mutavisse, neque amplius quaerere XX minas ut redimat, sed d o l u m ut surripiat mulierem ante adventum legati militaris. Ab hoc inde tempore non opus sunt XX minae, sed tantum V. Quaeritur qui fiat, ut in sequenti tamen fabula etiam XX minae identidem commemorentur.

Tres stipulationes XX minarum fiunt in hac fabula, quae probe distinguendae sunt.

Prima in I 1. 112 sqq., ubi Pseudolus spondet Calidoro se etiam hodie praebiturum XX minas, quibus emat scilicet Phoenicium.

Altera in I 5. 535 sqq., ubi Simo implicite pollicetur, dum huius promissi praedem se offert senex Callipho, Pseudolum accepturum eandem pecuniae summam, si lenonem muliere circumduxerit.

Tertia in IV 6. 1070 sqq. Nempe leno in foro e Simone cognovit alteram stipulationem cum Pseudolo. Cum autem se prorsus tutum esse aestimet a Pseudoli fallaciis, confidenter Simoni spondet, se XX minas ei soluturum, si nihilominus deceptus fuerit a Pseudolo. Senex igitur semper indemnis abibit, contra Ballio bis periclitatur: etenim si circumductus fuerit a Pseudolo, militi reddendae erunt XV minae et Simoni insuper XX, quas hic Pseudolo debebit.

Ex his stipulationibus prima spectat e m p t i o n e m Phoenicii, altera et tertia s u r r e p t i o n e m ex mutato Pseudoli consilio.

Sed cum altera stipulatio pertineat ad surreptionem, quae V minis perficietur, quaeritur cur Pseudolus XX tamen roget. Nihil autem spectat nisi lucrum sibi et Calidoro [1]), sentit quidem Simonem sibi filioque periratum nihil lucri concessurum esse ideoque argentum sic petit, quasi ilico hoc traditurus sit

1) In 1321 sqq. aufert eas praedae et lucri instar.

lenoni pro amissa meretrice 536: „Dabin mihi argentum, quod dem lenoni ilico tua voluntate”.

Praeter hos locos XX minae (argentum) etiam nominantur in 405. 412. 420. 431. 484. 508 et 518, ubi mentio non pertinet ad surreptionem, sed ad emptionem, quamquam emendi consilium diu iam desertum esse vidimus.

Ex his locis tres non pugnant cum consilii mutatione, quoniam senex ibi loquitur adhuc de priore emendi consilio (420. 431. 484), ignarus posterioris, quod accipit demum 526.

Sed *pugnant quatuor qui restant*: 405. 408. 508. 518, de quibus deinceps erit disputandum.

Sub finem scenae I 3 intelligit quidem Pseudolus lenonem circumveniendum sibi esse per falsum nuntium, sed quomodo hanc rem expediat nondum perspicit, quam consilii inopiam sic exprimit in scena 4, quae tota describenda est, quippe multis difficultatibus obnoxia:

Postquam illic hinc abiit, tu astas solus, Pseudole.
Quid nunc acturu's, postquam erili filio
Largitu's dictis dapsilis? Ubi sunt ea?
Quoi neque paratast gutta certi consili
[Neque adeo argenti: neque nunc quid faciam scio.]
Neque exordiri primum unde occipias habes
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quasi poeta, tabulas quom cepit sibi,
Quaerit quod nusquam gentiumst, reperit tamen:
Facit illud veri simile quod mendaciumst:
Nunc ego poeta fiam: viginti minas,
Quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.
Atque ego me iampridem huic daturum dixeram
Et volui inicere tragulam in nostrum senem:
Verum is nescio quo pacto praesensit prius.
Sed comprimunda vox mihi atque oratiost:
Erum eccum video huc Simonem una simul
Cum suo vicino Calliphone incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem erili filio
Nunc huc concedam, unde horum sermonem legam.

Versum 398 spurium esse omnium consensu coarguit non tan-

tum languida repetitio praecedentis, sed magis etiam constructio inconcinna, cum flagitaretur quid facias scis, ut in versibus circumpositis.

Porro vs. 406—408 a plerisque (Ussing. Lorenz. Langen. Leone) expunguntur, quia neque iam pridem illud dixerat, sed nuperrime dixit in 112, neque usquam in hac fabula tragulam seni inicere voluit aut iniecit, denique quia praesensio senis h. l. dedecet propter vs. 426. Etiam 409 multis repetitus esse videtur ex III 1. 788.

Sed mihi graviora displicent in hac scena. Ut nunc se habet, certi consilii inopia (397) pertinet ad inventionem XX minarum, quas, quamquam nusquam sunt, se tamen poetae instar inventurum affirmat et effossurum ex hoc sepulcro vetere, h. e. erepturum Simoni, ut det erili filio, nempe ad emendam Phoenicium. Pugnant haec cum mutato consilio, quod modo professus est, eripiendae mulieris et cum omnibus iis, quae dehinc in hac fabula aguntur [1]), ubi nihil effoditur h. e. per vim vel dolum abripitur a sene, sed ipse sua sponte promittit XX minas (535 sqq.), neque hae destinantur erili filio, sed Pseudolo praemii loco ob dolum feliciter peractum [2]). Accedit, quod semel iterumque monui, nullum usum esse XX minarum, cum proxime instet adventus legati, mulierem abducturi, nisi prius hoc fecerit Pseudolus, qui sine dolo id facere non poterit.

Necesse est hanc scenam a graeco auctore ita constitutam fuisse, ut Pseudoli inopia pertineret ad novum consilium. Hic sensit quidem continuo rem agendam esse per hominem subdi-

1) De versibus 421—426 et 507—521 infra agam.

2) Bierma his de causis totam scenam a Plauto interpolatam ducit ex altera fabula „de frustratione Simonis", quam finxit. Cf. p. 38. 56. 86.

Langenus hanc scenam tractavit p. 358.

Leo in Herme XVIII p. 563 suspicatus est, illum, qui graece fecit hanc comoediam, quem putat fuisse Menandrum, cum scriberet vs. 412 sq. meminisse Menandri Thesauri, cuius argumentum servavit Donatus ad Eun. prol. 10, nam: „utrobique, „inquit, servus thesaurum ex paterno sepulcro desumptum erili filio destinat". Sed hocine verum est? In his vss. servus adit sepulcrum eo consilio ut thesaurum effodiat et rapiat, sed in Thesauro mittitur ab adolescente ut epulas inferat in monumentum patris, aperit hoc una cum sene, qui agellum nunc possidet, inveniuntque thesaurum, quem senex retinet, adolescens in iure sibi vindicat. Vide, quantum intersit, quamque infirma sit conclusio hinc deducta a M. Schanz in H. litt. 1. 53.

ticium et quinque minas atque falsam militis epistolam, sed qua ratione haec intra brevissimum tempus praeparari et adhiberi possent, nondum meditari potuit. Idcirco neque parata est gutta certi consili, neque habet unde telam exordiatur, sed, ut poeta, quod mendacium est veri simile reddet per ingeniosa inventa.

Plautus igitur deflexit ab exemplo graeco inde a vs. 404, cum graeca fabula in hunc fere modum pergeret: „Nunc ego poeta fiam et veri similia reddam, quae falsa et mendacia sunt", dein sequebantur vs. 409, qui non necessario abiciendus est, atque 410, 411 et 414. Cur Plautus haec immutaverit, apparebit, postquam enucleavero alias interpolationes duas eiusdem originis in sequenti scena.

Simo in sequenti scena I 5 amico suo Calliphoni refert sermonem urbanum de filio, 419:

> Eum velle amicam liberare et quaerere
> Argentum ad eam rem: hoc alii mihi renuntiant
> Atque id iam pridem sensi et subolebat mihi,
> Sed dissimulabam.

Antequam Callipho his respondet, Pseudolus a latere haec loquitur:

> Iam illi fe<tat> filius:
> Occisast haec res, haeret hoc negotium.
> Quo in commeatum volui argentarium
> Proficisci, ibi nunc oppido obsaeptast via.
> Praesensit: nihil est praedae praedatoribus.

Simo verissimum populi rumorem refert, illo tempore natum cum Calidorus post iuratum foedus cum Ballione viginti minas quaerere inciperet, at vero Pseudoli verba inepta sunt, cum nullam utilitatem amplius habeat argentum a patre auferendum. Cadant hi versus necesse est cum iis, quos modo damnavimus in praecedenti scena et quibuscum arte cohaerent [1]).

---

1) Cum vs. 484 Simo sic rogat:

> Ecquas viginti minas paritas ut a med auferas
> ... quas meo gnato des, qui amicam liberet?

Pseudolus hoc fatetur et fateri potest, nam auferet XX minas, verum non gnato, sed sibi.

Altera interpolatio in hac scena continetur versibus 507—521 iamque deprehensa est a Langeno. Vs. 504 Simo Pseudolum rogat: „Quid nunc agetis?" nam hinc quidem a me non potest

Argentum auferri, qui praesertim senserim.

Ne quisquam credat nummum, iam edicam omnibus [1]).

Senex enixe negat in his et in sequentibus vss. quicquam pecuniae a se auferri posse. Pseudolus nihilominus perseveranter contrarium affirmat: 508 „Tu mihi hercle argentum dabis: abs te equidem sumam ... dabis, iam edico ut a me caveas ... en istis mihi tu hodie manibus argentum dabis". Iurat Simo, si hoc facinus peregerit eum aetatem impune habiturum, sin minus virgis caesum iri.

Stipulatio lepidissima videtur et intenti sumus huic miraculo quomodo servus ab ero praecavente et invito nummus eripiat. Opus est fallacia prorsus singulari, dolo novo et inaudito. Sed fluctus sunt in simpulo atque frustramur expectatione, nam nihil sequitur nisi nova stipulatio, quae tollit priorem: quod enim argentum Simo se numquam daturum esse neque a se auferri passurum obtestatus est in 510 „Eclidito mihi hercle oculum si dedero" e. q. s., hoc ultro concedit Pseudolo 531 sqq. nulla re nova intercedente sed animi causa et quasi pretium ludorum, quas ille cum lenone edet.

Nemo hanc controversiam animadvertit praeter Langenum, qui sic scripsit p. 201: „So ist also in dem Zuhörer die Erwartung eines doppelten Betrugs erregt (524 sq.) und er muss ganz besonders auf die Ueberlistung des Simo gespannt sein. Da giebt unerwartet Pseudolus der Sachlage eine ganz andere Wendung, indem er den Simo auffordert, falls ihm der Anschlag auf dem Kuppler gelinge, freiwillig die zwanzig Minen herauszugehen 535—546. ... Also fällt der eben noch so feierlich angekündigte Anschlag auf Simo weg und es bemächtigt sich des Zuhörers arge Enttäuschung, je mehr er mit Spannung die Ausführung des Betruges gerade gegen den Alten erwartete, welchen diesen ja, so zu sagen, mit Bewustsein über sich ergehen lassen sollte".

---

1) Attende Simonem aliis verbis idem dicere quod Pseudolus in loco interpolato 424 sqq.

Haec verissima sunt, sed minus vera, quae deinde sequuntur: „Der Dichter ist freilich geschickt der Aufgabe ausgewichen, „dass unmögliche möglich machen." Potius sic statuendum est, Plautum probe scivisse quousque in pulpito Romano iusta argumenti oeconomia negligi posset dummodo spectatores oblectarentur nugis et facetiis. Nemo eorum hoc ineptum esse sensit, quod hae duae stipulationes tamquam res prorsus diversae, tanquam pugnae altera post alteram pugnandae proponuntur: 522 „Vin etiam dicam quod m a g i s miremini ... Priusquam i s t a m pugnam pugnabo, ego etiam prius dabo a l i a m pugnam claram et commemorabilem". 530 „Effectum hoc hodie reddam u t r u m-q u e ad vesperum." Revera editur una tantum pugna a Pseudolo cum lenone, nulla cum Simone.

Natae sunt tres illae interpolationes ex Plauti ingenio fertili et saepe nimis luxurianti. Quod sic fere accidisse debuit. Quanta libertate latini uterentur in graecis dramatis transferendis, etiam ubi ad verbum reddere ferebantur, notum est ex fragmentorum comparatione cum aliorum, tum praesertim Medeae Ennianae et Plocii Caecilianae. Tuto credi potest quod ad e l o c u t i o n e m attinet vulgo vix dimidiam partem cuiusque latinae aliquatenus convenisse cum exemplo graeco: r e s i p s a e, argumentum, personae, oeconomia eadem manebant, nisi saltem de industria exemplum primarium ex alia graeca contaminaretur. Si vero, etiam extra omnem contaminationis culpam, a graecis rebus spectatores oblectandi causa poeta vel paululum deflecteret, grave periculum erat ne acute inspicientibus oeconomia corrumperetur. Plautus hoc facilius ferebat, quam ut ingenio non indulgeret.

Hoc est quod ei accidit in Pseudolo. Cum occupatus in scribenda scena I 4 argumentum fabulae memoria teneret neque volumen graecum nimis presse sequeretur, reminiscens in fine fabulae Pseudolum a Simone praedam auferre XX minarum, h a n c s e n i s f r u s t r a t i o n e m tamquam alteram argumenti partem iuxta lenonis direptionem in fabulam intulit, quo lepidior ea evaderet, cum Pseudolus non unum sed duos homines ludibrio habere videretur. Ex hoc infausto conatu orti sunt versus quos notavi 404 sqq. et quos iam v. d. damnaverunt, 406—408, cum fingeret Pseudolum i a m p r i d e m, h. e. continuo postquam

argentum Ballioni promiserat pro Phoenicio, aliquid temptasse contra Simonem, sed hunc etiam tum id praesensisse. Cum autem Pseudolus nunc dicat se iterum Simoni insidias facturum esse et effossurum XX minas, Plautus evitare non potuit alteram interpolationem, ut nempe Pseudolus, postquam Simo dixit (415—422) eum iterum frustratum esse, nihil praedae ex sene sibi fore fateretur, 422—426 [1]).

In tertia interpolatione alia res est, non enim consequitur ex illis duabus, sed pugnat cum secunda, quandoquidem certissimam sibi praedam fore ex invito et cauto sene Pseudolus declaret. Igitur denuo poeta ingenii impetu et lepore abripi se passus est adeo ut faceto excursu mirabilem pugnam inter senem et servum spectatoribus promitteret frustra et incassum [2]).

Quomodo in graeco exemplo constituta fuerit scena I 4 supra docui. In I 5 post 422 „sed dissimulabam" continuo respondebat Callipho 427 sqq., denique post 506 Pseudolus Simoni statim respondit ea quae leguntur a vs. fere 525: „Dabo [aliam] pugnam claram et memorabilem" sqq.

Fuerunt qui praeter vitia hucusque tractata, aliud quoque in hac fabula reprehenderent, nempe gravem discrepantiam in charactere Simonis, quam Lorenz (praef. p. 26) Plauti socordiae in moribus pingendis attribuit, Bierma ex duarum fabularum contaminatione derivandam esse censuit.

Uterque me iudice graviter erravit. Indoles Simonis non quidem una et simplex est ostenditque repugnantias, sed tales, quae solent esse in eiusmodi senibus qui, quo gravius ipsi peccarunt in adolescentia, eo vehementius sua peccata improbant in filiis. Remanent autem in eorum animis antiquae fraudis vestigia, quae occasione oblata deteguntur pariuntque dictorum et factorum discrepantias tam veras quam ludicras et comoediae

1) Nihil tamen prohibet quominus Pseudolus vs: 691 glorietur: „tris deludam erum et lenonem et (Harpagem)", nam Simo quoque deluditur amissis XX minis praeter spem. Hoc moneo contra Langenum p. 202.

2) Ad vs. 509 in tertia interpolatione referendum est quod poeta in fine comoediae dicentem facit Pseudolum 1313: „at negabas daturum esse te mihi". Fugit hoc Ussingium, qui hunc versum delevit adnotans: „ubi hoc factum est?"

appositas. Huiusmodi senem pinxit poeta graecus nobisque servavit latinus.

Cum duplex sit senum comicorum species, facilium et difficilium, Simo senex est difficilis, castigator censorque minorum, pater attentus et parcus [1]), sed idem in adolescentia talis fuit, ut non minus quam Chremes in Heautontimorumeno apud amicos hodie omnia sua occulta expromere non audeat. Calliphoni tamen ea non sunt ignota neque reticet, 438 sqq.:

Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Esse probiorem quam ipsus fuerit postulet.
Nam tu quod damni et quod fecisti flagiti
Populo viritim potuit dispertirier.
Idne tu mirare, si patrissat filius?

Igitur experientia doctus quid filii in patres audeant, callidus nunc praesentit quid Calidorus moliatur neque induci se patitur: „iam pridem sensi et subolebat mihi, sed dissimulabam" (419). Ipse nunc severus est et imprimis Pseudolo iratus, attamen hoc pristinae levitatis in eo remansit, ut omittat iracundiam pro lepido spectaculo, quod Pseudolus in lenonem editurum se esse profitetur, eique spondeat largam pecuniam, si istum deceperit 531:

Si quidem istaec opera, ut praedicas, perfeceris,
Virtute regi Agathocli antecesseris.

et 546: Indice ludos nunciam quando lubet.

Simul tamen subdole abit in forum lenonem moniturus ut sibi caveat ab insidiis Pseudoli, nam ab initio neutri in his ludis prae altero favet: non vult, ut amica filii argento liberetur et infensus est Pseudolo, qui „scelerum caput, dux illi et paedagogus est" (447), sed ab altera parte lenonem detestatur, hominum genus diis hominibusque aeque odiosum.

Quamquam igitur aequa fere voluntate certaminis eventum exspectat, tamen in sinu admirari se Pseudolum eiusque victoriam augurari demonstrat his verbis, postquam e foro rediit: „Visso quid rerum meus Ulixes egerit, iamne habeat signum ex arce Ballionea" (1063). Lenoni narranti nihil iam a Pseudolo metuendum esse, fidem vix habet: „Vide modo ne illic sit

---

1) Hor. Ep. II 1. 174 A. p. 174. Od. II 8. 22.

contechinatus quippiam" (1096), atque eidem se verum dicere probanti gratulatur quidem, sed brevissime: „Bene hercle factum" (1099), et statim iratus abit poenam sumpturus de Pseudolo propter cladem. Retinetur adventu Harpagis et scena oritur (IV. 7) quae variam senis indolem optime illustrat:

Cum Ballio in Harpagem V minas porrigentem involat tamquam vultur in praedam, Simo istum abhorret et exclamat: „Malum quod di tibi dabunt, sic scelestu's" (1130), iterum cum Harpax in senem digitum intendens rogat: „Tun is (leno) es?" indignabundus Simo: „Chlamydate, cave sis, inquit, tibi „a curvo infortunio atque in hunc intende digitum: hic lenost." Irascitur Ballio et cum ironia haec regerit: „At hic est vir „bonus. Sed tu, bone vir, flagitare saepe clamore in foro, quom „libella nusquamst, nisi quid leno hic subvenit tibi" (1142) [1]. Cum mox Ballio observet: „Pseudolus tuus allegavit hunc, quasi a Macedonio milite esset", Simo eum rogat: „Haben argentum ab homine?" tum Ballio: „Rogitas quod vides?" Simo rursus: „Heus, memento ergo dimidium istinc mihi de praeda dare: commune istuc esse oportet", et Ballio: „Quid malum? id totum tuomst" (1162—1165).

Vereor ut interpretes postremum locum recte intellexerint, cum inde crimen avaritiae conflarent in Simonem tamquam sordidum et a lenone lucri cupidum. Praeterviderunt secundum Ballionem et Simonem („Pseudolus tuos allegavit hunc" seq.) Harpagem non venire a milite, sed a Pseudolo, itaque argentum quod lenoni dedit, probabiliter surreptum esse Simoni, qui igitur suum iure repetit („memento e r g o") et largus est cum dimidium Balloni relinquit. Neque omnes animadvertisse videntur lepidam ambiguitatem in postremis verbis, quae recte editio minor Teubneriana sic interpunxit „Quid malum?" h. e. „Ne metuas

1) Senes divites a lenone pecuniam mutuam non sumebant, neque argentarius erat Ballio (cf. 1230), ideo haec verba ita tantum quadrant in Simonem, si tempus praesens f l a g i t a r e sic interpretamur, ut Ballio omne genus denotet eorum, qui in adolescentia lenonis ope indigebant, sed postea b o n i, ἀγαθοὶ, nuncupabantur.

Inesse autem in his verbis indicium a m i c i t i a e inter senem et lenonem, nemo, opinor B i e r m a e concedet, qui p. 45 hoc scribit: „Hic valde me offendit amicitia „lenonis et Simonis; et miratio subit, neminem ante me hic videri haesisse". Ille hanc imprimis ob causam p. 92 sq. concludit, in hac scena Simonem in graeco exemplo aut non fuisse aut alium.

malum s. damnum". Sequentia „hoc totum tuomst", Simo accipit pro: „hoc totum tibi dabitur", sed significare etiam possunt „hoc totum ex tua arca est", ut leno mordaciter tangat senem a servo suo despoliatum.

Dum igitur Simo in hac parte scenae cavillatur cum lenone, mox rursus repuerascit, ut ita dicam, eiusque fit socius in ludendo Harpagem, quin ipse primus hoc suadet: „Exploratorem hunc faciamus ludos suppositicium" (1167) et scurriliter iocatur (1175—1185), donec tandem suspicio ei oboritur genuinum esse militis nuntium et malitiose Ballioni cladem denuntiat: „Tu nisi mirumst, leno, plane perdidisti mulierem" (1213), quod cum verum esse appareat, continuo postulat promissas XX minas (1224) et causantem lenonem superbe sic refutat: „De improbis viris auferri praemium et praedam decet", defendens Pseudolum ab istius petitione: „Pseudolum ego dedam tibi? Quid deliquit? Dixin ab eo tibi ut caveres centiens?" Itaque quo animo iam sit in utrumque, manifestum facit post abitum lenonis in IV 8. 1238: „Bene ego illum tetigi, bene autem servos inimicum suom", et sine mora domum intrat ut pecuniam promat Pseudolo promissam, nam „Nimis illic mortalis doctus, „nimis vorsutus, nimis malus [1]). Superavit dolum Troianum „atque Ulixem Pseudolus".

Hucusque in Simonis dictis factisque nihil deprehendimus quod in eiusmodi senem non conveniat. Nec magis discrepant a duplici Simonis charactere, ut quidam crediderunt, ea quae facit vel loquitur post hilare Pseudoli soliloquium (V 1) in ultima scena, 1285 sqq.

Pseudolus ibi fores pultat, quas aperit Simo pecuniam manu tenens; conspicit illum cum corona ebrium, arroganti statu erum exspectantem et foedus commemoraturum (1283). Simo dubitat utrum saeviter an blanditer alloquatur, sed hoc praefert, cum spes sit fore ut ebrio homini os sublinat aliquidque detrahat de summa debita [2]). Igitur sic incipit: „Di te ament Pseudole".

---

1) Malus dicitur in laudem versuti hominis ut pessimus 1285 et e contrario probus de callido 749, 942, 970.

2) Vs. 1292: „Si qua in hoc spes sitast mihi", i. e. in eo quod ebrius est. Aliter sed minus recte Lorenz

Cum vero ille vacillanti corpore impudenter in eum recidat et in os eructet, firmiter eum repellit et iam saeviter alloqui pergit (1298 sqq.), sed tamen paulatim delenitur cum Pseudolus callide lenonis frustrationem in memoriam revocat: „Sed, Simo, ut „probe tactust Ballio? Quae tibi dixi, ut effecta reddidi? ... „Si. Omnia ut quicque egisti ordine scio. Ps. Quid ergo dubitas „dare mi argentum? Si. Ius petis, fateor. Tene" (1308 sqq.) atque eo adducitur ut suis manibus XX minas humeris Pseudoli imponat, unde luculenter apparet, quantopere in intimo corde Ulixem suum admiretur. Igitur redit Simo ad blanditias et senex parcus et attentus de pretio nimis magno sane ludorum quos spectavit, nam lucratur Pseudolus XV minas, aliquid retrahere conatur dulcibus verbis: „Non audes, quaeso, aliquam partem mihi gratiam facere hinc de argento?" Cum Pseudolus hoc negat, minatur: „Erit ubi te ulciscar", sed parum serio, etenim cum servus eum invitat: „Simul mecum i potatum" et partem promittit pecuniae si hoc fecerit, Simo succumbit: „Eo, duc me quo vis", ac simultatem inter senem et filium atque servum prorsus sublatam esse docent postrema verba comoediae: Ps. Quid nunc? Numquid iratus es aut mihi aut filio propter has res, Simo? Si. Nil profecto".

Sic per totam fabulam Simo eundem characterem exhibuit, in quo modo prominet severitas patris, modo iracundia domini in protervum mancipium, modo senis parsimonia, et identidem animi levitas et ioculare ingenium a iuventute insitum neque annorum lapsu prorsus extinctum [1]). Huiusmodi senis inventio quin graeco poetae debeatur nemo dubitabit. Plautus in eo bene meritus est, quod graecae imaginis lineamenta, quantum per ingenium assequi poterat, satis fideliter posteritati tradidit.

---

1) Prorsus igitur dissentio ab iis quae de Simone scripsit Lorenz in praef. p. 25 sq., cuius postrema tantum verba referam: „ein schwacher nachgiebiger Greis, nur darauf bedacht, wenigstens einen Theil seines Geldes zu retten".

Longe melius O. Ribbeck P. R. I p. 79 quaedam characteris elementa in Simone sic designavit: „Für einen grossen Schlaukopf hält sich, z. B. der alte Simo „im Pseudolus ... durchschaut er doch die Absicht des durchtriebenen Sklaven ... „sehr wohl ... Er ist ein Verstandesmensch, der dem geschickten Spiel mit steigen„dem Interesse ... zuschaut, und zuletzt nicht umhin kann die überlegene Genia„lität des Spitzbuben ... zu bewundern". Compara cum his quae in genere de sene comico scripsit p. 78.

Superest ut pauca dicam de Pseudoli partibus in hac fabula, quas Plautus auxit quidem interpolationibus et ornavit, sed non ita ut peculiarem earum naturam obscuraverit.

Servus ipse et comoedia nomen habet ab raro prorsus et eximio ingenio („überlegene Genialität", ut ait O. R.) ad inveniendum artificium, quo intra brevissimum temporis spatium imminens Calidoro periculum, modo sibi nuntiatum, avertere posse videatur. Hac re occupatus est sine intermissione per maiorem fabulae partem, scenam non relinquens nisi ad domesticam rei meditationem (1—766), sed si quaerimus, quid eximius ille dolorum inventor et princeps fallacium virorum ipse per se praestet, hoc fere nihil esse apparet. Verba et voces non deficiunt: „Scis tu quidem, hercle, mea si commovi sacra, quo „pacto et quantas soleam turbelas dare" — „Satin est si hanc „hodie mulierem efficio tibi, tua ut sit aut si tibi do viginti „minas?" — „Dabo ... si neminem alium potero, tuam tan- „gam patrem" — „Nunc ... dico omnibus ... in hunc diem „a me ut caveant, ne credant mihi" (109—128). Postea denuo: „Nil curassis: liquido's animo: ego pro me et pro te curabo „... mittam hodie huic suo die natali malam rem magnam et „maturam" (232 sqq.). „Illic homo meus est ... exossabo ego „illum" e. q. s. (381 sqq.). Porro ad Simonem: „Dabo pugnam „claram et memorabilem ... per sycophantiam atque per doctos „dolos tibicinam ... ea circumducam lepide lenonem et quidem „effectum hoc hodie reddam ad vesperum" (525 sqq.), atque tota scena II 1 encomium est de dolis et perfidiis duplicibus triplicibus reliquisque copiis, quas paratas habeat ad evertendum Ballionem. Sed si excutimus, quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu, primum observamus, Pseudolum, ubi solus est, ingenue fateri consilii inopiam; „Neque paratast gutta certi consili" e. q. s. (397), iterumque: „Quo id sum facturus pacto, nil etiam scio, nisi quia futurumst" (567 sq.), dein ipsum nihil ex ingenio suo producere, nisi hoc tritum et vulgare in comoediis, ut leno capiatur per falsum nuntium falsaque documenta, sed frustra laborare eum videmus ut effectum hoc reddat. Unum ipse invenit, ut mentiatur Harpagi se ianitorem esse lenonis, felix mendacium, sed homini non nimis stupido aut veraci in promptu positum (636 sq. 688 sq.). Hoc mendacio

potitur epistula cum symbolo et horum opera mox nullo negotio per Simiam, qui versuta astutia eum superat (932 sq. 1018 sq.), muliere.

Quamquam autem Pseudoli opera in liberanda Phoenicio iactationi eius neutiquam respondet, qui fit ut hominem nihilominus admiremur et nullum temporis momentum vanum et magniloquum Bucconem pro Pseudolo nos audire opinemur? Debetur hoc graeco poetae, qui prudenti arte eius agendi et dicendi rationem ita administravit, ut nunquam dubitemus, quin quod pollicetur etiam possit perficere. Cum igitur initio Actus II ex meditatione in scenam redit et anapaestice saltans gloriatur: „Pro Iúppiter, út mihi quícquid agó lepide ómnia „próspereque éveniúnt: neque quód dubitem neque quód timeam „meo in péctore cónditumst cónsiliúm" e. q. s., certi sumus fore, ut mox efficax consilium promat. At quidni promit? Quia antequam facturus sit, intervenit Harpax, cuius adventu per unum mendacium opportune adhibitum nulla fere opera lenonis eversio pedetemptim consummatur. Sic igitur sagacissimi hominis perfidiae et fallaciae nullius pretii sunt prae F o r t u n a e potestate, quam deam dignissimo cantico, cuius gravitati sententiarum respondet metrum trochaicum, modeste celebrat, 672:

Híc doli hic fallaciae omnes, hic sunt sycophantiae,
Hic argentum, híc amica amanti erili filio.
Atque ego nunc me ut gloriosum faciam et copi pectore:
Quomodo quicque agerem, ut lenoni surruperem mulierculam,
Iam instituta, ornata cuncta in ordine, animo ut volueram,
Certa, deformata habebam. Sed profecto hoc sic erit:
Centum doctum hominum consilia sola haec devincit dea.

et 682 sqq.

Stulti hauscimus frustra ut simus, quom quid cupienter dari
Petimus nobis: quasi quid in rem sit possimus noscere.
Certa mittimus, dum incerta petimus. Atque hoc evenit
In labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.

Hic igitur vocem comoedia tollit et philosophiae fit aemula. Agnoscimus hic spiritum Graiae Camenae quae in hac comoedia non hoc praecipue spectavit, ut oblectaret spectaculo lenonis decepti per astutissimum mancipium, sed ut ante oculos poneret ingeniosissimi mortalis debilitatem prae illo numine,

quod quocumque nomine inditum res humanas tacite versat.

Quamquam de graeco Pseudoli auctore nihil constat, tamen, si comparamus cum hoc cantico fragmenta comicorum philosopha [1]), concludimus Plautum metrum et argumentationem exempli non minus immutasse quam Caecilius in Plocio fecit, sed feliciore arte et eventu, ut in eum non cadat Gellii iudicium de Caecilio (II 23): „cum haec Caecilii seorsum lego, neutiquam „videntur ingrata ignavaque, cum autem graeca comparo et „contendo, non puto Caecilium sequi debuisse, quod assequi „nequiret" [2]).

Exacta disquisitione de repugnantiis, quibus universa fabulae oeconomia laborat, agendum est de iis, quae paucorum versuum spatio continentur.

Postquam Pseudolus ex indiciis Ballionis in fine scenae I 3 quasi per transennam dispexit, quid sibi faciendum esset ut ante adventum legati militaris mulierem lenoni eriperet, sic pergit:

Ad eam rem usust hominem astutum, doctum, cautum et callidum,
Qui imperata ecfecta reddat, non qui vigilans dormiat.
CAL. Cedo mihi, quid es facturus? PS. Temperi ego faxo scies.
Nolo bis iterari: sat sic longae fiunt fabulae.
CAL. Optumum atque aequissumum oras. PS. Propera, adduc hominem cito.
CAL. Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
PS. Ego scio istuc: ergo utrumque tibi nunc dilectum para
Atque ex multis exquire illis unum qui certus siet. [3])
CAL. Iam hic faxo aderit. PS. Potin ut abeas? Tibi moram dictis creas.

---

1) Cf. cum vs. Plautinis fragm. Menandri et Philemonis ap. Lorenz p. 21, quibus adde Mein. IV 227 et ex Monitis vs. 495 p. 354. Leo Q. Plaut. p. 116 sq.

2) De Plauto meliora credidit Leo in Q. Pl. p. 168 ex cuius iudicio verissimo et lectu dignissimo postrema haec citare par est: „So wird seine Kunst auch dann noch „dauern, wenn einmal die freundliche Erde uns seine Originale wiederschenken wird „und wir, um deren Eigenschaften zu erkennen, nicht mehr die verschlungenen Wege „zu gehen brauchen, die ich den Leser habe führen müssen."

3) Ambrosianus et reliqui codices discrepant atque neutri integram servarunt lectionem. Secutus sum edit. min. Aliter Leo, cuius lectionem et interpretationem probare nequeo.

Praeter Leonem et ed. minorem omnes censent in vs. 385 et dein in 391 sq. non unum, sed duos diversos homines definiri, illic satellitem quendam astutum doctum cautum callidum, hic amicum certum, ideoque, quia unus tantum requiritur, aut expellendos esse vs. 385 sq. (sic Ladewig et Bierma), aut 390—392 (sic Lorenz, Ussing, Langen, Götz). Primo obtutu repugnantia definitionum non videtur neganda esse. Sed gravis difficultas oritur, ubi optio facienda est inter utramque. In vs. 696 Calidorus rogatum hominem adducit isque probatur a Pseudolo. Hic autem est amicus certus Charinus: „Pseudolus mihi ita „imperavit, ut aliquem hominem strenuom, benevolentem ad„ducerem ad se. Ch. Servas imperium probe: nam et amicum „et benevolentem ducis." Hic locus igitur probat vs. 390—392 recte se habere neque omitti posse. Ab altera parte vs. 385 sq. abesse vix possunt, quoniam verba in 389 „Propera, adduc hominem cito", quae genuina sunt neque a viris doctis sollicitantur, postulant, ut antecedat hominis mentio, quem properanter adducere monetur. Mea autem sententia repugnantia non tanta est, ut alterutri versus expungendi sint. Pseudolus rogat hominem astutum etc. Calidorus cogitat de amico, in quo Pseudolus acquiescit, dummodo certus sit. Epitheta doctus, cautus, callidus cadunt in optimum quemque ingenuum, sed etiam astutus aliquando, ut in Chremetem, Heauton. 222. 874. Et cum postea Pseudolus praeter Charinum novum quaerit adiutorem 724 „malum, callidum, doctum" e. q. s., Charinus rogat num servus ei satisfaceret: „si servos est, numquid refert", ut „homo malus callidus doctus" Charino potius ingenuum indicare videatur. In vs. 697 sq. pro quaesiti hominis epithetis: astutus, callidus, doctus, certus usurpantur alia: strenuus et benevolens. Cum Plautus graeca non ad verbum redderet, ibi probabiliter nulla erat sententiarum discrepantia.

Secundo loco agam de actu III, qui scenas continet duas valde conclamatas. In prima puerulus lenonis deplorat suam sortem verbis, quae Lorenzio indignationem [1]) sed spectatoribus

1) Praef. adn. 23. Scenula non exigenda est ad nostros mores et antiquos romanos, sed ad graecos. Multo graviora continent aliae comoediae. Vide Lor. ipsum ad 782 et locos a Bierma citatos in docta refutatione Bücheleri p. 73: Cas. 454. 910. Merc. 203. 284. 846.

antiquis potius lacrimas et misericordiam moverunt. Finge tibi miserum puerulum, qui ut reliqua mancipia lenoni die natali munus dare iussus est. Scenam intrat deformis, turpi facie, male vestitus, queriturque se neminem habere a quo ametur, qui nitidiuscule se curet praebeatque peculium, quo ero munusculum emat. Quem ubi domum se recipientem conspicit, vocem comprimit et fugit intro. Forma et res prorsus graecae sunt. Actionem fabulae pauci hi versus nihil promovent, sed neque retinent; idcirco scenam, quae respondet querelis Syncerasti in Poenulo, nec Plauto nec graeco auctore indignam esse censeo.

Leo ad vs. 767 adnotavit: „interpolata (scena) videtur ut in actione in vicem succederet scaenae I 2", et ad vs. 1079—1086: „(interpolator) simili ratione atque scenam III 1 pro I 2 hos versus in scenae I 3 vicem intulisse videtur". Si haec probe intelligo, tempus fuit, secundum Leonem, cum ageretur haec fabula sine scenis I 2 et 3, h. e. sine iis partibus quae argumenti nucleum continent (praesertim 224 sqq. et tota fere scena 3) pro quibus alibi in comoedia diversisque locis (767—789 et denuo 1079—1086) recitarentur pauci versus, nihil valde simile continentes quo illa damna resarcirent. Aegre talem fabulae actionem equidem informare mihi possum. De versibus 1079—1086 mox videbimus.

Etiam actus III scena 2 multorum suspicionem movit, quia ad argumentum fabulae, si excipimus vs. extremos, nihil fere pertinet. Satis tamen defensa est a Lorenz in praef. p. 24 et Bierma p. 40 sq. contra eos, qui, ut Sauppe, hanc scenam ex alia graeca a Plauto insertam esse crederent. Huiusmodi scenae in nullis aut in omnibus fere fabulis adhiberi poterant, cum excursum continerent cum nullo argumento natura coniunctum sed etiam a nullo, ubi coquos partes ageret, alienum. Consumitur scena loquacitate coqui artis praestantiam iactantis, quae res quam tota graeca sit fragmenta edocent. Possis suspicari Plautum graecum exemplum denuo hic illic exornasse et amplificasse, sed ne hoc quidem sumere necesse est, cum graeca fragmenta coquina, ut ita dicam, prolixitate huic scenae nihil concedant. Ex Damoxeni Syntrophis, Mein. IV 530, soliloquium superest 67 versuum, qui copiose hanc thesin illustrant: 'Επι-

κούρου (mox etiam Democriti) δέ μ' ὁρᾷς μαθητὴν ὄντα τοῦ σοφοῦ. Ex Athenionis Samothracibus, Mein. 557, 46 versus supersunt de arte culinaria, quae esse fertur ἡμᾶς ἀπολύσασα καὶ τῆς δυσχεροῦς ἀλληλοφαγίας ... καὶ τουτονὶ περιῆψεν ὃν νυνὶ βίον ζῶμεν. Euphorionis lepidissimi vss. 16 supersunt, p. 494 de coquo et poeta: οὐδὲν ὁ μάγειρος τοῦ ποιητοῦ διαφέρει· ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ἑκατέρῳ τούτων τέχνη. Totidem Menandri e Pseuderacle p. 222, ubi artis arrogantia a patrefamilias reprehenditur et 11 vss. ex eiusdem Trophonio, p. 205, de dapibus praeparandis ad diversos hominum gustus, insulanorum, Arcadum, Ionicorum. E Philemonis Stratiota 26 vss., p. 26, ubi coquus paratragoedat sic: ὡς ἵμερός μοὐπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ λέξαι μολόντι τοὖψον ὡς ἐσκεύασα. Denique cito breve sed festivum fragmentum e Colace Menandri, p. 153, ubi coquus sacerdotem imitatur in festo Veneris dissecantem victimam. Nempe coquorum arrogantia secundum Athenaei testimonia, p. 660, inde derivanda est, quod olim in re sacra partes agebant feriendis victimis, parandis visceribus aliisque huiusmodi officiis.

Langenus de hac scena haec habet p. 204: „Ebenfalls überflüssig aber dem ganzen Character nach doch *echt Plautinisch* ist der lange Unterhaltung ... zwischen Ballio und „dem von ihm gemieteten Koche ... Die Scene ist *wieder* „*lediglich* auf der Erheiterung der Zuschauer berechnet."

Quod hoc loco Langenus id multi saepe faciunt recentiores ut *vere Plautinum* appellent, quod *vere graecum* sit et imitatori imputent quod referendum sit ad auctores comoediarum; etiam postremum illud, scenam *denuo affectare* risum spectatorum, dictum videtur in poetam latinum, sed valet non minus in graecum, qui primus eam invenit [1]).

Denique tractandi sunt versus qui iam supra in censum venerunt 1079—1086, quos argumentum male interrumpere censent Kiessling, Lorenz, Leo, Bierma (p. 50 sq. et 95). Cum Simo, avidus audiendi numquid contra lenonem iam molitus

1) Leviora vitia praetereo, sed tamen in transitu ad vs. 1022 hanc correctionem proponere liceat: „Si occasionem capsit, qui <sic> sit malus." „Qui" = quom. Cf. Bierma p. 185.

esset Pseudolus, Ballionem rogasset: „Venitne homo ad te?" (1067) idque Ballio negavisset, non erat cur post interpositam stipulationem, 1068—1078, senex idem aliis verbis iterum rogaret: „sed convenistin hominem?", aut cur tunc Ballio non iterum hoc negaret, sed quasi per iocum memoriam repeteret colloquii olim habiti in I 3 cum Calidoro et Pseudolo, quod ad rem nunc nihil pertinebat ac praeterea Simoni iam in foro (895) probabiliter erat traditum. Ratio postulat ut Simo post vs. 1078 cum respectu illius quod leno dixit 1067 „nil est quod metuas", sic pergat „<sed> quid est quod non metuam [1]) ab eo? Id audire expeto" (1087).

Denuo tamen hanc interpolationem ipsi Plauto tribuendam esse censeo, qui h. l. exspatiabatur eadem ratione eademque de causa ut supra in I 4 et 5 indulsitque iocis levibus et per se non ineptis, quos retractator aliquis vel histrio minus scite interposuisset [2]). Eiusdem generis est iocatio in 745—754 supervacanea post 737—747, sed non idcirco cum Kiesslingio a Plauto abiudicanda.

Conclusio igitur huc redit. Argumentum Pseudoli est unum et simplex nec iustam admittit contaminationis suspicionem. Oeconomiae vitia, quibus laborat in actu primo, debentur Plauto, qui interpolavit certis de causis epistolam in scena 1, Pseudoli partes in scenis 4 et 5. Multiplex Simonis indoles egregie declaratur et servatur per totam fabulam, nec minore arte pingitur Pseudoli ingenium calliditate quidem praestans, sed prae Fortunae potestate, ut fit, hebes et invalidum. Reliqua vitia minoris sunt momenti. Exemplum, quod Plautus interpretatus est, optimis graecis adscribendum est dignumque habendum Menandro, cuius auctoritas tamen non constat.

1) Sic pro metuas recte ediderunt Bothe, Lorenz, Leo.
2) De usu vocis theatri vide Bierma p. 53.

PARALIPOMENA LYSIACA.

SCRIPSIT

H. J. POLAK.

(*Continuantur e Vol. XXX pag.* 386).

Sequitur oratio octava, Κατηγορία πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν, quae neque vera oratio est, — est enim, vel esse fingitur, allocutio (διάλεξιν sequiores rhetores dixerint) qua quis a sodalibus contumeliose habitus coram corona familiaritatem iis renuntiat [1]), — neque Lysiaca. Haec mihi cum recentioribus criticis omnibus, ut opinor, certa videntur. De ceteris omnia incertiora sunt, cum scriptio et multifariam corrupta sit, — neque tamen est cur cum Scheibio „orationum Lysiacarum omnium corruptissima" audiat, — et obscurissima et pessime composita. Recte Franckenius „Gordiano nodo intricatiora" inesse contendit (C. L. p. 60), etsi plura ad causam pertinentia paullo dilucidiora facta sunt docta commentatione quam huic orationi impendit H. Buermann in Hermae Vol. X (1875) pp. 347—374. Unum est quod viro erudito neutiquam concesserim idque primarium, de tempore quo scriptio composita esse iudicanda sit de eiusque vera natura atque genere. Existimat nempe Buermannus tenere nos sophisticam μελέτην exercitationis causa confectam eamque recentissimi temporis: „ein Machwerk aus ganz

1) Ut Blassio, sic mihi optime olim eius naturam aperuisse videtur Reiskius. „Reiske nimmt an, dass ein Absagebrief an wirkliche frühere Freunde vorliege; *man würde sagen müssen ein in die Form einer Rede gekleideter Absagebrief*" (Blass *Att. Bereds.*² I p. 644.)

esset Pseudolus, Ballionem rogasset: „Venitne homo ad te?" (1067) idque Ballio negavisset, non erat cur post interpositam stipulationem, 1068—1078, senex idem aliis verbis iterum rogaret: „sed conveuistin hominem?", aut cur tunc Ballio non iterum hoc negaret, sed quasi per iocum memoriam repeteret colloquii olim habiti in I 3 cum Calidoro et Pseudolo, quod ad rem nunc nihil pertinebat ac praeterea Simoni iam in foro (895) probabiliter erat traditum. Ratio postulat ut Simo post vs. 1078 cum respectu illius quod leno dixit 1067 „nil est quod metuas", sic pergat „<sed> quid est quod non metuam [1]) ab eo? Id audire expeto" (1087).

Denuo tamen hanc interpolationem ipsi Plauto tribuendam esse censeo, qui h. l. exspatiabatur eadem ratione eademque de causa ut supra in I 4 et 5 indulsitque iocis levibus et per se non ineptis, quos retractator aliquis vel histrio minus scite interposuisset [2]). Eiusdem generis est iocatio in 745—754 supervacanea post 737—747, sed non idcirco cum Kiesslingio a Plauto abiudicanda.

Conclusio igitur huc redit. Argumentum Pseudoli est unum et simplex nec iustam admittit contaminationis suspicionem. Oeconomiae vitia, quibus laborat in actu primo, debentur Plauto, qui interpolavit certis de causis epistolam in scena 1, Pseudoli partes in scenis 4 et 5. Multiplex Simonis indoles egregie declaratur et servatur per totam fabulam, nec minore arte pingitur Pseudoli ingenium calliditate quidem praestans, sed prae Fortunae potestate, ut fit, hebes et invalidum. Reliqua vitia minoris sunt momenti. Exemplum, quod Plautus interpretatus est, optimis graecis adscribendum est dignumque habendum Menandro, cuius auctoritas tamen non constat.

---

1) Sic pro metuas recte ediderunt Bothe, Lorenz, Leo.
2) De usu vocis theatri vide Bierma p. 53.

PARALIPOMENA LYSIACA.

SCRIPSIT

H. J. POLAK.

(*Continuantur e Vol. XXX pag.* 386).

Sequitur oratio octava, *Κατηγορία πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν*, quae neque vera oratio est, — est enim, vel esse fingitur, allocutio (*διάλεξιν* sequiores rhetores dixerint) qua quis a sodalibus contumeliose habitus coram corona familiaritatem iis renuntiat [1]), — neque Lysiaca. Haec mihi cum recentioribus criticis omnibus, ut opinor, certa videntur. De ceteris omnia incertiora sunt, cum scriptio et multifariam corrupta sit, — neque tamen est cur cum Scheibio „orationum Lysiacarum omnium corruptissima" audiat, — et obscurissima et pessime composita. Recte Franckenius „Gordiano nodo intricatiora" inesse contendit (C. L. p. 60), etsi plura ad causam pertinentia paullo dilucidiora facta sunt docta commentatione quam huic orationi impendit H. Buermann in Hermae Vol. X (1875) pp. 347—374. Unum est quod viro erudito neutiquam concesserim idque primarium, de tempore quo scriptio composita esse iudicanda sit de eiusque vera natura atque genere. Existimat nempe Buermannus tenere nos sophisticam *μελέτην* exercitationis causa confectam eamque recentissimi temporis: „ein Machwerk aus ganz

1) Ut Blassio, sic mihi optime olim eius naturam aperuisse videtur Reiskius. „Reiske nimmt an, dass ein Absagebrief an wirkliche frühere Freunde vorliege; *man würde sagen müssen ein in die Form einer Rede gekleideter Absagebrief*" (Blass *Att. Bereds.*^{2} I p. 644.)

junger Zeit"[1]). Efficere hoc sibi inprimis videtur ex opusculi lingua atque elocutione. Ponam ipsius verba ne calumniari videar. „Schon der Sprachgebrauch ist nicht einmal classisch, geschweige denn Lysianisch. Es kommen Wörter vor, die sonst nur bei Späteren sich finden, andere erscheinen mit geschwächter oder sonst veranderter Bedeutung, auch die grammatischen Eigenthümlichkeiten der Späteren vermisst man nicht. — — — — Unclassische Wörter sind *συνουσιαστής*, *κακολογία* (in der Überschrift) und *κακολογεῖν* (§ 5); auch *ἀνιαρός* (§ 2) und *σκαιός* (§ 5) sind *nur bei Späteren und Dichtern* im Gebrauch; — die zehnte Rede, in der sich diese Wörter ebenfalls finden, rührt eben so wenig wie die achte von Lysias her; — von *πολύφιλος* (§ 7) gilt dasselbe; auch *πλουτοῦντας* (§ 7) für *πλουσίους ist nicht prosaisch*; *ξυνθεωρεῖν* (§ 5) ‚mit andern zu einem Feste reisen' kommt Ein Mal bei Aristophanes vor (*Vesp.* 1187); *ὑπερευδοκιμεῖν* (§ 7) ist überhaupt sonst nicht sicher belegt." (pp. 369/70.) Haud vidi magis. Confidenter licet affirmare, praeter duo ultima nihil his inesse veri. Ὑπερευδοκιμεῖν in Graecitatis gaza, qualem nos cognoscimus, non amplius reperitur; sed quid tum? An *ὑπερπυππάζειν*, ut hoc utar, praeter *Eqq.* 680 usquam legitur? Talia composita unusquisque pro re nata sibi fingit, neque igitur mirum nobis pleraque esse *ἅπαξ εἰρημένα*. Ad *ξυνθεωρεῖν* quod attinet, apud Aristophanem si est, ipso monente Buermanno, (*Vespp.* 1186/7: (*λόγους*) *μεγαλοπρεπεῖς* | ,'Ὡς ξυνεθεώρεις Ἀνδροκλεῖ καὶ Κλεισθένει.), quidni sive Lysiam sive Lysiae aequalem deceat verbum in Attica fere dixerim tantum non necessarium? Συνουσιαστής censori recentiorum videtur. Comparet apud Xenophontem *Memm.* I, 6 § 1: Ἀντιφῶν ποτε βουλόμενος τοὺς συνουσιαστὰς αὐτοῦ παρελέσθαι, προσελθὼν τῷ Σωκράτει — — ἔλεξε τάδε κτλ., olim in *συνουσίας τὰς* depravatum. Idem valet de vocabulis *κακολογία* et *κακολογεῖν*. Substantivum videre est apud Platonem *Rep.* III, 11, p. 401ª, *κακολογεῖν* et apud Isocratem (Or. VI § 98) ipsi legimus, et apud Antatticistam Bekkeri (p. 102, 13) ex Hyperidis κατ' Ἀρισταγόρου producitur,

1) *Hermes* Vol. X p. 369/70. Et in disputationis fine: „Der Fall ist klärlich fingirt. Die Rede ist damit als *μελέτη* erkannt *und zwar als μελέτη aus ganz junger Zeit.*"(!) Ibid. p. 373.

unde hoc in Buermanni rem fortasse quispiam contenderit, apparere hinc quod etiam inter veteres fuerunt qui vocem Atticam esse perperam negarent. De verbis ἀνιαρός et σκαιός istud ne praetendi quidem potest. Etenim si hae voces aut sequiorum tantum sunt aut poetarum, ad horum alteros utros Demosthenes quoque atque ipse Lysias pertineant necesse est. Quis ignorat Demosthenica illa: οὕτω σκαιὸς εἶ καὶ ἀναίσθητος, Αἰσχίνη. (Or. XVIII § 120) et: τίς γάρ ἐστιν Ἑλλήνων ἢ βαρβάρων οὕτω σκαιὸς καὶ ἀνήκοος κτλ. (Or. XIX § 312)? Et ἀνιαρός, ne Platonem, Xenophontem, Demosthenem excitem, non tantum in *Epitaphio* (§ 73) et in *Theomnestea* (§ 28) legitur, quos testes Buermannus recusabit, sed etiam Or. XXV § 20, cuius γνησιότης nunquam, quod sciam, in dubium vocata est. Idem valet de adiectivo πολύφιλος. Nempe legimus apud Pollucem (III § 63): προσφιλῶς δὲ Ξενοφῶν εἴρηκε, — — πολυφιλίαν δὲ καὶ ὀλιγοφιλίαν Ἀντιφῶν, καὶ πολυφίλοις Ὑπερείδης, καὶ πολυφιλώτερος Λυσίας. Restat πλουτοῦντας, quod ex pedestribus nemo usurpasse perhibetur ut sit pro πλουσίους. In nostra oratione adest § 7: οὔτε γὰρ — — ἑώρων — — ὑμᾶς μὲν πλουτοῦντας, ἐμὲ δὲ πενόμενον. Dixeris non male copulari participium cum participio, et quemadmodum recte sibi opponuntur πένητες et πλούσιοι, ita πενόμενοι et πλουτοῦντες. Sed quid verus Lysias? Ne hic quidem dubitavit scribere (Or. XXI § 15): καὶ πένητα γενόμενον ἐλεῆσαι μᾶλλον ἢ πλουτοῦντι φθονῆσαι.

Haec igitur crimina nihili sunt. Aliquanto plus veri atque ponderis est in iis quae affert de vocabulorum quorundam vel significatione vel constructione a veterum usu magis minusve abhorrente, quamquam in his quoque vel locis de corruptione suspectis abutitur vel potestates verborum nimis artis circumscribit finibus vel pro imperio affirmat quae nullo negotio convelluntur. Velut, — paucis defungar, — scribit: „ὅταν (§ 2) ist, *wie bei Aristoteles*, — — zur Causalpartikel geworden." Itane vero? Sed primum consideremus quid scriptor dederit. Ἀνιαρὸν μὲν οὖν ἀναγκάζεσθαι λέγειν περὶ τούτων, ἀδύνατον δὲ μὴ λέγειν, ὅταν ἐναντίον τῆς ἐλπίδος κακῶς πάσχω καὶ τοὺς δοκοῦντας εἶναι φίλους ἀδικοῦντας εὑρίσκω. Nonne haec ad amussim respondent his Thucydidis (I, 141 § 6): μάχῃ μὲν γὰρ μιᾷ πρὸς ἅπαντας Ἕλληνας δυνατοὶ Πελοποννήσιοι — — ἀντισχεῖν, πολεμεῖν

δὲ μὴ πρὸς ὁμοίαν ἀντιπαρασκευὴν ἀδύνατοι, ὅταν μήτε βουλευτηρίῳ ἑνὶ χρώμενοι παραχρῆμά τι ὀξέως ἐπιτελῶσι, πάντες τε ἰσόψηφοι ὄντες — — τὸ ἐφ' ἑαυτὸν ἕκαστος σπεύδῃ., hisque quae statim sequuntur: μέγιστον δὲ τῇ τῶν χρημάτων σπάνει κωλύσονται, ὅταν σχολῇ αὐτὰ ποριζόμενοι διαμέλλωσι. (142 § 1)? Nempe quod supra de particula ὅτε monui, idem valet de ὅταν: est cum, respondens fere Latino *ubi* vel *quandoquidem*, medium quodammodo locum occupet inter temporalem et causalem significationem [1]). Praeterea improbat πορίζεσθαι (§ 3: ἵνα μή τις ὑμῶν τάχα δὴ βοηθῶν οἷς ἐξημάρτηκε πρόφασιν πορίσηται τῆς ἁμαρτίας;) significatione activa, „wie bei Polybius zuerst." At duos committit in uno vocabulo notando errores. Sententiam inpeditam, contortam certe et diffusam, frustra expedire conati sunt Cobetus, Kirchnerus, Scheibius; urendo et secando illi, Scheibius coniectura et interpretatione argutiore, ut mihi quidem videtur, quam veriore [2]). Attamen in incertioribus ceteris hoc certum est, opinor, agi hic de praetextu, quem ex amicorum infidorum — ut ait ille — numero aliquis *sibi* quaesivit, vel commentus est, quo suum ceterorumque in actorem delictum obtegat. Quo igitur alio verbi genere utatur orator quam medio? Neque hoc verum, πορίζεσθαι medium apud Polybium primum inveniri. Facile est exempla cumulare. Sed omissis comicorum locis provocare licebit ad Demosthenis Orr. XXXV § 41 (Λάκριτος — — ἡγούμενος δεινὸς εἶναι καὶ ῥᾳδίως λόγους πορίεῖσθαι περὶ ἀδίκων πραγμάτων,) et LVI § 49 (εἰ μέντοι ἐξέσται τοῖς ναυκλήροις — — κατάγειν τὴν ναῦν εἰς ἕτερα ἐμπόρια, — — τοιαύτας

---

1) Itaque nihil causae erat cur Herwerdenus coniiceret ὅτε τοὐναντίον τῆς ἐλπίδος κτλ., hoc cum Dobraeo (*Advv.* I p. 203 = 207).

2) Verba τάχα δὴ βοηθῶν delebat Cobetus (*Or. Inaug.* p 86: „fuit qui deesse aliquid putaret; adscripsit igitur τάχα δὴ βοηθῶν „*fortasse* βοηθῶν" nempe addendum vel restituendum.") At his resectis quid sibi velit ἵνα μή τις ὑμῶν οἷς ἐξημάρτηκε πρόφασιν πορίσηται τῆς ἁμαρτίας, equidem non magis exputo. Kirchnerus contra τῆς ἁμαρτίας damnabat, quod et hiatus legi adversari fortasse dicendum erit (sequitur tum εἰπάτω), et, quod maioris est momenti, primariam difficultatem non tollit. Eiectis enim vocabulis τῆς ἁμαρτίας ad πρόφασιν mente repetendum erit ὧν ἐξημάρτηκε vel τούτων, quo facto remanet vitiosa tautologia. Scheibius corrigebat: ἵνα μή τις ὑμῶν, τάχα δὴ βοηθῶν <τούτοις> (incusatis), οἷς (quibus rebus) ἡμάρτηκε (sic) κτλ., qua coniectura ὑμῶν de corona accipiendum erit, contra scriptoris mentem, ni fallor, et compositio nascitur nulli homini Graeco neque probata neque primo obtutu intellecta.

προφάσεις ποριζομένους, οἷαισπερ καὶ Διονυσόδωρος οὑτοσὶ χρῆται) [1]), quin ad Lysiam ipsum, *μάρτυρας πεπόρισται* dicere non dubitantem (Or. XXIX § 7). Et quoniam semel huc delapsus sum, profiteri liceat neutiquam mihi neque sententiam tam difficilem, neque emendationem adeo reconditam videri atque plerisque criticis visa est. Scribam: *πρῶτον μὲν οὖν, ἵνα μή τις ὑμῶν, τάχα δὴ βοηθῶν, οἷς ἐξημάρτηκα πρόφασιν πορίσηται τῆς ἁμαρτίας, εἰπάτω* [*οὖν*] [2]) *τίς ὑμῶν ὑπ' ἐμοῦ κακῶς ἀκήκοεν ἢ πέπονθεν*, quae, ut omnia in hac scriptione, acutula sunt sed ad intellegendum satis aperta, opinor. Nempe hoc vult: ne quis vestrum, fortasse (ceteris) succurrens, ex meis delictis colorem quaerat praetextumque iis quae vos in me deliquistis, dicat cett. Sed redeundum est ad Buermanni criminationes. Notat praeterea bis *μὲν* positum (§§ 5, 20), cui nullum *δέ* est oppositum. Ne dicam saepius *μὲν* sic nude adhibitum reperiri [3]), quidni priore loco (§ 5) probetur Cobeti coniectura, *ἀποφαίνετε δὲ σκαιοτάτους ἑαυτούς, οἵτινές με ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον* [*τὸν αὐτὸν ἄνδρα*] *λάθρᾳ μὲν ἐλοιδορεῖτε, φανερῶς δὲ φίλον ἐνομίζετε* proponentis? Melius certe hoc quam cum Bekkero et Herwerdeno simpliciter eliminare *μέν*, cuius intrusi nulla ratio reddi potest. Et pro Cobeti sententia pugnat et *μέν* incommoda sede positum, et ingratum illud *ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον τὸν αὐτὸν ἄνδρα*, et quod X

---

1) Utramque orationem (inscribuntur *πρὸς Λάκριτον* et *κατὰ Διονυσοδώρου*) Blassius Demostheni abiudicat; rectene an secus nunc nihil ad rem; nam earum auctores, quicunque tandem fuerunt, certe Demostheni aequales habendi erunt.

2) Nihil causae video, cur cum Cobeto rescribatur *εἴπατε*, quemadmodum neque Scheibio neque Herwerdeno neque Thalheimio visa est („dicat aliquis vestrum".), sed idem non video cur Thalheimius repetitum *οὖν* eiicere dubitaverit apertissime ex proxime antecedentibus errore repetitum.

3) „*Μὲν* a Bekkero seclusum tuentur Turr. coll. or. 10 § 15, Plat. Civit. IV p. 421b, V p. 479a." Ita Scheibius in adnot. crit. p. xxj. De nostri Orat. X § 15 falluntur, ut mox demonstrabo; sed omnium similium locorum instar sit Plat. *Rep.* IV, 1, p. 421b): *εἰ μὲν οὖν ἡμεῖς μὲν φύλακας ὡς ἀληθῶς ποιοῦμεν, — — ὁ δ' ἐκεῖνο λέγων γεωργούς τινας καὶ ὥσπερ ἐν πανηγύρει ἀλλ' οὐκ ἐν πόλει ἑστιάτορας εὐδαίμονας, ἄλλο ἄν τι ἢ πόλιν λέγοι, σκεπτέον οὖν, πότερον κτλ.* Unde ne quis (ut Thalheimius?) colorem quaerat repetito illi *οὖν* § 3a orationis nostrae de quo modo egi, observandum hunc Platonis locum, quem alii aliter interpungunt, longius esse tractum; iure igitur post longas ambages repeti *οὖν*; id vero in ps.-Lysiae locum prorsus non cadere. Altero autem Platonis loco cum multis aliis secundum *μὲν* insiticium putaverim.

habet *τὸν αὐτὸν λάθρα ἄνδρα*, non leve illud notae interlinearis in textum receptae indicium, quod transponendo male obscuraverunt codices duo deteriores, iniuria hic probati ab editoribus. Altero vero loco, in ipso fine orationis, *μὲν* non tetigerim. Verba haec sunt: *κερδανῶ δὲ τοσοῦτον, ὅτι πρῶτον μὲν ὑμῶν ἀπαλλαγεὶς ἐλάχιστα κακῶς ὑφ' ὑμῶν πείσομαι· τοὺς μὲν γὰρ χρωμένους ὑμῖν κακῶς καὶ λέγετε καὶ ποιεῖτε, τῶν δὲ μὴ χρωμένων οὐδένα πώποτε* (§ 20). Hic neque Reiskium probaverim *πράτιστος* coniicientem, neque Kirchnerum simpliciter *πρῶτος* eiecto *μέν*, neque Thalheimium, cui *πρῶτος νῦν* magis placet, ut sententia sit, primum se discessisse, mox secuturos alios, quae iam praecedenti paragrapho inest et certe requireret *ὅτι πρῶτος ἐγώ*. Immo cum soleat noster sententiam variare prodigialiter unam (cfr. v. c. *ἀντιθέσεων* congeriem § 7, et § 18: *οὐκ οἶδ' ὅτι ζημιωθήσομαι μὴ ξυνῶν ὑμῖν· οὐδὲν γὰρ ὠφελούμην ξυνών*) in fine deesse potius quaedam statuerim, sic exempli causa supplenda: <*ἔπειτα ἄλλοις* (v. *βελτίοσι*) *χρώμενος φίλοις ἥδιον βιώσομαι.*, v. *ἡδίω τὸν βίον διάξω*>. Culpatur denique *ἀκούειν* cum accusativo § 17 (vult credo hoc: *ἀπόθετος φίλος τοῦ μηδὲν ἀκοῦσαι κακόν*) „wie bei dem Verfasser der zehnten (pseudo) lysianischen Rede." Quoniam *Theomnesteae* (§ 2) testimonium reiicitur, quaero quid faciendum sit Aristophane, qui *Nubb.* 1329 non dubitaverit scribere: *ἆρ' οἶσθ' ὅτι χαίρω πόλλ' ἀκούων καὶ κακά*; quemadmodum *Eqq.* 1276 seqq. scripsit: *εἰ μὲν οὖν ἄνθρωπος, ὃν δεῖ πόλλ' ἀκοῦσαι καὶ κακά* | *Αὐτὸς ἦν ἔνδηλος, οὐκ ἂν ἀνδρὸς ἐμνήσθην φίλου*. Restant *τυγχάνειν* sequente infinitivo (§ 13) in loco de menda suspectissimo et *καὶ ταῦτα* („atque praeterea") initio enuntiati absolute positum, quae fortasse revera singularia [1]) habenda erunt.

Haec igitur Buermannus. Quae praeterea alii vituperarunt, — Hoelscherum dico et Pertzium, quos ex Blassio tantum cognosco (*Att. Bereds.*[2] I p. 642), — vel minoris sunt momenti. Praeter *πολύφιλος*, de qua voce egi, et *ἐναντίον τῆς ἐλπίδος* pro *παρὰ*

1) Si § 13 recte ab Emperio *ἐπιλέγειν* correctum est (dubitabat Bakius *Scholl. Hypomn.* II p. 237, in X est *ἐκλέγειν*), omnino coniungendum ita: *φέρε γάρ, ᾔδει ποτ' ἐκεῖνος ὅτι Κλειτοδίκου δεηθεὶς ἐπιλέγειν, οὐκ ἔτυχον* sc. *τούτου*). I. e. Emperio interprete: „Cedo, poteratne ille scire, Clitodicum a me rogatum, ut epilogum diceret, recusasse?" Sic hoc quoque crimen „teneras vanescit in auras".

τὴν ἐλπίδα ambitiosius sane positum, atque φιλοσοφεῖν (§ 11) significatione *disputandi*, quod quam parum absit ab Isocrateo usu (Or. VIII § 5: πεποιήκατε τοὺς ῥήτορας μελετᾶν καὶ φιλοσοφεῖν κτλ.) in propatulo est, improbantur ἀπόθετος φίλος et vocis παρακαταθήκη tropicus usus. Leguntur haec eadem sectione (§ 17): ᾤμην γὰρ ἀπόθετος ὑμῖν εἶναι φίλος τοῦ μηδὲν ἀκοῦσαι κακὸν δι' αὐτὸ τοῦτο, διότι πρὸς ἐμὲ τοὺς ἄλλους ἐλέγετε κακῶς (καὶ X; omm. C, Cob.), παρακαταθήκην ἔχων ὑμῶν παρ' ἑκάστου λόγους πονηροὺς περὶ ἀλλήλων. Ex his ἀπόθετος φίλος dictio est minime vulgaris; defenditur tamen iis quae in (ps.-Dem.) *Neaerea* leguntur: εἴσεσθε τὴν τοῦ δήμου δωρεὰν τὴν ἀπόθετον τοῖς εὐεργέταις προπηλακιζομένην (§ 93), ut melius fecerit Buermannus, qui in hac sectione et alia reprehendit et ἀπόθετος *genetivo iunctum*, etsi non video qua alia constructione scriptor, verbo hoc semel adsumto, uti potuerit. Et quod ad vocem παρακαταθήκη attinet tropice adhibitam, tacitis Platonis (v. c. *Legg.* XI, 8, p. 927 b) Demosthenisque (Or. XXI § 177) testimoniis unum producam testem eiusdem fere temporis, ps.-Isocratis Or. I § 22: μᾶλλον τήρει τὰς τῶν λόγων ἢ τὰς τῶν χρημάτων παρακαταθήκας. Apparet has quoque criminationes nihili esse, ut Blassium eas maxima qua in his rebus pollet auctoritate quodammodo esse tuitum admodum mirer.

Sed missis his breviter ipse significem quid mihi de hac octava inter Lysiacas oratione videatur. Accedo iis qui, postquam Benselerus primus hiatum satis in ea curiose vitatum ostendit [1]), scriptiunculam exeuntis, ut aiunt, classicismi, i. e. exeuntis fere quarti vel ineuntis tertii a. Chr. saeculi esse censeant, — nimis enim benigne Herwerdenus scriptorem „Lysiae aequalem" existimat, — neque me movet quod obiicit Thalheim, affectasse eum veterem Atticismum in praepositione ξύν. Hoc enim ex Thucydidis imitatione fluxisse potest, quem sibi iuxta Demosthenem, etsi frustra, exemplum proposuisse videtur. Ut Blassio et Thalheimio, ita mihi verae causae inserviisse scriptio videtur minimeque igitur otiosam esse μελέτην exercitationis causa confectam.

---

2) „Satis curiose" dixi; nam quae insunt sat gravia neque adeo rara laesi hiatus exempla, collegit Blassius *Att. Bereds.*[2] I p. 642 adnot. 2a, nimis leniter de iis iudicans. „Also auch die Pause macht kaum einen Unterschied."

Cum hac enim parum quadrant plures res minimi non solum momenti, sed etiam ita comparatae ut nulli nisi scriptori eiusque sodalitati notae esse potuerint, quas ubi commemorandae videbantur, utpote *ἐν εἰδόσιν* verba faciens, stringit tantum, non exponit. Hinc inprimis repetenda illa obscuritas, de qua queruntur posteriorum temporum lectores et interpretes tantum non omnes. Neque tamen Blassio prorsus concesserim, scriptiunculam pretii tam vilis esse contendenti, ut si e Graecis litteris prorsus evanuisset nihil haberemus quod magnopere doleremus (*Att. Ber.*[2] I p. 644) [1]). Immo cum res domesticas tangat quamvis tenuem eodem loco habendam existimo quo epistolas, non fictas illas vel ad gravitatem compositas, quales Platonis et oratorum circumferuntur, sed veras et ad familiares datas. Inest praeterea, ut Buermannus optime exposuit, *ἠθοποιΐα* quaedam, non a scriptore quaesita quidem, sed eo ipso vel magis efficax. Videmus quam verum sit quod inimicos de se in vulgus spargere queritur: *βίᾳ ὑμῖν με ξυνεῖναι καὶ διαλέγεσθαι, καὶ πάντα ποιοῦντες οὐκ ἔχειν ὅπως ἀπαλλαγῆτέ μου.* Factum est quod nunc quoque identidem fieri videmus — adeo natura humana ubique manet eadem —: insinuavit se homo in sodalitatem hominum aliter moratorum, qui cum eum ferre non posse intellegerent diu frustra omnem lapidem moverunt ut contumeliis victum a se abigerent, donec tandem ipse magna cum gravitate per hanc scriptionem iis valediceret.

Praeter locos iam tractatos paucos nunc attingam, eadem praefatus atque Bakius olim: „tantum certe fecimus, quod alii, ut marte nostro luderemus in verbis propemodum desperatis." (*Scholl. Hypomn.* II p. 237.)

Or. VIII § 1: *καίτοι πολλῷ πλείων ἐστὶ σπουδὴ π ρ ὸ ς τ ο ὺ ς*

---

1) Animi causa transscribo Jebbii iudicium, quod certe non in leniorem partem peccat. „It is scarcely worth while to inquire how ***this curiously absurd composition*** first came among the works of Lysias. As it is *too uniformly dreary* to be mistaken for a joke, ***not even a grammarian's conception of his sportive style can explain the imputation.*** The person who could thus take leave of his friends is certainly hard to imagine; but it is perhaps equally difficult — — to fancy any one ***taking such a subject for an exercise***" (R. C. Jebb, *the Attic Orators* I p. 301.) Paene credas virum clarissimum hic a nostrae orationis scriptore argutae atque affectatae obscuritatis petiisse exemplum.

παρόντας· τοὺς μὲν γὰρ <παρ'> οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν, εἰ τοῖς ἐπιτηδείοις ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι [1]), — — — *τοῖς δὲ βουλοίμην ἂν δόξαι μηδὲν ἀδικῶν τούτους ὑπὸ τούτων ἀδικεῖσθαι πρότερον.* Distinguitur a sodalibus quos arguit auditorum corona, apud quos praesertim se purgatum esse vult; utrique adsunt; itaque *παρόντας* de auditoribus tantum dictum perversum est, ut multi viderunt multa excogitantes. Unum tantum vocabulum rei aptum est, etsi a litterarum apicibus quas praebet X paulo longius recedens. Legendum: *πρὸς τοὺς ἀκροατάς*, quod laetus comperi Thalheimio quoque non solum venisse in mentem, sed ita etiam placuisse, ut textui inferre non dubitaret.

Or. VIII § 4. Sequitur locus fere conclamatus, de quo mihi cum editore non prorsus convenit. Cur mihi — actor inquit — male et dicere et facere conamini atque apud hos me calumniari quos apud me ipsum calumniari solebatis? *Καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν.* Ita X ceterique, ut videtur, omnes. Sed haec eiusmodi sunt, ut sententiae nec caput nec pes constet. Unde enim repente singulares illi *ἐνοχλεῖ* et *ἐποιήσατο*? Ubi altera sententiae pars? Et quid tandem sibi volunt ultima? Inter editores fuere, ut Hartmannus et Herwerdenus, qui quae emendari posse desperarent intacta mallent relinquere. Alii diversissima commenti sunt. E quibus — quod exempli causa pono — Emperius coniiciebat: *καίτοι οὗτος, ὃν ἠνωχλεῖτε, περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι καὶ δι' ἄλλων ἐμοὶ κατεῖπεν* [2]). Prorsus aliter Bakius (*Scholl. Hypomn.* II p. 230) et Franckenius, quorum conamina apud Thalheimium perscripta non reperio. Bakius: *καίτοι οὐ τούτοις ἐνοχλῶ, οἳ περὶ πλείονος ἐποιήσαντο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι μᾶλλον καὶ ἐμοὶ κατεῖπον, ἃ δ' ἐλέγετε κτλ.*, haec igitur

1) Dubius haereo utrum hanc Emperii coniecturam probem (obmovit Bakius, l.l. p. 229, „*παρ' οὐδὲν τιμᾶν* in boni cuiusdam contemtione dici" solere, significationem nimis artis, ut mihi quidem videtur, circumscribens finibus) an Franckenii: *τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι <προ>τιμήσειν*, quod praetulit Herwerdenus.

2) Videtur Emperius de nonnullis hic sententiam mutasse, nam quae Bakius ut eius ad h. l. coniecturas profert (*καίτοι οὗτος, ὃν ἐνοχλεῖν ᾤεσθε, περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοὶ κατεῖπεν*) paullo differunt ab iis quae rettulit Thalheimius. Mihi quae Emperius ad Lysiam acutissime sane coniecit videre non contigit.

cum sequenti enuntiato coniungens, sed quae proposuit mihi quidem, ut Franckenio, neque πειθανάγκην habent neque multo videntur quam Palatini lectiones dilucidiora. Quinam enim illi οὗτοι, cum e sequentibus satis appareat *unum* fuisse qui sodalium criminationes nostro detulisset? Quapropter Franckenius, priore sententiae parte immutata relicta (nisi quod ἠνώχλει scribit), malebat: ἢ οἱ ἄλλοι ἐμοῦ κατειπεῖν, „ut sententia sit: pluris fecit hic ut videretur mihi bene velle, quam reliqui (fecerunt) ut me accusarent" (C. L. p. 63). Sed, ne cetera tangam, καταγορεύειν τινὸς aliud est, aliud κατηγορεῖν τινος. Neque Thalheimius satisfacit edens: καίτοι οὕτως ἠνωχλεῖτε, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατό <τις> δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον <εἵλετο> ἐμοὶ κατειπεῖν. Etenim Franckenius recte: „post περὶ πλείονος ἐποιήσατο alterum quod dicitur membrum comparationis abesse non posse videtur, quoniam — — περὶ πλείονος (non) simpliciter pro περὶ πολλοῦ potest usurpari." Omnium quorum cognovi coniecturas sententiae tenorem optime mihi videtur perspexisse Foertschius, suadens: καὶ τί οὕτως ἐνοχλεῖτε, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο ὁ δεῖνα ἐμοῦ κήδεσθαι ἢ καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν; Multum tamen abest ut haec eiusmodi sint quibus acquiescere possimus. E variis criticorum conaminibus satis certa arbitror Contii Kaiserique ἠνωχλεῖτε, insertio vocis τις, quae Thalheimio debetur (cfr. §§ 8, 9), ἐμοὶ κατειπεῖν, quod suasit cum Bakio Emperius. Adscitis his hanc credam esse totius enuntiati sententiam: „adeo molesti eratis tamque strenue male dicebatis mihi, ut nescio quis indignabundus praetulerit mihi favere videri potius, etsi sciebat hoc moleste laturos ceteros, quam diutius tacere meque de calumniis in me iactis non certiorem facere." Hoc sic conceptum puto: καίτοι οὕτως ἠνωχλεῖτε, ὥστε περὶ πλείονός <τις> ἐποιήσατο <τὸ> δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι μᾶλλον, ἢ ἐμοὶ <μὴ> κατειπεῖν, quae sunt ad intellegendum, opinor, satis aperta.

Or. VIII § 11: καίτοιγε σφῶν γε αὐτῶν κατηγόρουν. εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων <ἔπραττον> ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ που καλῶς συνέπραττον. Ita haec disposuit Thalheimius, qui quae Bakius et Franckenius de hoc quoque loco salebroso protulerunt iterum silentio pressit, non prorsus iniuria, cum et

argutiora sint et minime probabilia, nec tamen peiora quam pleraque eorum conaminum quae commemoratione digna existimavit. Mihi hoc requiri videtur: *καίτοι σφῶν γε αὐτῶν κατηγόρουν· εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων <ἔπραττεν> ἀδικουμένῳ μοι μηδὲ ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που <οὐ> καλῶς συνέπραττον.* De *καίτοι*, quod iam postulaverat Dobraeus, supra egi. Post *ἃ μετὰ τούτων* desiderari verbum in propatulo est; *ἔπραττον* proposuit amicus quidam Fritzschii, sed cum pluralem vix intellegam post *μετὰ τούτων*, dedi *ἔπραττεν*, Diodorus nempe. Tum sententia mihi postulare videtur *μηδέ*, „ne quidem”, et insertum *οὐ*, quod nihil veritus hiatum propono, quoniam in hac indignantis ratiocinatione ironiae nullus mihi locus videtur. Rem sic mihi informo. Agitur de equo aegrotante, quem incitantibus et aliis ex falsis illis amicis et inprimis Diodoro pignoris loco a Polycle quodam acceperet actor pro duodecim minarum summa, ab hoc, ut videtur, mutua sumpta. Mortuo equo actor debitum reposcere, negare debitor nihil se debere adseverans, cum interim sodales illi de re in utramque partem disputarent, eo consilio ut rationes nostri cognitas post cum adversario communicare possent, si lis ad arbitrum deferretur. Sed antequam eo perventum est, actor noster in sodalium coetu de eorum perfidia questus esse videtur, cui illi, deterrendi eius causa videlicet, magno ore obstrepuisse censendi sunt, indigne eum Diodorum incusare fingentes.

Or. VIII § 13. Haec omnia se edoctum dicit per familiares a nuntio illo, cuius nomen se reticere velle supra significaverat. Sed vera esse omnia sic probare instituit: *καὶ ταῦτα τί με δεῖ φανερώτερον ἐξελέγχειν ἔτι*[1]); *φέρε γάρ, ἤδη* (l. -*δει*) *ποτ' ἐκεῖνος ὅτι Κλειτοδίκου δεηθεὶς ἐπιλέγειν οὐκ ἔτυχον; οὐ γὰρ δὴ παρῆν τούτοις· ἢ τί κέρδος ἦν αὐτῷ διαβάλλειν ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς οὕτω προθύμως, ὥστε σπουδάσαι πρὸς τοὺς ἐμοὺς ἀναγκαίους πλάσασθαι ταῦτα;* Sic Thalheimius edidit, cum Palatinus in hac quoque sectione et alia vitia habeat et *ἐπεὶ κέρδος κτλ.* Proposuit Emperius *ἢ τί*, Baiterus *ἔπειτα τί, εἰ μὴ* amicus ille

1) Ita (*ἔτι; φέρε γὰρ*) ingeniosissime, ut solet, Reiskius. Codex *ὅτι φέρε γάρ*, sine sensu, ut hic solet.

Fritzschii, cuius et supra mentio facta est, *ἔπειτα* Scheibius. Mihi verum videtur: *ἐπεὶ* <*τί*> *κέρδος ἦν αὐτῷ κτλ.* Particulas *εἶτα* et *ἔπειτα* „cum indignatione interrogantis esse" et notum est et opportune monuit Scheibius [1]).

Or. VIII § 18: Renuntiat itaque iis amicitiam nihil sibi profuturam. *Πότερον γάρ, ὅταν ᾖ τί μοι πρᾶγμα, τότε πεθέσομαι τὸν ἐροῦντα καὶ τοὺς μαρτυρήσοντας*; Potestne nude dici *τὸν ἐροῦντα* pro *τὸν ἐροῦντα ὑπὲρ ἐμοῦ*? Cum dubitem, in promptu est corrigere *τὸν* <*ξυν*>*εροῦντα*, ut v. c. Or. XII § 86 [2]).

Or. VIII § 19: *Τοιοῦτον δ' ἄρα* (sic Thalheim; *γὰρ* X) *πρὸς ὑμᾶς αὐτοὺς πείσεσθε, ἐπειδή περ ὑμῖν ἔθος ἐστὶν ἕνα τῶν ξυνόντων ἀεὶ κακῶς λέγειν* [*καὶ ποιεῖν*]. Quoniam in hac parte sermo est de maledictis, quae actor arguitur in sodales iecisse, sed quod crimen cum indignatione reiicit atque in ipsos retorquet, praestabit me iudice verba *καὶ ποιεῖν* insiticia iudicare.

Accedo ad nonam orationem, et ipsam a Franckenio, Blassio, Jebbio, Thalheimio, Herwerdeno Lysiae abiudicatam, quae mihi quoque verisimilis sententia videtur. Veteres iam de authentia dubitasse ex Harpocratione apparet s. v. *Δικαίωσις* (§ 8: *ἄλλας δικαιώσεις*, i. e. *argumenta*) ut multi iam monuerunt, sed est hoc argumentum admodum debile, quemadmodum illud quoque ab Herwerdeno c. a. prolatum de hiatu studiose evitato [3]). Maioris

---

1) Emperius, et quantum quidem cognoscere potui ceteri omnes, vocem *ἐκεῖνος* referunt ad illum nuntium, a quo noster de amicorum fallaciis calumniisque certior factus est. Bakius contra per *ἐκεῖνος* certissime Polyclem intellegit. (l.l. p. 235/6) Adeo in hac oratiuncula et interpretanda et emendanda minime rarum est videre homines doctos in diversissima abeuntes!

2) Υ et ο saepius confundi sive in Palatino sive iam in eius exemplis efficitur v. c. ex vv. ll. ad Or. IX § 4, ubi *ὑπετΥπτούμην* X, *ὑπετΟπτούμην* necessarium coniectura adsecutus est Scaliger. Ibid. § 12 *αὐτοῖς* X (ΑΥΤΟΙC scriba visus est sibi videre), verum est ΛΟΓΟΥC, quod hinc exsculpsit post Dobraeum (qui minus recte *λόγον*) Thalheimius, iniuria m. i. spretum a Scheibio et Herwerdeno prae Reiskii Sluiterique *εὐθύνας*, quod in *αὐτοῖς* non facile corrumperetur.

3) Graviores hiatus enotavi hosce: § 2: *μέντοι ὑμᾶς*: ib. *μου, οὐκ* (*τοῦτ'* Markl); § 4: *τῷ στρατηγῷ ἐδήλωσα*: § 6: *τοῦ νόμου ἀπαγορεύοντος*; ib. *ζημιῶσαι ἠξίωσαν*: § 7: *ταμίαι οὐδὲν*: ib *ἐννοούμενοι οἷα*: ib. *ἀναγράφεσθαι* (*ἐγγράφεσθαι* Halbertsma),

momenti sunt quae et Franckenius et inprimis Blassius (*Att. Ber.*[2] I p. 599 seqq.) ad orationis *γνησιότητα* impugnandam protulerunt. Verae tamen causae eam inserviisse cum Jebbio statuo. Pauca tantum sunt quae ad emendationem scriptionis admodum male habitae conferre possum.

Or. IX § 2: *ὅτι μὲν οὐκ ἐμοῦ καταφρονήσαντες ἀλλὰ τοῦ πράγματος τοὺς λόγους ποιοῦνται, σαφῶς ἐπίσταμαι· εἰ μέντοι ὑμᾶς οἴονται δι' ἄγνοιαν ὑπὸ τῶν διαβολῶν πεισθέντας καταψηφιεῖσθαί μου, τοῦτ' ἂν θαυμάσαιμι.* In his sic a Thalheimio constitutis plura sunt quibus adstipulari nequeo. Iam primum ex consuetudine huius scriptoris requiro: *ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἐμοῦ κτλ.* *Οὖν* deest in X, sed ante *οὐκ* facile elabi potuit. Pro *ἄγνοιαν*, quod repperit Rauch, *εὔνοιαν* est in X, quod alii aliter procuraverunt; plerique editores Iacobsianum *εὐήθειαν* secuti sunt, sed cum haec vox iudicibus minime honorifica videri debeat, haud scio an cum Thalheimio quod supra scriptum est praeferam. Aliquanto difficilius est de vocabulis *ἀλλὰ* et *τοῦτ'* quid rectum sit statuere. Totius ratiocinationis cardo in eo vertitur, ut reus, — *ὁ στρατιώτης*, cui Polyaeno nomen esse ex sequentibus planum fit, — accusatores contendat, cum re ipsa et argumentis e iure petitis minus valerent, ad maledicta et calumnias confugere (§ 3). Iure igitur dicuntur *τοῦ πράγματος καταφρονῆσαι*. Sed qui tali modo reum impugnat qualem diximus, isne item recte dicatur *τοῦ φεύγοντος μὴ καταφρονῆσαι*? Immo vero et rem et reum aequabiliter vilipendisse potius dicendus erit. Sensit difficultatem Franckenius, quem Herwerdenus secutus est: rescripsit *οὖν* pro *οὐκ* initio sententiae, delendumque censuit [*ἀλλὰ τοῦ πράγματος*]. Simplicius erit corrigere: *ὅτι μὲν* <*οὖν*> *οὐκ ἐμοῦ καταφρονήσαντες μᾶλλον* <*ἢ*> *τοῦ πράγματος κτλ.* Tandem iniuria, si quid video, recentissimus editor Marklandum secutus *τοῦτ'* dedit pro Palatini lectione *οὐκ* [1]), quae

ἀποροῦντες δὲ μεταπεῖσαι αὐτοὺς: § 9: *οὔτ' ὀφείλω οὔτ' ἐκτῖσαι*: § 12: *κύριοι ἦσαν πράξασθαι ἢ ἀφεῖναι*: § 14: *οὔτε λόγῳ οὔτ' ἔργῳ ἔβλαψα οὐδένα*: § 19: *τῇ δίκῃ ἁλῶναι*: § 21: *ἀγωνίζομαι*, *ἔργῳ*: ib. *συμπολιτεύεσθαι*, *ἢ*: § 22: *πλείστου οὖν.*

1) Mecum facit Herwerdenus. Videntur tamen plures hic offendisse editores; Scheibius enim Foertschio duce edidit: *εἰ μέντοι ὑμᾶς οἴονται — — καταψηφιεῖσθαί μου, οὐκ ἂν θαυμάσαιμι;*

mihi quidem sanissima est. Accusatores reum, gregarium militem, contemnunt; *neque mirari se* dicit si iudices δι' ἄγνοιαν calumniis fidem habentes se condemnent. Nimis pressisse mihi videntur editores adversativam vim voculae μέντοι, quae hoc loco potius paullo gravius δὲ valere existimanda erit. Hoc quoque in causis erat cur in primo oppositionis membro μὲν οὖν requirerem.

Or. IX § 14. Sostrato, potenti tunc temporis civi, familiarem se fuisse reus narrat, sed hac se amicitia modice esse usum: ζῶντος μὲν γὰρ διὰ τὴν ἀνάγκην διὰ τὴν ἡλικίαν ἐσχόλαζον, ἐκλιπόντος δὲ τὸν βίον οὔτε λόγῳ οὔτε ἔργῳ ἔβλαψα οὐδένα τῶν κατηγορούντων. Malo cum antiquis editionibus in his <καὶ> addere inter ἀνάγκην et ἡλικίαν, quod post ἀνάγκην facillime in archetypo elabi potuit, quam aut cum Halbertsma διὰ τὴν ἀνάγκην expungere, qua notione („propter hanc familiaritatem") carere vix possumus, aut cum Emperio aliisque corrigere καὶ ἀνάγκῃ ἡλικίαν, quod vix intellego.

Or. IX § 17. De inimicis suis Polyaenus: ἀλλὰ γὰρ [εἰ] κατεφρόνησαν τοῦ ὑμετέρου πλήθους, οὐδὲ φοβηθῆναι τοὺς θεοὺς ἠξίωσαν. Molestum εἰ deleverunt editores Turicenses, adstipulante quodammodo Thalheimio; sed unde natum dicamus? Alii coniectando damnum sarcire conati sunt: καὶ Taylorus et Scheibius, οἳ Marklandus, maiore nisu Thalheimius ἅμα γὰρ δὴ καταφρονήσαντες κτλ. Aliquanto simplicius rescripserim: ἀλλὰ γάρ, ὡς κατεφρόνησαν τ. ὑμ. πλήθ., οὐδὲ φοβηθῆναι τ. θ. ἠξίωσαν. In eiusdem sectionis fine admodum molesta sunt haec: τὸ δὲ τελευταῖον, νομίζοντες οὐχ ἱκανῶς με τετιμωρῆσθαι, τὸ πέρας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασαν. Cum de exilio prorsus cogitari non possit neque haec huius delicti, cuius nunc noster arguitur, poena videatur, ἐξήλασαν aut corrigendum erit, quod non ita facile esse arguunt diversorum criticorum conamina, aut cum editore explicandum ut sit: „militem expeditionis alicuius participem" ex Attica emiserunt. Sed vel difficiliora sunt quae praecedunt: τὸ δὲ τελευταῖον — — τὸ πέρας, quibus prorsus idem bis dicitur, ut mittam, quod multi monuerunt, τὸ πέρας Atticum non esse pro πέρας. Nullam habet probabilitatem Emperii coniectura τὸ

μέρος. Herwerdenianam quoque rationem, ut resecto *τὸ δὲ τελευταῖον* rescribatur *πέρας δὲ νομίζοντες κτλ.*, utpote violentiorem non facile admiserim. Quapropter aut statuendum *τὸ πέρας* parenthetice esse positum ut sit: „quod summum est miseriae", aut quaerenda corruptae hic vocis emendatio, quae mihi non succurrit. Nam vix ausim eam mutare in notissimum *τὸ π α ρ ά π α ν*, ut v. c. apud Herodotum est: *ὁ Πεισίστρατος — — ἀπαλλάσσετο ἐκ τῆς χώρης τὸ παράπαν*. (I 61 med.)

Or. IX § 20 seqq. Ad iudices conversus reus: *παρ' ὑμῶν δὲ τοῦ δικαίου στερηθεὶς πολὺ ἂν μᾶλλον λυπηθείην. δι' ἔχθραν μὲν γὰρ οὐ δόξω κακῶς πεπονθέναι, διὰ κακίαν δὲ τῆς πόλεως. λόγῳ μὲν οὖν περὶ τῆς ἀπογραφῆς ἀγωνίζομαι, ἔργῳ δὲ περὶ πολιτείας.* Haec specie magis quam re cohaerent. Quare Reiskius <*στερηθῆναι* vel *ἐκπεσεῖν*> *τῆς πόλεως* supplebat; similiter Herwerdenus: *διὰ κακίαν δὲ τ. πόλ.* <*ἐστερῆσθαι*>. Alii, Scheibius, Cobetus, Hartmannus, lacunam indicebant post *τῆς πόλεως*. Adsentior, sed sic explendam censeo: *διὰ κακίαν δὲ τ. πόλεως·* <*ὃς*> *λόγῳ μὲν ν ῦ ν περὶ τ. ἀπογραφῆς ἀγωνίζομαι κτλ.* Quamvis noster adamet locutionem *μὲν οὖν*, hic certe alienissima est.

Or. IX § 21: *τίνι γὰρ ἐπαρθέντα ἐλπίδι δεῖ με συμπολιτεύεσθαι, ἢ τί με χρὴ διανοηθέντα, εἰδότα μὲν κτλ.* Haec quoque male se habent, sed sananda, non ut cum Dobraeo et Herwerdeno inducamus *τί* [*με χρὴ*], sed suppleamus potius: *ἢ τί με χρὴ διανοηθέντα* <*ἐνθάδε μένειν*>, *εἰδότα κτλ.*, coll. v. c. Or. 30 § 26. Similiter olim Reiskius *μεῖναι* vel *ἐπιτηδεύειν* addebat.

Theomnesteam Lysiae eripere nefas duxerim, adeo nihil inest neque in verbis neque in rebus summo oratore indignum. Nimia fortasse admiratione abripi se passus est Franckenius, sed qui inter recentiores Harpocratione vel eius auctoribus confisi orationem suppositiciam habuerunt, aut praeiudicata eaque falsa opinione ducti sunt, ut Buermannus et Brunsius, aut suo ipsi quodammodo diffidunt iudicio, ut Blassius [1]). Nam quam ille

1) „Schwerer wird es, Harpokration's verwerfendes Urtheil bei der folgenden Rede, der gegen Theomnestos, zu verstehen" (*Att. Ber.*² I p. 601). Et aliquot paginis

profert nostrae orationis (§ 28) cum *Epitaphio* (§ 73) *συνέμπτωσιν*, a K. Hermanno incredibili diligentia detectam, eam aut fortuitam existimo, aut in tanta Atticarum orationum iactura nobis tantum singularem; certe ita comparatam, ut adversus *Theomnesteae* authentiam nihil prorsus valere censenda sit. Quod uni parti refutationis, quae est de vi atque potestate vocis *ἀνδροΦόνος* in *κακηγορίας* lege, diutius immoratur orator, ea et cum acerbissima irrisione coniuncta est et conferri potest cum §§ 45—53 Orationis XIX[ae] (*ὑπὲρ τῶν ἈριστοΦάνους χρημάτων*), ubi item ad nostrum sensum prolixius disputatur de existimatione divitiarum post potentium virorum obitum saepe falsa, certe vulgi rumoribus in immensum aucta. Textus hic illic pessime habitus et inprimis lacunosus multorum exercuit sollertiam neque semper cum fructu. Quae ipse observanda habeo haec sunt.

Or. X § 2: *ἐγὼ δ', εἰ μὲν τὸν ἑαυτοῦ με ἀπεκτονέναι ᾐτιᾶτο, συγγνώμην ἂν εἶχον αὐτῷ τῶν εἰρημένων· Φαῦλον γὰρ αὐτὸ καὶ οὐδενὸς ἄξιον ἡγούμην.* Quantocius redeundum ad codicis lectionem *αὐτόν*, quod iam monuerunt Franckenius et Herwerdenus. Nihil enim causae est ut pro lectione tradita probetur, quod Emperius proponebat quodque additum postularet *ἂν* vel *ἄν τι*, ut Weidnerus sensit, *αὐτό*. Quin quod X praebet multo est mordacius; sed simul cum Hartmanno requiro *ἡγοῦμαι*· contortius enim, si quid iudico, imperfectum tuebatur Franckenius, probante Herwerdeno: „nimirum dum in vivis erat."

Or. X § 4. Accusatori a Theomnesto exprobratum erat eum patrem suum [1]) interemisse, revera a trigintaviris occisum; quod eo videtur tetendisse ut significaret eum huius necis proprie

---

post: „Und so wäre kein Grund, an Unechtheit zu denken, wenn nicht die — — Berührung mit dem Epitaphios die Annahme eines gemeinsamen Verfassers mit diesem nahezulegen schiene." Etiamsi haec cognatio tam manifesta res esset quam mihi dubia vel potius nulla videtur, infirmum sane est hoc fundamentum cui *νοθείαν* orationis superstruas.

1) Quod suspicatus est Sauppius, hunc patrem fuisse Leonem Salaminium e Platone et Xenophonte notissimum, est haec suspicio eiusmodi, ut fere facilius sit affirmare eam quam refellere.

fuisse auctorem. Sequuntur argumenta cur hoc omnino fieri non potuerit. *Φαίνομαι οὖν τρισκαιδεκέτης ὢν ὅτε ὁ πατὴρ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀπέθνῃσκε, ταύτην δὲ ἔχων τὴν ἡλικίαν οὔτε εἰ ἔστιν ὀλιγαρχία ἠπιστάμην, οὔτε ἂν ἐκείνῳ ἀδικουμένῳ ἐδυνάμην βοηθῆσαι. καὶ μὴν δὴ οὐκ ὀρθῶς τῶν χρημάτων ἕνεκα ἐπεβούλευσα <ἂν> αὐτῷ· ὁ γὰρ πρεσβύτερος ἀδελφὸς Πανταλέων ἅπαντα παρέλαβε.* Iam primum cum multis necessarium duco *τί ἔστιν ὀλιγαρχία.* Sed huic eidem sententiae inest quo equidem offendar gravius. Non aliter quam nos legit epitomator: *Φαίνομαι οὖν δωδεκαέτης ὤν, ὅτε ὁ πατὴρ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀπέθνῃσκεν, ὥστ' οὐδ' ὅ τι ὀλιγαρχία ἦν ᾔδειν, οὐδὲ τῷ πατρὶ βοηθεῖν οἷός τ' ἦν.* Itaque audacius fuerit quod dicam, nec tamen possum premere semper mihi hoc loco claudicare argumentationem esse visam. Quasi vero qui per aetatem vel ob quamcumque tandem causam patrem tyrannorum manibus non valet eripere, is cum aliqua probabilitate sive iure sive iniuria argui possit patrem interemisse! Expectarem prorsus aliud: annum tunc temporis agebam tertium decimum; itaque, puer cum essem, neque quid optimatium factio esset intellegebam, *neque igitur partium studio abreptus paternae mortis auctor extitisse dici possum*, neque ut opibus eius potirer idem scelus commisi. Quae si probatur ratiocinatio, Lysias scripserit: *οὔτ' ἂν ἐκείνοις ἀδικουμένοις ἐδυνάμην βοηθῆσαι.* Simul apparet et cur addatur, ignorasse se id aetatis quid esset oligarchia, et recte se habere illud *ἄν*, quod et recentiores (Frohbergerum, Weidnerum, Herwerdenum, Thalheimium) male habuit et veterem iam epitomatorem, qui etiam de suo *δωδεκαέτης* videtur dedisse, periphrasi (*βοηθεῖν οἷός τ' ἦν*) quodammodo occultasse putaverim. In transcursu moneo, etiam necessarium *ἂν* post *ἐπεβούλευσα* in epitomatoris codice defuisse.

Or. X § 9: *εἴ τίς σε εἴποι ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα, — — οὐκ ἂν ἐδικάζου αὐτῷ, ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα λέγοντι οὐδέν σοι μέλλει;* Non satisfactum esse sententiae, si in fine cum Stephano scribatur *οὐδέν σοι μέλειν*, contra Thalheimium audacter cum permultis affirmaverim. Neque enim *ἐξήρκει ἄν σοι λέγοντι* ut sit i. q. *λέγειν* poetarum locis et ipsis rarioribus, quale est Sophocleum illud *εἴ μοι ξυνείη φέροντι κτλ.* (O. R. 863), satis

defensum arbitror [1]), neque si quam maxime ita esset, sententia Attice vel omnino Graece enuntiata videtur pro *τὸ ἐρριφέναι τ. ἀσπ.* et *ὅτι οὐδέν σοι μέλει*. Violentioribus opus esse remediis plurimi censuerunt. Superesse aliquid Dobraeo videbatur [*ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα*] inducenti, quem Herwerdenus secutus est, nisi quod *λέγειν ὅτι* dedit, ut primus monuit Lennepius nostras. Bakius, quem nunc quoque neglexit editor, vitioso — ut mihi quidem videtur — acumine in nostro loco usus nihil delebat, sed coniecturam periclitatus est: *ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα λέγων ὅτι οὐδέν σοι μέλει;*, miro iudicio non ad Theomnestum, sed ad „alterum illum", qui timiditatem et fugam huic exprobrasse nunc fingitur, verbum *ἐξήρκει* referens [2]). Sed hoc et contortissimum est et sic quoque requireretur *τὸ ἐρριφέναι*. Alii deesse potius quaedam suspicati sunt, quibus adstipulor. Quorum Cobetus tentabat: *ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι <πρὸς τὸν> ἐρριφέναι <σε> τὴν ἀσπίδα <εἰπόντα> λέγειν ὅτι κτλ.*, intellectu sane facillima, sed palaeographica *πειθανάγκῃ* fere nulla. Et poterit minore molimine res restitui. Legatur: *εἴ τίς σε εἴποι — —, οὐκ ἂν ἐδικάζου αὐτῷ, ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα <ἀκούοντι> λέγειν ὅτι οὐδέν σοι μέλει;* Prorsus idem Franckenius parum abfuerat ut probaret nec multum aliter Weidnerus [3]). Verbum *ἀκούειν* significatione passiva in hac oratione ubique obvium esse vix est ut moneam. Iam § 2: *εἴ τι ἄλλο τῶν ἀπορρήτων ἤκουσα*, § 22: *ἀκηκοὼς οὕτως ἀνόσιον* (sic optime Hertleinius) *καὶ δεινὸν πρᾶγμα*, paulo post (§ 23): *πότερον ὅτι δικαίως ἀκήκοα*; et sic saepius.

---

1) Quod vulgatae lectionis et constructionis tuendae causa afferunt unicum e Demosthenicis exemplum, si interius intuemur alienum esse apparebit. Verba sunt (ps.-Demosth. Or. XLVII, *κατ' Εὐέργου καὶ Μνησιβούλου*, § 52 i. f) *καὶ ταῦτ' ἔχουσιν οὐκ ἐξήρκεσεν αὐτοῖς, ἀλλ' ἐπεισελθόντες εἰς τὸ χωρίον — — ἐπὶ τοὺς οἰκέτας ἦξαν κτλ.* Apparet haec significare: „his potiti nondum eo contenti fuere, sed" cett. Num nostro quoque loco licebit vertere: „utrum litem ei intenderes an dicenti tibi nihil ad te pertinere *ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα* satis esset?" Sponte quaerere cogimur: *quid* satis esset?

2) Paradoxon suum ita defendit: „nimirum *ἐξαρκεῖν* est, satis esse, *satis facere quo quis se defendat et excuset:* atqui a Theomnesto nihil, ut faceret, in ea ficta causa, requirebatur." (l.l. p. 257.) Equidem putaverim in ficta causa idem requiri atque in vera, ad quam illustrandam ficta illa proponitur.

3) Nempe commendabat Weidnerus *<ἀκούσαντι> ἐρριφέναι*, sed aoristum minime hic necessarium duco. Immo *ἀκούοντι* i. q. *εἰ ἤκουες*.

Or. X § 10. Verbo moneo sequentia: Ἀλλ' οὐδ' ἂν τῶν ἕνδεκα γενόμενος ἀποδέξαιο — —, ἀλλ' ἀφείης ἂν τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅτι οὐ λωποδύτης ὀνομάζεται; novam sententiam ordiri et interrogative esse enuntianda, nam et haec ab ἡδέως ἂν σου πυθοίμην pendent. Male Thalheimius affirmative ea cepit atque antecedentibus adnexuit; sic enim οὕτως (vel ὁμοίως, ut est in *Epitome* § 5) οὐδ' ἂν τῶν ἕνδεκα γενόμενος κτλ. oportebat. Quae autem haec excipit sententia, ea utique per affirmationem efferenda est, sed quemadmodum ea verba et apud alios et apud nuperrimum editorem scribuntur, rem non intellego, ut ante me non intellexit Weidnerus. Et huius quidem coniecturas longe petitas et parum probabiles non sequar, sed hoc rogo, sanumne sit quod vulgatur: οὐδ' εἴ τις (τὴν X) παῖδα ἐξαγαγὼν (oportet ἐξάγων, ut monuerunt Frohberger et Halbertsma) [1]) ληφθείη, οὐκ ἂν φάσκοις αὐτὸν ἀνδραποδιστὴν εἶναι, εἴπερ μαχεῖ τοῖς ὀνόμασιν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ἔργοις τὸν νοῦν προσέξεις, ὧν ἕνεκα τὰ ὀνόματα πάντες τίθενται. Quoniam οὐκ ἂν φάσκοις idem est atque ἀρνοῖο ἄν, requiro prorsus contrarium: εἴπερ <μὴ> μαχεῖ τοῖς ὀνόμασιν, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις τὸν νοῦν προσέξεις.

Or. X § 15: Ἐγὼ τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὑμᾶς μὲν πάντας εἰδέναι ἡγοῦμαι ὅτι ἐγὼ μὲν ὀρθῶς λέγω, τοῦτον δ' οὕτω σκαιὸν εἶναι ὥστε οὐ δύνασθαι μαθεῖν τὰ λεγόμενα. βούλομαι οὖν αὐτὸν καὶ ἐξ ἑτέρων νόμων περὶ τούτων διδάξαι. Haud recte Hartmannus ἐγὼ μὲν proscripsit, credo quod praecedit ἐγὼ τοίνυν. Est tamen ad oppositionem prorsus necessarium, atque talia ad nostrum elegantiarum modulum metiri periculo non vacat. Sed leve hoc; inest verbis a me exscriptis gravius argumentationis vitium. Adversarius meus — ita orator — tam stolidus est, ut fere suspicer eum omnino quorsum verba legum valeant doceri nequire. *Itaque* eum de ceteris quoque legibus docere cupio. Bellissima sane conclusio. Ridicula esse desinet sic scripta: βούλομαι <δ'> οὖν κτλ: *nihilominus* cupio cett.

---

1) Ut ἐξαγαγὼν defenderet, Thalheimius provocavit ad Orat. XIII § 67. At idem illic, nostratem Van den Es secutus, scribit: ὁ δὲ ἕτερος (Agorati frater) εἰς Κόρινθον μὲν ἐντευθενὶ ἀνδράποδον ἐξήγαγεν, ἐκεῖθεν δὲ παιδίσκην αὖθις ἐξάγων ἁλίσκεται.

Or. X § 16: Εἰ οὖν ὁ δεθεὶς — — τῶν ἕνεκα κατηγορείη ὅτι οὐκ ἐν τῇ ποδοκάκκῃ ἐδέδετο ἀλλ' ἐν τῷ ξύλῳ, οὐκ ἂν ἠλίθιον αὐτὸν νομίζοιεν; Ne sic quidem male. Attamen multo et acrior et rectior — ita enim sentire magis iudicum erat et auditorum, quam undecimvirorum quamvis stolida esset accusatio — erit sententia sic conformata: οὐκ ἂν ἠλίθιον αὐτὸν νομίζοιμεν; quod post Naberum, Hartmannum, Herwerdenum sero vidi.

Or. X 17: Τὸ ἀπίλλειν τὸ ἀποκλείειν [1]) νομίζεται. Sic cum codd. plurimi editores. Thalheimius τοῦτο ἀποκλ. νομίζ. cum Marklando. Praetulerim: τὸ ἀπίλλειν <ταὐ>τὸ <τῷ> ἀποκλ. νομίζεται, nam quaerit in his interpretationibus orator aliquam saltem varietatem. Quamobrem in praecedentibus quoque potius cum C scripserim, ut Cobetus olim, τούτων τὸ <μὲν> ἐπιορκ. ὀμόσαντά ἐστι, τὸ δὲ δρασκάζειν κτλ., quam quae Palatino duce dedit editor: τοῦτο τὸ ἐπιορκ. ὀμ. ἐστί, τό τε δρασκάζειν κτλ., nam hic quoque Palatinum minime esse integrum comparato Harpocratione s. v. Ἐπιορκήσαντα patebit.

Or. X § 23: Τίνος ὄντος ἐμοὶ πρὸς ὑμᾶς ἐγκλήματος; Miram sententiam mire explicuit Dobraeus (*Advv.* I p. 208 = 212), neque concoxit iam epitomator, qui tantum dedit τίνος ἐγκλήματός μοι ὄντος; Intellegerem πρὸς ὑμῶν, quod idem Franckenio quoque in mentem venerat, qui quae de recepta lectione neutiquam toleranda fuse disputavit, eiusmodi sunt ut mihi certe non minus quam Herwerdeno plane persuaserit.

Or. X § 24: Ἀναμνήσθητε δὲ ὅτι μεγάλην καὶ καλὴν ἐκείνην δωρειὰν αὐτῷ δεδώκατε. Diu me haec torserunt, ut ante me male habuerunt Franckenium. Sententia est satis aperta: innuuntur superiora iudicia quibus absolutus est Theomnestus. Atque possunt haec δωρειά appellari, — quod X praebet καλὴν ἐκείνην δῶρον nihili est substantivumque recte a Contio emendatum iure susceperunt editores [2]) —, sed cur ἐκείνην dicat δωρειάν cum

1) Lysiasne scripsit ἀποκλήειν, quemadmodum κληὶς μεγάλη (iuxta κλείς) est in inscriptione post-Euclidea CIA II, 675, 44? (Cfr. Meisterh [2] p. 36.)

2) Cfr. v. c. Demosth. Or. XXI § 170: ἀλλ' ὅμως οὐδενὶ πώποτε τούτων δεδώκατε τὴν δωρειὰν ταύτην, ἐξεῖναι τοὺς ἰδίους ἐχθροὺς ὑβρίζειν αὐτῶν ἑκάστῳ, ὁπόταν βούληται καὶ ὃν ἂν δύνηται τρόπον.

nihil praecedat cui haec aptentur, id vero non adsequor magis quam Franckenius olim, qui tamen non admodum probabiliter rescriptum volebat: *μεγάλην καὶ καλὴν νίκην*. Equidem cogitavi an fuerit: *ἀναμνήσθητε δὲ ὅτι μεγάλην καὶ καλὴν ἐκεῖ δωρειὰν αὐτῷ δεδώκατε*, i. e. *in iudicio*. Admodum laxe apud oratores *ἐκεῖ* adhiberi ubi accuratius aliquid, sive rem sive locum sive tempus, definitum expectaremus notissimum est. Speciminis causa adscribo Isaei Or. VI § 47: *τοὐναντίον τοίνυν συμβέβηκεν ἢ ὡς ὁ νόμος γέγραπται· ἐκεῖ μὲν γάρ ἐστι κτλ.*; Aeschin. Or. I § 98: *διαρρήδην ἐγὼ μαρτυροῦντας ὑμῖν τοὺς μάρτυρας παρέξομαι· οὐδεὶς γὰρ κίνδυνος, ὥσπερ ἐκεῖ, οὐδ' αἰσχύνη πρόσεστιν οὐδεμία τῷ τἀληθῆ μαρτυροῦντι.*; Lys. Or. XXIX § 13: *ἐκεῖ μὲν οὖν ἐπεδείξατε αὐτοῖς, ἐὰν δ' εὖ φρονῆτε, καὶ νυνὶ τοῦτο φανερὸν πᾶσιν ἀνθρώποις ποιήσετε ὅτι κτλ.*, hic quoque est *in superiore iudicio*.

Or. X § 28: *Τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον γένοιτο αὐτῷ ἢ τεθνάναι μὲν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, αἰτίαν δ' ἔχειν ὑπὸ τῶν παίδων;* Non adsentior recentioribus editoribus tantum non omnibus (Scheibio, Hartmanno, Herwerdeno, Thalheimio), qui *Epitome* duce (XI § 10) et suadente Dobraeo post *ὑπὸ τῶν παίδων* addendum duxerunt <*ἀνῃρῆσθαι*>. Quin omissio verbi nullo negotio ex praecedentibus supplendi orationem reddit multo vehementiorem iustaeque indignationis plenissimam. Neque eam cum Atticorum oratorum consuetudine pugnare, vel hic unus praestabit Isocratis locus (IV § 137): *τοιγαροῦν τὰ μὲν ἔχει* (rex Persarum), *τὰ δὲ μέλλει* (sc. *ἕξειν*), *τοῖς δ' ἐπιβουλεύει, δικαίως ἁπάντων ἡμῶν καταπεφρονηκώς. διαπέπρακται γάρ, ὃ τῶν ἐκείνου προγόνων οὐδεὶς πώποτε* (sc. *διαπέπρακται*). Praeterea in promptu est coniicere, nostro loco *ἀνῃρῆσθαι* esse adiectum ab homine, qui aut nesciebat aut non meminerat *τεθνάναι ὑπό τινος* bene Graecum atque Atticum esse. Numerus denique oratorius insertioni minime favet.

Praeterea, antequam ad *Eratostheneam* transeo, — nam undecimam orationem, quae nihil est nisi praecedentis epitome, impune licebit neglegere, — obiter moneo, mihi ut Herwerdeno non tangendum videri quod § 12 legitur: *καὶ αὐτὸς μὲν Θέωνι κακηγορίας ἐδικάσω, εἰπόντι* (*εἶπέ τις* belle X, correxit

Taylorus) σʼ ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα [1]). Quamvis mira res sit, in tanta nostra rerum ignoratione vereor nomen bene Atticum vel cum Franckenio mutare in Θεόμνηστε vel cum Frohbergero in Λυσιθέῳ. Neque probo quae nunc § 21 eduntur. Palatinus hac sectione inprimis male est habitus. Quippe haec habet: δέομαι ὑμῶν — — τὰ δίκαια ψηφίσασθαι, ἐνθυμουμένους ὅτι πολὺ μεῖζον κακόν ἐστιν ἀκούσαντα τὸν πατέρα ἀποβεβληκέναι. Lacera haec; neque minus lacera, sed alio modo, quae dat *Epitome* § 7: βοηθήσατε οὖν μοι, ἐνθυμούμενοι ὅτι μεῖζόν ἐστι κακὸν τὸν πατέρα ἀπεκτονέναι ἢ τὴν ἀσπίδα ῥῖψαι. Hinc ultimis ipsius orationis medicina parata, qua iam usus est Laurentiani scriba: τὸν πατέρα <ἀπεκτονέναι ἢ τὴν ἀσπίδα> ἀποβεβληκέναι, quae iure meritoque susceperunt editores ad unum omnes. At minus recte multi, in his Scheibius, Herwerdenus, Thalheimius, Foertschium secuti sunt, ἀκοῦσαί τινα scribentem pro ἀκούσαντα. Cur, quaeso? Ne dicam sententiam sic evadere minime accurate enuntiatam, — etenim alius est qui hic paricida audit, alius ῥίψασπις, — molestum mihi videtur et supra quam dici potest elumbe additum illud τινα. Dixerat Philemon Comicus (ap. Stob. *Floril.* Tit. C § 5):

Πολὺ μεῖζόν ἐστι τοῦ κακῶς ἔχειν κακόν,
Τὸ καθʼ ἕνα πᾶσι τοῖς ἐπισκοπουμένοις
Δεῖν τὸν κακῶς ἔχοντα πῶς ἔχει λέγειν.

Mutetur, quod per metrum licet, δεῖν τινα κακῶς ἔχοντα κτλ., iam minus festive dictum erit. In Lysiae loco sine controversia lacunosa est altera sententiae pars; quidni prior quoque? Quid supplendum sit certo sciri non facile poterit, nisi insperata fortuna vel codices vel papyri prodeant multo quam Palatinus integriores, sed satis rectum videtur, etiam ob palaeographiae rationes, quod proposuit Dobraeus: ὅτι πολὺ μεῖζον κακόν ἐστιν <ζῆν> ἀκούσαντα κτλ. Minus placet Hartmanni supplementum: <τῆς δίκης μὴ τυγχάνειν> ἀκούσαντα, quod sic, ut unum tangam, oppositio inter duo sententiae membra vel perversior fit. Denique, etsi habeat quo se commendet Westermanni coniectura § 29 ταῖς

1) Leviusculum est, sed tamen memoratu non indignum, vitium ita demum intellegi posse unde exortum sit, si sumamus in archetypo scriptum fuisse sic: ΕΙΠŌΤΙϹΕΡΡΙΦΕΝΑΙ (σε supra scriptum), itaque pronomen illic non ἐκ πλήρους fuisse perscriptum.

δὲ ψυχαῖς (vel: *τὰς δὲ ψυχὰς*) *οὐκ ἰσχύουσι* (coll. v. c. Xenoph. *Memm.* II, 7 § 7), equidem praetulerim cum Hartmanno Cobetianum *ψυχὰς δ' οὐκ ἔχουσιν*, deleto [*τὰς*]. *Ψυχὴν* de fortitudine dici, et apud poëtas a Pindaro (*Nem.* IX 37: *παῦροι — — χερσὶ καὶ ψυχᾷ δυνατοί*) ad Babrium (XXV 4: *λαγωοὶ — — Ψυχὰς ἄτολμοι, μοῦνον εἰδότες φεύγειν*), et apud scriptores pedestres, vix est ut moneam.

Or. XII § 2. Non multum a limine offendimus. Et ira ob privatas calamitates perductum se orator dicit ut Eratosthenem reum faceret, sed vel multo magis ob vulnera rei publicae inflicta. Haec debet esse sententia, quam non inesse vulgatae consentiunt omnes. Haec enim ita se habet: *οὐ μέντοι ὡς οὐκ ἔχων οἰκείας ἔχθρας καὶ συμφορὰς τοὺς λόγους ποιοῦμαι, ἀλλ' ὡς ἅπασι πολλῆς ἀφθονίας οὔσης ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἢ ὑπὲρ τῶν δημοσίων ὀργίζεσθαι.* „Vix sana" appellat haec Herwerdenus [1]), qui in proecdosi verba *ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἢ* expungebat, quem non recte, meo quidem iudicio, secutus est qui editionem Frohbergerianam novis curis edidit, Gebauerus. Qui nihil delere malebant, diversissima proposuerunt, Herwerdenus ipse, cuius correctiones nimis artificiosas duco; *π. ἀφθονίας οὔσης <οὐχ> ὑπὲρ τῶν ἰδίων κτλ.* Augerius olim; *π. ἀφθ. οὔσης <οὐ μᾶλλον> ὑπὲρ* Canterus, quod sententiae melius convenit; alii alia et peiora. Omnium pessime agunt qui interpretari vulgatam conantur, ut Thalheimius, qui: „*ἢ* certe *quam* est, non *vel.*" Recte sane, sed quid sic lucramur? Unum vocabulum est in Frohbergeri et Herwerdeni tentaminibus quod adscisco, ipsumque artis nostrae Nestorem arbitrum adigo annon orator scripserit: *ἀλλ' ὡς ἅπασι πολλῆς ἀφθονίας οὔσης ὑπὲρ τῶν ἰδίων <ἧττον> ἢ ὑπὲρ τῶν δημοσίων ὀργίζεσθαι.*

---

1) Franckenius, pluribus disputans adversus Alphonsi Heckeri sententiam sanequam mirabilem et nunc dudum silentio oblitteratam, *Eratostheneam* alteram Lysiae falso tribui, de prooemii tamen molestiis ei concedit. „In eo" — inquit — „mihi convenit cum illo (Heckero), quod prooemium orationis, sectionem 2 potissimum, obscurum iudicat; nimio studio artificiosae oppositionis ita orator contortus est, *ut sententiam aegre expisceris*" (C. L. p. 81.) Sententia tamen, cui uno vocabulo addito lux restituta est, non adeo obscure composita esse iudicanda erit.

Or. XII § 13: Ἐν τοιούτῳ δ' ὄντι μοι κινδυνεύειν ἐδόκει, ὡς τοῦ γε ἀποθανεῖν ὑπάρχοντος ἤδη. Inest his parva quaedam molestia, quam Germanice vertendo occultant magis quam tollunt. Scheibius κινδυνεύειν <τι> requirebat, ipse praetulerim κινδυνεύειν ἐδόκει <δεῖν>, „aliquantum periculi *adeundum mihi esse* (non „adire") decrevi [1])." Similiter δεῖν elapsum est § 26 i. f. (οὐκ οἴει ἐμοὶ καὶ τουτοισὶ <δεῖν> δοῦναι δίκην) retractum a Madvigio, ubi ne quem terreat allitteratio, ad Demosthenem provoco, summum euphoniae Graecae exemplum, qui Or. XVIII § 133 καὶ τὸ δίκην δοῦναι διαδὺς posuit. Ad nostrum locum confero Aeschin. Or. II § 104 i. f.: νῦν δὲ αὐτοῖς μὲν κατέλιπον (eius adversarii) τὴν εἰς τὸ ἀφανὲς ἀναφοράν, ἂν μὴ πείθωμεν, ἐν ἡμῖν δὲ ἀποκινδυνεύειν ᾠήθησαν δεῖν, post quae statim sequitur δεῖ δὴ κτλ. Omissum τι satis defendit sive Frohbergerus sive Gebauerus collato Theognide vs. 555.

Or. XII § 21: Trigintaviri πολλοὺς μὲν τῶν πολιτῶν εἰς τοὺς πολεμίους ἐξήλασαν, πολλοὺς δ' ἀδίκως ἀποκτείναντες ἀτάφους ἐποίησαν, πολλοὺς δ' ἐπιτίμους ὄντας ἀ τ ί μ ο υ ς τ ῆ ς π ό λ ε ω ς κατέστησαν. „Dubito de ἀτίμους τ. πόλεως κατέστησαν, nam τῆς πόλεως sane prorsus vacat." (Francken, C. L. p. 81.) Iam diu ante Marklandus τῆς πόλεως eiiciebat, cui obtemperaverunt editores praeter Scheibium et Cobetum omnes, quin Frohbergerus[2] ne scripsit quidem. Nemo tamen dixit unde venerint vel quae hic interpolandi adesset causa. Equidem deesse potius quaedam ratus sum sic supplenda: πολλοὺς δ' ἐπιτίμους ὄντας ἀτίμους <ἐ π ὶ β λ ά β ῃ> τ ῆ ς π ό λ ε ω ς κατέστησαν. Dictionis usitatissimae exempla congerere supervacaneum fere est; speciminis causa provoco ad orationis nostrae sectionem 48: πλασθέντα —— συγκείμενα ἐπὶ τῇ τῶν πολιτῶν βλάβῃ., et Aristophanis *Thesmophor.* 356 seqq.: ὁπόσαι δ' ἐξαπατῶσιν παραβαίνουσί τε τοὺς | ὅρκους τοὺς νενομισμένους | κ ε ρ δ ῶ ν ο ὕ ν ε κ' ἐ π ὶ β λ ά β ῃ.

---

1) Minime otiose requiri δεῖν, patet vel ex Iustini loco (V, 9 § 6) quem attulit Gebauerus, quique casu in iisdem fere rebus atque Lysias hac oratione versatur. „Erat inter exules Thrasybulus, ——qui *audendum aliquid* pro patria et pro salute communi *etiam cum periculo* ratus, adunatis exulibus castellum Phylen Atticorum finium occupat." *Audendum ratus* dixit, non *audere*.

Or. XII § 27: Καὶ μὴν οὐδὲ τοῦτο εἰκὸς αὐτῷ πιστεύειν — — ὡς αὐτῷ προσετάχθη. Οὐ γὰρ δήπου ἐν τοῖς μετοίκοις πίστιν παρ' αὐτοῦ ἐλάμβανον. Quod hic corrigendum esse ante multos annos adnotaveram, totidem litteris nunc Franckenium relegens apud hunc perscriptum reperio (C. L. p. 83): οὐ γὰρ <ἂν> δήπου. Sententia enim haec est: parum verisimile esse quod profert Eratosthenes, officium comprehendendorum inquilinorum a collegis *invito sibi* esse mandatum; *credibile enim non esse* ut res tam gravis *invito* iniungeretur, ut sic fidei eius pignus caperent scilicet. Quae interpres Germanus adfert quibus omissum ἂν defendat, argutiae sunt [1]). Exemplum dictionis οὐ γὰρ ἂν δήπου Franckenius unum dedit, Xenophontis *Cyrop.* III, 1 § 17: πάθημα ἄρα τῆς ψυχῆς σὺ λέγεις εἶναι τὴν σωφροσύνην, — — οὐ μάθημα· οὐ γὰρ ἂν δήπου — — παραχρῆμα ἐξ ἄφρονος σώφρων ἄν τις γένοιτο. Addo alterum ex ipso Lysia nostro loco vel similius: οὐ γὰρ δήπου — — οἱ τριάκοντα — — ἂν αὐτοὺς ἀπέκτειναν, ἀλλ' οἶμαι πολὺ τοὐναντίον τούτου. (Or. 13 § 51.)

Or. XII § 32: χρῆν δέ σε, ὦ Ἐρατόσθενες, εἴπερ ἦσθα χρηστός, πολὺ μᾶλλον τοῖς μέλλουσιν ἀδίκως ἀποθανεῖσθαι μηνυτὴν γενέσθαι ἢ τοὺς ἀδίκως ἀπολουμένους συλλαμβάνειν. „Vulgatam lectionem languere" —, etsi ἀδίκως ἀπόλλυσθαι per se optime Graecum et Lysiacum est (cfr. v. c. § 56), — nemo non Herwerdeno dabit, sed in procurando hoc quoque vitio critici in alia omnia abeunt. Velut Nauckius [μηνυτὴν γενέσθαι ἢ τοὺς ἀδίκως ἀπολουμένους] inducebat, ut συλλαμβάνειν hic esset, non „comprehendere" sed „opem ferre." At sic sententia nimis fit et gracilis et exilis. Marklando placebat τοῖς μέλλουσιν δικαίως ἀποθανεῖσθαι μηνυτὴν γενέσθαι. Sed ne dicam haud facile μηνυτὴν Atheniensibus χρηστὸν esse visum, si hoc voluisset orator *genetivum* posuisset, quod et res postulat et confirmat v. c. infra Or. XIV § 37: Alcibiades ἃ ᾔδει τῶν ὑμετέρων κακῶς ἔχοντα, μηνυτὴς αὐτῶν τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐγένετο. De ceterorum conatibus

1) „Οὐ γὰρ δήπου — — ἐλάμβανον kurzer Ausdruck für οὐ γὰρ δή που τοῦτό γ' ἔστιν εἰπεῖν, ὡς — ἐλ." (Frohb.-Gebauer.) Sed vel in hac circumlocutione ἂν abesse non potest, nisi quis, quoniam Kruegerus hoc affirmare perhibetur, credat πίστιν ἐλάμβανον Graecum esse pro „fidem erant tentaturi."

tacere praestat, ipse coniicio: ἢ τοὺς ἀκρίτους ἀπολουμένους συλλαμβάνειν. Hoc inprimis Eratostheni ab accusatore vitio dabatur, quod Polemarchum interfecerat non iniuste solum sed etiam indicta causa. Cfr. v. c. supra § 17 i. f. Passive quoque dici ἄκριτος ἀπολωλέναι per se iam consentaneum est, et ostendet i. a. Or. XXII § 2 i. f.: οὐ δεῖν αὐτοὺς ἀκρίτους ἀπολωλέναι., et Or. XXVII § 8. Addo eandem prorsus oppositionem cerni Or. XXV § 26: ἐνίων — — ἔπεισαν ὑμᾶς ἀκρίτων θάνατον καταψηφίσασθαι, πολλῶν δὲ ἀδίκως δημεῦσαι τὰς οὐσίας.

Or. XII § 35. Statuite exemplum, inquit, et civibus et exteris salutare futurum: ὧν οἱ μὲν ὑμέτεροι ὄντες πολῖται μαθόντες ἀπίασιν ὅτι ἢ δίκην δώσουσιν ὧν ἂν ἐξαμάρτωσιν, ἢ πράξαντες — — ὧν ἐφίενται τύραννοι τῆς πόλεως ἔσονται. Ut sententia constet, oportet πότερον δίκην δώσουσιν, ut Hamakerus videt. At vero non hoc substituerim a palaeographica ratione parum commendabile, sed, expuncto vitioso fulcro ὅτι, scripserim: μαθόντες ἀπίασιν εἰ δίκην δώσουσιν — — ἢ κτλ., notissimo sive usu sive abusu.

Or. XII § 38: Οὐ γὰρ δὴ οὐδὲ τοῦτο αὐτῷ προσήκει ποιῆσαι, ὅπερ ἐν τῇδε τῇ πόλει εἰθισμένον ἐστί, πρὸς μὲν τὰ κατηγορημένα μηδὲν ἀπολογεῖσθαι, περὶ δὲ σφῶν αὐτῶν ἕτερα λέγοντες ἐνίοτε ἐξαπατῶσιν. Anacoluthon me non offendit, quin efficacissimum arbitror; sed „ἐνίοτε mirum post εἰθισμένον" cum Herwerdeno arbitror. Fortasse orator dedit ἐ<κάσ>τοτε.

Or. XII § 53: Ἐπειδὴ δὲ — — περὶ τῶν διαλλαγῶν οἱ λόγοι ἐγίγνοντο, πολλὰς ἑκάτεροι ἐλπίδας εἴχομεν πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι, ὡς ἀμφότεροι ἔδοξαν. Ex omnibus coniecturis ad haec verba prolatis maxime satisfaciunt Geelii et Frohbergeri conamina: πολλὰς ἑκάτεροι ἐλπίδας εἴχομεν <τὰ> πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι, ὡς ἀμφότεροι ἐδείξαμεν. Quod Thalheimius, qui τὰ non adsciscit, ad ἔσεσθαι adnotat: „sc. τὰς διαλλαγάς", est hoc mirum sane ellipsis genus.

Or. XII § 55: Τούτων τοίνυν Φείδων [ὁ τῶν τριάκοντα γενόμενος] καὶ Ἱπποκλῆς κτλ. Hoc modo eliminandum emblema, non, ut Frohberger, Thalheim, et nunc Herwerdenus, [ὁ τῶν τριά-

κοντα]. Nam *γενόμενος* a genuinis et abesse potest et ad meum quidem sensum melius abest, *ὁ τῶν τριάκοντα* nude glossatores non facile ponunt.

Or. XII § 60: *Μισθωσάμενοι δὲ* (decemviri post trigintaviros exactos instituti) *πάντας ἀνθρώπους ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς πόλεως, καὶ πόλεις ἐπάγοντες, καὶ τελευτῶντες Λακεδαιμονίους καὶ τῶν συμμάχων ὁπόσους ἐδύναντο πεῖσαι κτλ.* Nudum illud *καὶ πόλεις ἐπάγοντες* et exile est et pueriliter dictum, ut addendum aliquid esse appareat, de voce addenda discrepent critici. Plerique nunc, uno Thalheimio excepto, Fritzschianum et Cobetianum *πόλεις* <*ὅλας*> probant. Attamen hyperbole sic nascitur et nimia et parum rhetorice adhibita, — nam post eam frigent quae de Lacedaemoniis eorumque sociis adduntur, — et requiro quod sequenti *τελευτῶντες* opponatur. Quapropter videndum annon rectius fuerit: *καὶ πόλεις* <*ἄλλας τ'*> *ἐπάγοντες καὶ τελευτῶντες Λακεδαιμονίους κτλ.*

Or. XII § 68: *Ὑπέσχετο δ' εἰρήνην ποιήσειν μήτε ὅμηρα δοὺς μήτε τὰ τείχη καθελὼν μήτε τὰς ναῦς παραδούς· ταῦτα δὲ εἰπεῖν μὲν οὐδενὶ ἠθέλησεν, ἐκέλευσε δὲ αὐτῷ πιστεύειν.* Quorsum pertinet in his *ταῦτα*? Cum nemo facile dixerit, — nam quod Rauchensteinius nos ad § 14 ablegat, nemini satisfecit, opinor; pluralis enim ibi tam opportunus est quam hic absonus, — Hamakerus *τοῦτο* coniecit, *τἆλλα* Weidnerus, quod Hartmanno inprimis impense placuit. Ut defendant relegant nos ad Or. XIII § 9 (*οἴοιτο δὲ* (idem Theramenes) *καὶ ἄλλο τι ἀγαθὸν παρὰ Λακεδαιμονίων τῇ πόλει εὑρήσεσθαι.*), sed quae ibi apertissima sunt, quippe pluribus verbis expressa, hic admodum obscure designarentur per unum *τἆλλα*. Praeterea de ceteris illis commodis, quae Athenienses a Lacedaemoniis essent impetraturi scilicet, nullus hic sermo; omnia sunt in pacis eiusque honorificae futurae mentione. Quapropter Lysiam scripsisse arbitror, ne sic quidem accuratissime, *ταύτην δὲ εἰπεῖν μὲν οὐδενὶ ἠθέλησεν κτλ.*, per brachylogiam, ut sit *τίνα δὲ ταύτην*, vel *τίς δ' αὕτη ἡ εἰρήνη ἔσται.*

Or. XII § 71; *Καὶ τὸ τελευταῖον, — — οὐ πρότερον εἴασε* (Theramenes) *τὴν ἐκκλησίαν γενέσθαι, ἕως ὁ λεγόμενος ὑπ' ἐκεί-*

νου καιρὸς ἐπιμελῶς ὑπ' αὐτοῦ ἐτηρήθη. Ita X, haud dubie perverse, cum neque *λεγόμενος* neque *ἐκείνου* (quis enim? certe non Theramenes, de quo statim post *ὑπ' αὐτοῦ*) hic commodam habeant explicationem. Utrique malo medentur qui scribunt: *ὁ ὡμολογημένος ὑπ' ἐκείνων καιρὸς*, quorum *ὡμολογημένος* Westermannus proposuit, *ἐκείνων* iam Marklandus. Interpretantur: „der von den Lakedämoniern mit den Oligarchen und Theramenes vereinbarte Zeitpunkt." (Gebauer.) Sed nonne sic *ἐν ἐκείνοις* dictum oportebat? Aliam viam ostendit in Addendis idem Gebauerus, ut inverso modo scriberetur *ὁ ὡμολογημένος ὑπὸ Λυσάνδρου καιρὸς* et paulo post *μετεπέμψατο μὲν τὰς μετ' ἐκείνου ναῦς ἐκ Σάμου*, quod ad sententiam sane commodius esset, sed nullam habet a parte palaeographica probabilitatem. Mihi arridet quod simplicitate certe se commendat: *ἕως ὁ* <*ἐκ-*>*λεγόμενος ὑπ' ἐκείνων* (ab oligarchiae fautoribus) *καιρὸς ἐπιμελῶς ὑπ' αὐτοῦ ἐτηρήθη.*

Or. XII § 99: *'Αλλὰ γὰρ οὐ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι βούλομαι λέγειν, τὰ πραχθέντα ὑπὸ τούτων οὐ δυνάμενος εἰπεῖν.* Dixerat tamen sat multa. Quapropter Herwerdenus, „flagitante sententia", et olim et nunc inseruit *εἰπεῖν* <*ἅπαντα*>, nec multum aliter Weidnerus <*πάντ'*> *εἰπεῖν*. In eandem sententiam ipse suspicor, fortasse probabilius: *τὰ πραχθέντα ὑπὸ τούτων οὐ* <*πάνυ*> *δυνάμενος εἰπεῖν*. Quid usitatius quam *πάνυ* adiunctum verbis dicendi? Et versamur hac orationis parte in lacunularum frequentia. Velut statim post: *ὅμως δὲ τῆς ἐμῆς προθυμίας ἐλλέλειπται.* Immo vero <*οὐδὲν*> *ἐλλέλειπται*, ut videt Canterus.

Haec habui ad *Eratostheneam* alteram quae conferrem, quae oratio prae reliquis in Palatino paullo emendatior tradita est. Cetera, ne *Mnemosynes* lectoribus molestus sim, in aliud tempus differo.

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex pag.* 95.)

XIII.

Redeo nunc eo unde tota haec profecta est disputatio. Nihil unquam obstitisse demonstravimus quominus quisquam, qui ingenio memoria industria satis valeret, quam optimus evaderet historicus, legemque illam Nissenianam auctoribus ducibusque Woelfflinio Boissierio aliis eo amandavimus, ubi cum ceteris scrutis et doctae servantur ineptiae. Quae essent eius officia qui res gestas narraret nemo paulo cultior ignoravit unquam; Tacitus vero saepe probe se nota illa habere disertis declaravit verbis. Historiam qui narret ei omnes esse consulendos unde discere possit aliquid, non solum scriptores aetate maiores sed cunctos, qui rei narrandae aequales supparesve fuerint, vel rumorem aliquem late sparsum fideli tenuerint memoria; si illi inter se dissentiant accurate religioseque esse examinandum quid sit verisimile; cum sibi aliquam rei propositae informarit imaginem satis probabilem, ea illam esse exornandam oratione quae deceat maxime; postremo in toto negotio iram et studium procul esse habenda persuasum fuit Tacito, et cui non fuit persuasum, qui quidem in bonis artibus et in re literaria non plane esset hospes? Atque haec omnia in ipso opere fideliter observare nulla quemquam unquam vetuit lex, quae quidem extrinsecus esset allata, sed et Tacitum et ceteros omnes interdum com-

munis illa vetuit lex infirmitatis humanae. Equidem maximi Tacitum facio, summaque cum delectatione legi quae nuper ad defendendum eum contra iniquas criminationes conscripsit Boissierius [1]), neque infitior vix quemquam ante Tacitum tam strenue operam dedisse ut communia scriptorum atque adeo hominum vitaret vitia. Sed in una re a Boissierio mihi dissentiendum video: singula quaeque ego examinanda esse arbitror, et si qua res narrata aut ipsa incredibilis nobis videatur, aut Taciti narratio vitium crepet, confidenter id nobis esse pronuntiandum, et neque ipsius Taciti, quamvis magni eum faciamus, auctoritatem, neque Suetonii consensum, neque quidquam ex hoc genere tantam habere vim debere ut de singulis quid censeamus vereamur proloqui.

Iam vitia quaedam Taciti in praecedentibus hic illic notavimus. Vidimus eum modo (ut lepida hic utar inscriptione qua Naberus egregiam illam de Silii Messalinaeque nuptiis disputationem exornavit, Mnem. 1892 p. 410 sqq.) „fluctum in simpulo movisse", dum e nuptiis theatralibus veras nuptias, vel e doctorum iurisconsultorum disceptatione gravem senatus faceret deliberationem, vel denique causas privatas a causis publicis non satis accurate dirimeret; modo rem ita narrasse, ut quod in ea maximi fuerit momenti latuisse eum ultro appareat; modo locorum situm haud satis in promptu habuisse; modo alicui ita favisse ut quidquam ab illo crudeliter, quidquam stulte factum esse non agnosceret; modo in auctoribus legendis eos commisisse errores quos ne nobis quidem corrigere admodum sit difficile.

Nunc autem de eodem argumento ita disputare lubet ut magnus illorum numerus ad certa redigatur genera. Atque in hac re ipse Boissierius, quem, ut par est, et hic et semper honoris causa nomino, initium mihi praebebit.

Historicum nostrum legentes interdum *rhetorum agnoscimus discipulum* [2]). Nunquam tamen certius illum rhetorum discipulum deprehendimus quam cum duos Annalium locos, e libro XI alterum, alterum e libro XII, inter se comparamus.

XI. 1. „(Messalina) Valerium Asiaticum, bis consulem, fuisse

1) In „Revue d. deux Mondes de 15 Mai, 15 Iuillet, 1 Decembre 1901".

2) Ipsius Boissierii verba sunt: „l'élève des rhéteurs reparaît".

quondam adulterum eius (Poppaeae Sabinae) credidit; pariterque *hortis inhians*, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat, Suillium accusandis utrisque immittit."

XII, 52. „At Claudius saevissima quaeque promere adigebatur eiusdem Agrippinae artibus, quae Statilium Taurum, opibus illustrem, *hortis eius inhians* pervertit accusante Tarquitio Prisco."

Pulcher, profecto, orationis flosculus est illud ‚hortis inhians', egregieque illo depingitur intemperies uxoris impotentis, quae cupidine accensa insontes perverterit. Sed, quamquam lubenter concedo pulchros hortos ex eo rerum esse genere, quas avarae crudelesque mulieres prae ceteris habere atque adeo per summum scelus obtinere nitantur, tamen, quia non de sola Messalina vel Agrippina, sed de utraque Claudii uxore hisce agitur locis, illud *hortis inhians* ne non tam ad accurate rem tradendam quam ad legentium animos ira et indignatione commovendos utrobique sit positum metuere incipio.

Hoc certum est eleganter terseque conformandi loci studium semel eo adduxisse Tacitum ut in considerandis rebus, quas paulo ante narraverat, apertum committeret errorem.

H. IV, 33. Civilis cum parte copiarum improvisum facit impetum in Voculae castra; iamque ibi legiones ipsas sternere incipiunt cum subito fortuna pugnae mutatur:

„Vasconum lectae a Galba cohortes ac tum accitae dum castris propinquant, audito proeliantium clamore intentos hostis a tergo invadunt latioremque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novaesio, aliis a Mogontiaco universas copias advenisse credentibus. Is error Romanis addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, trucidantur: eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. Caesorum eo die in partibus nostris maior numerus, set imbellior; e Germanis ipsa robora. *Dux uterque pari culpa meritus adversa, prosperis defuere.*"

Narrationem claudit sententia venustissima, sed cuius altera tantum pars rebus ipsis et veritati respondet, altera est falsissima. Quid enim? In utroque duce *culpa* fuit, eaque admodum gravis: Voculae negligentia factum est ut Civilis Batavique „improvisi castra involare" possent; Civilis sternendis, quos ante oculos habebat, hostibus nimis intentus, quid a tergo

fieret non animadvertebat, neque ergo prohibere potuit quominus suorum magna pars trucidaretur. Igitur in utroque duce non solum *culpa* fuit sed etiam *par culpa,* summae nempe negligentiae. Sed illud „prosperis deesse" in unum Voculam convenit. Nam Civilis quidem, quamdiu res prospere suis cedebat, minime defuit: immo nisi „repente novo auxilio fortuna pugnae" mutata esset, ipsas legiones Romanorum occidione occidisset. Quid enim est „prosperis deesse"? Ut opinor: victoria sua non abuti, sed socordia mollitieque hostibus occasionem praebere subtrahendi sese periculo. Hoc Vocula commisit; etenim: „eques (Batavorum) evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant"; magnopere ergo reprehendenda eius negligentia, si verum est, quod tota narratione significat Tacitus, penes Voculam fuisse etiam captivos illos signaque recuperare. Batavorum vero ducem eadem complecti vituperatione absurdum videtur.

Laudatur saepe Taciti „psychologia": pectoris humani recessus, quamvis abditos, nulli magis quam illi fuisse notos communis est quaedam hominum opinio. Neque ego nego admodum multas ex eius libris afferri posse sententias, quibus secretae hominum cogitationes, causaeque remotissimae, quae interdum ad agendum impellant homines, optime describantur. Sed plerumque ea arte utitur ad eorum ingenia et facta depingenda, qui morum pravitate animique vitiis innotuerunt. Et sive ipse vitae usus severum eum acerbumque reddidit censorem, sive scribendi genus, quo semel uti coepit, eum impulit ut semper obscurioribus uteretur coloribus semperque tristiores legentibus proponeret tabulas, indulsisse eum pessima quaeque credendi studio nemo iure infitiabitur. Insignia quaedam modo protuli exempla, sed nescio an omnibus sit disertius illud quod ante quatuor proposui annos (Mnem. v. 26 p. 314 sqq.). De Othone Poppaea Nerone primum Tacitus (Hist. I, 13) eadem fere narravit quae Suetonius, Dio, Plutarchus, estque ea narratio eiusmodi ut praeter summam levitatem nihil in iis possis reprehendere. At aliquot annis postea (Ann. XIII, 46) eosdem illos ita depingit, ut abiectissimi fiant mortalium, quos nemo non indignabundus aversetur. Verum accurate locum illum aspicienti apparet ibi quoque antea leniorem, mitiorem, certe simpliciorem

scriptam fuisse narrationem, posteaque illam deletam et in eius sedem diriorem istam atrociorem intricatiorem insertam, sed ita ut quae statim sequuntur haudquaquam cum ea cohaereant. Nam narrationi, quam Hist. I, 13 habemus, apte adiiceretur: „hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit"; cum narratione, quae nunc A. XIII, 46 legitur, eadem verba coniungi nullo modo possunt. Apparet ergo alteram narrationem, quia tanto peiores exhiberet homines, Tacito adeo placuisse ut illi vix cognitae statim priorem cedere iuberet, de huius partis oeconomia non sollicitus sed de „psychologia" etiam, si fieri potest, minus.

Sat gravis, ut opinor, hic error est; graviorem notabo, quo non singulorum hominum, sed totarum civitatum „psychologia" ludibrio habetur. A. VI, 42 de Artabano, Parthorum rege, haec narrantur:

„Plebem primoribus tradidit *ex suo usu*: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est."

Itane vero? *Ex suo usu* i. e. ut ipse tutius securiusque regnaret Artabanus plebis potentiam fregit et optimatibus rempublicam tradidit? Quis unquam talia docuit? Nonne tota historia testatur nullam esse certiorem viam, qua ad tyrannidem perveniatur, quam nimiam plebis potentiam, non esse alias res tam inter se inimicas quam regnum et aristocratiam, et malos reges in nullos alios cives tam saevire quam in homines summo loco natos? Ignorabatne ergo Tacitus, quod nunc ne pueris quidem ignotum est, dummodo Ovidii narratiunculam de Tarquinii praecepto necatisque Gabiorum principibus legerint? Certe hoc loco rei tam certae tamque usu firmatae immemor videtur. Non enim facile mihi persuadebitur *ad solos Parthos* verba allata pertinere. Hoc si voluisset Tacitus, disertis declarasset verbis hac in re Parthici regni conditionem plane ceterorum populorum regnorumque naturae fuisse oppositam. Nunc vero ita loquitur ut eum de omnibus, quae sunt atque fuerunt, civitatibus cogitare sit perspicuum.

Est et alius locus omni disciplinae politicae contrarius, qui vitiosus quidem traditus est nequedum in integrum restitutus videtur (v. XXX p. 390), sed quocunque modo eum emendamus, remanet vitium quod nunc notabo. H. II, 6. Muciani

Vespasianique milites cognito primum Othonem, deinde Vitellium per scelus imperium rapuisse, vehementer indignantur, fremunt, vires suas circumspiciunt. Sequitur c. 7:

„Non fallebat duces impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari. Bellum cum In victores victosque nunquam solida fide coalescere; nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret".

In *cum In* latere casum aliquem vel substantivi *civis* vel adiectivi *civilis* multi viderunt; ergo propositae sunt lectiones: *belli civilis*, *bello civium*, *bellorum civilium*, quae omnes eandem praebent sententiam. Sed ipsa illa sententia num vera est? Immo falsissima, et refutat eam ipsa omnium populorum historia. *Bellorumne civilium* victores et victi nunquam solida fide coalescunt? Immo vero exteri quoque, a fortiori populo vi armisque subacti, cum illo, saepe post multa saecula, sed tandem tamen, tam firmiter coalescunt ut discerni iam vix possint. Et quod ad bella civilia pertinet, num imperante Augusto adversarii eius esse perstiterunt, qui quondam cum Bruto et Cassio fecerant? Immo multi eorum amicissimi eius facti erant; omnes gaudebant tandem aliquando res bene esse compositas et praesenti reipublicae statu laetabantur: de Bruto Cassioque *οὐδεὶς λόγος*. Multo minus sub finem Augusti quemquam superfuisse credo qui Antonium desideraret. Ergone Vespasiani tempore quidam cives internecivum inter se odium fovebant memores alteros olim inter Vitellianos fuisse, alteros favisse Othoni? Cui hoc persuadebitur?

Deinde Tacitus rerum quibus ipse, sive in senatu sive alibi, interfuit, adeo memor est semper, ut nonnumquam de priori tempore scribens sibi aetatem Domitiani narrare videatur. Quod ut exemplis probem, res paulo altius mihi est repetenda.

Agricolam quo consilio scripserit Tacitus nondum satis, ut opinor, inter viros doctos constat, neque ego quaestionem, olim saepe agitatam, nunc redintegrabo. Unum hoc dico, non simplex illud consilium fuisse, sed et alia eo libello spectasse Tacitum et hoc ut *socerum defendendo semet ipsum defenderet*. Etenim postquam „rediit animus" civibus Romanis, Nerva Traianoque libertatem et principatum miscentibus, commune hominum odium se convertit in eos, qui apud saevum tyrannum Domitianum

gratia potentiaque floruerant. Quam rem licet et alii scriptores haud uno loco doceant, nihil tamen est quod eam in clariore ponat luce quam epistola Plinii I, 5 de Aquilio Regulo, ne nunc iniuriarum calumniarumque suarum poenas det sollicito. Sed non delatores tantum et omnes, qui Domitiano regnante potentiam suam crudeliter exercuerant, in magno tunc versabantur periculo; illi quoque in invidiam adducebantur, qui aut a Domitiano altiorem aliquem in republica locum acceperant, aut etiam salvi funestam illam multis dominationem evaserant. In eorum numero et Agricola fuit, qui licet tyrannus ei proconsulatum, quem speraverat, inviderit, tamen per decem annos privatus et tutus ab illo vixit. Neque ipse negare Tacitus potest suam dignitatem a Domitiano longius provectam (H. I, 2). Quid quod per aliquot annos in senatum venit cum saevissima ibi fierent consulta, Domitiano vultus singulorum notante, et tantum abfuit ut illi turpitudini obsisteret, ut postea cum gemitu lamentisque fateretur: „nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit" (Agr. 45) [1]). Et alia ergo, de Agricola narrans, sed hoc fortasse praecipue demonstrare studet: „posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eorum laudes excedere, qui plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum *ambitiosa* morte inclaruerunt" (Agr. 42). Laudantur hic qui sub Domitiano *modesti* fuerunt et in *obsequio* perstiterunt, iisque opponuntur atque satis severe perstringuntur „qui in nullum reipublicae usum ambitiosa morte inclaruerunt". Qui sunt illi? Philosophi in curia stoici, qui quidvis perpeti maluerunt quam a recta conscientia vel transversum unguem recederent, atque ergo Domitiani saevitiam summa cum libertate notarunt. Non potest non admirari viros illos magnos Tacitus, et tamen de eorum laudibus quam plurimum detrahere studet: sentit enim, si illos nimis suspiciant aequales sui, periculum esse ne ipse cum socero suo, quique praeterea fuerint modesti cautique, vulgo contemnantur despicianturque. Hinc illa in illius sectae homines mordacitas

1) Praeclare hac de re egit Boissierius in iis commentationibus, quas modo laudabam.

admirationi iuncta. Quod philosophos ex urbe expulit Domitianus tamquam gravissimum tyranni in totam humanitatem proponitur peccatum (Agr. 2), et tamen eosdem illos non minus bonos philosophos et prudentiores homines futuros fuisse, si silere potuissent, ubi certa adesset libere loquentibus pernicies, identidem demonstrare conatur ... frustra, ut ego censeo. Hinc fit ut revera genio indulgere videatur cum eorum unum ludibrio habere possit Musonium Rufum, de quo in Historiis locus est, qui facetus videri posset, nisi tantum inesset acerbitatis (III, 81):

„Miscuerat se legatis" (quos ipse senatus ad Antonii Primi milites miserat concordiam pacemque suasuros) „Musonius Rufus, equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus, coeptabatque permixtus manipulis bona pacis ac belli discrimina disserens armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus taedio; nec deerant, qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam."

Nam Musonius Rufus, licet dirissimum illud Domitiani tempus fortasse non viderit, ergoque Tacito Agricolae aliisque modestis cautisque hominibus certamen cum illo non sit, tamen communi in Stoicos invidia comprehenditur. Quid quod ne de Thrasea quidem et Seneca aliisque Neronis victimis loqui potest Tacitus, quin eorum laudibus admisceat amari aliquid. Nonne de Domitiani temporibus cogitat cum Thraseam dicit „sibi causam periculi fecisse, ceteris libertatis initium non praebuisse" (A. XIV, 12)? Et tamen quid tum fecerat Thrasea? Locus est paulo obscurior, fortasse corruptus, hoc tamen elucet obstitisse Thraseam senatoribus Neroni abiectissimum in modum adulantibus.

Et ne putemus Tacitum illud consilium suam socerique prudentiam modestiamque, prae „Stoicorum istorum intempestiva sapientia" extollendi omittere, cum de Tiberii scribit tempore, haec consideremus verba ex IV° libro Annalium c. 20:

„Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperior, nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit. Neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia aput Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita

principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum."

Unquamne duos locos, diverso tempore scriptos, tam inter se cognatos vidisti quam hunc de via media tutissima illumque ex Agricola de magnis viris, qui etiam sub malis principibus tuti fuerint? Et nonne utrobique, tamquam in transitu, perstringuntur „insani" illi, qui tota sua vita non tam quid esset cautissimum maximeque periculis vacuum, sed quid virtus officiumque suum postularet rogaverint? Laetus se aequalem aliquem Tiberio invenisse Agricolam, ea occasione utitur dilectam illam sibi proferendi reprehensionem eorum virorum, de quibus cogitare non potest quin comparationem vereatur. Fueritne Tiberio imperante eadem Stoicis virtutis suae ostentandae occasio quae sub Domitiano, parum curat, vel potius talem sua narratione Tiberii principatum fingit ut locus sit ét cautis hominibus summum vitae periculum mira quadam vitantibus prudentia ét „abruptae contumaciae".

Boissierius in egregiis illis, quas proximo anno publici iuris fecit, de Tacito disputationibus et alia multa profert dignissima quae accurate perpendamus et hoc: „Domitianus neque fuit fatuus ut Caligula, neque hebes ut Claudius; multo magis Tiberii similis est." Non miramur viro, qui in Tacito totus sit, ita videri, nam strenue operam dat Tacitus ut talem nobis Tiberium animo informemus. Strenue operam dat, aio; non enim imprudenti Tacito, cum de Domitiani cogitat tyrannide, Tiberii principatus in mentem venit; omnibus modis efficere studet ut illi principes quam maxime inter se fiant similes. Ipse hoc disertis verbis declarat A. IV, 32. In arto sibi esse et inglorium laborem ait; non posse suos libros cum eorum comparari historiis, qui de libera scripserint republica: tunc omnia fuisse magna, gloriosa, excelsa; amissa libertate vix quidquam esse actum quod non memoratu leve videri debeat. Tum, postquam in universum exposuit quid intersit inter populare imperium et unius viri dominationem, sic pergit:

„Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant,

callidi temporum et sapientes habebantur, sic converso statu, neque alia republica, quam si unus imperitet, *haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur.*"

Paulo diligentius verba notata inspiciamus, quanti sint momenti ad Taciti consilium intelligendum apparebit. Nam Boissierius nuperrime (Revue d. deux Mondes 15 Mars 1902 p. 345) de iis disserens non satis accurate veram eorum vim explorasse videtur.

Nisi adiectivum *honesta* esset additum, utcunque credere possemus hic *in universum* mentis humanae notari infirmitatem. Nam quid prudens sit, quid deterius (i. e. imprudens), quid utile, quid noxium *in republica*, plerosque fugit, quamquam semper tamen pauci pluresve fuerunt, qui in hac re ceteris civibus plus callerent. Sed quando factum est ut plures quam ullo alio tempore huius rei inscii essent? Nempe imperante Domitiano: tum enim stupor quidam et torpor omnium invasit animos, isque (id quod ad nostrum locum illustrandum unice veram affert lucem) simul Romanorum mentes adeo hebetavit ut quid honestum esset, quid turpe et ignominiosum aut nescirent aut non sentirent et curare negligerent. Etenim tum „nostrae (i. e. senatorum) duxere Helvidium in carcerem manus, nos Maurici Rusticique visus(?), nos innocenti sanguine Senecio perfudit", ut ipse declarat Tacitus (Agr. 45), quae verba quam contineant confessionem ét proximo anno egregie Boissierius exposuit, et eiusdem diarii eo fasciculo, quem modo laudabam, si fieri potest, etiam luculentius. Ergo crudelis illa Domitiani tyrannis plerisque ademit non prudentiam tantum civilem et politicam, ad quam semper pauci tantum pervenire solent, sed etiam virtutem et dignitatem civilem, cuius vel in libera republica vel sub domino aequiore et leniore admodum pauci sunt expertes. Hos omnes nunc meliora edocebit Tacitus; Domitiani qualis esset dominatio aequales recte perspicere et sentire prae torpore non potuerunt; hoc damnum Tacitus compensabit accurate Tiberii facinora enarrando. Tiberii ergo tempus illo narrante alterum Domitiani tempus fiet, Tiberii facta Domitiani atrocitatem explicabunt illustrabuntque. Et miremur etiam, qui

hac aetate Tacitum accurate legerit, ei tam similes inter se Domitianum et Tiberium videri?

Taciti, de imperatoribus e gentibus Iulia Claudiaque iudicium ferentis quae sit „fides historica", dudum multi disputarunt et acris fuit de hac re inter viros doctos contentio. In eo autem totam consistere causam ut quaeratur de *Tiberio* utrum aequus an cupidus iudex fuerit Tacitus, semper omnes intellexerunt et nuperrime disertis verbis pronuntiavit Boissierius. Recte ergo Karstenus nostras, cum in hanc rem inquireret, ea praesertim collegit quae de Tiberio a Tacito parum vere narrata viderentur. Cuius libellus („de fide Taciti in sex prioribus Annalium libris"), ab adolescente conscriptus, multa habet acutissime prudentissimeque observata, paucissima vero, ut ego opinor, quorum nunc virum, insigni laude conspicuum, pudeat poeniteatve. Sed, quod plerumque nostratium lucubrationibus accidit, id Karsteni quoque libello evenisse videtur: nemo iam illum respicit. Felix quod non — nam id quoque saepe fieri videmus, cum nostrae gentis aliquis ea in medium protulit, quae neque in dubium vocari possint et maximam habeant utilitatem — post eum aliquis exstitit, qui plane idem doceret ..... et posthac tamquam qui *primus* illud docuisset vulgo a viris doctis citaretur. De fide ergo Taciti scribitur disputaturque, tamquam si nullus unquam Karstenus vixisset. Quae res cum mihi semper indignissima visa sit, ad idem delapsus argumentum lubentissime hac utor occasione eius laudandi viri, qui ante multos annos diligentissime doctissimeque illud tractavit.

Dicebam autem cum aliis rebus hoc quoque (et fortasse „hoc praesertim" dicendum erat) obstitisse quominus aequus esset de Tiberio iudex Tacitus, quod de Tiberio scribens Domitianum ante oculos haberet, et sibi iam ab initio persuasisset parum interesse utrum aliquis de Tiberii an de Domitiani imperio edoceretur: utriusque enim imperatoris eandem fuisse pravitatem. Nunc singulos quosdam consideremus locos, quibus iniquum aliquod de Tiberio contineatur iudicium. Pauca, sat scio, proferam, quae non a Karsteno dicta sunt, sed fortasse quaedam, ad hanc spectata lucem, melius apparebunt.

A. I, 73. De novo criminum genere, quod tum primum exstiterit, haec narrantur:

„Falanio obiciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam mimum corpore infamem adscivisset, quodque venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset. Rubrio crimini dabatur violatum periurio numen Augusti."

Vides quod sit novum illud genus; famosum illud *maiestatis* crimen tunc in rempublicam introducere quidam conati sunt, quod postea tot insontes, nobiles atque ignobiles pessumdedit. Quid vero Tiberius, cognita nova adulatione, qua callidi homines quaestum sibi instituere conati sunt? Scripsit consulibus:

„Non ideo decretum patri suo caelum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis, quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset; nec contra religiones fieri, quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. Iusiurandum perinde aestimandum, quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias dis curae."

Potuitne quidquam vel optimo imperatore dignius responderi, quidquam sapientius, clementius, mitius, quidquam constantius adversus illos omnium imperantium veros inimicos, qui eos abiectis adulationibus, dum attollere videntur, ultro in praeceps rapiunt? Quodsi tota haec epistola tantummodo documento esset, quanta Tiberii vixdum imperium adepti fuisset prudentia, quamque sagaciter quid sibi vitandum esset perspexisset, tamen vel hoc nomine magnopere esset laudanda. Quid vero Tacitus? Si haec praemisisset: hoc narrationis suae esse consilium

„ut quibus initiis gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit noscatur"

aptissimo eam exornasset prooemio Nunc vero non haec sola scripsit, sed post *initiis* inseruit etiam *quanta Tiberii arte*, et sic primum ipse sibi obloquitur, nam nullo modo verba *repressum sit* et *quanta Tiberii arte* inter se conciliari possunt: *repressit* haud dubie in praesentia exitiabile illud malum Tiberius, quod non *artis* (i. e. fraudis atque fallaciae) est, sed egregiae prudentiae magnum a republica avertentis periculum. Deinde cupidissimum se adversus Tiberium praebet, qui ex egregio Tiberii responso suspicionem petat simulationis tam perfidae tam abominandae ut vix in quemquam mortalium convenire videatur.

Ain vero! Sicine respondendo atque sic repellendo eo, qui nova crudelitate commaculare rempublicam primus est conatus, hoc spectavit Tiberius ut ad ipsam illam calamitatem viam muniret? Ne de Domitiano quidem si quis talia traderet, fidem ei haberemus. Hoc certum est *Domitiani* „naturam obscuram" (Agr. 42) Tacito ante oculos obversatam esse, cum de Tiberio tam incredibilia sibi fingeret.

Ann. I, 76. „Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. Rennuit Tiberius .... sed remedium coërcendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum."

Vides quid intersit inter hominem ineptum fatuumque et prudentissimum mortalium imperatorem. Quodsi et ipse suspiciones movere vellem, easque minime de nihilo fictas, coniicere possem non tam stulta infirmitate motum illud de libris Sibyllinis censuisse Gallum, sed sperantem fore ut ibi legeretur aliquid, quod rerum mutationem atque ipsi imperium promitteret. Scimus enim eum Augusto visum esse „avidum (imperii) et minorem" (A. I, 13), scimus quoque (e Servio ad Virg. Ecl. 4) *ab illo* fabulam sparsam, qua de *Pollionis* consulis filio summa quaeque, tamquam de futuro imperii capite, vaticinatum esse Virgilium quidam crediderunt (cf. Boissier la Religion Romaine vol. I). Quae si non vana suspicio est, non solum ideo Tiberium admiramur, quod ineptae de libris Sibyllinis inspiciendis sententiae prudens opposuerit consilium totius negotii sagacibus peritisque mandandi viris, sed magis etiam hanc ob causam, quod stolidum aemulum, quamvis eius perspiceret artificia, rebus potius quam verbis refutarit. Certe nihil hic commisit Tiberius quod vel levissima dignum esset vituperatione. Et tamen Tacitus, eo loco, quem reliqui vacuum, quid posuit? Nempe *perinde divina humanaque obtegens*, quae verba vix interpretationem admittunt ullam: quis enim pro certo statuere possit quae sit eorum sententia? Unum hoc videmus hic quoque se Tacito abstrusam arcanique appetentem Domitiani obtulisse indolem — si usquam intempestive, hic profecto. Nam de Tiberio quae hic narrantur, omnia sunt quam apertissima simplicissimaque.

Sed omnino nusquam magis studio omnia, quae Tiberius

fecerit .... aut non fecerit, in deterius detorquendi indulget Tacitus quam hoc capite. *Non fecerit* aio, nam ne quae a Tiberio neglecta, omissa, spreta quidem sunt turpissima carere suspicione Tacitus patitur, licet facillimum sit honestissimam afferre causam. Videamus modo quae porro narrantur eodem capite:

„Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens; quod in vulgus formidolosum et pater arguisse dicebatur."

Hactenus omnia de Tiberio satis honorifica, dicitur enim filii crudelitatem identidem vituperasse. Ergo cum deinceps legimus:

„Cur abstinuerit spectaculo ipse varie tradebant [1])"

clamare in promptu est: „at, o bone, nobis nil opus istis *varie trahentibus* vel *tradentibus*: ipse enim nobis causam suppeditas idoneam: si filii crudelitatem vituperare solebat Tiberius, haud dubie nobis inde efficere licet ipsum eiusmodi spectacula in deliciis non habuisse, et quamquam aequi fuerat scriptoris hanc quoque causam disertis proferre verbis, *tuum* tamen „silentium" molestias nobis non exhibet, quia tam facilem nobis coniectandi reddidisti rationem. Audiamus tamen quae ab auctoribus tuis proferantur: „alii taedio coetus". Idonea profecto causa, quaeque, licet parum sit honorifica, nulla tamen Tiberium afficit contumelia. „Quidam tristitia ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset." Hoc quoque humanum est, neque vitio vertere alicui solemus si pro re nata vultum mutare non potest. Quid quod semel de Tiberio clementius iudicare paratis ultro facultatem praebes e verbis tuis, quamvis malevolis, efficere a sanguine et saevitia tunc certe Tiberium abhorruisse. Quod vero haec quoque refers: „ad ostentandam sae-

---

1) Sic enim legendum censeo pro *varie trahebant*. Nam saepe quidem verbo *trahendi* additur aliquod substantivum, quod reprehensionis vim habeat, praemissa praepositione *ad* vel *in* c. accusativo, ad significandum aliquam rem improbari, e. c.

A. I, 62, 3 cuncta Germanici *in deterius trahenti*
III, 22, 6 quidam *ad saevitiam trahebant*
IV, 64, 1 fortuita *ad culpam trahentes*
H. II, 20, 1 ornatum ipsius *in superbiam trahebant*.

Ideone etiam *varie trahere* licebit dicere atque inde suspendere sententiam interrogativam? Non opinor. Sed res nobis est cum iis rebus quas fama *tradebat* et rumor hominum.

vitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem" bilem moves, licet haec praemiseris vocabula: „non crediderim". Subiicis enim: „quamquam id quoque dictum est"; his vocabulis totum claudis locum, atque sic in legentium animis *τὸ κέντρον ἐγκαταλείπεις*. Cum causae idoneae, simplices, verisimiles aliae prolatae, aliae indicatae sunt, eiusmodi etiam addere suspiciones, longe arcessitas, aperta cum praecedentibus fronte pugnantes, ab ipsa abhorrentes humana indole, non gravis atque veracis est historici sed maledicae mulierculae. En quo te ducat istud Tiberii cum Domitiano conferendi, vel potius confundendi, studium!

Ann. II, 38. Marcus Hortalus, oratoris Hortensii nepos, atque omnino nepos (agnoscimus enim ex tota narratione hominem nequam, qui inepta luxuria patrimonium dilapidarit), quamquam semel iam insigni liberalitate Augusti adiutus est, postquam ingentem quoque illam pecuniam (decies fuerat sestertium) insanis profudit sumptibus, iterum petere ut sibi ex aerario subveniatur non veretur; lacrimosam ad senatum habet orationem et *τὰ παιδάρια ἀνέλκει*. Respondet homini Tiberius oratione plena prudentiae, plena dignitatis, in qua omnia sunt egregia, haec tamen vel praestantissima:

„Non preces sunt istud, sed efflagitatio, intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere ac velut perfringere aerarium, quod si ambitione exhauserimus, per scelus explendum erit. Languescet alioqui industria; intendetur socordia, si nullus (an *nulli*?) ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves."

Quis unquam princeps melius obstitit indignorum precibus impudentibus, quis eos redarguit oratione pro se honestiore, pro republica utiliore? Quid ergo attinebat acerbam hanc praemittere interpretationem:

„Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur, his verbis usus"? Habet profecto ipsa oratio, quo se defendat commendetque; sed si verum esset quod infesto Tacitus fingit animo, si Tiberius ideo Hortali precibus adversatus esset, *quia* intelligebat favere ei senatum, nonne haec

quoque eius prudentia vehementer esset laudanda? Nam cur Hortalo faverent plerique senatores sollerter perspiciebat, nempe ut ipsi quoque idem haberent egestatis subsidium; pro aerario ergo pugnavit fortiter, certamque ab eo avertit perniciem nullorum veritus iram invidiamque. Quid attinebat hoc eum condemnare iudicio non magis malevolo quam falso:

„Haec atque talia, quamquam cum adsensu audita ab iis, quibus omnia principum, *honesta atque inhonesta,* laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere"?

Cur *inhonestis* adnumeratur praeclara Tiberii oratio, aut certe in medio relinquitur utrum ad inhonesta potius an ad honesta sit referenda? Cum praesertim etiam commemorandum sit egregium Tiberii factum, quo luce clarius demonstravit non suum sed reipublicae commodum unice cordi sibi esse: etenim ex sua arca Hortensii filiis ducena adnumeravit sestertia, atque (nam hoc etiam gravius) reticere non possit scriptor postea apparuisse omni auxilio indignum esse Hortalum. Nam quod illam rem his exornat verbis Tacitus:

„Neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur"
quid esset in iniquitate summum declaravit. An boni principis est tam diu nobilium hominum levitati et vanitati opem ferre, donec aut aerarium sit exhaustum aut ipse pudendam ad inopiam delapsus"?

II, 84. Nihil a Tiberio dici potuisse, quamvis esset innocuum, quin acerbissimum inveniret censorem Tacitum, hic locus vel praecipue documento est:

„Ceterum recenti adhuc maestitia (sc. ob mortem Germanici) soror Germanici Livia, nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa est".

Quem non de plebe avum eiusmodi res insigni afficiat gaudio? Ipse Tacitus testatur illud „rarum laetumque etiam modicis penatibus" fuisse. Nihil ergo est cur Tiberii ob eandem rem miremur laetitiam. Qui si de ea ad senatum paulo liberius, quin etiam paulo insolentius, locutus est, quis tam iniquus ut statim iactationem et non ferendam superbiam odoretur? Nonne proloqui ei licebat: „nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam"? Praesertim, si verum erat illud:

id autem ipse Tacitus verbis modo allatis testatur. Quid ergo attinebat odiosa ista praemittere verba: „tanto gaudio principem affecit, ut non temperaverit, quin iactaret"? Quae et ipsa inter se certant: nam si illam Tiberii orationem *insolitum gaudium* provocavit, nullus iam *intemperantiae* et *iactationis* relinquitur crimini locus. Cur denique mordacia ista annectuntur: „nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat"? In bono principe facile eiusmodi ferimus dicta; malum aliquem fuisse principem ex illis efficere nolumus. Sed hanc iniquitatem non ex studio illo Tiberii cum Domitiano conferendi natam esse, verum ex alio eam manasse fonte testatur capitis finis:

„Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret." Cf. Karstenus p. 92 sqq. de Drusi, Tiberii filii, et Germanici Agrippinaeque factionibus prudentissime disputans.

A. II, 88. „Reperio aput scriptores [1]) eorundem temporum Adgandestrii principis Chattorum lectas in senatu litteras, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur, responsumque esse non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. Qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque."

Nisi certum stetisset Tacito consilium ex omnibus rebus, etiam absurdissimis, invidiam in Tiberium conflandi, prudentius hic egisset, totamque rem in dubium vocasset. Est enim admodum insulsa ineptaque. An si princeps Chattorum illo modo Populo Romano navare operam eiusque inire gratiam cupiebat, nullane alia ad Arminium patebat via? Nonne, etiam si veneno tollere eum conaretur, ministris opus erat, qui sine suspicione illud ei porrigere possent? Hi autem in ipsa Arminii erant quaerendi familia, ibique facillime inveniebantur, nam, ne duabus quidem

---

1) In codice est *apud scriptores senatoresque*, atque sic editur. Quae lectio cum a nullo mortalium intelligi posset, fuerunt qui eo fundamento uterentur ad celsas doctrinae turres exigendas. Mihi res admodum simplex videtur: in nostri codicis avo proavove pro *scriptores* facili errore scriptum fuit *senatores*; in margine corrector veram lectionem *scriptores* appinxit. Cuius consilium cum non perspiceret is, qui illo exemplari ad novum faciendum codicem utebatur, ex errore et correctione suam sibi lectionem conflavit.

interiectis lineis, Arminium *dolo propinquorum* cecidisse legimus. Ergo aut alia ratione Germani invisos sibi homines clam necare callebant, aut, si veneno hi quoque usi sunt propinqui, eius in ipsa Germania copia tum fuit. Quodsi tamen fingimus Roma illud Germanis, qui uti vellent, fuisse petendum, quam ineptus Adgandestrius noster, qui ab ipsis patribus conscriptis illud arcessat: quasi vero Romae publica quaedam fuerit venenorum apotheca. Prudentissimum igitur fuerat eiusmodi nugas atque quisquilias eo, ubi inventae essent, relinquere loco; si tamen inde protraherentur, paucis verbis erant refutandae. Fidem vero iis habere omnium perversissimum foret, nisi aliquid perversius excogitasset Tacitus: *ideo* fidem iis habere ut posset novo Tiberium vulnerare crimine, eoque falsissimo: nam si tamen sumimus, id quod vix quisquam in animum inducet, *veram* hanc esse de Chattorum principis promisso narrationem, nemo, quem quidem non cupiditas caecum reddiderit, quidquam aliud inde efficere potest quam hoc: ne illo quidem tempore senatum a prisca degeneravisse virtute, in hac vero re parem se Tiberium Fabricio praestitisse. De inani iactatione et imitatione inepta sermo hic esse potest nullus. Aut si eiusmodi suspiciones hic sine summa iniuria proferri possunt, quidni posthac historiarum scriptores semper et ubique illas addant etiam cum de praeclaris hominum virtutibus narrant? Nihil enim tam rectum sincerumque est quod non hac ratione detorqueri depravarique possit.

A. III, 44. Romam cum nuntius de Trevirorum et Aeduorum defectione esset allatus, vehemens sollicitudo animos occupavit, nam, ut ipse Tacitus ait: „cuncta, ut mos famae, in maius credita." Sequitur hoc:

„Optimus quisque rei publicae cura maerebat; multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam. An Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? Extitisse tandem viros, qui cruentas epistolas armis cohiberent. Miseram pacem vel bello bene mutari."

De *epistolis* hic legimus, in praecedentibus (c. 38) de *una* tantummodo epistola narratum est, in quam adiectivum illud *cruentus* utcunque conveniat. Si plures eiusmodi iam fuerunt

recitatae in senatu, quidni eas Tacitus enumeravit? Praeterea qui rumores illos spargunt, mirum in modum ipsi sibi obloquuntur: primum enim conqueruntur quod nunc libellis accusatorum vacet Tiberius, deinde addunt: „nunc inventi homines, qui (alias Tiberio praebentes occupationes) cruentis istis epistolis imponant finem." Ita enim, dum accusare Tiberium sibi videntur, ultro eum laudant: agnoscunt enim eum, si revera periculum ingruat, reipublicae non defuturum. Nam quominus sic locum accipiamus ut *cohiberent* idem sit quod *cohibere deberent*, obstant vocabula *inventi tandem*. Denique res eo redit ut pro certo affirmare nobis liceat nullos eiusmodi tunc fuisse vulgi de Tiberio rumores, sed cupide maligneque eos a Tacito inventos. *Domitiano* imperante fuisse qui ita, externo oriente bello, vel loquerentur vel taciti secum censerent, credibile est. Sed videamus quae de ipso Tiberio subiiciat Tacitus:

„Tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit, altitudine animi, an compererat modica esse et vulgatis leviora."

Ain vero? Tu, qui tot annis post de illo tempore scribis, probe nosti *cuncta in maius aucta* fuisse, et dubitas etiam utrum Tiberius, qui in mediis illis viveret rebus et aetatem inter varios imperii hostes trivisset, idem notum habuerit, an se quoque sollicitum esse dissimulaverit? Domitiani illud secretum, mihi crede, tibi imposuit. Nihil enim absurdius in mentem tibi venire potuit quam hic quoque de *altitudine animi* iniicere suspicionem.

A. IV, 8. Seianus necando Druso, Tiberii filio, lentum venenum delegit, ita ut morbo absumi ille videretur:

„Tiberius per omnes valitudinis eius dies ... etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est."

In quovis alio, ut opinor, hic virtus antiqua vereque Romana laudaretur. Sed Tiberio nihil per Tacitum facere licet quin speciem praebeat aut virtutem ostentantis aut cogitationes suas dissimulantis. De more ergo hic quoque interiicitur:

„nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret"

sic enim, ne si de ostentatione quidem quidquam credere nolumus, ullus *virtuti* relinquitur locus: non fuit firmus Tiberius et dilecti filii morbo inconcussus; quod in quotidianis assidue

perstabat negotiis cuiusvis etiam levissimi erat hominis: nesciebat enim gravem illum morbum esse.

Ann. VI, 1. „Caesar tramisso, quod Capreas et Sorrentum interluit, freto, Campaniam praelegebat, ambiguus an urbem intraret, seu quia contra destinaverat, speciem venturi simulans."

Mitto nunc plane otiosam simulationis istam suspicionem; unum dico adversus illud crimen mortalium neminem tutum esse. Videamus sequentia:

„Et saepe in propinqua digressus, aditis iuxta Tiberiam hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetiit."

Saxa et solitudinem. De Gyaro vel Pandateria, aliave insula in quam miseri exules eiciebantur, sermonem esse putes. De Capreis agitur, quibus nullum amoeniorem esse locum probe sciebat Tacitus. Sic enim eius situm describit IV, 67:

„Caeli temperies hieme mitis obiectu montis, quo saeva ventorum arcentur; aestas in favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret."

Quare ergo hic de Capreis ita loquitur tamquam si iam tum „facies loci versa esset"? Scilicet ut Tiberio „secretum" assignaret taetrum, asperum, horrendum, ne ipso quidem Domitiano indignum. Additque hanc causam cur inamoenos illos repetierit locos Tiberius:

„pudore scelerum et libidinum."

Verum si quidquam de inauditis Tiberii senis credimus libidinibus — nam mihi de nihilo fictae eae videntur — minime ut illas absconderet dedit operam. Etenim:

„praepositi servi, qui (*prolem ingenuam*) conquirerent, *pertraherent*, dona in promptos, *minas* adversus abnuentes, et si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant."

De praeclara Tiberii epistola, qua Togonii Galli abiectas respuit adulationes, iam vidimus et quomodo illam quoque in peius detorsisset Tacitus observavimus. Unum addo: in fine eiusdem capitis (VI, 2) haec legimus:

„Haec adversus Togonium verbis moderans, neve ultra abolitionem sententiae suaderet." Ergo in acta referri illam sententiam Tiberius vetuit. Haud iniuria nunc qui Tacito innotes-

cere potuerit rogamus. Sed hoc mitto; ad aliam Tiberii transeo epistolam, non minus egregiam. VI, 5. In Cottam Messalinum omne criminum profertur genus, etiam dicta eius, quae inter pocula prompserat, arguuntur; in hoc periculo reus ad imperatorem provocat. Qui prudenter moderateque, ut solebat:

„ne verba prave detorta, neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulavit."

Atque praemisit huic epistolae exordium, quod, me quidem iudice, insignem in omni literarum Latinarum historia obtinere locum meretur:

„Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque peius perdant, quam perire me cotidie sentio, si scio."

Equidem mihi hic audire videor senem, quem iam non imperii tantum sed et ipsius vitae pigeat taedeatque; qui imperium non appetiverit, sed cum invitus illud sumpsisset, ut quam optimus esset imperator sit conatus; qui tota quidem vita cum summo dolore expertus sit ingratum se esse hominibus et timori incutiendo aptiorem quam fiduciae dandae, extremis vero annis sero cognoverit qualis ille Seianus fuerit, cui se suaque omnia commiserit, neque recusare se posse sentiat quin illius facinora sibi vitio dentur (De Tiberio Seiani artibus obnoxio cf. Karstenus passim). Miseret profecto principis decepti et vix tandem meliora edocti, probeque intelligimus eum iam quid scribat, quomodo scribat, quid omnino non scribat frustra quaerere.

Aut si me latet vera exordii sententia, singulare quoddam et peculiare eius fuisse consilium nemo non concedet. Sed simul concedant omnes oportet Tacitum certe plane fugisse illud. Quae enim subiicit:

„Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando, ut corpora verberibus, ita saevitia libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur"

anilia sunt et circumforaneo oratore digna magis quam veraci historico.

Ann. VI, 19. „Iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, illustres ignobiles dispersi aut aggerati."

Immensa strages! De urbe ab hostibus capta sermonem esse putes, qui ferro ignique omnia vastarint, incolas obviam sibi factos trucidaverint, pepercerint nemini. At revera agitur de iis hominibus, qui, accusati quod cum Seiano fecerint, consilia eius adiuverint, emolumentum aliquod ab eo acceperint, etiam in vinculis iudicium et condemnationem exspectent. Ne tum quidem, cum nil nobis de eorum numero traditum esset, *aliquot* eorum fuisse *milia* facile nobis persuaderemus: et tamen id nobis sumendum foret, nisi admodum absurdam Taciti de strage illa exclamationem videri vellemus. Quid ergo nunc nobis de ea statuendum est postquam cognovimus (e Suetonio) non plures *viginti* miseros illos fuisse? Credamusne ingentia Taciti verba satis defendi annotationibus qualis est haec Nipperdeyi:

„es ist zu bemerken dass die Hinrichtung von 20 auf einmal immer etwas ausserordentliches ist, dann aber *immensus* bei Tac. nicht mehr bedeutet als: ausserordentlich gross"?

Haud opinor; nam, quamquam verissimam esse utramque Nipperdeyi observationem omnes norunt, qui in Tacito non plane sunt hospites, tamen earum neutra impedit quominus omnia, sed praesertim ista *dispersi aut aggerati*, ab hoc loco et ab hac re quam alienissima censeamus. Et quid sibi illud *in initio descriptionis* positum verbum *iacuit* vult, nisi eo iubemur oculis nostris quodammodo latum aliquem cadaverum perlustrare campum? Sed quam tantae crudelitatis causam affert Tacitus, ea minus etiam, si fieri potest, est verisimilis. Crudelitatem tantam intelligimus, si fingimus tandem aliquando piguisse Tiberium Seiani eiusque sociorum recognoscere facinora dira, quibus ipse toti generi humano invisus esset redditus, sumimusque eum, cum semel reis sine summa sua infamia parcere non posset, quantocius defungi tristibus voluisse decretis. Sed quis credat eum *cunctos necari iussisse* quod esset *irritatus suppliciis*? Barbarorum immanium istud est, vel potius ferarum bestiarum, non hominis, quem ad extremam usque senectutem sanae sobriaeque mentis admodum multum retinuisse vel una illa demonstrat epistola capitum 5 sq., quam modo laudavimus.

Sed quid adversus Tacitum ad extremam Tiberii provoco senectutem? Illo enim teste ne integra quidem aetate ac valetudine (v. Suet. Tib. c. 11) Tiberius ullius unquam pepercit vitae, quem de medio tolli e sua re esse statuisset. Inspice modo c. 21, ubi quomodo mathematicos, quos vanos fraudulentosque cognovisset, de rupibus deici Tiberius iusserit legimus. Neque semel eum hac ratione usum sed saepissime ex ipso narrationis initio: „quoties super tali negotio consultaret" efficeremus ...... nisi incredibile nobis videretur vivo etiam et imperante Augusto tantum licuisse homini, qui adeo esset imperatori suspectus vel invisus, ut a „voluntario in insulam amoenam secessu" (sic enim exilium illud diuturnum appellabat Tiberius) ei per multos annos redire non permitteretur, licet supplicibus adiret Augustum precibus.

Hoc tamen constat, ad ultimos Tiberii annos cum pervenerit Tacitus, coacervare eum omnia quaecunque legentibus quam maxime invisum odiosumque principem reddant, tum praecipue operam dare eum ut ubique simulationem, gloriae studium, aliudve suspicemur mentis vitium, licet ne levissima quidem adsit culpae species, sed omnia aliquam eius virtutem designent potius. Velut hoc est quod c. 45 narratur:

„Idem annus gravi igne urbem adficit, deusta parte circi, quae Aventino contigua, ipsoque Aventino."

Quid tum Tiberius? Ingens illud damnum summa compensavit benignitate munificentiaque. Laudarine nunc eum a Tacito putas? Immo vero: haec quoque res accusandi reprehendendi perstringendi praebet ei facultatem. Sic enim porro narrat:

„Quod damnum Caesar *ad gloriam vertit* exolutis domuum et insularum pretiis."

Non misericordia motum tantam impendisse pecuniam Tiberium, sed ut gratiam iniret civium, vel quia putaret illam munificentiam suum decere statum locumque, si sumimus, coniectura utimur, probabili quidem, sed tamen coniectura. Et quid tum sumimus quod non vel in optimum conveniat principem? Sed qui nihil hic videre vult nisi vanam iactationem et insanum gloriae studium, is quidem legentes ludibrio habere mihi videtur.

C. 46. De tradendo imperio cogitat Tiberius, sed non facile

ei est aptum imperio invenire successorem: C. Caesar suspectus ei est, nepos, Druso filio genitus, annis immaturus, mente captus Claudius:

„Sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibrium verterent, metuebat."

Nihil, ut opinor, hoc metu excogitari potest magis honorificum. An cordi non esse oportere cuivis censeamus principi, ut etiam post suam mortem sui regni perstet memoria? An quemquam regem imperatoremve tam hebetem somnolentumque esse postulemus ut se cum toto suo imperio totaque sua gente in oblivionem venire aequo ferat animo? Quorsum ergo pertinet mordax istud et lividum de Tiberio iudicium, quod verbis modo allatis Tacitus adiungit:

„Quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio"?

Nonne enim egregium illud, prae fama apud posteros *praesentium gratiam* negligere? Nonne hoc semper omnes fecerunt principes, qui quidem se non ab omnibus mortalibus contemni, despici, derideri vellent? Omnino *viri* est gratiam praesentium parvi putare; plane illam despicere, quo melius famae apud posteros consulat, principis est eiusque praestantissimi. Tacitus tamen praeclaram Tiberii sententiam prudentissimumque et fortissimum consilium isto *ambitio* in dedecus convertit.

VI, 48. Sub finem Tiberii maiestatis accusantur Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius, quorum Domitius Marsusque, quoniam levis quaedam etiam est spes salutis, vitam producunt, Arruntius moras nectere non vult: forti claroque viro indignum illud iudicat, et, quod maius etiam videtur, plane inutile; denique, etiamsi prosit, in breve tantummodo tempus prodesse posse iudicat:

„Sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quem ad modum evasurum imminentis iuventam? An, cum Tiberius post tantam experientiam *vi dominationis convulsus et mutatus sit,* C. Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora capessiturum?"

Hic Arruntius, quamquam ne ipse quidem ulla, vel levissima, laude Tiberium dignum censet, tamen vitia eius quomodo nata sint explicare studet. Quo magis mirum Tacitum ipsum nun-

quam eo esse adductum ut inquireret, quae esset tantae pravitatis atque adeo immanitatis ratio, qua nobis laborantem Tiberium depingit. Est ei Tiberius omnium fere vitiorum receptaculum: qua via illa in animum eius irrepserint explorare supersedet. Ceteri homines facinoribus suis, quamvis diris atque cruentis, tamen semper spectant aliquid: aut commodum lucrumque, aut, si ne illud quidem, saltem ultionem; at quos Tacitus odit — et in eorum numero fere primarium locum tenet Tiberius — crudelitate sua uni huic rei dare operam videntur: ut sint quam crudelissimi. Ergo, postquam de Arruntio narravit utcunque sibi aliisque rationem reddente quid Tiberii mores adeo corruperit et pessumdederit, simulatque suis utitur verbis ad suum redit ingenium, Tiberiique eam depingit imaginem, in qua „psychologiae" ne levissima quidem agnoscatur umbra:

„Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere: idem inter bona malaque mixtus incolumi matre, intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve, postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur."

Tempora hic distinguuntur, sed merum artificium oratorium illud est: quid variis illis temporibus in Tiberii mente evenerit frustra quaerimus: „simulavit, iterum simulavit, denuo simulavit, rursus simulavit, postremo ne simulavit quidem" huc pulchre dispositi loci totum redit argumentum. Nisi forte credimus eum qui „postquam remoto pudore et metu *suo tantum ingenio* utebatur" *nil nisi scelera et dedecora* in animo habebat, adolescentem iuvenemque revera fuisse *egregium vita famaque*.

Sed quid apud Tacitum de Tiberio agentem „psychologiam" quaerimus? Dummodo terrorem horroremque incutiat legentibus satis ei est. De facinoribus eius declamat, atque huic uni rei dat operam ut quo magis ad finem accedat eo omnia fiant horrenda magis. Denique, cum eo perventum est ut de Tiberii sit narrandum morte, intonat ore gravi (c. 50 in.):

„Iam Tiberium corpus, iam vires [1]), nondum dissimulatio deserebat."

Praecessisse, his auditis, quivis suspicetur insigne aliquod dissimulationis Tiberianae exemplum. At in proximo capite narratum est de Sexto Papinio, viro nobilissimo qui „informi exitu" sibi conscivit mortem. Qua de re ad Tiberium fortasse ne nuntius quidem pervenit unquam. Inanis ergo ille est verborum strepitus, quo tamquam tubae sonitu admonemur ut attenti simus ad exitum fabulae spectandum.

1) Lepidam vocabulorum *corpus iam vires* emendationem *vires, iam vita* proposuit v. d. K. H. E. de Jong in thesibus adiunctis dissertationi: „de Apuleio Isiacorum mysteriorum teste." L. B. MDCCCC.

EMENDATUR FRONTO EP. 259, 11.

Nuper BRAKMAN meus in *Frontonianis* p. 23 tres ultimos codicis Ambrosiani versus, qui legi possunt, sic exscripsit:

γωγε σοι επιδειξωιιχους
προς τον ιλισον αμα αμ
Φω βαδισαιμεν.

Procul dubio corrigendum *ἐπιδείξω εἰ* <*ἔξω τ*>*είχους κτἑ.* Minus recte ipse explevit <*ὅ,τι τάχος, εἰ*> *πρὸς κτἑ.* Manifesta obtinet haplographia. H. v. H.

AD PLUTARCHUM.

Sull. 35. (Sint.). *ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην ἑστιάσεις ἐποιεῖτο τῷ δήμῳ πολυτελεῖς.* In praecedentibus actum est de triumpho, hic de cena publica, quae apte triumphum sequitur. Quis autem unquam audivit imperatorem dis immortalibus dare decumam .... *bonorum suorum*? Hoc tamen magis mirum etiam quod de *praeda* plane hic tacetur. Confidenter pro *οὐσίας* rescribo *λείας*, cuius vocis cum aliquo chartae detrimento nil nisi CIAC superesset, illud semidoctus aliquis suo marte explevit. J. J. H.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XXX pag.* 331).

LXXXIX.

DE PIGNORIS HISTORICI [1]) ORIGINE.

Quem saepe laudavi iuvenum cultorem, non famae tribuens sed expertus ipse, nunc autem ereptum sibi lugent non Germani tantum, sed quotquot ubique Romano iuri operam navamus, erat enim in eo cum summa doctrina, cuius exstant monumenta, coniuncta incredibilis animi benignitas, scripsit haud ita pridem Pernice [2]) ius pignoris duplicem originem habere: actionem Servianam, id est eam edicti partem, qua in rem actio proponitur, et vendendi pactionem, id est prudentium auctoritatem, quae propter pactionem vendere permittit [3]). Sed praestat, ni fallor, unicuique rei unam et simplicem originem adsignare: eam, unde initium ceperit; quae deinde accesserint et rei faciem commutaverint vel plenius expresserint, ea non originis loco sed mutationum numero habere. Fuerit igitur origo pignoris altera utra: actio proposita vel vendendi pactio vel horum neutrum, sed potius, quae sententia est Georgii Friderici

1) De iure pignoris praehistorico et antepraehistorico consulendus est Herzen, *Origine de l'hypothèque romaine* (1899) p. 58—61.

2) *Zeitschr. der Sav.-St.* IX (1888) p. 208.

3) *„es erwuchs aus zwei Wurzeln: der* actio Serviana *und der Verkaufsberedung."* Cf. Windsch. (1891) § 224ᵃ.

„Iam Tiberium corpus, iam vires [1]), nondum dissimulatio deserebat.”

Praecessisse, his auditis, quivis suspicetur insigne aliquod dissimulationis Tiberianae exemplum. At in proximo capite narratum est de Sexto Papinio, viro nobilissimo qui „informi exitu” sibi conscivit mortem. Qua de re ad Tiberium fortasse ne nuntius quidem pervenit unquam. Inanis ergo ille est verborum strepitus, quo tamquam tubae sonitu admonemur ut attenti simus ad exitum fabulae spectandum.

---

1) Lepidam vocabulorum *corpus iam vires* emendationem *vires, iam vita* proposuit v. d. K. H. E. de Jong in thesibus adiunctis dissertationi: „de Apuleio Isiacorum mysteriorum teste.” L. B. MDCCCC.

EMENDATUR FRONTO EP. 259, 11.

Nuper BRAKMAN meus in *Frontonianis* p. 23 tres ultimos codicis Ambrosiani versus, qui legi possunt, sic exscripsit:

γωγε σοι επιδειξωιιχους
προς τον ιλισον αμα αμ
Φω βαδισαιμεν.

Procul dubio corrigendum *ἐπιδείξω εἰ* <*ἔξω τ*>*είχους κτέ.* Minus recte ipse explevit <*ὅ,τι τάχος, εἰ*> *πρὸς κτέ.* Manifesta obtinet haplographia. H. v. H.

AD PLUTARCHUM.

Sull. 35. (Sint.). *ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἀπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην ἑστιάσεις ἐποιεῖτο τῷ δήμῳ πολυτελεῖς.* In praecedentibus actum est de triumpho, hic de cena publica, quae apte triumphum sequitur. Quis autem unquam audivit imperatorem dis immortalibus dare decumam .... *bonorum suorum*? Hoc tamen magis mirum etiam quod de *praeda* plane hic tacetur. Confidenter pro *οὐσίας* rescribo *λείας*, cuius vocis cum aliquo chartae detrimento nil nisi CIAC superesset, illud semidoctus aliquis suo marte explevit. J. J. H.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XXX pag.* 331).

LXXXIX.

DE PIGNORIS HISTORICI [1]) ORIGINE.

Quem saepe laudavi iuvenum cultorem, non famae tribuens sed expertus ipse, nunc autem ereptum sibi lugent non Germani tantum, sed quotquot ubique Romano iuri operam navamus, erat enim in eo cum summa doctrina, cuius exstant monumenta, coniuncta incredibilis animi benignitas, scripsit haud ita pridem Pernice [2]) ius pignoris duplicem originem habere: actionem Servianam, id est eam edicti partem, qua in rem actio proponitur, et vendendi pactionem, id est prudentium auctoritatem, quae propter pactionem vendere permittit [3]). Sed praestat, ni fallor, unicuique rei unam et simplicem originem adsignare: eam, unde initium ceperit; quae deinde accesserint et rei faciem commutaverint vel plenius expresserint, ea non originis loco sed mutationum numero habere. Fuerit igitur origo pignoris altera utra: actio proposita vel vendendi pactio vel horum neutrum, sed potius, quae sententia est Georgii Friderici

---

1) De iure pignoris praehistorico et antepraehistorico consulendus est Herzen, *Origine de l'hypothèque romaine* (1899) p. 58—61.

2) *Zeitschr. der Sav.-St.* IX (1888) p. 208.

3) „*es erwuchs aus zwei Wurzeln: der* actio Serviana *und der Verkaufsberedung.*" Cf. Windsch. (1891) § 224ᵃ.

Puchta [1]): ipsa pignoris causa possessio, planius ut dicam: quae lex quodve edictum quaeve consuetudo effecerit, ut pignoris possessionem retinere liceat [2]), nobis utique una origo sufficiet. Apparet autem vel ideo actionem Servianam pro pignoris origine haberi non posse, quia ea actio *ex ipsius praetoris iurisdictione substantiam capit* (§ 7 Inst. IV 6), quum tamen verum sit pignus vel moribus introductum esse vel legibus, antequam iuris honorarii vestigium esset ullum; novimus enim ipsa lege XII tabularum pignus silentio transmissum non fuisse [3]). Pactio de vendendo an pignoris origo fuerit, videamus. Sed ne huic quidem sententiae accedendum videtur, quia pactio de vendendo, quae tempore absolutae iurisprudentiae adeo *vulgar(is)* [4]) erat, ut crederetur tacite de pignore vendendo convenisse [5]), ni cautum esset, ne pignus veniret [6]), tamen non invenitur ea in antiquissimis oppignerationum formulis, quas Catonis industriae debemus [7]), nam illic nihil aliud solet esse praeter enuntiatum: *pignori sunto*, cui semel additur: *si quid deportaverit, domini esto.* Quamobrem probanda est sententia Johannis Aemilii Kuntze [8]), cui videtur ex pacto venditio iuris hypothecarii fastigium magis esse quam fundamentum [9]). Restat pignoris causa

---

1) *Cursus* § 248. Simplex pignus („*das einfache* pignus") intellegi non potest nisi primarium.

2) Adversus vindicantem dominum.

3) Gai. IV § 28. Itaque nescio, quo modo sit mihi intelligendus Hofmann, *Beiträge* (1870) p. 66: „*Bekanntlich war das .... Pfandrecht den Römern zur Zeit der Decemviralgesetzgebung noch völlig unbekannt.*"

4) c. 4 C. 4. 24.

5) l. 4 D. 13. 7. — Exigit hoc casu trinam denuntiationem Paulus II 5 § 1, quum alias denuntiasse sufficiat: c. 18 C. 5, 37; cf. c. 10 C. 8, 13 (14). Attamen potestas vendendi citra pactionem creditori omnino denegari videtur: l. 8 § 4 D. 13. 7; l. 12 § 10 D. 20. 4; l. 74 (73) D. 47. 2, atque l. 3 D. 20. 3, mecum si incluseris: *non per oblivionem, sed cum hoc ageretur, ne posset vendere.*

6) Hoc casu cum vendente furti actio est: l. 4 D. 13. 7 (Cf. Windsch. (1891) § 237 not. 5); l. 5 eod. (Paling. Pomp. 665); l. 74 (73) D. 47. 2. De fiducia cf. Paul. II 13 § 5.

7) De re rust. cap. 146, 149, 150.

8) *s. Gesch. des röm. Pfdr.* I (1893) p. 5.

9) „*was bei den Römern nur spät und äusserlich zum Inhalt der Hypothek hinzugekommen war — die Veräusserungsmacht — das ist bei uns zum Haupt- und Mittelpunkt der Hypothek geworden.*" Cf. quoque Herzen, *Orig. de l'hypoth.* p. 163—165.

possessio, quam Decemviri ratam habuerunt, sive quis pignus cepisset *adversus eum* [1]) *qui hostiam emisset nec pretium redderet*, sive *adversus eum qui mercedem non redderet pro eo iumento, quod quis ideo locasset, ut inde pecuniam acceptam in dapem, id est in sacrificium impenderet* (Gai. IV § 28), quod pignus quomodo iudicio obtinuerit, si debitor rem suam esse vindicaret, dicetur cap. XCVII. Sed quaeri potest, utrum pignus depositum sic Decemviri vel tacite vel expressim confirmaverint, ut confirmaverunt pignus ex iusta causa captum. Pro qua sententia facere videtur inprimis huius negotii simplicitas et quasi naturalis opportunitas [2]), tum foederis Latini textus: *si quid pignoris nasciscitur* [3]) *sibi habeto* [4]). Nec dubitat Puchta [5]) statuere huius quoque pignoris, id est traditi, auctoritatem aliquo saltem modo ratam fuisse [6]). Attamen magis dicendum est, iure civili ratam non fuisse pignoris traditi auctoritatem [7]), vel certe omnem rei memoriam obliteratam esse. Nam, foedus Latinum quod attinet, est verisimile res *pignoris* ibi opponi praediis, proinde permitti eo Romae Latino, Romano autem in urbibus Latinis res mobiles adquirere, non fundum vel aedes. Cur igitur idem foedus habet: *pecuniam quis* [8]) *nan(x)itor habeto?* Fieri potest, ut sit idem textus aliis verbis laudatus, quemadmodum tabularum fragmenta saepe laudantur ita, ut verba discrepent, idem tamen intelligatur legis caput; fieri quoque potest, ut alterum utrum fragmentum non sit foederis sed

---

1) I. e. ex bonis eius.

2) Cf. Bachofen, *Pfandr.* (1847) p. 5 (§ 4): „*die Verpfändung .... durch Hingabe .... ist eine so natürliche Rechtshandlung, dass ihre Uebung schon für die älteste Zeit auch ohne .... Zeugnisse niemals bezweifelt werden dürfte.*" — Invenitur pignus traditum apud Plautum, Capt. 433: *meam esse vitam hic pro te positam pigneri.* Cf. ibid. 436 (*ne .... pignus deseras*); 655 (*retinui pignori putamina*); 988 (*reliqueram pignus pro me*).

3) Legendum *nanxitor*, docet Schoell, leg. XII tab. rel. (1866) p. 88.

4) Fest. v. nancitor.

5) *Cursus* § 248.

6) „*Dass (der Gläubiger) auf irgend eine Art gegen die Vindication des Verpfänders geschützt wurde, ist schlechterdings anzunehmen.*"

7) Eadem est opinio Henrici Dernburg, *Pfandrecht* I p. 45ᵃ et Nicolai Herzen, *Origine de l'hypothèque romaine* (1899) p. 38—54. Addit hic (p. 53): „*cela n'a rien qui doive nous étonner.*"

8) Cf. Schoell, op. cit. p. 76.

ipsarum XII tabularum [1]). Itaque lex XII tabularum, ut modo diximus, captum pignus confirmat, traditum non confirmat, multo vero minus id, quod nuda conventione [2]) quaeritur, cuius gratia exceptio pignoratitia [3]) et Serviana actio constituta est. Loquimur utique de privata pignorum conventione, nam, quod in publica causa subsignatur, id sine dubio iure civili tenet [4]). Nec minus iuris vetustissimi pars est pignus in ab hostibus redempto, quod *veluti natural(e)* dicitur Gordiano [5]), neque id usquam defenditur quodammodo colore tacitae conventionis. Obtinebat autem hoc pignus initio èt in libero èt in servo ab hostibus redempto, sed in servo sublatum est vel potius transfusum in proprietatis causam *constitutio(ne)* ea *quae de redemptis lata est* [6]). Miretur quis [7]) ius pignoris in libero homine, sed observandum est hypothecae proprium esse, ut in libero capite possit consistere [8]). Veluti, quod civitati [9]) ius competit in praede, quodve privato in iudicato nexove, quibus postea [10]) accessit auctoratus [11]), decessit [12]) nexus, quo alio nomine recte appellari possit, nescio, quidve *necti* [13]) fuerit vel *nexum se*

1) Mutetur modo interpunctio: — *Nancitor in XII nactus erit, prenderit; item in foedere Latino.* „Pecuniam quis nancitor habeto" *et* „si quid pignoris naciscitur sibi habeto."

2) Inveniuntur eiusmodi conventiones apud Catonem, quem proxime laudabam, putatque adeo Dernburg (*Pfandrecht* I p. 64) apud Plautum (Pseud.) inveniri: „*dafür spricht aufs bestimmteste die Wendung* pignori opponere."

3) L. 6 § 9 D. 10. 3. Cf. l. 12 pr. D. 20. 4 (et l. 11 § 2 D. 20. 1).

4) Ergo facimus cum Henrico Dernburg, *Pfandr.* I p. 26: „*seit ältester Zeit* (*benutzte*) *der Staat die .... Souveränität dazu ...., um für seine Forderungen pfandrechtlichen Schutz zu ermöglichen*"; si ea mens est: numquam non *potuisse* rem publicam nuda conventione pignus quaerere.

5) c. 2 § 1 C. 8. 50 (51). Ex iure Graeco cf. lex Gortyn. (*Inscr. jur. grecq.* XVII) § 40; Demosth. LIII § 11; Michel no. 1414.

6) L. 12 § 8 D. 49. 15. Resolvitur proprietas pretio oblato (l. 12 cit. § 7).

7) Cf. Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 127.

8) Hoc ignoravisse videtur Rivier, *die* cautio praedibus praediisque (1863) p. 69[1**]: „*Pfand .... passt nur auf Sachen.*"

9) Etiam privato ex una utique causa (Gai. IV § 16), sed postea *pro praede* sponsores dari coepti sunt (ibid. § 91).

10) Cf. Liv. XVI.

11) Cf. Gai. III § 199 (Muirhead, *Introd. histor.* (1889) p. 202 not. 15).

12) Lege Poetelia lata.

13) Liv. VIII 28 § 1.

dare [1]), vel *nexum ini(re)* [2]), nisi ἐπὶ τῷ σώματι δανείζεσθαι [3]), id est corpus suum pro pecunia obligare [4]). Quamobrem in legibus Gortynicis [5]) κατακείμενος appellari videtur — neque id Gallos interpretes latuit [6]) — qui apud Romanos nexus. Ergo me iudice et Ludovico Mitteis [7]) verum vidit Niebuhr [8]), qui docuit primus [9]) nexum esse eum, qui pro pecunia obligasset corpus suum, nec recte eius rationem impugnavit Savigny [10]) hoc argumento, quod nulla sui mancipatio exceptis feminarum cum viris coemptionibus prodita sit. Etenim, quum ineatur nexum non, ut putabat Niebuhr, et item nunc putat Mitteis [11]), per imaginariam venditionem, sed per mutui dationem [12]) imaginariam [13]), hoc mutasse sufficit. Nec aut obstat, quod nihil magnopere distat nexus a iudicato [14]), eo excepto, quod habet

---

1) Liv. VIII 28 § 2; Val. Max. VI 1 § 9.

2) Liv. VII 19 § 5.

3) Athenis a Solone hoc sublatum esse docet Aristoteles, de rep. Athen. 2 § 2; 9 § 1. Cf. Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 18⁶. Romae Servius Tullius edixisse fertur (ap. Dion. Halic. IV 9) νόμον θήσ(εσθαι) μηδένα δανείζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροις.

4) Cf. Varro, L. L. VII 105: *qui suas operas in servitutem pro pecunia quam debet dat ..... nexus vocatur.* Quamquam aliter locum restituit Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 552.

5) *Inscr. jurid. grecq.* XVII § 7; XVIII § 5, § 6.

6) Cf. *Inscr. jurid. grecq.* (I) p. 358¹, 406, 450².

7) *Ztschr. der Sav.-St.* XXII (1901) p. 104—110. Adstipulator huic exstitit Lenel, ibid. XXIII p. 84, adversarii Bekker, ibid. p. 21—23, Costa, *Storia del dir. romano* II (1903) p. 213—216.

8) *Röm. Gesch.* I (1833) p. 602/3 (post not. 1268).

9) Qui secuti sint, dicet Mitteis, l.l. p. 104. Add. Brinz, *Grünhut's Ztschr.* I (1874) p. 21—25; Muirhead, *Introd. histor.* (1889) p. 201/2; Sohm, *Institutionen* (1888) p. 27.

10) *Verm. Schr.* II p. 397—401.

11) *Ztschr. der Sav.-St.* XXII p. 122/3. Errorem vitaverant Sohm (l.l.), Muirhead (l.l. ia. p. 196/7). Cf. Mommsen, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 349 sq. (= Muirhead p 202 not. 16).

12) Nec mancipationem nec mutui dationem, sed *vadimonium* fuisse putat Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII p. 97—99.

13) Girard, *Manuel* (1901) p. 474—476; Muirhead, *Introd. hist.* p. 197²; cf. Mommsen *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII p. 349⁴. Diversum putant Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 552/3; Sohm, *Institutionen* (1888) p. 27².

14) Girard, *Manuel* (1901) p. 476—478. Quamquam cf. Muirhead, *Introd. histor.* (1889) p. 203—205; Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXII p. 123—125; sed rursus Bekker, ibid. XXIII p. 15—18, 429 sq.

suas προθεσμί(α)ς nexi ductio, sive νομίμ(ου)ς [1]) sive pactas [2]), siquidem iudicati quoque pignus intelligendum est [3]), aut quod damnati obligatio personalis esse videtur, licet enim nobis personalis esse videatur damnati obligatio itaque visa sit Gai aequalibus, tamen rerum initio κατακεῖσθαι damnatus intelligebatur, modo fides sit legibus Gortynicis [4]). Propius Niebuhrii doctrinam accedit Rudorff [5]), nec tamen is recte docet [6]) in iudicatum nexumve competere quasi pignoris capionem („*Pfändungsrecht*"), quia lege Gortynica [7]) quoque κατακείμενος intelligitur, antequam quis ducatur. Quae tunc mutata sit opinio necesse est, quum iudicato sine vindice agere permissum est [8]). Ergo post id tempus similis esse coepit pignoris capioni iudicati ductio, at olim pignoris constituti erat executio. Iudicato nexoque tertius accedit praes. De praede verum vidit Bachofen [9]): obligatum esse hunc non eo modo, quo personae soleant obligari, id est ad dandum vel faciendum. Non recte scribit [10]) ex obligatione praedis necessario sequi [11]) bonorum eius obligationem. Accedit quidem, sed propter legem (Malac. 64) idque factum putat Dernburg [12]) ad exemplum fiscalis pignoris quod competit in bonis eorum qui contrahunt. Is igitur in summa fuit rerum ordo. Antiquissima pignora: captum [13]), subsignatum, redemptus, praes, iudicatus, nexus, quae omnia iure civili firma sunt.

---

1) Dion. Hal. VI 83. Placet ea ratio Ottoni Karlowa, *Rechtgesch.* II 1 p. 550 sq. (ia. p. 555).

2) Cf. Girard, *Manuel* (1901) p. 476[1].

3) Ergo non, sicut Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXII p. 104—106 (cf. p. 123/4), nexi, ut obtineamus pignus esse, manus iniectionem esse negabimus.

4) *Inscr. jurid. grecq.* XVIII § 5.

5) In eo de iure nexi tractatu, quem interposuit Georgii Friderici Puchta institutionibus § 269 (post notam *q* ante notam *ll*).

6) Proxime ante notam *hh*.

7) *Inscr. jurid. grecq.* XVII § 7.

8) Antea quidem vindex interveniebat negando pignus esse (Unger, *Ztschr. f. Rechtsgesch.* VII (1868) p. 201/2, quem sequitur Rudorff l.l. circa not. *z*).

9) *Pfandrecht* p. 222. Hunc tacite sequuntur Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 54; Lenel *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 98[2].

10) Op. cit. p. 223.

11) Karlowa (p. 55): *tantummodo* sequi („*der* praes *wird als* obligatus *bezeichnet, sofern sein Vermögen .... verpfändet ist*").

12) *Pfandr.* I p. 42—44.

13) Antiquitatem *capti* pignoris defendit Dernburg, *Ueber die* bon. emtio p. 111.

Secundaria: quae praetoris edicto comprehenduntur. Sunt autem: voluntarium ex conventione, necessarium ex missione, quod praetorium appellabatur. Tertiaria, id est edicto etiam recentiora pignora esse videntur, in quibus conventionis est fictio; pertinet enim ea fictio ad imitationem edicti. Est autem tacitae conventionis fictio in pignore locatoris praedii urbani, cui pignori subiciuntur res ab inquilino inductae [1]), item in pignore locatoris praedii rustici, quod apprehendit fructus a colono perceptos. Tertium exemplum est fructuum rei pigneratae, quum *et ipsi pignori credantur tacita pactione esse* [2]). Huic eidem classi adscribendum videtur pignus voluntarium ex testamento, licet fictionem non habeat, videtur autem ideo, quia Severo et Caracallae *saepissime* ratum id esse rescribendum fuit [3]). In ceteris pignoribus aut nihil quaeritur aut omnia sunt obscura. Nihil quaeritur de eo pignore, quod in causa iudicati a magistratu capitur: accessit enim ex rescriptis divi Pii [4]). Quamquam inter vetustissima habetur a Friderico Carolo Savigny [5]), sed argumenta pro contraria sententia supra [6]) dedimus. Populo quidem semper *pignus capiendo* exigi potuit [7]), sicuti subsignari. Etiam coercendi causa captum a magistratu pignus inter vetustissima merito refertur a Georgio Friderico Puchta [8]). Minus tamen intelligo, ex eiusdem sententia pignus depositum ad illius pignoris exemplum quomodo irrepserit [9]). Sicut autem de pignore in

---

1) Interdictum de migrando, quo metimur interdicto ius retinendi quod locatori competit (l. 1 § 5 D. 43. 32) nondum habere taciti pignoris fictionem observaverunt Dernburg, *Pfandr.* I p. 295[2]; Bachofen, *Pfandr.* p. 19[1].

2) c. 3 C. 8. 14 (15).

3) l. 26 pr. D. 13. 7. Huic pignori Dernburg (*Pfandrecht* I § 33), adeo infestus est, ut neget Paulo vel Ulpiano cognitum fuisse. Utitur hoc argumento: per vindicationem proprietate excepta et servitutibus legari nihil posse („*das* legatum per vindicationem ..... *konnte nur benutzt werden zur Constituirung dem* ius Quiritium *entspringender Rechte*"). Statim haeret (ibid. not. 1) in superficie et emphyteusi.

4) L. 15 pr., § 2, l. 31 D. 42. 1.

5) *Verm. Schr.* III p. 394/5.

6) cap. LXXVIII (p. 298).

7) Cf. l. 11 (9) § 6 D. 48. 13 (et Bachofen, de Rom. iudiciis (1840) p. 138).

8) *Cursus* § 248. —. Ad rem non pertinet, quod apud Livium (III 38 § 12) pignora coercendi causa ab ipsis adeo Decemviris capta commemorantur, quoniam huius in tali re nulla est auctoritas. Magnum exemplum extat II 24 § 6 (cf. Gai. IV § 35)

9) „*Das Vorbild dafür gab die* pignoris capio *der Magistrate.*"

causa iudicati capto, ita de eo pignore nihil quaeritur, quod senatusconsulto sub Marco imperatore facto ei datum est, qui pecuniam ob restitutionem aedificii crediderit; vel constitutione Severi et Caracallae quod datum est pupillo, cuius pecunia res qualiscumque empta sit. Ex diverso nihil compertum est de eo pignore, quod publice competit tributorum nomine eorum in bonis qui censeantur [1]). Nam, quod in ipsa re tributaria competit [2]), tunc demum existere potuit, quum provinciae accesserunt. Quod praeterea fisco datur in rebus eorum, qui contraxerint, id quoque recens esse videtur, non ab aerario ad fiscum translatum, sive placet fictione conventionis introductum pignus esse [3]), sive id descendere e lege vicesimaria, quam tulit Augustus de vicesima hereditatium in publicum pendenda, quod colligitur ex fragmento de iure fisci (§ 5) sed post emendationem [4]). Et facit negotium Tiberius Alexander praefectus Aegypti, cuius edicto [5]), anno p. Chr. 68, negatur fisco pignus competere in debitorum [6]) bonis *μήτε ὀνόματος* [7]) *κατεσχημένου μήτε τῶν ὑπαρχόντων κρατουμένων*, proinde iubetur fiscus [8]), ut pignus habeat, (*ἢ*) *κατέχεσθαι* (*τοῦ ὑποπτοῦ*) *τὸ ὄνομα* [9]), *ἢ προγράφειν ἵνα μηδεὶς τῷ τοιούτῳ συμβάλλῃ, ἢ μέρη τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ κατέχειν* (id est: pignori adnotare) *ἐν τοῖς δημοσίοις γραμματοφυλακίοις πρὸς ὀφείλημα*. Sed fortasse non tantum tribuendum est edicto temporis causa [10]) propositum provinciae *legum (inseiae)* a praefecto *eiusdem nationis* [11]) Iudaeove [12]), et eo qui vel sic auderet

1) c. 1 C. 4. 46; c. 1 C. 8. 14 (15); cf. c. 8 C. 6. 2.

2) L. 5 pr., § 2 D. 49. 14; cf. l. 52 pr. D. 19. 1; c. 2 C. 4. 46; c. 1 C. 7. 39.

3) Cf. c. 2 C. 8. 14 (15).

4) Scriptum extat *lege vacuaria*; restituit Böcking *vicesimaria*. Impugnat emendationem Herzen, op. cit. p. 195/6. Quodsi ea admittitur, potest quoque intelligi lex de vicesima manumissionum et ius populo datum, deinde ad fiscum translatum. Sed simplicius est, quod posuimus.

5) CIG no. 4957 (= Bruns (1893) no. 69).

6) Lin. 21: *τῶν προσοφειληκότων τῷ δημοσίῳ λόγῳ*; lin. 22: *τῶν ἐν τοῖς δημοσίοις πράγμασιν ὄντων*. Cf. quidem Bachofen, *Pfandrecht* p. 241/2.

7) I. e. *σώματος*. Ὄνομα = *personam* habent etiam Πράξεις 1 § 15 et P. Oxy. vol. II passim. Cf. praeterea Wilcken, Ostr. I p. 463 (not. 1) = PER 1436.

8) Ed. cap. 5 lin. 21—24.

9) I. e. *τὸ σῶμα*. Cf. super. adnot.

10) Inter initia Galbae.

11) Tacit. Hist. I 11.

12) Joseph. Antiq. XX § 100 (ia. XVIII § 259).

novi quid statuere [1]). Minus utique negotii facit Scaevola l. 21 pr. D. 20. 4: *(Titius) mutuatus a fisco pecuniam pignori ei res suas* [2]) *omnes obligavit*, nam praeterquam quod in contractibus *adici* fere *sole(n)t*, quae *ipso iure ita se (haberent)* etiam *n(ihil) adiecto* [3]), accedit, quod Scaevola non exprimit, utrum Titius tacito iure an nominatim conveniendo, res suae ut pignori essent, effecerit. Itaque nulla causa est cur Henrico Dernburg [4]) adsentiamur docenti pignus, quod fisco detur in bonis contrahentium, competivisse initio in bonis dumtaxat eorum, qui vicesimam a fisco conduxissent, post Scaevolam denique dari coepisse ceterorum debitorum in bonis. Ne commemoratio quidem pignoris eius quo de agitur in ipsa lege vicesimaria eo ducit; nam credibile est legem vicesimariam sanxisse, ut fisco pignori essent omnia quae *defuncti* debitoris *fu(isse)nt* [5]), proinde pignus a superstite contrahi intellectum esse, sicuti filii patrimonium intellectum est peculium, castrense quod dicitur, *ex hoc*, quod Augustus ei de eo peculio testamentum facere permisit (pr. Inst. II 12). Quid mirum, occasione mortis pignus datum esse, quum *mortis tempore debitoris* de pignore maiorem in modum solliciti esse soleant creditores (l. 34 pr. D. 20. 1)? Convenit praeterea nostrae de lege Julia opinioni Antiochensium exemplum [6]); novimus denique *occasione vicesimae* [7]) quaedam introducta esse, quae non directo ad vectigalis praestationem pertinerent, veluti ipsa lege vicesimaria [8]), tabulae testamenti quemadmodum aperiantur, iura. De pignore quoque, quod publicano competit ex capione lege censoria, difficilis est existimatio, quando dari coeperit; difficilior etiam, dari quando

---

1) Tacit. Hist. II 74, 79; Suet. Vesp. 6.

2) *Praesentes* autumat Bachofen, *Pfandr.* p. 247*.

3) L. 9 § 1 D. 20. 5. — Novum exemplum est in contractibus papyraceis Corp. Rain. (vol. I) 2; 3; 6 (cf. ibid. pag. 14): *ὁ δὲ χρηματισμὸς ἐτελειώθη κινδύνῳ αὐτῶν πρωτοπραξίας οὔσης τῷ δημοσίῳ.*

4) *Pfandrecht* I § 41 (maxime p. 337). Add. Bachofen *Pfandr.* p. 236—253. (Etiam c. 1 C. 10. 1 huc trahit hic p. 248/9).

5) Cf. l. 29 pr. D. 20. 1.

6) Quae civitas *lege sua privilegium in bonis d e f u n c t i debitoris accepit* (l. 37 D. 42. 5).

7) c. 3 pr. C. 6. 33.

8) Paul. IV 6 § 3, modo rubrica genuina sit.

desierit. Nam scribit quidem Gaius (IV § 32) publicano formulam esse propositam, proinde ex pigneratore petitorem esse effectum sed constat èt Ciceronis aetate publicanum alias petitorem alias pigneratorem fuisse (Accus. V 11 § 27) et diu postea publicanis quibusdam pignoris capionem datam esse [1]). Praeterea de eo pignore quod pupillo competit in re tutoris magna lis est [2]). Videtur quidem hoc pignus rescripto [3]) divi Severi et Caracallae admitti, rescribunt enim, si curator fundum suum alii obliget, obligatum fore fundum *cum suo onere*. Sed quia alibi nusquam ante Constantinum [4]) hoc pignus commemoratur, ne ibi quidem, ubi silentio transmitti vix poterat [5]), datque praeterea Caracalla [6]) de rebus tutoris ab hoc alienatis minori non in rem actionem sed interdictum fraudatorium, ideo plerique [7]) verba *cum suo onere* [8]) Triboniano reddenda decernunt. Implicat autem rationem ipse Constantinus [9]), quia nec verbis utitur constituentis, sed ius quod est declarantis potius (*pro officio administrationis tutoris vel curatoris bona, si debitores existant, tamquam pignoris titulo obligata minores sibimet vindicare minime prohibentur*) èt pignore dato tamen remittit actorem ad interdictum fraudatorium [10]). Tota quidem re perspecta pignus hoc recens esse dixerim, proinde interpolatam [11]) c. un. C. 4. 53. Remanent pignora quaedam, quorum ratio haberi non solet in libris, id est rei publicae in domo privata sumptu publico ex-

---

1) Veluti lege metalli Vipascensis (Bruns (1893) no. 97) lin. 16, 41, 45, 53 et Palmyreno decreto, quod indicabitur infra. Cf. denique l. 2 § 20 D. 47. 8 (ia. c. 8 C. 6. 2). — Nodum sic solvit Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 35: „*das den Publikanen in den Provinzen .... zustehende Pfaendungsrecht war nie die* legis actio per pignoris capionem *gewesen und wurde daher auch durch deren Aufhebung nicht betroffen.*"

2) Ex iure Graeco cf. Demosth. XXX § 7 (Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 15 not. 1).

3) c. un. C. 4. 53; cf. c. 17 C. 5. 35 (ann. 314).

4) c. 1 C. Th. 3. 30 (19) = c. 20 C. 5. 37.

5) c. 10 C. 5. 51 (Dioclet. et Maxim.).

6) c. 1 § 1 C. 5. 75.

7) Veluti Dernburg, *Pfandrecht* I p. 361[12].

8) Similiter ex praecedentibus: *cum sua causa*.

9) Vidit hoc Dernburg, *Pfandrecht* I p. 362.

10) c. 1 C. Th. 2. 16 (ann. 326). Est quidem constitutionum a Constantino datarum fastorum mediocris fides (cf. Mommsen, *Ztschr. der Sav.-St.* XXI (1900) p. 179—189).

11) Si in ea re fallor, fallitur etiam Lenel, *das* edictum p. 36[4] (*l'édit.* p. 51 not. 4).

tructa [1]), et possessoris, qui in rem impenderit [2]), in re possessa, et domini in agro vectigali [3]) et nuptae in rebus dotalibus vel dotali pecunia emptis [4]). Quorum illud primum ideo non videtur antiquissimum, quia vix est credibile initio rerum usu venisse, ut domus dirutae, ne urbs deformaretur, sumptu publico exstruerentur; alterum, quia defenditur per exceptionem praetoriam; tertium, quia ei subiectum est ius in re, quod ex edicto praetoris substantiam capit; quartum, quia ipsa rei uxoriae actio vel cautio recens est [5]), valde antiquum esse non potest. Est tamen antiquius lege Iulia, qua cavetur, invita muliere praedium dotale maritus ne alienet. Quod ideo introduxit lex Iulia, quia hoc quidem pignus non ubique durat, sed oportet rem in bonis mariti mansisse [6]), nihil autem prodesset mulieri [7]) alienationis rescissio, nisi rescissa alienatione iure pignoris rem vindicare posset. Unde sequitur, latorem legis Iuliae pignoratitiam in rem actionem cognitam habuisse, quam mulieri salvam facere voluerit, nec ad rem facit, quod hypothecae in lege mentio facta non videtur [8]). Quamquam docet Herzen [9]) Servianum, proinde multo magis quasi Servianum, iudicium aliquanto esse recentius, quandoquidem Salvianum interdictum, quod praecesserit, sub Augusto demum increbruerit, nec sit verisimile minimo temporis intervallo Servianum accessisse [10]). Ideo autem Salvianum interdictum temporibus Augusti adsignat, quia, quamdiu res publica stetit, Salvii in annalibus, fastis, titulis, nummis denique nusquam sunt [11]). Mihi vero, quum videam apud Catonem usitatam esse pignoris conventionem [12]), de rebus

---

1) L. 46 § 1 D. 39.2. Cf. l. 3 § 2 D. 20.4 (*pignus intelligi contractum existimavi*)
2) Pignus esse demonstravimus cap. VIII.
3) Cf. Windsch. (1891) § 220[5] (ipse quidem pignus esse negat).
4) Fr. Sinait. § 11. Diximus supra (cap. LXXVIII = Mnemos. XXV p. 285).
5) Gell. IV 3. Cf. Girard, *Manuel* (1901) p. 944—946.
6) Alioquin supervacaneum foret legis Iuliae interdictum.
7) Non possidenti.
8) Girard, *Manuel* (1901) p. 947/8. Ad rem pertinere credit Herzen, *Orig. de l'hypoth.* p. 184—188.
9) Op. cit. p. 185 (summa).
10) Ex diverso quam brevissimo intervallo, sententia est Johannis Aemilii Kuntze, *z. Gesch. des röm. Pfandrechts* (1893). p. 21[2].
11) Op. cit. p. 172[2]. Cf. Girard, *Manuel* (1901) p. 762[2].
12) Amoliri quidem student Catonis testimonium variis modis Kuntze, op. cit.

utique inductis, non persuadetur de ea re nullum praetorem ante Augusti tempora aut interdictum composuisse aut formulam proposuisse; quin remoto quoque Catonis testimonio valde mirarer rem ita gestam et denuntiarem Kuntzio [1]). Longe videtur probabilius, Salvianum interdictum, quod a praetore qui id composuerit cognominatum est [2]), fastos praetorios quos habemus [3]), id est Hannibalici belli tempora, retrorsus excedere [4]), nec obstat sententiae aut silentium Ciceronis [5]), quia apud hunc ne traditi quidem pignoris mentio videtur fieri [6]), aut quod in edicto interdictorum ultimum est Salvianum. Quia enim ibi interdicta materiarum ratione sunt disposita [7]), temporis ordini non praeiudicatur [8]). Quodsi haec ita se habent, potest Servianum iudicium auctorem habere Servium eum, quem praeturam gessisse constat urbanam anno urbis 567 (= ante Chr. 187). Aliud utique dicent [9]), quibus videatur demonstravisse Girard anno urbis 605, nedum 567, formulas nondum fuisse. Quod examinabimus cap. CXVI.

Ex superioribus apparet frustra quaeri de pignoris origine,

---

p. 25/6; Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 610 (sed cf p. 1280: *„indirekt lassen sich jene Formulare .... allerdings für unsere Frage verwenden"*); Herzen, op. cit. p. 35—37. Probaverunt causam Girardo, *Manuel* (1901) p. 763[3]. Cf. praeterea Costa, *Storia di diritto romano* II (1903) p. 162[2].

1) Op. cit. p. 28: *„man muss ja einräumen, dass es für uns etwas Befremdliches hat, wenn angenommen werden soll, dass die Hypothek erst verhältnissmässig spät in den römischen Horizont eingetreten und der Kreditverkehr bis dahin ohne sie ausgekommen sei"*.

2) Ne descendere cogamur ad Salvium Iulianum, edicti ordinatorem. Alioquin actionibus quibus a persona nomen sit, non utique a praetore id esse, recte observat Herzen, op. cit. p. 178/9.

3) Apud Livium.

4) Ea est opinio Pauli Jörs, *röm. Rechtswissenschaft* (1888) p. 153 not. 3 (i. f.), cui nihil obstare docet Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 1280: *„ich sehe keinen entscheidenden Grund .... dagegen"*, ex diverso multa patrocinari Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* (1891) p. 416[3].

5) Multum ei rei tribuit Kuntze, op. cit. p. 27.

6) Silentio Ciceronis opponerem Servii Sulpicii vocem l. 15 § 32 D. 47. 10, modo constaret nec ibi esse *pignus* pro *fiduciam* interpolatum et vendendi pactionem post Servianam actionem increbruisse (quod tamen ad rem pertinere negat Karlowa).

7) Lenel, *das* edictum p. 36 (*l'édit.* p. 50/1).

8) Puchta, *Cursus* § 251 not. *b* (i. f).

9) Cf. tamen Jörs, op. cit. p. 180 (summa).

quum tot concurrant pignora antiquissima: captum, subsignatum, redemptus, praes, iudicatus, nexus. De eadem re cum adiectione haud inutiliter quaeretur, veluti, quae fuerit pignoris capti, traditi, conventionalis origo. Videntur autem plerique, quum de pignoris origine tractant, pignus intelligere conventionale. De cuius pignoris origine ut possit constare, inprimis videndum est, utrum praetor omnem pignoris conventionem quam primum confirmaverit, an ab ea coeperit, qua convenisset inter dominum fundi et colonum, ut huius res [1]) pro mercede [2]) pignori essent. Quod sumunt quidem omnes, quia actionem Servianam de hac sola conventione initio praetor proposuit, sed potest [3]) esse Serviano iudicio antiquior pignoratitia exceptio, quae generalis est et ad omnem omnino pignoris conventionem pertinet [4]). Sed fuerit ea recentior, proinde Servianum [5]) iudicium pignoris conventionalis origo. Quaeri tamen potest, ulterior origo ecqua fuerit, veluti pignus traditum remissa traditionis necessitate, aut subsignatio translata ad privatos potestate rem sibi nuda conventione obligandi, aut fiducia remissa mancipationis vel in iure cessionis condicione, aut Graeca ὑποθήκη. Docet igitur Girard [6]) pignus conventionale ex tradito fluxisse, remissa traditionis necessitate, quod primitus evenerit in pignore locatoris praedii rustici, quoniam ibi maioribus difficultatibus implicetur pignoris traditio. Quas difficultates exponit Herzen [7]): res tradendas huius pignoris nomine multas esse nec unum genus et alias aliis temporibus inferri, ut ipsam illationem facillime celari possit fundi dominus; ceterum fallere eos, qui doceant, ideo

---

1) Intelligi iubet Theophilus (IV c. 140) res *inductas*, idque videtur confirmari ipsis fragmentis de Serviano iudicio, quae leguntur sub rubrica *de Salviano interdicto* (D. 43. 33). Alioquin simpliciter *res* habet etiam l. 24 § 1 D. 19. 2.

2) Apud Catonem inductorum quidem sed pro messis pretio fit obligatio.

3) Cf. Girard, *Manuel* (1901) p. 414⁴.

4) Ad ius in re sufficere exceptionem, diximus cap. LXXXVIII.

5) Quidni Salvianum, dicet Herzen, op. cit. p. 155. Sed non debuerat, ut probaret Salvianum tenere de re inducta, licet aliena sit inducta, proinde pignoris causam non continere, provocare ad l. 21 § 1 D. 20. 1 (op. cit. p. 113 = Lenel, *das* edictum p. 395), quia ibi agitur ad exemplum Publicianae actionis (l. 18 eod.) Serviana actione et obicitur iusti dominii exceptio propter usucapionem, replicatur autem de dolo malo, quum excipiat *debitor*.

6) *Manuel* (1901) p. 761.

7) Op. cit. p. 102/3.

in hac praecipue specie conventioni auxilium praetoris quaerendum fuisse, ut colere posset conductor instrumento obligato, nihil enim obstare, quominus conductor precaria utatur possessione [1]). Idem fere circa difficultatum genus sentit Kuntze et crevisse eas spatiis, id est ipsa possessionum longinquitate [2]); sed praeterea acute observat [3]): pignus invectorum a tradito pignore breviore intervallo separari, quam ceteras pignorum conventiones, quoniam illic res *non ex sola conventione ..... oblig(e)tur, sed ex eo quod inducta (sit)* [4]), quod ad traditionem propius accedat. Ergo et necessitatem remittendae traditionis ibi maiorem èt novitatem docet fuisse minorem. Huic sententiae proxima est Nicolai Herzen: olim quidem creditum esse dominum fundi res inductas possidere [5]), itaque, postquam credi desierit, quasi compensandi causa datam propter traditionis difficultates, quae tum denique exstitissent, in rem actionem locatori, atque sic veluti successisse pignus conventionale in locum traditi pignoris, remissa quidem traditionis necessitate, sed ea propter remissa, quod illatio antehac pro traditione habita esset et tum haberi desisset [6]). Quod ideo, ne per nos sua laude quis fraudaretur, retulimus. Alioquin, quo minus videatur ex tradito pignore conventionale fluxisse, impedimento est, quod nec iure civili nec iure honorario ullum est vestigium ratae pignoris traditi auctoritatis, quod nec iure civili, quantum sciri potest, umquam obtinuit, nec iure honorario remota conventione per se quidquam valet [7]). Ergo, quia ex nihilo nil fit, non potest

---

1) Op. cit. p. 103[2]. Cf. l. 6 § 4 D. 43. 26; l. 35 § 1 D. 13. 7; Girard, *Manuel* (1901) p. 760[1].

2) Quo magis credamus post latifundia inventum esse Salvianum, deinde Servianum.

3) *Z. Gesch. des röm. Pfandrechts* I (1893) p. 19. Vidit hoc etiam Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 1280: „*(der Pächter) hat den Verpächter ..... durch das* pignoris nomine inducere *der Sachen ..... in ein näheres Verhältniss zu denselben gebracht, als es durch ein blosses* pacisci ..... *geschehen sein würde.*"

4) Gai. l. 11 § 2 D. 20. 4 (cf. Windsch. (1891) § 242 not. 9) io. Ulp. l. 21 pr. D. 20. 1.

5) Huius doctrinae causa laudat (p. 35—37 et p. 102) l. 3 § 3 D. 41. 2 (cf. Costa, *Storia del diritto romano* II (1903) p. 160 not. 29) atque praeterea (p. 169 not. 1) *utrubi* interdictum. Possidere dominum res inductas admittit Karlowa, sed excipit a conductore inductas (*Rechtsgesch.* II 1 p. 610, p. 1280).

6) Op. cit. p. 161/2 et 210[1].

7) Interdictum *uti possidetis* et *utrubi*, quod de pignore tradito competit,

pignus conventionale a tradito originem habere. Obstabit autem argumentum ei quoque, qui ab exceptione pignoratitia, non a iudicio Serviano, praetorem profectum esse putaverit. Haud magis a subsignatione pignus conventionale descendere videtur [1]), siquidem subsignatio praediorum tantum est, pignus autem conventionale initio res inductas tantum apprehendisse fatendum est. Quodsi videbitur exceptio rei caput fuisse, quae generalis est, hoc quidem argumentum vacabit, sed dicenda erit causa, cur iure honorario nihil praecipui habeat pignus soli, et quomodo factum sit, ut ius vendendi creditori citra pactionem specialem initio non competierit [2]). Fiduciane fuerit origo, videamus [3]). Quod prima quidem facie videtur in proclivi esse. Etenim, quum inductorum fiducia iisdem difficultatibus implicetur quibus traditio [4]), inest enim traditio mobilium mancipationi vel in iure cessioni [5]), quidni statuerimus, solemnitate remissa sic perventum ad pignus conventionale primum illatorum, deinde vero ceterorum? Scilicet, sicut in traditione obstat, quod pignoris traditi rata auctoritas per se nulla est, proinde non potuit pignus conventionale ad exemplum traditi pignoris effingi, ita in causa fiduciae obiciendum est, non intelligi, solemnitate remissa, quod factum sit oportet ope fictionis vel certe utilis actionis id est quae vindicationem imitaretur [6]), ipsa persecutionis natura quo pacto mutata sit. Interest enim inter rei vindicationem et hypothecariam actionem, quod hypothecaria *etsi in rem actio est, nudam tamen possessionem avocat et soluta pecunia ..... dissolvitur* [7]), id est: quod nec in perpetuum possessionem transfert, sed interim, nec, si pecunia sol-

---

non ius sed factum continet, an pignoris nomine tradita sit res, quemadmodum in Salviano, an pignoris nomine inducta sit, non, an sit pignori. Quod de Salviano non quidem nominatim praecipitur, sed ideo est verisimile, quia id *tantummodo adversus conductorem debitoremve competit.*

1) Cf. Herzen, op. cit. p. 162. 2) Cf. supra.

3) Cf. Herzen, op. cit p. 162*.

4) Herzen, op. cit. p. 103.

5) Diximus supra (cap. IV).

6) Utilis actio non utique esse debet fictitia, sed tamen *ad exemplum* alterius actionis scribi. Consentiunt in eam sententiam Savigny, *System* V § 215 (p. 73); Puchta, *Cursus* § 165 (post not. *ww*); Keller, *röm. Civilproz.* § 89 II; Lenel, *das* edictum p. 160 (= *l'édit* p. 231/2).

7) L. 66 pr. D. 21. 2.

vatur. Ergo non ad exemplum rei vindicationis hypothecaria actio scripta est, sed *suas (habet) condiciones* [1]). Quod argumentum obtinebit, etsi quis exceptionem pignoratitiam pro Serviano iudicio reposuerit, nam exceptionis et actionis eandem hactenus causam esse apparet [2]). Itaque qui Servianam et quasi Servianam fiduciae fictione consistere contendit Bachofen [3]), idem hanc fictionem postea abrogatam docere cogitur et substitutam actionem *ex pacto* [4]), quod nimis esse artificiosum recte dicebat Keller [5]). Solum reliquum est ius Graecum aut nihil quaerendum, quod sit ultra iudicium Servianum. Ex iure Graeco hypothecam, id est pignus conventionale, descendere quidam putaverunt; addit convitium Erman [6]): receptam hypothecam non intellecta monumentorum utilitate, spreta certe („*unter Fallenlassen der Publicitaet*"). Quasi vero aut apud omnes Graeciae populos monumenta publica fuerint — non fuisse nimis evidenter docet Theophrastus [7]) — aut praestet decretum Delphicum (Michel no. 263), quod ob eam rem extollitur [8]), legi Malacitanae, nam ea quoque iubet (cap. 63) praedia in publicum subsignata in tabulas publicas referri, de privatis autem hypothecis ne Delphico quidem decreto quidquam cavetur. Sed perperam dixerunt hypothecam ex Graeco iure descendere, cur

---

1) L. 18 § 4 D. 20. 1.

2) c. 1 C. 8. 32 (33) = c. 1 C. 4. 30. *Intentio dati pignoris neque redditae pecuniae* esse non potest nisi exceptio pignoratitia (cf. l. 19 pr. D. 22. 3); quidquid in contrarium disputat Bachofen, *Pfandr.* p. 46/7. Ultro quidem fatetur soluta pecunia perinde dissolvi exceptionem atque actionem („*der Schluss auf die* exceptio *ergibt sich von selbst*"). Quod nobis utique sufficit.

3) Propter l. 16 D. 8. 1. Non sufficit responsio Kelleri (*Krit. Jahrb.* 21 (1847) p. 976): utilem actionem non utique esse fictitiam, quia vel sic manebit: esse utilem actionem, quae ad exemplum alterius actionis detur. Sed cancellanda sunt omnino: *sicuti ipsius fundi utilis petitio dabitur.*

4) *Pfandrecht* (1847) p. 38—42, 42—44.

5) *Krit. Jahrb.* 21 (1847) p. 976. Obstat praeterea opinioni, cui contradicimus, quod, nisi testimonium de utili actione est interpolatum, ne abrogata quidem erit utilis actio.

6) *Das röm. Recht von* 1884 *bis* 1894 (1895) p. 17. Haud paulo iustiorem fert sententiam discipulus, *Origine de l'hypoth.* p. 213/4.

7) Περὶ συμβολαίων § 2 (Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 130). Scribit nihilominus Herzen, op. cit. p. 208: „*la clandestinité ..... est ..... une particularité du système romain.*"

8) *Bull. de corr. hell.* V (1881) p. 171.

enim praetor separatim edixit de rebus coloni, quae pignoris iure pro mercede tenerentur, si Graecum subsequebatur exemplum? Vidit hoc Herzen, proinde rerum conciliandarum causa docet [1]): pignus locatoris, unde derivata sit ceterorum pignorum hypothecam, Romani praetoris esse proprium [2]), sed huic illam ex omni pacto hypothecam de Graeco iure adhaesisse [3]), itaque populum Romanum ipsam hypothecam sibi debere, hypothecae usum Graeciae [4]). Quasi vero aut possit hypotheca ex Romano locatoris pignore derivata esse, eadem huic de Graeco iure adhaesisse, aut potuerit post hypothecam introductam, id est usu et moribus receptam, usus eius aliunde adscisci. Posset nihilominus illa ex quolibet pacto hypotheca de iure Graeco adhaesisse ad locatoris pignus [5]), modo tunc ne dicat ex locatoris pignore derivatam, nisi obstaret, quod iuris Graeci hypotheca a Romana tantum distat, quantum fiducia a pignore, siquidem iure Graeco *τὰ ὑποκείμενα .... τῶν ὑποθεμένων ἐστὶν* [6]), quae causa est, cur èt Cicero vertat fiduciam [7]) èt iure Graeco, qui *ἔγκτησιν* non habeat, eidem ne *ὑποτίθεσθαι* quidem concedatur [8]) èt Ptolemaei in rerum obligationibus plenum alienationis vectigal exigant [9]), quod sub Romanis correctum esse vide-

---

1) Op. cit. p. 208.

2) *„l'hypothèque, qui a été le point de départ de tout le système hypothécaire romain, ... ne se retrouve pas en dehors de l'Italie.“* Cf. p. 212: *„l'hypothèque romaine du bailleur.“*

3) Op. cit. p. 212: *„en adoptant l'hypothèque grecque le droit romain l'a* presque (cur *presque?*) *assimilée à l'hypothèque romaine du bailleur.“*

4) Op. cit. p. 212[2]: *„Rome a emprunté à la Grèce l'usage* (p. 212 lin. 7: *l'idée et l'usage*) *de l'hypothèque, sans lui emprunter l'hypothèque elle-même.“* Par est absurditas apud Paulum Jörs, *röm. Rechtswissenschaft* (1888) p. 153: *„Wiedergabe .... und doch keine Copie.“*

5) Posse, dixit Keller, *Krit. Jahrb.* 21 (1847) p. 1020.

6) Demosth. XXVIII § 18. Hunc locum quia veluti cancellat Hitzig, *das griech. Pfandr.* (1895) p. 30[3], ergo cf. Demosth. XXX § 28; XXXI § 13, LIII § 11; Lys. XVII § 4, § 5. — Latius aberrant, qui putant *τῇ ἐμβατεύσει* dominium creditori adquiri, quos refutavit Szanto, *Wien. Stud.* IX (1887) p. 281—283.

7) Pro Flacco 21 § 52 (ia. ad Fam. XIII 56 § 2); Pernice, Lab. III 1 p. 143/4.

8) Hinc pendet interpretatio Demosth. XXXVI § 6; cf. Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 6[1], 89[5]. — Romanis in contrarium observatum esse creditur (Windsch. (1891) § 230 not. 3) propter l. 24 D. 20. 1, cui tamen adversatur l. 1 § 2 D. 20. 3 sec. versionem Graecam. Vertunt enim *est* per *ἔχ(ει)* ut § 4 Inst. II 20.

9) Hoc demonstravimus in observat. ad papyros § 6 (*Archiv f. Papyrusf.* I).

tur [1]). Itaque lepidum est eorum libros legere, qui magna doctrina exquirunt, quid sit vetustius: *πρᾶσις ἐπὶ λύσει* an *θέσις*, quum nihil intersit, quod *περὶ ἀποτιμήματος* affirmare non ausim. Atqui persuasum est Szantoni [2]) interesse inter *πρᾶσιν ἐπὶ λύσει* et *ὑποθήκην*, quod *πρᾶσις* numquam ad creditum accedat, *ὑποθήκη* omnimodo, quamobrem *ὑποθήκην* ne descendere quidem [3]) *ἀπὸ πράσεως ἐπὶ λύσει* credi posse significat (*wäre die Hypothek aus dem Scheinkauf entstanden, so müsste die Schuld an das Pfand gebunden sein*"). Temere *περὶ ὑποθήκης* hoc adfirmatum esse, ostenditur non quidem eo, quo pugnat argumento Hitzig [4]), quod syngraphe Lacritea (Demosth. XXXV § 12), sive ea genuina est sive subdititia, et item Delphico decreto [5]) nominatim recipitur actio *τοῦ ἐλλείποντος*, nam apud Romanos quoque *in pignoribus dandis* hoc *adici sole(ba)t* ex abundanti, *ut* quo minus [6]) *pignus venisset reliquum debitor redderet* [7]), quidni igitur ex abundanti apud Graecos [8])? sed quia potest initio diversum ius obtinuisse, ut fuerit *ὑποθήκη* compensatorii pignoris genus. Saepe enim ex pignore compensatorio, id est, quo dato personalis actio tollatur [9]), postea demum pignus fit ordinarium [10]), id est, quod ad debitum accedat [11]). Ergo temere dictum est *ὑποθήκην* omnimodo accedere, quasi certum sit ab initio id obtinuisse, nec minus temere *πρᾶσιν ἐπὶ λύσει* non accedere, etsi enim hodie creditur ea lege semper *πιπράσκεσθαι* [12]),

---

1) Cf. Ibid. § 10. — Hodie lege Gallica in praediorum obligationibus dimidium alienationis vectigal exigitur (*loi du* 22 *frim. an VII* art. 69 V 5°), modo antichresis, quam vocant, facta sit (Treub, *Vragen des tijds* XVIII (1892) 1 p. 106).

2) *Wiener Studien* IX (1887) p. 287.

3) Descendere nihilominus docere pergit Costa, *Storia di dir. romano* II (1903) p. 164 [2 4].

4) *Das griech. Pfdr.* (1895) p. 86—88. Cf. praeterea Costa, *Storia di dir. rom.* II (1903) p. 166 not. 35 (ad pap. Florent. 1) sed etiam § 4 Inst. III 14; c. 6 C. 4. 24; c. 25 C. 8. 13 (14).

5) Michel no. 263 B lin. 24—28.

6) Requiritur *quanto minoris*.

7) L 9 § 1 D. 20. 5. Cf., quam solam laudat Hitzig, l. 63 D. 46. 1.

8) Cf. etiam Demosth. XXXII § 30.

9) Pignoris compensatorii Romanum exemplum indicavimus cap. harum observat. LV.

10) Cf. Schwind, *Wesen und Inhalt des Pfandrechts* (1899) p. 8/9.

11) Accedere saltem possit. Demonstravimus enim (cap. VII) etiam sine credito pignus intelligi.

12) Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 263 (p. 645).

potest nihilominus de Graeca [1]) fiducia diversum placuisse. Interest sane inter verum dominium et dominium, quod sit pignoris loco; quam ob rem fit, ut dominium huiusmodi vel tacito consensu utentium vel auctoritate constituentium facile transire soleat in formam pignoris. Quod factum observatur circa Gallica *adsignamenta* [2]) et circa pactum, quod dicitur reservati dominii [3]), sed passa est idem Graeca *θέσις*, postquam iure Graeco admitti coepit secunda hypotheca [4]), dominium enim, ut superiore capite (LXXXVIII) vidimus, post cetera omnia in re iura venit, nec admittit post se quidquam. Pignus autem, etsi traditione constituendum est [5]), ulteriora pignora non excludit. Itaque post secundam hypothecam admissam iam coepit distingui inter *κτῆσιν* creditoris ex hypothecae pactione et *παγκτησίαν* lege commissoria [6]), eo denique perventum est, ut Graecis quoque sicut Romanis [7]), iam *nulla societate* [8]) *dominii* [9]) *(hypotheca) coniunct(a)* videretur, proinde sola *κτῆσις* lege commissoria, cui rei inprimis fidem facit lapis Halicarnasensis [10]) anni circiter ante Chr. 200, in quo constituit *ὑποθήκην* Posidonius posteris suis *εἰς θυσίαν*, ut quotannis eo

---

1) De Romana adfirmat qnum Dernburg, *Pfandr.* I p. 14 (post not. 20), *Pandekten*, l.l., tum Herzen, *Orig. de l'hypoth.* p. 62, Costa, *Storia di dir. romano* II (1903) p. 155[14] (de Graeca negat hic). Cf. Bruns, font. (1893) no. 109 lin. 23 (Eck, *Ztschr. der Sav.-St.* IX p. 92/3).

2) Loysel, *Inst. coutum.* (éd. 1846) nis. 117; 143; 149; 484; 919. Sed cf. Franken, *das franz. Pfdr. im MA.* (1879) p. 35[2].

3) Troplong, *Comment. des privil. et hypoth.* no. 181 (i. f.): „*cette clause ..... ne donnait qu'une espèce d'hypothèque.*" Cf. Dernburg, *Pand.* I (1892) § 215[8]; *Preuss. Eigentumserwerbges. vom* 5 *Mai* 1872 § 26.

4) *Inscr. jur. grecq.* V § 10; VIII no. 10, no. 50; Ziebarth (*Berl. Sitzungsber.* 1897 p. 666) no. 8; Demosth. XXXI § 6; syngr. Lacr. (Demosth. XXXV § 11): *οὐδ' ἐπιδανείσονται* (cf. XXVII § 27).

5) Hanc speciem perperam excipiunt Girard, *Manuel* (1901) p. 760; Herzen, *Orig. de l'hypoth.* p. 90. Cf. *Code civil* art. 2076.

6) *Inscr. jurid. grecq.* V § 19 (cf. § 10). Aliter interpretatus est hunc locum Hitzig, *das griech. Pfdr.* (1895) p. 91. Sed cf. *Goslarische Statuten* p. 24, lin. 23: *wanne dat al overgan is* (= *μετὰ τὴν παγκτησίαν*).

7) L. 44 § 5 D. 41. 3.

8) *Cognationem* appellat Heffter, *Athen. Gerichtsverf.* p. 268: „*das Pfandrecht war nach attischem Recht dem Eigenthum sehr nahe verwandt.*"

9) Corrigi video *dominio*.

10) *Inscr. jurid gr.* XXV D = Michel no. 854.

nomine quaterni stateres solvantur a possidente, possideat autem natu maximus: *ἂν δὲ μὴ ἀποδίδωι ..... εἶναι τὰ ὑποκείμενα κοινά*; deinde Delphicum decretum [1]) anni circiter 150 ante Christum, quo decreto — pertinet autem sicut illud Halicarnasense monumentum ad soli pignora (A lin. 29) — distinguitur aperte inter ius hypothecae et proprietatis, pignoribus enim, quae modo (B lin. 25) *ὑπέκειτο τᾶι πόλει*, postquam cessatum sit, lex dicitur (lin. 22/3): *τᾶς πόλιος ἔστω*. Possunt huc referri legis commissoriae exempla, quotquot servaverunt papyri [2]), verum enimvero non debet Palmyrenum decretum [3]) anni p. Chr. 137, quoniam iuri Romano totum est accommodatum [4]), siquidem eo decreto (III (*c*) lin. 37—42) publicano ius datur pignora capta post certos dies in publico [5]) vendendi *χωρὶς δόλου* [6]) *πο(νηροῦ)*, neque id mirum, quia Palmyrae èt imperatoris fisco èt Palmyrenorum rei publicae portoria exigebantur [7]), eratque adeo *ὁ ἐν Παλμύροις τεταγμένος*, id est praepositus ei stationi, inter mancipem civitatis et mercatores arbiter [8]). — A Graecis ad Romanos meos ut revertar, his adeo possessio pignoris causa iuris hypothecarii potissima pars est, ut mittat *in possessionem* praetor, quos missos vult in pignus. Itaque nulla causa est, cur miretur Bachofen [9]), *si ex quacumque causa* [10]) *magistratus in possessionem aliquem miserit pignus constitui* creditum esse [11]); sapienter miratus esset hunc pigneratorem possidere

1) Michel no. 263.

2) Cf. infra (cap. XC).

3) Quod edidit cum commentario Dessau, Herm. XIX (1884) p. 489, 490/1, 496, 499—504.

4) Latuit ea res Ferdinandum Hitzig, op. cit., quum p. 63, tum p. 102.

5) Cf. Bruns, font. (1893) no. 109 lin. 19: *in foro*.

6) Hactenus explevit Dessau (p. 524 not. 1). Cetera post *πονηροῦ* ita expleo: (*ὅσῳ δὲ ἐλάσσονος*) *ἐπράθη ἢ δοθῆναι ἔδει, π(ράσ)σειν τῷ δ(ημοσιών)ῃ καθὼς καὶ* (*νῦν ἐ*)*στὶν* (*ἔθος ἐκ*) *τοῦ νόμου* (*ἐξέσ*)*τω*. Agitur enim toto hoc decreto ut *ἡ συνήθεια* convertatur *εἰς νόμον* (I lin. 4—9).

7) Hoc non perspexit Dessau, itaque ne illud quidem: *τὸν ἐν Π. τεταγμένον* praepositum esse ei stationi (cf. ibid. p. 524).

8) III (*c*) lin. 33—36.

9) *Pfandr.* I p. 425 sqq.: „*die Uebertragung des Pfandrechts*(*begriffes*) *auf das Gebiet der praetorischen Einweisungen ist eine höchst auffallende Erscheinung*."

10) Hoc quidem aliquando fallere demonstravimus cap. LXXVIII.

11) L. 26 pr. D. 13. 7.

creditum non esse [1]). Nam est omnino iure Romano pignus ius possidendi rem obligatam. Quod igitur diximus: quem praetor mittat in possessionem, eum possidere creditum non esse, pignus tenere creditum esse, id quomodo procedat, videamus. Sed fatebimur potius in hoc pignore definitionem vitiari, postquam Quinti Mucii displicuit [2]) sententia possessionem esse existimantis, quae creditori detur custodia (l. 3 § 23 D. 41. 2). Magis etiam recedit, quod per officium pignus capitur iussu eius, qui sententiam exsequitur, huius enim pignoris ne custodia quidem penes creditorem est [3]). Hodie adeo in omni rerum soli hypotheca definitio fallit, quia non datur Servianum iudicium [4]) aut eo fine datur, ut res sub hastam mittatur, non, ut avocetur possessio [5]). Quod tamen videndum est, an obtineat, quum praedium pro sui ipsius restitutione obstrictum sit [6]). Itaque dicendum est, quid sit ius pignoris, in quod nec veniat dominium, nec possessio, nec custodia. Sed superest ius mittendi sub hastam, nec debebit nos conturbare, ut conturbavit Alexium Francken [7]), quod chirographariis creditoribus plerumque [8]) idem datur, vel ideo, quia nihil hastae subicitur, quin id ante pignori captum sit; vel ideo, quia omnis creditor tacitam hypothecam

---

1) L. 9 D. 6. 1; l. 5 § 1 D. 10. 4; l. 5 pr. D. 36. 4; l. 3 § 23 D. 41. 2; l. 12 D. 42. 4; l. 1 § 9 D. 43. 3; l. 3 § 8 D. 43. 17. — Cf. l. 7 § 8 D. 10. 3 (*est ..... iusta causa possidendi custodiae gratia*).

2) Ideo displicuit, quia custodia procedit alio possidente (l. 5 § 1 D. 10. 4; l. 15 § 20 D. 39. 2; Cic. pro Quinct. 27 § 84), nec videbatur duorum in solidum esse posse possessio (l. 3 § 5 D. 41. 2; l. 5 § 15 D. 13. 6).

3) c. 3 C. 7. 53, quam interpretatur Dernburg, *Pfandr.* I p. 420 sq. Itaque recte dixerat (p. 418 sq.): „*der Magistrat nimmt* (*hier*) *die* custodia *an sich*."

4) Troplong, *Comment. des privil. et hypoth.* no. 779 2°: „*l'hypothèque inscrite vient, sous le code civil, se résoudre en saisie ..... On peut donc dire qu'il n'y a plus d'action hypothécaire.*"

5) Pothier, *Introd. au tit. XX* no. 50; id. *Traité de l'hypoth.* no. 119. — Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 284 (p. 687): „*nach heutigem Rechte* (*klagt*) *nur der Mobiliarpfandgläubiger ..... auf Herausgabe des Besitzes.*"

6) Cf. c. 30 C. 5. 12; Pothier, *Vente* no. 395; *Introd. génér. aux cout.* no. 122.

7) *Das franz. Pfr. im MA.* (1879) p. 6: „*das Verkaufsrecht kann* (*der neueren Satzung*) *wesentlicher Inhalt nicht sein, weil dieses Recht .... jedem Gläubiger .... zusteht.*"

8) Cf. *Entw. eines Ges. betr. die Zwangsvollstr.* (1889) p. 83. Ubi solis hypothecariis datur, dici potest (Pothier, *Introd. au tit. XXI* no. 5): „*la saisie réelle n'est autre chose que l'exécution du droit d'hypothèque.*"

habet in bonis debitoris sui (*Code civ.* art. 2093). Quod pignus omnium quidem est vilissimum, quia èt perimitur alienatione [1]), èt cedit ceteris pignoribus, èt futuri creditores adcrescunt [2]), antequam scilicet in bona eatur [3]) vel singulae res capiantur [4]), sed non propterea dici debet pignus non esse. Verum, ne ulla in re definitio fallat, sic definiendum est: pignus esse ius in re obligata [5]), etenim, quod observavit Schwind [6]): cetera quae possint addi de huius iuris exsecutione, ea persaepe sunt mutata ac fortasse mutabuntur [7]), quamdiu hominibus cognitum fuerit ius hypothecae, quod de medio tolli iubebat Decourdemanche [8]), eidem propinquum interitum denuntiavit Sumner Maine [9]). Sed quaeri video, utrum ius vendendi, ad quod hodie fere ius hypothecae redigitur, recte dicatur ius in re, quum creditori rem ne attingere quidem liceat [10]). Nos igitur ab istis potius exquiremus, cur sic definiant ius in re, ut sit ius quod corporalem contactum et quasi contrectationem rei habeat? Nam sufficere videtur, quod nec in aliquam personam competat vel certam vel incertam et rem vel corporalem vel incorporalem [11]) ita desideret, ut re sublata ipsum quoque tolli necesse sit (cf. caput superius LXXXVIII). Utrumque in pignore verum est,

---

1) Hoc tantum dixit Troplong, op. cit. no. 4.

2) Ergo hoc est quod dicitur (l. 1 § 2 D. 42. 6): *adiciendo sibi* quemque *creditorem creditoris sui facere deteriorem condicionem.* Privilegiarii quidem interse *concurrunt* (l. 32 D. 42. 5).

3) Endemann, *Civilprozessrecht* (1868) § 295 [1 a]; Molengraaff, *Faillissementswet* (1898) p. 157 lin. 1—8.

4) Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 271 (p. 662): „*ein Vorrecht vor bereits bestehenden persönlichen Forderungen ist nicht notwendig in ihrem* (= der Pfändung) *Gefolge.*"

5) Id est, quod appellat Dernburg: „*Pfandrecht im weiteren Sinne.*" — Non utique opus esse, ut res sit *pro debito* (§ 7 Inst. IV 6) obligata, demonstrare conati sumus capite harum observ. VII.

6) *Wesen und Inhalt des Pfandrechts* (1899). p. 165.

7) Videtur sane Henrico Dernburg (*Pandekten* I (1892) § 261 = p. 639) perfecta species sive idea pignoris nunc exstare: „*die Idee des Pfandrechtes* (*hat*) *ihren vollkommensten Ausdruck gefunden.*"

8) *Le globe, journal de la doctr. de Saint-Simon* VII (1831) no. 114.

9) *On early law and custom* (1883) p. 357.

10) Videretur utique Paulo (l. 35 D. 20. 1) ac fortasse Papiniano (l. 3 § 2 D. 20. 4), sed in contrariam partem disputavit Sohm (Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 262 not. 2).

11) Ius in re omnino esse oportere ius *in corpore*, docet Schwind (op. cit. p. 201), cui non adsentior.

etenim *re* vel *corporali* vel incorporali extincta fieri non potest, quin *pignus hypothecave per(ea)t* [1]), quamobrem pignori pecunia *inesse* dicitur a Demosthene [2]), licet quibusdam videatur hypotheca in dominum rei competere vel in possessorem [3]), qui confundunt ipsam hypothecam et actionem hypothecariam, haec enim in possessorem competebat. Illud sane recte monuit Sohm [4]): quum soleant dominationem quandam habere in re iura, solam hypothecam, quum ei detracta sit possessio, dominationem iam habere nullam; nec recte, hanc doctrinam ut everteret, dixit Dernburg [5]): eandem tamen esse causam servitutium, si quae sint prohibitoriae, veluti altius non tollendi. Nam, si quid contra servitutem fiet, ita, ne fiat, iure meo impediam, *quemadmodum si in area mea quid aedifice(tur)* [6]). Plane, quia diximus pignus esse ius in re obligata, dicendum superest, quid sit rei obligatio, eoque magis quod eo amentiae [7]) quidam processerunt, ut dicerent *eodem modo* res obligari, quo personas [8]), quorum pater esse mihi videtur Tribonianus l. 7 § 3 D. 4. 4: *si fideiussorio nomine se* [vel rem suam] *obligavit.* Sed est revera obligatio rei iuris vinculum, quo destinatur [9]) res ad hoc, ut inde pro quacumque causa satis fiat [10]).

---

1) L. 8 pr. D. 20. 6.

2) XXXIII § 10 vv.: *ὅτι δέκα μναῖ ἐνείησαν τῷ ξένῳ ἐν τῇ νηί.* Cf. l. 94 D. 35. 2 (*quidquid aeris alieni in ea domo erit*).

3) Cf. Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 262 (p. 642).

4) Et item Bremer, *Hypothek und Grundschuld* (1869) p. 64.

5) *Pandekten* I (1892) § 262² (cf. *Pfandr.* II p. 23).

6) Cf. l. 9 pr. (i. f.) D. 8. 5 (ubi manifestum est delenda esse *quod per fundum tibi debeo*), sed etiam l. 5 § 10 D. 39. 1.

7) Kant, *metaphys. Anfangsgr. der Rechtslehre* (1797) § 11 (p. 81) absurditatem appellat.

8) Serio hos refellit Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 262 et *Pfandr.* I § 12, § 13. Add. Kuntze, *z. Gesch. des röm. Pfdr.* (1893) I p. 14.

9) Cf. l. 50 § 1 D. 5. 1: *si forte certis oneribus destinatum sit id patrimonium.*

10) Non ad rem pertinet, quod nonnumquam (veluti l. 98 pr. D. 46. 3; c. 12 C. 4. 29 (Herzen, *Origine de l'hypothèque* p. 24); c. 5 C. 5. 14; form. Turon. 6 et add. 3) rem *obligare* dicitur, qui promittit se daturum.

DE CARNEIS.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

I.

Nuper Euripidis Alcestin relegens haesi in versibus aliquot, qui iam ante me vexarunt permultos neque fortasse post me vexabunt pauciores. Non quod fugiat nos quid dicat poeta; cuius verba minime sunt obscura, licet constructio non ab omni parte sit perspicua; sed sensus loci penitus percipi nequit nisi e re mythologica petatur auxilium. Et adierunt dudum editores fontem mythologicum — optime sibi conscii ad tragicos antiquos ascendere non posse nisi qui huius fontis lympha antiquorum hominum de rebus sacris opinionibus sit initiatus —, resperserunt quidem editiones suas guttulis quae manibus semel iterumque immersis adhaeserunt, sed ut ipsis studia illa profuerint, in lectores parum inde redundavit utilitatis. Unus fortasse huius tragoediae editor est excipiendus, Hermannum Hayley volo, qui Herculis fabulae editorem praestantissimum secutus varios unde fabula provenit mythos afferendo, ordinando, explicando, pro viribus suis facere quae facienda erant laudabiliter est conatus. Qui licet rem ad finem minime perduxerit, est tamen quod gaudeamus: bonam iniit viam. Excerpere autem et colligere quidquid boni apud alios invenitur ac sic *novam* in scholarum usum parare editionem infra se habuit, abominatus nimirum τὸ τῶν ῥακιοσυρραπταδῶν γένος.

Versus quos volo sunt (446 sqq.):

πολλά σε μουσοπόλοι
μέλψουσι καθ' ἑπτάτονόν τ' ὀρείαν
χέλυν ἔν τ' ἀλύροις κλέοντες ὕμνοις,
Σπάρτᾳ κύκλος ἁνίκα Καρνείου περινίσσεται ὥρας
μηνὸς ἀειρομένας
παννύχου σελάνας
λιπαραῖσί τ' ἐν ὀλβίαις Ἀθάναις.

In libris legitur ὥ ρ α, unde vulgo e Scaligeri coniectura editur κ υ κ λ ὰ ς ἁνίκα Καρνείου περινίσσεται ὥ ρ α; quae lectio licet adversarium habeat Hesychium s. v. περινίσσεται ὥρα ς, multo est elegantior.

Χέλυς illa ὀρεία satis defenditur Hymn. Merc. vs. 33: χέλυς οὔρεσσι ζώουσα. Quod ad verba ἀλύρους ὕμνους, res est controversa, de qua duo viri, ἀριστῆς ἐν Φιλολογίᾳ, prorsus diversa senserunt. Vertit enim G. Hermannus „carmina epica", Valckenaerius autem „carmina lugubria". Equidem hunc sequi velim, cum lamentantium querelae ad tibiam cantatae, quas Euripides alibi vocat ἀλύρους ἐλέγους, significentur. Plura his de carminibus qui velit inspiciat Ar. Av. vs. 218 in editione Leeuweniana.

Chorus igitur Alcestin defunctam valere iubens summam ei apud posteros famam promittit, cum tam Athenis — in theatro scilicet, nam Euripidem his verbis suam ipsius tragoediam significasse non iniuria contenderit aliquis — quam Lacedaemone mense Carneo plenilunii festo uxor optima sit auditura.

Mense autem Carneo dies aliquot festos Apollinis in honorem egisse Spartanos iam didicimus pueri, cum pugnae Marathoniae cur non interfuissent Lacedaemonii historico e libello accipiebamus. At quid Alcestidi Thessaliae reginae cum Carneis? Quae fuit Carnei Apollinis natura atque indoles, ut cum huius dei sacris Alcestidis nomen coniungi posset? Nam, ut quivis videt, de carmine non semel iterumque in Carneis prolato sed de carmine *solemni* Euripides loquitur.

Parum autem prodest id, quod observare solent editores: „mirum non esse quod in carminibus Apollini sacris celebrata sit dei in Admetum benevolentia", et testari videntur poetae verba, fabellam in Thessalia ortam arctissimo quodam sanctis-

simoque nexu cohaesisse cum dei peloponnesiaci cultu pervetusto. Quaeramus igitur an veterum quae ad nos pervenerunt de Carneo deo observationes praebeant quod ad rem faciat.

II.

Demetrius Scepsius, alterius a. C. n. saeculi scriptor, de Carnei diebus festis tradidit haec [1]):

τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς. τόπους γὰρ εἶναι ἐννέα μὲν τῷ ἀριθμῷ· σκιάδες δὲ οὗτοι καλοῦνται, σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι· καὶ ἐννέα καθ' ἕκαστον ἄνδρες δειπνοῦσι, πάντα τε ἀπὸ προστάγματος κηρύσσεται· ἔχει δὲ ἑκάστη σκιὰς φρατρίας τρεῖς, καὶ γίνεται ἡ τῶν Καρνείων ἑορτὴ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα.

Iniuria Kaibel quae praebent MSS. verba *ἀπὸ προστάγματος κηρύσσεται* mutavit in *ἀπὸ κηρύγματος πράσσεται*, satis praeterea audaci coniectura. Nam sensus est hic: omnia quae civibus sunt facienda fieri debent e praeceptis certis more maiorum consecratis (*ἀπὸ προστάγματος*); singula autem quae his praescriptis continentur, non fiunt antequam *κήρυξ* vel tuba vel voce dederit signum. Conferendi sunt Aristophanei versus:

ἀκούετε λεῴ· κατὰ τὰ πάτρια τοὺς χοᾶς
πίνειν ὑπὸ σάλπιγγος,

ubi Scholiasta: *ἐκάλουν οἱ κήρυκες σάλπιγγας βαστάζοντες καὶ ἐσήμαινον.*

Quod autem nil nisi signo dato in Carneis fiebat, minime inde sequitur verum esse id quod ait Demetrius, militares hos fuisse ludos, nisi quis *Χοᾶς* quoque tale quid fuisse contendere velit. In Doriensium re publica, si quae alia Marti dedita, dies etiam festos disciplina militari fuisse ordinatos quis mirabitur, cui Germanorum hodiernorum mores non prorsus sunt ignoti! Neque *αἱ σκιάδες*, quasi fuerint *militum tabernacula*, pro festi natura militari testimonio afferantur velim, cum Iudaeorum *τὴν σκηνῶν ἑορτὴν* e Libris Sacris noverimus et Romanos in Neptu-

---

1) Athen. IV 141e. Excerptum est e Demetrii *τοῦ Τρωϊκοῦ διακόσμου* libro primo.

nalibus casas frondeas ponere solitos fuisse doceat Festus s. v. *umbrae* [1]).

Neque iure suspicetur quispiam ordinem quo per umbras distribuerentur Spartani referre similem ordinem in exercitu usitatum. Nam numerum novem sanctum antiquis in ritibus, quibus militari cum re commune erat nihil, permultum valuisse et alia [2]) testantur et docet Pausanias II, 31. 4: *τὸν δὲ ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ λίθον, καλούμενον δὲ ἱερόν, εἶναι λέγουσι ἐφ' οὗ ποτὲ ἄνδρες Τροιζηνίων ἐννέα Ὀρέστην ἐκάθηραν.*

Difficiliora autem sunt Demetrii verba quam primo aspectu videntur. *Φρατρίαι* enim illae aliunde in Lacedaemoniorum re publica prorsus ignotae quae et quid tandem fuerunt? Quodsi scriptor, ut v. d. quidam ad incitas redacti proposuerunt, hac voce significarit *obas* laconicas, e discrepantia quae est inter phratriarum numerum novem et lochorum illum quinque, iterum apparet Carneorum festum non fuisse *ἑορτὴν στρατιωτικὴν καὶ ἀγωγήν.*

Sed si praetermittimus quae sive Demetrii culpa sive propter testimoniorum penuriam sunt dubia aut obscura, manet hoc, quod nulli non dubitatione exemptum videbitur: Spartae per novem dies mensis Carnei viros 81 epulatos esse in tabernaculis novem casarum frondearum exhibentibus formam. Cenam vero fuisse sobriam frugalique antiquorum Laconum more institutam, inde efficere licet, quod Demetrii verba inter aliorum scriptorum excerpta de antiquorum more vivendi simplicissimo agentia ab Athenaeo sunt inserta. Quodsi non perperam est observatum Demetrium descripsisse dies festos quales *sua* aetate agerentur, admiratione sane dignus est ritus immobilis sibique constans, qui, cum Lacedaemoniorum mores ad deteriora pedetemptim declinarent et dissolutiora, servarit priscam victus tenuitatem.

Priscum autem morem tamdiu perstitisse cur negemus, cum C. I. G. 1446a nos doceat, *altero* etiam *post* C. n. saeculo mulierem Carnei dei functam esse sacerdotio in familia sua hereditario? E sacerdotio autem muliebri, ut in transitu hoc ob-

1) Conferantur *χλωραὶ σκιάδες μαλακῷ βρίθουσαι ἀνήθῳ* Adonidi in honorem positae (Theocr. XV, 119) et mores Troezeniorum descripti a Pausania II, 31, 8.

2) Hom. *γ* 7 sqq. Vide quoque Paus. VII, 20, 1.

servem, luculenter apparet a Marte et re militari aliena fuisse Carnea.

Iam videamus quo die Carnei mensis (Iul./Aug.) *ἑορτή* initium habuerit. Narrat Plutarchus [1]) Platonem *γενέσθαι Θαργηλίοις Ἀθήνησι*, Carneadem *Κάρνεια Κυρηναίων ἀγόντων*. Addit: *ἑβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζουσιν*. Eodem igitur die quo et ipse Apollo natus ferebatur — qui inde Ἑβδομαγένης audiebat — Cyrenae Carnea incipiebant agebanturque usque ad diem decimum sextum. Etiamne Spartae? nam hanc quaestionem ne omittamus monet inscriptio Therae reperta, ab Hillero edita in Herme (1901):

Ἀγλωτέλης πράτιστος ἀγορὰν hικάδι
Κα[ρ]νῆια θεὸν δείπν[ι]ξεν hοὐνιπαντίδα
καὶ Λακαρτῶς.

Quae verba admodum obscura v. d. ita vertit: Agloteles, der Sohn des Enipantidas und der Lakarto, allererster in der öffentlichen Rede, hat am 20. [Karneios] dem Gotte ein Karneenmahl zubereitet."

Mihi id modo certum videtur: *vicesimo* mensis die Theraeos deum convivio excepisse, rectissimeque Hillerum annotasse: „man weiss, dass es gerade auf dem gebiet des griechischen Kalenders überaus misslich ist, von einem Orte auf den anderen zu schliessen." Sic Coi non quotannis sed tertio quoque anno Carnea agebant [2]).

Itaque subsidia alia ut res ad finem perducatur arcessamus necesse est; recenseamus locos ubi de Carneis agitur.

Thuc. V, 54 nullam opem affert ad quaestionem propositam dirimendam. Cum vero hic locus observationi utilissimae praebeat ansam, oblatam occasionem statim arripere mihi liceat.

Vocabula enim *ἱερομήνια* [3]) *Δωριεῦσι* non possunt quin lectorem non monitum in errorem inducant. Credet enim, atque id eo magis cum Thucydidem habeat auctorem et testem, Carnea ab

1) Quaest. Symp. VIII, 2.

2) I. H. S. IX, 328. Sed vid. Dittenb. Syll. II. p. 408 Ann. 8.

3) *ἱερομηνία* Stahl, Herwerdenus, sed Photii verba *Θεσμοφόρια· ὄνομα ἑορτῆς. Θεσμοφορία· δεκάτη* (sc. *ἡμέρα*), monent ut hic quoque scribamus *ἱερομήνια*, cum de *toto festo* sermo fiat, non de uno die ut Thuc. III 56, 2. Cf. Hesych. *ἱερομηνία· ἑορτάσιμος ἡμέρα.* (Harpocr. i. v., Pind. Nem. II 1, 2: *ἱερομηνίᾳ Νεμεάδι*). Eodem modo distinguantur *Κάρνεια* et *Καρνεῖαι* (*ἡμέραι*).

origine fuisse ἑορτήν *Doriensium*. Quo nil longius a vero abest, cuius rei afferam documentum hucusque nondum quod sciam pretio aestimatum suo.

Inter mala enim, quibus Clisthenes, ὁ Σικυωνίων λευστής, vexavit Dorienses nobiles, primarium locum obtinet hoc, quod regum Sicyoniae pristinorum recensionem habuit severissimam. Stemmata horum regum e variis fabellis Sicyoniis composita circumferebantur. Clisthenes autem ex hac serie eliminavit reges septem, Heraclidas, quorum nominibus freti Dorienses perhibebant se non illegitime Sicyoniae regnum affectare, immo terram poscere *suam*, quandoquidem iam ante Doriensium in paeninsulam reditum Dorienses Sicyoniam regionem habitasse doceret historia. In septem horum locum Clisthenes — nam tyrannus supra historiam — inseruit *Carnei sacerdotes* septem, quorum primus erat Archelaus Clisthenis ipsius phylae eponymus. Faciamus nunc Carnea fuisse Doriensium propriam ἑορτήν, quid tunc Clisthenes, qui Dorienses antiquitus Sicyone consedisse quoquomodo negare vellet, qui hanc ob rem stemmata legitima corrumpere, vitiare, adulterare infra se non haberet, ineptius facere potuisset quam pro *Doriensium* regibus substituere sacerdotes cultus *dorici*? quid magis ridiculum quam Clisthenes, qui Dorienses vel ὠμοὺς φαγεῖν vellet, se ipsum esse e nobili gente dorica palam enuntians? Immo, qui recordatur Melanippum heroem a Clisthene e *Boeotia* in Sicyoniam esse introductum, Messapum item *boeotum* ab eo in novam regum seriem fuisse insertum, Adrasti cultum tyranni iussu *boeoto* Dionyso cessisse loco, τὸ βοιωτιάζειν igitur magis quam τὸ λακωνίζειν Clistheni fuisse cordi, is facile suspicabitur Carnea antiquitus ex ipsa Boeotia in Sicyoniam vel potius in totam Peloponnesum irrepsisse. Quam suspicionem alia mox confirmabunt argumenta. Nunc ad propositum redeamus atque alios ubi de Carneis agitur inspiciamus locos, ut certius definiri possint horum ludorum fines.

Herodotus narrat [1]) Spartanis quominus Atheniensibus apud Marathonem pugnaturis auxilio venirent obstitisse τὸν νόμον. ἦν γὰρ ἱσταμένου τοῦ μηνὸς εἰνάτη, εἰνάτῃ δὲ οὐκ ἐξελεύσεσθαι ἔφα-

---

1) VI, 106, 10.

σαν μὴ οὐ πλήρεος ἐόντος τοῦ κύκλου. οὗτοι pergit auctor μέν νυν τὴν πανσέληνον ἔμενον. Quo loco Herwerdenus [1]) v. cl. deleto vocabulo εἰνάτῃ legendum censet: ἦν γὰρ ἱσταμένου τοῦ μηνὸς εἰνάτη, οἱ δὲ οὐκ κ.τ.λ., hoc argumento usus quod plenilunia exspectare mensis die nono, nisi miraculum fiat, τοῦ ἐκόντος ἠλιθιάζοντος sit. Eam autem ipsam ob causam textum traditum servare velim equidem, quare hanc explicationem v[i] cl[i] iudicio subicere mihi liceat: Phidippides, qui δευτεραῖος ἐκ τοῦ Ἀθηναίων ἄστεος venerat Spartam, qui magistratus adierat confestim, citissime — si fieri posset hoc ipso die — ut mitterentur auxilia enixe petebat. Spartanos autem callidiores quam calidiores respondisse credo his fere verbis: „at optime scis, o bone, esse hodie diem vix *nonum* mensis incipientis, *statim* igitur copias ut educamus nullo fieri potest modo, nisi (cum leni risu) miraculum fiat, deaque iam nono mensis die orbem suum compleat. Sin minus, ut plenilunii tempus ordinarium expectemus iubent religio et lex." Nonne sic optime sibi opponuntur exardens impetus nuntii festinantis ac Lacedaemoniorum tardantium frigidissima continentia; illius patriae suae amor generosus, horum civitatis laconicae commodis intenta mens? Servemus igitur lectionem traditam, unde discimus Spartanos ante plenilunium, i. e. ante medium mensem — nam mensis atque luna nascuntur simul et intereunt [2]) — exercitum educere noluisse. Cuius autem mensis? — „Nempe τοῦ Καρνείου μηνός", exclamabis, „qui cum Metagitnione attico congruit!" — At sunt qui aliter sentiant, inter quos Busoltius ratiocinatur sic [3]): „Herodotus loco nostro de mensis nomine prorsus silet, cum alibi (VII, 206) aperte dicat μετὰ δέ, Κάρνεια γάρ σφι ἦν ἐμποδών, ἔμελλον ὁρτάσαντες ... κατὰ τάχος βοηθέειν πανδημεί. Deinde Pausanias quoque, ubi de marathonia agit pugna, Carnei mensis nomine omisso habet haec modo: εἶναι γὰρ δὴ νόμον αὐτοῖς μὴ πρότερον μαχουμένους ἐξιέναι πρὶν ἢ πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης γενέσθαι. Denique Schol. Ar. Ach. 84 nude loquitur de πανσελήνῳ quam

---

1) Ann. ad Thuc. V, 75 in ed. Herw.

2) Vid. e. g. Thuc. II, 4 ubi σκότος nocturnus explicatur hoc modo: καὶ γὰρ τελευτῶντος τοῦ μηνὸς τὰ γιγνόμενα ἦν.

3) G. G. II, 580, 3.

περιέμενον Lacedaemonii. Contra qui mensis nomen adiecit Plutarchus minime Metagitnionem sed Boedromionem nominat [1]: *οὐ γὰρ μόνον ἄλλας μυρίας ἐξόδους καὶ μάχας πεποίηνται μηνὸς ἱσταμένου μὴ περιμείναντες τὴν πανσέληνον, ἀλλὰ καὶ ταύτης τῆς μάχης ἕκτῃ Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου γενομένης ὀλίγον ἀπελείφθησαν, ὥστε καὶ θεάσασθαι τοὺς νεκροὺς ἐπελθόντας ἐπὶ τὸν τόπον.* — Es ist demnach sogar anzunehmen, dass die Botschaft der Athener nicht in die Zeit der Karneien fiel."

Vereor tamen ut causam suam omnibus probarit Busolt. Nam primum, quod ad Plutarchi attinet testimonium, commutavit Plutarchus diem, quo pugna Marathonia est commissa, cum illo die quo postea ad pugnam celebrandam necnon ad votum Dianae exsolvendum, hostiae in *τῆς Ἀγροτέρας* ara mactabantur. Audiamus ipsum, post verba supra allata ita causam suam defendentem: *οὐ τὴν πρὸς Ἄγρας πομπὴν ἱστόρηκας, ἣν πέμπουσιν ἔτι νῦν τῇ Ἑκάτῃ χαριστήρια τῆς νίκης ἑορτάζοντες?* At, rogaveris, verine putas esse simile Athenienses hecatombas Dianae promissas non illo anni die quo habita erat pugna egisse? Immo certum. Nam post pugnam commissam primum quemque, qui Dianae sacer haberetur dies, exspectarunt, quo votum si non omne at pro parte constituta deae solverent, fuitque hic dies d. sextus mensis insequentis Boedromionis. Mansit haec consuetudo; nec praepostere *τὰ Γενέσια,* die quinto mortuorum in honorem celebrata, cum sacrificio die sexto ob victoriam reportatam *Ἀρτέμιδι τῇ Χθονίᾳ* oblato coniuncta videbantur.

Alterum quoque Plutarchi argumentum, si propius consideratur, fumum esse apparebit. Commiserunt, inquit, innumeras pugnas *τοῦ μηνὸς ἱσταμένου!* Quid ni! Hac enim de re cum Herodoto consentit *ὁ Χαιρωνεύς*, post plenilunium Spartanis educere exercitum licuisse, diem igitur mensis quintum decimum ultimum fuisse Carneorum. Cum vero per ferias novemdiales deus coleretur, apparet sex primis diebus mensis per religionem nihil obstitisse quominus Lacedaemonii sumerent arma.

„At obstant etiam alter Herodoti locus, verba Pausaniae, scholiastae observatio." Non credo; *nullum* enim nominarunt

1) De Herod. mal. 20.

mensem. Qui si Boedromionem voluerunt, ut Plutarchus, parum caute ut ille historiam conturbarunt; sin de unoquoque mense valuisse perhibuerunt legem qua plenilunium observare Lacedaemonii iuberentur, — quod veri duco dissimile, — valuit de Carneo quoque mense.

Itaque tute constituere possumus Lacedaemonios Carnea egisse per temporis spatium novemdiale quod Metagitnionis mensis plenilunium antecedebat, i. e. die septimo usque ad diem sextum decimum.

De *tempore* postquam certi sumus facti, fragmenta quibus agitur de *ratione* qua Carnea celebrabantur, e lexicographis praesertim collecta, enumerare, si opus sit pro viribus meis explicare, loca ubi deus colebatur succincte recensere pergam, dein de Carneorum origine, patria, historia, quatenus materia ac vires sinent, disputabo. Fragmenta, quae praemittam, iam ante collegerat S. Wide in libro utilissimo „Lakonische Kulte"; alia quae aliunde conquisivi loco suo tractabo. Singulas autem quas de Carneis protulerunt v. d. opiniones seorsum recensere, cum fusius hoc munere functus sit Widius in Lexico Roscheriano, ne acta agere videar, omittam. Ipsam autem rem nondum ad finem perductam esse Widius huius materiae iudex peritissimus his prolocutus est verbis: „Streng beweisend sind meine Auseinandersetzungen freilich nicht .... aber die von mir vorgetragenen Ansichten sind doch besser begründet, als die jetzt geläufigen. Uebrigens bin ich zufrieden, wenn es mir gelingen würde, die Karneios- und Karneienfrage wieder im Fluss zu bringen" (pag. 87 Ann.).

Bekk. Anecd. I p. 234: *Γυμνοπαιδία· ἐν Σπάρτῃ παῖδες γυμνοὶ παιᾶνας ᾄδοντες ἐχόρευον Ἀπόλλωνι τῷ Καρνείῳ κατὰ τὴν αὐτοῦ πανήγυριν.*

Ibid. I p. 305, 25: *Σταφυλοδρόμοι· κατὰ τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν στέμματά τις περιθέμενος τρέχει ἐπευχόμενός τι τῇ πόλει χρηστόν, ἐπιδιώκουσι δὲ αὐτὸν νέοι, σταφυλοδρόμοι καλούμενοι, καὶ ἐὰν μὲν καταλάβωσιν αὐτόν, ἀγαθόν τι προσδοκῶσιν κατὰ τὰ ἐπιχώρια τῇ πόλει· εἰ δὲ μή, τοὐναντίον.*

Hesych. i. v. *Σταφυλοδρόμοι· τινὲς τῶν Καρνεατῶν παρορμῶντες τοὺς ἐπὶ τρύγῃ* cf. C. I. G. 1387, 1388.

Ibid. i. v. *Καρνεᾶται· οἱ ἄγαμοι κεκληρωμένοι δὲ ἐπὶ τὴν τοῦ Καρνείου λειτουργίαν· πέντε δὲ ἀφ' ἑκάστης <φύλης?> ἐπὶ τετραετείαν ἐλειτούργουν.*

Ibid. i. v. *Ἀγητής· ὁ ἱερωμένος· ἄτιμος· ἐν δὲ τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τοῦ θεοῦ.* Sic Widius glossam attulit; apud Hesych. vero exstat *ὁ ἱερωμένος τῆς θεοῦ*, quod olim mutavit Meursius.

Loca quibus deus colebatur sunt haec:

in Laconica: Sparta, Gythium, Las, Oetylium, Leuctra, Cardamylae, Amyclae (C. I. G. 1446).

in Messenia: Pharae, campus Sthenuclerus (Mysterien Inschrift v. Andania Collitz. 4689).

in Sicyonia: Sicyon.

in Argolide: Argos (C. I. G. 1152).

Praeterea: Camirus, Loryma, Thera, Cnidus (Coll. 3527), Cos (Paton-Hicks 38, 10), Cyrene (Pind. Pyth. V, 75), Thurii (Theocr. V, 83).

Mensis Carneus commemoratur: Calymnae, Nisyri, in Creta, Gelae, Agrigenti, Syracusis, Tauromenii, Tarenti [1]).

Docet Pindarus l.l. hunc cultum e Laconica Theram atque inde Cyrenam esse translatum; eadem fortasse via alias quoque in insulas pervenit [2]). In Messeniam cum Spartanis penetravit [3]), in Italiam Siciliamque simul cum colonis Doriensibus. Restant igitur praeter Spartam et Amyclas: Argos, Sicyon, Creta, oppidulorum series in Taygeti montis litore utroque.

III.

De Carnei dei nominis significatione licet varias in partes disputari possit, festum ipsum quin cum Lunae cultu coniunctum fuerit dubitare poterit nemo. Totius enim festi *ἀκμή* erat *ἡ παννυχίς*, qua post dies novem plenissima fulgebat *σελήνη*. Neque iniuria dea renata plausu effusisque clamoribus salutabatur. Quanto enim nobis sub Arcto viventibus maioremque anni

1) Byzantii? Preller-Robert p. 252 Ann. 2.

2) Gruppius Gr. Myth. p. 161 Ann. 16 ex Argolide repetit, argumento adiecto nullo.

3) Gruppius p. 162 Ann. 6.

partem frigoribus, umoribus exercitis sol luna est acceptior, tanto sole gratior luna est iis, qui Europam meridionalem incolentes fere cottidie solis ardorem molestum sibi, pecoribus nocivum experiuntur, nec nisi die vesperascente sub lunae regimine dulciore atque leniore vivere se aestimant. Itaque solem effugiunt et metuunt, ob vim pestiferam; orientem modo vel occidentem adorant, sed odio habent stantem in medio caelo; pulcherrimus iis videtur sub occasum, unde *ὁ ἥλιος βασιλεύει* neo-graece significat „sol occidit". Bene autem Graecis tunc demum vivitur cum tardas dux gregis inter oves solis vehementiam nimis diu perpessus animo grato suspicit lucem candidam illius deae, quae astris innumeris stipata pastoris inter gregem versantis imaginem referre videtur ipsa [1]). Vesperi igitur,

ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην
φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ,
πάντα δὲ εἴδεται ἄστρα, γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν.

Accedit haec quoque res haud levis momenti ad lunae cultum apud antiquissimos homines explicandum, quod luna leni suo per caelum motu variisque suis figuris accuratius et clarius quam sol progressum dierum indicat. Simplicem igitur pastorem, qui suis in montibus ageret vitam modicam, lunae magis quam solis curasse cursum temporisque spatium diebus potius quam annis divisisse, quis miretur?

Sed herbis quoque crescentibus favere luna videbatur. Nam cum iis noctibus, quibus caelum nubibus caret et luna clarissime resplendet, tam solum quam herbae maxime refrigescere soleant, unde augetur roris copia et vis; cumque meridionalibus in terris pluviae raro cadentis officio fungatur ros [2]), *lunam ipsam* herbas umore respergere, vim crescendi augere fama ferebat popularis. Unde luna appellabatur *φερέκαρπος* [3]); quin et dicebatur: *ἡ σελήνη ὑγραίνει* [4]). Qua re minime miramur lunam deam cum Terrae numine coaluisse, ut una eademque dea tam in caelo

1) *ἁγεῖτο σελάνα ποιμὴν νυχίων θεῶν* Syncs. hymn. IX, 33 sqq.
2) Vid. Ψ 597 Aesch. Agam. 1389 sq.
3) Hymn. Orph. IX, 5.
4) Io. Lydus p. 62 (ed. Roether.).

quam in terra regnare naturaeque vitam moderare aestimaretur. Invocabatur autem nomine τῆς θεοῦ, nam, ut rectissime observavit Herodotus[1]): ἔθυον πάντα πρότερον οἱ Πέλασγοι θεοῖσι ἐπευχόμενοι, ἐπωνυμίην δὲ οὐδὲ οὔνομα ἐποιεῦντο οὐδενὶ αὐτῶν. Multo vero post, ut numinis species diversae accuratius indicarentur, nata sunt nomina appellativa, quae cum mox in propria, ut fit, abiissent, etiam propriis illis promiscue usi homines miscebant Hecaten, Selenen, Magnam Matrem, Chthoniam; vel Lunam Terrae filiam faciebant, ut Aeschylus ἐποίησε Ἄρτεμιν εἶναι θυγατέρα Δήμητρος [2]).

Celsae huic deae in montium cacuminibus sedes struebant mortales. Thronum e. g. duabus instructum sedibus in Chalces insulae vertice invenit Hillerus [3]); erat dedicatus, ut monet inscriptio, Iovi et Hecatae. Thronum simili modo in rupibus exsculptum sed uni Hecatae dedicatum idem repperit in culmine Rhodi. De quibus thronis optime cum egerit W. Reichel [4]), prorsus tacerem neque Therae quoque complures inventos esse referrem, nisi Wolters [5]) docuisset *prope templum Carnei Apollinis* a Weilio Therae in insula repertum, plurimas eiusmodi sedes in rupibus excisas invenisse exploratores. Qui vero reputat Hecaten illam, cui *summo* in monte solia struerentur, fuisse deam lunarem, haec autem solia reperiri in insula ubi quam maxime vigeret Carnei cultus, is mecum fortasse suspicabitur ab ipsis Carnei cultoribus sedes has sublimes esse exstructas, ubi ovibus mactatis placarent numen divinum simulac ad ἀκμήν suam pervenisset. Nam hoc tempore mortalibus

τέκμωρ καὶ σῆμα τέτυκται.

Cave vero putes haec sacrificia pro veris diebus festis tunc fuisse temporis. Pecus enim, cum nullo die edere obliviscatur cottidieque in pascua educi velit, aetate pastoricia quin totum diem ab opere solito cessarent homines strenuo impediebat balatu. Neque opus pastoribus fuit tempore longiore quo vires quiete reficerent exhaustas, utpote qui vitam minime molestam

---

1) Herod. II, 52.
2) Herod. II, 56.
3) Arch. Mitt. XVII, 3.
4) Ueber vorhellen. Götterculte p. 30.
5) Ath. Mitt. 1896 p. 252 sqq.

et a virium contentione alienam agere solerent. Simplicissimo igitur modo colebant deos et inter eos operis sui patronum, qui Carnei dei nomine non exiguis sacrificiis fruebatur et honoribus. Videamus quis ille fuerit et quo modo cum Luna coniungi potuerit.

Exstant apud lexicographos hae glossae:

καρανώ· τὴν αἶγα Κρῆτες.
κάρα · αἶξ ἥμερος Πολυρρήνιοι.
κάρνος · πρόβατον.
καρός · βόσκημα.
κάρ · πρόβατον.

Ab hac radice καρ-ν (cf. *corn-u*; τὸ κάρνον = ὁ κάρνυξ, cornu Gallorum Schol. Σ 219) plerique Carnei nomen derivant, neque habeo quod iis obiiciam, nisi quod illud nomen minime, ut illi fecerunt, interpretandum duco τὸν τῶν κάρνων sive προβάτων θεόν, sed *deum Cornutum*, i. e. *omnium* cornigerorum animalium, tam boum quam bidentium, patronum. Quem deum, pro prisci consuetudine temporis, non specie humana indutum sed animalis praeditum forma sibi informabant antiqui homines, e. g. κριόμορφον, qualis in nummis adspicitur delphicis autonomis arietinum exhibens caput. Idem igitur ab origine erat atque ὁ Κριοφόρος i. e. deus arietis προτομῇ ornatus, quem posteri — puta Tanagraei — appellabant *Mercurium* Criophorum et arietem humeris gestantem sculpebant [1]).

Hinc intellegimus cur etiam postea nonnullis locis iuxta inventi sint τοῦ Καρνείου ac τοῦ Κρίου cultus [2]), neque nos fugit Periegetae verborum sensus interior cum sic scribit: ὁ δὲ Κάρνειος, ὃν Οἰκέταν ἐπονομάζουσι, τιμὰς εἶχεν ἐν Σπάρτῃ καὶ πρὶν Ἡρακλείδας κατελθεῖν, ἵδρυτο δὲ ἐν οἰκίᾳ Κρίου τοῦ Θεοκλέους, ἀνδρὸς μάντεως [3]).

Vidimus supra lunam in pastorum religione et cultu locum occupasse primarium; nunc vero intellegimus τὴν Κερασφόρον Σελήνην, *deam cornutam*, a *deo cornuto* non esse seiungendam, et revera apud Andaniam, ubi Καρνασίῳ ἐν ἄλσει stabant ἀγάλματα Καρνείου καὶ Ἑρμοῦ κριοφόρου, reperta est inscriptio, qua

---

1) Paus. IX, 22, 1. 2) Paus. IV, 33, 4.
3) Paus. III, 13, 3.

nescio quis mactare iubetur Ἀπόλλωνι Καρνείῳ κάπρον, Ἁγνᾷ ὄϊν [1]). Ex iis quae supra de Diana Cereris filia observavimus, suspicio nascitur τῆς Ἁγνῆς nomine designari *Lunam ipsam.*

Quid inde sequitur? Hoc opinor, τὰ Κάρνεια fuisse ἑορτήν qua *Numen cornibus pvaeditum* colebatur; deinde, hoc Numen pro priscorum hominum opinionibus duplici forma, altera masculina, altera feminina, in cultorum mentibus vixisse; denique imaginem femininam, ut erat mente concepta, iam antiquissimis temporibus cum Luna coaluisse. Masculina vero illa multo demum post formam abiecit θηριόπλαστον, ut dei cuiusdam Olympici imaginem indueret. Quod quando et cur sit factum infra videbimus; priscis vero, de quibus nunc agimus, temporibus nude appellabatur ὁ Κάρνειος, neque deerat mythus, qui cum dea cornuta affinitate quadam coniungere eum conabatur. In illa certe regione, ubi Carnei sacerdotes eximio utebantur honore, Sicyonem dico, nata est Praxilla poetria, quae cecinit ὡς Εὐρώπης καὶ Διός εἴη ὁ Κάρνειος.

A dea Luna non differre τὴν Εὐρώπην, quae, ut cetera mittamus argumenta, hymno magico audiat κερατῶπις φαεσφόρος, ταυρεόμορφος, hic observasse sufficiat.

IV.

Aetatem pastoriciam secutum est tempus quo praevalebat agricultura; cuius labores duriores plus quietis poscunt ad vires reficiendas. Agricolae igitur dies festos institutos agebant ita, ut operibus soluti genioque indulgentes veram ἑορτήν tam νουμηνίαις quam πανσελήνοις celebrarent. Non quod lunae numini plus quam pastores debere se arbitrarentur; immo minus. Nam cum late vagari desiissent, glebaeque ascripti experientia didicissent, sive bonos sive malos fructus ferret ager, terrae praesertim naturae id esse tribuendum, ceterorum numinum cultus prae Terrae Matris illo illis frigebat. Tamen priscam Lunae reverentiam servabant, vel potius, cum minime discerni possent Dea Chthonia et Caeli Regina, quarum utraque Hecates sub persona lateret, ruricolae τὴν θεόν invocabant ita, ut terrestrene an

1) Inscr. And. l. 34.

caeleste numen alloquerentur prorsus nescirent. Iuxta agnum pastorum ritu in ara deae mactatum, fructuum primitiae Terrae in honorem affluebant, et cum omnes menses aeque olim essent observati a pastoribus, agricolis ille praesertim in honore erat mensis quo largam ex areis vinetisque messem ferebant domum; tempus dico autumnale.

Quid mirum cantica, saltationes, ludos, quaeque alia messorum, vindemiatorum, opus peractum coronare solent, tunc Lunae autumnalibus in festis obtinuisse locum! E. g. in pulcherrima Scuti descriptione homerica legimus messores solitos fuisse ipsis in agris parare et sumere cenas, ne domum abeundo tempusque illic terendo messis horas perderent. Sub *arboribus* igitur servi mulieresque laborantibus viris navabant operam:

κήρυκες δ' ἀπάνευθεν ὑπὸ δρυῒ δαῖτ' ἐπένοντο,
βοῦν δ' ἱερεύσαντες μέγαν ἄμφεπον, αἱ δὲ γυναῖκες
δεῖπνον ἐρίθοισιν λεύκ' ἄλφιτα πόλλ' ἐπάλυνον [1]).

Ubi vero deerant arbores, ponebant umbracula, ut a solis ardoribus tuti cenarent homines, ut vesperam, noctem, ibi transigere possent. Sed maximum commodum umbrae illae praebebant cum instabat plenilunium, quo tempore sub divo pervigilare more maiorum solebant agricolae. Quin opus esse locis talibus ad lunae festum rite celebrandum mox putabant iuniores et ei quoque qui nullis messibus occupati *παννυχίδα* agebant, umbras utpote ludorum cenarumque scenam necessariam naviter instituebant.

Posterior aetas armis magis quam agriculturae dedita, sed in diebus festis servandis tenax, quomodo in Carnea irrepsissent umbrae fortasse est oblita, sed nihilo secius in umbris ponendis perseveravit, donec volventibus annis aliquis ratione mythologica explicare tentavit, qui inter tabernacula et Carnea esset nexus.

Si quis tali modo factum esse negabit, libenter audiam quibus argumentis explicationem refutet; at si negabit tali modo fieri *potuisse*, monebo in promptu esse exempla quae causam meam tueantur.

Tres enim in Pentateucho numerantur dies festi, Massoth,

---

1) Σ 558 sqq.

Kasir, Asiph, vel Pesah, Schabuoth, Sakkoth, quorum secundum et tertium cohaerere cum agricultura et originem inde duxisse expressis verbis docet Exodus 23:14, 15, 16. Kasir festum aestatis initio — quo secari solet triticum — agebant ruricolae [1]); Asiph, cuius nomen cum vindemia cohaeret, celebrabatur autumno: πανδημεί homines vineta intrabant umbrisque sub divo positis uvam legebant. Sed primum quoque festum, licet loco laudato non commemoretur, agricolarum fuisse ἑορτήν, effici potest e Deuter. 16:9; tunc enim falx hordeo immittebatur. Ritus autem huius diei festi cum ferret ut, hordei spicis aliquot Summo Numini oblatis, homines quoque spicis leviter tostis vescerentur [2]), volventibus saeculis nata est fabella quae legitur Exod. 23:15, homines hanc ob causam ἄρτοις ἀζύμοις uti solere, quod cum Aegyptum effugerent tempus cibi rite praeparandi iis defuisset. Mos igitur antiquus cum a posteris non amplius intellegebatur, nova quaesita est ratio qua explicari posset.

Idem autem de tertio festo die, Asiph, usu venisse docet Levit. 23:43. Ubi mori agricolarum vindemiae tempore umbras campis in apertis ponendi, ratio subicitur haec: maiores Aegyptum effugientes cum per deserta qaaererent viam, Domini iussu talibus tabernaculis esse usos. Ramos autem frondescentes ubivis potius quam in desertis abundare, id minus curabant boni interpretes. Quod ad umbrarum ponendarum morem, recordare sis imaginis venustae apud Iesai. I:8: „Sionis filia velut casicula in vinetis relicta".

Sed de rebus hebraicis hactenus; qui plura velint adeant auctorem meum Wellhausen in libro classicis quoque philologis utilissimo, Prolegomena zur Isr. Geschichte.

Σκιάδες antiquorum Graecorum in Carneis positae eandem ni fallor habent originem atque Israelitarum illa tabernacula frondea. Meminimus Demetrii verborum: σκιάδες δὲ οὗτοι οἱ τόποι καλοῦνται σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι, καὶ ἐννέα καθ' ἕκαστον ἄνδρες δειπνοῦσιν. Sunt σκηναῖς subsimiles; congruunt igitur prorsus cum casiculis de quibus apud Iesaiam fit sermo. Plus autem docet Pausanias III, 12, 8: ἑτέρα δὲ ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐστὶν

1) Exod. 34:22. 2) Levitic. 23:14.

ἔξοδος, καθ' ἣν πεποίηταί σφισι ἡ καλουμένη Σκιάς, ἔνθα καὶ νῦν ἔτι ἐκκλησιάζουσι (Spartae). Videtur fuisse ναὸς θολοειδής, qualis Athenis fuit θόλος illa, ubi prytanes cenabant; forma aedificii antiquissima Homeri etiam aetate usitata [1]).

Magni quoque momenti glossae sunt Hesychianae:

i. v. Σκιάς: ἡ ἀναδενδρὰς καὶ σκηνὴ ὠροφωμένη καὶ τὸ θολοειδὲς σκιάδειον ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος κάθηται καὶ τὸ Πρυτανεῖον.

i. v. θόλος: ὅπου οἱ Πρυτάνεις καὶ ἡ βουλὴ συνειστιῶντο καὶ τόπος ἐν ᾧ τὰ συμποτικὰ σκεύη ἀπόκειται.

Cf. Harpocr. i. v. θόλος: 'Αμμώνιος ἐν τετάρτῃ περὶ Βωμῶν γράφει ταυτί· ὁ δὲ τόπος ὅπου ἑστιῶνται οἱ Πρυτάνεις καλεῖται θόλος, ὑπ' ἐνίων δὲ Σκιάς.

Denique Hesych. i. v. σκιάδεια: σκηνοπηγία· ἔστι δὲ τόπος ἐν ᾧ τὰ μειράκια ἐκαθέζετο. Quod ad Carnea fortasse spectat.

Observarint mecum lectores θόλον vel σκιάδα apud lexicographos vocari locum ubi vel epulantur homines vel supellex convivalis asservatur. Tholus igitur atheniensis et Scias laconica non modo ipsam *formam* servarunt casicularum ubi vindemiatores capiebant cenam, sed eundem quoque ad *usum*, nempe ad epulandum, tam priscis quam historicis temporibus adhibebantur. Quod etiam clarius fit glossam Hesychianam σκιάς: ἡ ἀναδενδράς propius considerantibus. Quid enim est ἀναδενδράς? Nempe *vitis arbustiva.* Quid autem magis consentaneum quam sub ipsis vitis maritatae foliis densissimis, cum laboribus intermissis famem satiare vellent, solis ardorem effugisse priscos vindemiatores? Sic ab ipso deo cuius dona colligebant a nimio calore defendebantur.

Quid quod deus ipse tale sibi refugium quaerebat! Nam, ut Hesychius tradidit, σκιάς vocabatur etiam τὸ σκιάδειον θολοειδὲς ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος κάθηται.

Haec sunt quae de umbris veterum observare velim. Praebet ni fallor talis umbrae imaginem vas pictum quod a S. Reinach

---

1) χ 442. Certant v. d. quidnam fuerit θόλος illa, cuius ter, fortasse quater (ψ 131 quoque secundum Nab.) apud Homerum mentio fit. Fuit ni fallor σκιάς (*prieel*) aulae in angulo extructa. Culmen autem huius umbrae pilei in formam aedificatae (cf. Theocr. XV 39. v. θολίαν) optimum praebebat locum ad alterum τοῦ πείσματος πεῖραρ alligandum; ἡ κίων autem, e qua restis finis alter pendebat, *extra* τὴν θόλον — ut res ipsa loquitur — est cogitanda.

ita est descriptum [1]: „Satyres vendangeant une treille de vigne". Mensae positae sunt sub pampinis uvis abundantibus; dum absunt agricolae satyri ascenderunt in mensas vitesque fructibus sunt orbaturi.

V.

Supra [2]) vidimus in Carneis *σταφυλοδρόμους* (cf. *-δρόμας* C.I.G. 1387, 1388) iuvenes pampinos manibus tenentes persequi solitos fuisse hominem *στέμμασι περιδεδεμένον*, quo capto optima quaevis urbi augurabantur. *Σταφυλοδρόμοι* illi — quorum nomen satis superque indicat Carnea tum demum, cum e vita pastoricia in vinitorum transiissent, novis his caerimoniis aucta esse — eligebantur e Carneatidis, quorum fuit officium ut *τοὺς ἐπὶ τρύγῃ* incitarent. Unde statuere licet eum quem sectarentur, hominem nimirum animalis vellere indutum, fuisse daemonem vindemiae propitium. Nam captus optima quaevis praesagiebat, si vero aufugiebat, malum habebatur omen. Deinde cum ex Hesychio discamus Dionysum *'Ερίφου* cognomine adorasse Lacones [3]), verisimile videtur Dionysum Haedulum, vel potius hominem qui huius dei partes agebat, persecutos esse *τοὺς σταφυλοδρόμους* [4]). Sic quatuor habemus numina quarum in Carneis aliquae partes erant: Carneum, *Σελήνην*, *Χθονίαν* (= *'Εκάτην*, *Γῆν*), Dionysum. Eodem modo Phlyae in demo attico coniuncti erant *Διόνυσος*, *Γῆ ἣν Μεγάλην Θεὸν ὀνομάζουσι*, *Ἄρτεμις Σελασφόρος* [5]). Quartus accedebat Apollo, quem item in Carneis partes, neque minimas, egisse iam videbimus. Iterum citabo Pausaniam (III, 13, 3) sed nunc verbis plenioribus:

ὁ δὲ Κάρνειος, ὃν Οἰκέταν ἐπονομάζουσι, τιμὰς εἶχεν ἐν Σπάρτῃ καὶ πρὶν Ἡρακλείδας κατελθεῖν, ἵδρυτο δὲ ἐν οἰκίᾳ Κρίου τοῦ Θεοκλέους ἀνδρὸς μάντεως. Κάρνειον δὲ Ἀπόλλωνα Δωριεῦσι μὲν τοῖς πᾶσι σέβεσθαι καθέστηκεν ἀπὸ Κάρνου γένος ἐξ Ἀκαρνανίας μαντευομένου δὲ ἐξ Ἀπόλλωνος· τοῦτον γὰρ τὸν Κάρνον ἀποκτείναντος

---

1) Répert. d. Vases peints T. II p. 24.

2) Vid. pag. 243.

3) Cf. *εἰραφιώτης* Hymn. Hom. 34, 2. *ἐρραφεώτας* Alcaei fr. 90 B[4].

4) Cf. *Διον. Κναγεύς*; *κνάκιον* = *τράγος*.

5) Paus. I, 31, 4.

Ἱππότου τοῦ Φύλαντος ἐνέπεσεν ἐς τὸ στρατόπεδον τοῖς Δωριεῦσι μήνιμα Ἀπόλλωνος, καὶ Ἱππότης τε ἔφυγεν ἐπὶ τῷ φόνῳ καὶ Δωριεῦσιν ἀπὸ τούτου τὸν Ἀκαρνᾶνα μάντιν καθέστηκεν ἱλάσκεσθαι. ἀλλὰ γὰρ Λακεδαιμονίοις οὐχ οὗτος ὁ Οἰκέτας ἐστὶ Κάρνειος, ὁ δὲ ἐν τοῦ μάντεως Κρίου τιμώμενος Ἀχαιῶν ἔτι ἐχόντων τὴν Σπάρτην.

Distincte hic Pausanias separat Carneum Oecetam, qui in vatis *Crii* Theoclis filii aedibus habitans ab *Achaeis* Laconicae dominis antiquissimis colebatur, a *Carneo Apolline* deo *Doriensibus* sacro, qui simul cum Heraclidis in Peloponnesum ingressus ob Carni vatis sui mortem postea a Doriensibus placari solebat. Monet nos iterumque monet Pausanias ne *Κάρνειον* cognomine *Οἰκέτου* appellatum cum *Καρνείῳ Ἀπόλλωνι* confundamus.

Iam statim intellegimus Spartae factam esse *θεῶν σύγκρασιν*, cuius exempla sescenta praebet mythologia antiqua; deum enim Apollinem in Carnei daemonis cultum insinuasse se atque ita, ut Carnei nomen sibi assumeret festumque postea daemonis appellativo indicaretur. Idem evenit Amyclis, ubi deum chthonium Hyacinthum expulit Apollo, unde ex illo inde tempore invocari solebat Apollo Hyacinthius. Vestigia autem illius invasionis apud Pausaniam etiam restant, nam *τοῦ δὲ Κρίου* inquit *γεμιζούσῃ τῇ θυγατρὶ ὕδωρ συντυχόντες κατάσκοποι τῶν Δωριέων αὐτῇ τε ἀφίκοντο ἐς λόγους, καὶ παρὰ τὸν Κρῖον ἐλθόντες διδάσκονται τὴν ἅλωσιν τῆς Σπάρτης* (l.l.). Suum autem Carneum ut a novo deo Apolline Carneo Lacones exinde distinguerent, illi addiderunt cognomen *Οἰκέταν*, quod minime significat *servum*, sed talem qui in ipsius familiae sinu obtineat locum, qui ad familiam pertineat, non alienigena. Sic Herodotus *τὰ τέκνα καὶ τὴν γυναῖκα* vocat *οἰκέτας* [1]).

Dorienses vero, simulac ipsorum *Ἀπόλλων Νόμιος* [2]) cum pastorum prisco numine *Καρνείῳ* coaluit, novam invenerunt qua Carnei Apollinis nomen explicarent rationem. Tradidit enim Theopompus, auctor tam Theocriti scholiastae quam Pausaniae, Carnum *γένος ἐξ Ἀκαρνανίας μαντευόμενον δὲ ἐξ Ἀπόλλωνος* interfectum esse ab Hippota Phylae filio, hac de causa Apollinem

1) VIII, 106.
2) Cf. Ap. Rhod. IV, 1218.

Doriensium exercitum pestilentia vexasse, donec vatem Acarnanem placarint sacrificiis, et ab illo inde tempore hunc morem in Peloponneso viguisse.

Perhibuit Wilamowitz Carnum illum Acarnanum esse eponymum, Dorienses autem cum diutius in regione quae Apollini sacra esset habitassent, deum Acarnanium secum novam in patriam duxisse [1]). Revera insula quaedam apud Acarnaniam sita ἡ Κάρνος appellabatur [2]), incolae eius οἱ Κάρνιοι, quod nomen in memoriam revocat τοὺς Κρανίους oppidulum tetrapolidis Cephallenicae [3]). Repperit autem Pausanias in via qua Sparta itur in Arcadiam Κρανίου τέμενος ἐπίκλησιν Στεμματίου [4]). Exstat quoque apud Bekkerum [5]): στεμματιαῖον· μίμημα τῶν σχεδιῶν αἷς ἔπλευσαν οἱ Ἡρακλεῖδαι τὸν μεταξὺ τῶν Ῥίων πόρον [6]) atque apud Hesychium s. v. στεμματιαῖον· δίκηλόν τι ἐν ἑορτῇ πομπέων δαίμονος [7]). Denique docet Schol. Theocr. V, 83 daemones illos fuisse: Iovem Ἀγήτορα et Apollinem. Unde apparet tempore historico a Doriensibus actam esse ἑορτήν quandam nomine Ἀγητορίων [8]), in qua circumferebatur *ratis*, quali maiores suos usos esse perhiberent transmittentes sinum Corinthiacum Iove et Apolline ducibus. Fuisse hunc Apollinem τῶν Καρνίων eponymum, eamque ob causam postea in via qua Spartam petivissent Dorienses deo Carneo vel Cranio templum erexisse. Vulgo vero hunc deum ἀπὸ τοῦ στεμματιαίου, quod in pompa eius aspiciebatur, esse appellatum Στεμμάτιον. Hostiis autem quoniam Apollo ille *placari* solebat, res ut infra videbimus olim in Peloponneso minus vulgata et solita, ut novo huic mori substrueretur fundamentum historicum nata est fabella de Carno vate misere interempto sed ab Apolline vindicato. Carnium deum facile cum antiquo pastorum deo Carneo coaluisse atque inde Apollinem Carneum nasci potuisse non multis ut opinor verbis demonstrari opus est. Quinimo συγκράσεως illius etiam exstare vestigia quamvis exigua suspicor, cum apud Apollodorum [9])

1) Arist. u. Athen p. 25 et 44.
2) Steph. Byz. i. v.
3) Thuc. II 30, 2.
4) Paus. III, 20, 9.
5) Anecd. I, 305.
6) Sic scripsi; traditum est τόπον.
7) Proposuit O. Muller legendum δαιμόνων.
8) Vid. Hesych. i. v.
9) II, 8. 3.

lego haec: *ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς* (Doriensibus sinum traiicientibus) *μάντις χρησμοὺς λέγων καὶ ἐνθεάζων, ὃν ἐνόμισαν μάγον εἶναι ἐπὶ λύμῃ τοῦ στρατοῦ πρὸς Πελοποννησίων ἀπεσταλμένον.*

Videsne ut Carnus magus (i. e. revera Carneus deus) e Peloponneso Doriensibus eat obviam? Intellegisne cur Apollodori narratio procedat hoc modo: *τοῦτον βαλὼν ἀκοντίῳ Ἱππότης ὁ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους τυχὼν ἀπέκτεινεν?* cur Antiochus transfigatur, magus autem salvus abeat? Nempe deum quocum mox Apollo se erat coniuncturus, cuius nomen sibi asciturus erat, illum *interficere* non licebat Heraclidis Apolline duce navigantibus.

Pergit Pausanias: *τὸν μὲν Ἱππότην ἐφυγάδευσαν*, cum Apollinem laesisset factusque esset *ἀλιτήμων, ἄτιμος*. Facile igitur credimus in *Ἀγητορίοις* hoc quoque episodion in scena esse peractum et fuisse aliquem qui *Ἱππότου* — i. e. *τοῦ ἡγεμόνος* — ageret partes.

Operae nunc est pretium meminisse glossae Hesychianae, quae perperam ut opinor hucusque a v. d. est explicata: *ἀγητής· ὁ ἱερωμένος· ἄτιμος. ἐν δὲ τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τῆς θεοῦ. καὶ ἡ ἑορτὴ Ἀγητόρια.* Cuius glossae ultima verba *κ. ἡ ἑ. Ἀ.* viri docti ad unum omnes transtulerunt ad glossam: *ἀγήτωρ ὁ τῶν Ἀφροδίτης θυηλῶν ἡγούμενος ἱερεὺς ἐν Κύπρῳ*; necnon sequuntur Meursium *τῆς θεοῦ* mutantem in *τοῦ θεοῦ*; tum explicant: „*ὁ ἱερωμένος τοῦ θεοῦ* est Apollinis sacerdos."

At cum e Scholio ad Theocr. V 83 appareat Dorienses Peloponnesum esse ingressos ducibus Apolline et Iove *Ἀγήτορι*, iniuria, puto, nomen festi *Ἀγητόρια* — quam *ἑορτήν* Dorienses coniungebant cum Carneis — loco suo moverunt hodierni. Deinde velim explicent quî sacerdos vocari possit *ἄτιμος* [1]). Videamus ipsi.

Quid est *ἱερῶσθαι?* Explicat Schol. ad. Thuc. V, 1: *ἱερὸν ἀνακεῖσθαι τῷ θεῷ*; unde effici licet *τὸν ἱερωμένον* esse *ἱερὸν ἀνάθημα τοῦ θεοῦ*, illum igitur cuius vita numini habebatur sacra, hominem piacularem, quales fuerunt *φαρμακοὶ οἱ ἐν Θαργηλίοις*. Sed idem est *ἄτιμος*, utpote crimini vero vel ficto cuidam obnoxius. Quare suspicor illum, qui in Agetoriis sustinebat *τοῦ Ἱππότου τοῦ τῶν Δωριέων ἡγεμόνος* partes, qui ob Carni caedem *φυγὰς*

1) Carneorum sacerdos in Inss. semper indicatur nomine *ἱερεύς*.

ἄτιμος ἐξηλάθη τῆς χώρας, a Doriensibus voce dorica esse appellatum τὸν ἀγητήν. Cuinam autem numini sacer erat? Nimirum Apollini! exclamat Meursius; scribamus igitur τοῦ θεοῦ. Speciem habet, non nego; sed cum recordor τὰ Κάρνεια proprie esse ludum τῶν κερασφόρων θεῶν, sub plenilunio actum, ubi Luna resplendens, cuinam praecipue honores deberentur, nulli non in mentem revocaret, ubi Apollo, ut ita dicam, recederet in umbram, equidem coniecturarum in rebus tam ignotis atque obscuris minime amantissimus, rogare velim, annon forte populus verbis: „ὁ ἱερωμένος τῆς θεοῦ" brevius significarit hominem qui in Lunae ἑορτῇ Hippotae ferret personam.

Sed de hisce iam satis.

Doriensium Apollo, qui ultimus iuxta Lunam, Carneum, Chthoniam, Dionysum locum in Carneis obtinebat, audiebat *Apollo Carnus*, donec cum Carneo coaluit, deinde *Apollo Carneus* factus est. Iniuria igitur Bergk [1]) apud Praxillam poetriam Sicyoniam, quae — ut vidimus supra — antiquissimum Achaeorum canebat deum, restituendum censuit Κάρνος pro Κάρνειος. Ille autem Apollo diem festum pastoricium — iam ab agricolis novis caerimoniis ad Dionysi cultum pertinentibus auctum — auxit novo more τοῦ ἱλάσκεσθαι τὸν θεόν.

Rectissime Rohdius olim observavit [2]) antiquos Achaeos, quales depicti sunt apud Homerum, caruisse diebus festis qui germana voce appellari soleant *Sühnfeste*. Scripsit verba memoratu dignissima haec: „Die Ausbildung und wücherende Ausbreitung der in den homerischen Gedichten kaum in den ersten leichten Andeutungen sich ankündigenden Vorstellungen von überall drohender Befleckung und deren Beseitigung durch die Mittel einer religiösen Reinigungskunst, ist ein Hauptkennzeichen der angstbeflissenen über die Heilmittel des von den Vätern ererbten Cultus hinausgreifenden Frömmigkeit nachhomerischer Zeit". Ita est, nam qui homerica aetate quempiam necavit, pecunia data omni peccato absolvitur:

καί ῥ' ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτόθι πόλλ' ἀποτίσας.

Quinimo Theoclymenus, licet Telemacho sacrificanti appropinquet

1) Poet. Lyr. III⁴ p. 568.
2) Psyche II p. 51.

Φεύγων ἐξ Ἄργεος ἄνδρα κατακτάς, — nil enim solverat, — praesentia sua minime inquinat sacrificium. Primum exemplum hominis *ob caedem* lustrati exstat in opere posthomerico; fuit Achilles, qui Thersita interempto ab Ulixe — a laico igitur homine — Lesbi lustratur [1]. — Quantum aberant haec tempora ab illis, quibus Athenienses, caedis ab *aliis* perpetratae *nuntio* modo allato, se ipsos esse inquinatos putabant [2]. — Lustrationum autem ritus, cum e Creta, Epimenidarum patria, ortus esse videatur, — Apollinem ipsum Pythone interfecto Tarrhae in Creta ab Carmanore lustratum fuisse memorat Pausanias, — Apollinis imprimis religione propagatus in maiusque auctus est. Sic in Carnea quoque post Doriensium reditum mos insinuavit, qui deinde in dies magis invaluit, ut Apollinis iram Carni ob mortem conceptam, qua caede *omnes* maculatos se putarent, certis quibusdam sacrificiis avertere conarentur; neque iniuria, cum Apollinis ira manifestaretur pestilentia aestiva. Hanc ob causam legibus sancitum est ut *totus* populus sacris interesset exercitusque intra fines maneret; tum demum Hippotam, Φαρμακόν illum, cui cotannis finibus interdicebatur, *omnium* Doriensium culpa onustum fugiturum credebant. Epulae vero, quibus antiquitus utebantur *omnes*, umbrae quas maiores ponere solebant *omnes*, non in desuetudinem quidem abierunt sed a Doriensibus ita sunt minutae ut noveni modo e singulis phylis iuvenes (μειράκια audiunt apud Hesych.) antiquum servarent morem, neque dubito quin quidquid militare in consuetudines festum agentium irrepserit, Doriensibus sit tribuendum. Ceteris fortasse epulae communes parabantur.

Sed Musarum quoque certamen cum Carneis coniunxerunt Dorienses, de quibus merito cecinit Alcman:

ἕρπει γὰρ ἄντα τῷ σιδάρῳ τὸ καλῶς κιθαρίσδειν.

Tradidit enim Athenaeus [3]: τὰ Κάρνεια πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνειονίκαις καὶ ἐν τοῖς καταλογάδην. Secundum Eusebium [4] ὁ κιθαρῳδῶν ἀγών anno demum 676 a. C. n. est institutus; haud dubie et

1) Aethiopis Wagner p. 242.
2) Plut. praec. ger. XVII p. 814 B.
3) XIV 635 E
4) Euseb. Chron. I 198.

ante huiusmodi fuerunt certamina, sed credo Eusebium rettulisse illum annum quo victor evasit Terpander.

Primarium autem locum inter carmina solemnia quae ibi audiebantur occupasse videtur elogium Alcestidis amoris Admetique erga Apollinem hospitalitatis. De Alcestidis quidem elogio constat ex Euripidis versibus supra allatis. De Admeto ut idem censeamus, his movemur argumentis. Primum inter Praxillae *παροίνια* invenitur scolium notissimum:

Ἀδμήτου λόγον, ὦταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει·
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγη χάρις [1]).

Fuit autem, ut vidimus, Praxilla Sicyonia, qua in urbe Carnea magno fruebantur honore, cecinitque ipsa deum Carneum.

Deinde etiam maioris pretii est inscriptio Theraea aetatis Romanae, quae in Kaibeli exstat Epigramm. graec. [2]): *ὁ δᾶμος ἀφηρώιξε καὶ ἐτείμασε τὸν ἱερῆα Ἀπόλλωνος Καρνήου διὰ γένους Ἄδμητον Θεοκλείδα πάσας ἀρετᾶς ἕνεκα καὶ σωφροσύνας.* Sequuntur verba haec:

οὐ μόνον ηὐχόμην Λακεδαίμονος ἐκ βασιλήων,
ξυνὰ δὲ Θετταλίης ἐκ προγόνων γενόμην·
σώζω δ' Ἀδμήτου κατ' ἴσον κλέος, ὡς ὄνομ' ἔσχον.
εἰ δὲ δύω λείποντα τριηκοστοῦ ἔτεός με
Θευκλείδα πατρὸς νόσφισε μοῖρ' ὀλοή,
τετλάτω ὡς Πηλεὺς ὡς προπάτωρ τε Φέρης.

In eundem Admetum elogium continet altera inscriptio Theraea [3]), quae post idem exordium pergit:

εἴ τι παρ' Αἱμονιεῦσι γένος πολιοῖο Φέρητος,
εἴ τι παρ' Εὐρώται 'κόμπασαν Οἰβαλίδαι,
ἀνδράσιν ἐν προτέροις καθαρώτατον, οἳ βασιλήων
παῖδες καὶ μεγάλων ἦσαν ἀπ' ἀθανάτων·
τοῦτο λαχὼν Ἄδμητος ἴσον πινυτῆτι καὶ αἰδοῖ
μοῖραν ἀνέπλησεν ῥιγεδανοῦ βιότου.

Denique C. I. G. II n. 2467 paulo copiosius de Admeti parentibus agit titulus hic: *Θευκλείδας Ἀδμήτου καὶ Νικόλα Κρισάμιος τὸν αὐτῶν υἱὸν Ἄδμητον Ἀπόλλωνι Καρνείῳ.* Suspicamur igitur fuisse gentem Theraeam, in qua per totam antiquitatem *τοῦ*

---

1) Vesp. 1238 c. Schol.
2) p. 70 n. 192.
3) Ibid. p. 69 n° 191.

Καρνείου sacerdotium nomenque Admeti fuerint hereditaria. Praeterea, cum nomen Θευκλείδας statim in mentem nobis revocet Θεοκλέα τὸν Κρίου patrem, apud quem ὁ Οἰκέτας Κάρνειος Spartae refugium invenit, constat hanc gentem fuisse unam ex Achaeis, Laconicae incolis antiquissimis, antedoriensibus. Cumque Admetus noster a maioribus qui claro fruerentur in Thessalia nomine ac fama se descendere perhibeat, non sine probabilitate contendemus vetustissimos illos Laconicae incolas, quos hucusque Achaeorum indicavimus nomine, fuisse revera gentem Thessalicam, fortasse Minyas. Thessalica igitur fuit natio, quae navibus suis litora legens Graeciae, tandem in Laconicam appulsa condidit coloniam deosque suos importavit. Sic Admetus Pheris venit Spartam.

Nunc intellegimus cur maritimis praesertim in urbibus Carnei inveniatur cultus; cur in Sicyoniam via fortasse terrestri penetraverit e Boeotia, sedibus Minyarum antiquissimis.

Sed ne celerius agere videamur, Pindari volvamus carmen Pythicum quintum, ubi legimus vss. 78 sqq.

τὸ δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος·
ὅθεν γεγενναμένοι
ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεΐδαι,
ἐμοὶ πάτερες, οὐ θεῶν ἄτερ, ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν
πολύθυτον ἔρανον.
ἔνθεν ἀναδεξάμενοι,
Ἄπολλον, τεᾷ
Καρνήϊ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν
Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν.

i. e. „meam gloriam omnes e Sparta esse perhibent, unde orti Aegidae patres mei non sine deorum auxilio Theram venerunt. Nam fatum eos duxit cenam collaticiam agentes. Thera autem ex insula Cyrenam hoc more tralato, lautis o Apollo epulis ibi quoque Carnea tua celebramus."

Quis hic loquitur? Dissentiunt v. d.; sunt enim — in quorum numero signiferum agit Boeckh — qui putent *poetam* de se ipso facere verba, ut ex Aegidarum gente ortum se esse coram omnibus pronuntiet; quibus oblocuti Hermannus et alii verba laudata *choreutis* de se ipsis loquentibus impertiunt. Equidem nullus dubitans Hermannum sequor. Faciamus enim Aegidam

fuisse Pindarum, tunc procul dubio fuit ex Aegidis Thebanis. Sed quomodo *Thebanus* poterat dicere: τὸ δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος? nam licet — ut perhibet Herodotus — Aegidae nonnulli Thebis profecti Spartam petiverint indeque Theram et Cyrenam navigarint, Pindaro profecto, cuius maiores *Thebis* manserant, id nulli poterat esse honori. Accedit quod qui dicant: ἔνθεν ἀναδεξάμενοι Κυράνας πόλιν σεβίζομεν Καρνήια, nulli alii quam *Cyrenae incolae* esse possint; neque id fugit Boeckhianos, qui ad incitas redacti statuerunt — sed parum probabiliter — quo tempore festum Arcesilai in honorem ageretur Pindarum Cyrenam visitasse [1]).

Attamen infitiari non possum Pindari nomen, ceteroquin rarissimum, tribus inscriptionibus Anaphae in insula Therae vicina repertis esse traditum [2]); fieri igitur potuisse ut Cyrenae quoque Pindari affines aliquot habitarent.

Sed missis his controversiis, docet nos poeta *Aegidas* fuisse qui Thera profecti Carnea transtulerint Cyrenam. Aegidas autem habitasse tam Spartae quam Thebis, quinimo fuisse Φυλὴν μεγάλην ἐν Σπάρτῃ, asseverant Pindarus, Herodotus.

Venerintne in Laconicam simul cum Heraclidis, quod Pindarus perhibet [3]), an Heraclidarum iam ante reditum, ut strenue contendit Muellerus [4]), — nihil ad rem; id certe constat *colonos Boeotos* et Spartam et Theram et Cyrenam secum transtulisse Carnei cultum. Carnei igitur patriam esse quaerendam in Boeotia et *Thessalia*, quibus in regionibus olim sedebant Minyae. Sic nova ratione probavimus quod iam alia via reppereramus: *Carnei numinis originem qui quaerat, petere debere Thessaliam!*

Pheris antiquitus gregum daemon ithyphallicus iuxta Brimo, deam Artemidi simillimam, colebatur. Daemon autem ille — posteri Mercurium vocabant — Brimo e regis inferorum potestate ereptam in lucem reduxerat; nam etiam introitus ad Orcum Pheris erat, ubi ovibus mactatis animae mortuorum evocari

---

1) Cf Studniczka Kyrene p. 76, 77. Cui obloquitur Gaspar Essai de Chronologie pindarique p. 148.

2) C. I. G. 2480, b, d.

3) Isthm. VI, 12 sqq.

4) Orchom. p. 320.

poterant [1]). Ἀϝίδης ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος [2]) ibi audiebat Admetus; Brimo forte Ἀδμήτου Κόρη [3]).

Habemus in nucleo non modo Alcestidis fabulam euripideam, sed id quoque perspicimus: par illud deorum, Brimo et Mercurium, Φεραῖς ἐν πολυρρήνοις — ubi regnabat rex Εὔμηλος [4]) — honoratum, revera esse τὸν Κριοφόρον θεόν et Ἄρτεμιν κερασφόρον, vel potius Deum Cornigerum et Deam Cornutam, numina igitur Κάρνεια. Qua autem veneratione numina illa fruebantur inter pastores Peloponnesiacos, eadem in Thessalia afficiebantur a Pheraeis [5]).

Cum vero appareat Alcestin ab heroe quodam Θανάτῳ ereptam et Brimo a daemone ex inferis in lucem reductam unam eandemque esse deam, neque a Luna dea diversam, clarum fit nexu interiore Alcestin cum Carneis esse coniunctam, Alcestidis laudes Carneorum fuisse partem sacram.

Admetus autem, qui in Mytho antiquissimo iuxta Brimo et Mercurium partes agebat exigui momenti, quique ab Euripide, ut ita dicam, creari debuit, in Carneis exuit tam daemonem quam regem factusque est *sacerdos*, ὑπηρέτης τῶν θεῶν. Miserrima profecto usus est sorte ἄδμητος ille, cuius divinitatis memor erat nemo, cuius potestatis regiae ἐν παροινίοις modo meminerant homines!

Euripidi autem Admetum Alcestidis *maritum* creanti male cessisse rem, quis negabit? Sed qui propius consideraverit mythum unde provenit fabula, is, opinor, concedet ex Admeto, inferorum rege nulli non inviso, in Brimus autem et Mercurii amoribus ἐφέδρῳ molestissimo, non facile potuisse fieri maritum amantem atque amatum.

---

1) Callim. fr. 117. Prop. II, 2, 11. Cic. D. D. N. III 22. Gruppe G. M. 118.

2) Hom. I 158. 3) Hesych. i. v. 4) Hom. δ 798.

5) Usener (Mus. Rhen. Vol. 53 p. 359—363, 377): „Aus der Wurzel *kar* muss (!) wie ind. *karanas*, das im Rigveda einmal (!) vorkommt und *kunstfertig* bedeutet, so (!) griech *Karnos* abgeleitet sein um einen das Getreide zur Reife bringenden Gott zu bezeichnen". — Ingenue fateor me virum egregium, cui multa debemus omnes, hisce in etymologiis sequi neque posse neque velle. Mox, opinor, cum Stesichoro cantabit ipse: οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος! Qua palinodia priorem oculorum aciem recuperabit.

NOVAE CURAE EURIPIDEAE.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Nicolaus Wecklein, qui cum magna eruditione sanum iudicium, admirabile acumen, singularem industriam feliciter coniungit, egregia sua Euripidis editione novam et aliis philologis viam munivit indagandi remedia, quibus plurimi qui hodieque restant in hoc poeta loci depravati sanari possint. Ne autem acta agamus, praeterquam adnotationibus in paginarum calce diligenter providit insertis Appendicibus post singulas fabulas et Addendis post Rhesum, quod drama editionem claudit.

Novas hasce lucubrationes conscribens, brevitati consulens non nisi maxime necessaria singulis quos tractavi locis addidi, relegans lectores ad ipsam recensionem Weckleinianam.

Andromachae vs. 120 sqq.

εἴ τί σοι δυναίμαν
ἄκος τῶν δυσλύτων πόνων τεμεῖν,
οἳ σὲ καὶ Ἑρμιόναν ἔριδι στυγερᾷ συνέκλῃσαν
τλάμον' ἀ μ φ ὶ λέκτρων
διδύμων ἐπίκοινον ἐ ο ῦ σ α ν
ἀ μ φ ὶ παῖδ' Ἀχιλλέως.

Corrigendum videtur:

τλάμον' ἀμφὶ λέκτρων
διδύμων ἐπίκοινον ἐ χ ο ύ σ α
ἄ ν δ ρ α παῖδ' Ἀχιλλέως.

Τλάμον' et ἐχούσα sunt dualis numeri.

poterant [1]). Ἀ϶ίδης ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος [2]) ibi audiebat Admetus; Brimo forte Ἀδμήτου Κόρη [3]).

Habemus in nucleo non modo Alcestidis fabulam euripideam, sed id quoque perspicimus: par illud deorum, Brimo et Mercurium, Φεραῖς ἐν πολυρρήνοις — ubi regnabat rex Εὔμηλος [4]) — honoratum, revera esse τὸν Κριοφόρον θεόν et Ἄρτεμιν κερασφόρον, vel potius Deum Cornigerum et Deam Cornutam, numina igitur Κάρνεια. Qua autem veneratione numina illa fruebantur inter pastores Peloponnesiacos, eadem in Thessalia afficiebantur a Pheraeis [5]).

Cum vero appareat Alcestin ab heroe quodam Θανάτῳ ereptam et Brimo a daemone ex inferis in lucem reductam unam eandemque esse deam, neque a Luna dea diversam, clarum fit nexu interiore Alcestin cum Carneis esse coniunctam, Alcestidis laudes Carneorum fuisse partem sacram.

Admetus autem, qui in Mytho antiquissimo iuxta Brimo et Mercurium partes agebat exigui momenti, quique ab Euripide, ut ita dicam, creari debuit, in Carneis exuit tam daemonem quam regem factusque est *sacerdos*, ὑπηρέτης τῶν θεῶν. Miserrima profecto usus est sorte ἄδμητος ille, cuius divinitatis memor erat nemo, cuius potestatis regiae ἐν παροινίοις modo meminerant homines!

Euripidi autem Admetum Alcestidis *maritum* creanti male cessisse rem, quis negabit? Sed qui propius consideraverit mythum unde provenit fabula, is, opinor, concedet ex Admeto, inferorum rege nulli non inviso, in Brimus autem et Mercurii amoribus ἐφέδρῳ molestissimo, non facile potuisse fieri maritum amantem atque amatum.

---

1) Callim. fr. 117. Prop. II, 2, 11. Cic. D. D. N. III 22. Gruppe G. M. 118.

2) Hom. I 158. 3) Hesych. i. v. 4) Hom. δ 798.

5) Usener (Mus. Rhen. Vol. 53 p. 359—363, 377): „Aus der Wurzel *kar* muss (!) wie ind. *karanas*, das im Rigveda einmal (!) vorkommt und *kunstfertig* bedeutet, so (!) griech *Karnos* abgeleitet sein um einen das Getreide zur Reife bringenden Gott zu bezeichnen". — Ingenue fateor me virum egregium, cui multa debemus omnes, hisce in etymologiis sequi neque posse neque velle. Mox, opinor, cum Stesichoro cantabit ipse: οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος! Qua palinodia priorem oculorum aciem recuperabit.

NOVAE CURAE EURIPIDEAE.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Nicolaus Wecklein, qui cum magna eruditione sanum iudicium, admirabile acumen, singularem industriam feliciter coniungit, egregia sua Euripidis editione novam et aliis philologis viam munivit indagandi remedia, quibus plurimi qui hodieque restant in hoc poeta loci depravati sanari possint. Ne autem acta agamus, praeterquam adnotationibus in paginarum calce diligenter providit insertis Appendicibus post singulas fabulas et Addendis post Rhesum, quod drama editionem claudit.

Novas hasce lucubrationes conscribens, brevitati consulens non nisi maxime necessaria singulis quos tractavi locis addidi, relegans lectores ad ipsam recensionem Weckleinianam.

Andromachae vs. 120 sqq.

εἴ τί σοι δυναίμαν
ἄκος τῶν δυσλύτων πόνων τεμεῖν,
οἳ σὲ καὶ Ἑρμιόναν ἔριδι στυγερᾷ συνέκλῃσαν
τλάμον' ἀ μ φ ὶ λέκτρων
διδύμων ἐπίκοινον ἐ ο ῦ σ α ν
ἀ μ φ ὶ παῖδ' Ἀχιλλέως.

Corrigendum videtur:

τλάμον' ἀμφὶ λέκτρων
διδύμων ἐπίκοινον ἐ χ ο ύ σ α
ἄ ν δ ρ α παῖδ' Ἀχιλλέως.

Τλάμον' et *ἐχούσα* sunt dualis numeri.

Vs. 232. Chorus ad Hermionam:

δέσποιν', ὅσον σοι ῥᾳδίως προσίσταται,
τοσόνδε πεῖθου τῇδε συμβῆναι λόγοις.

Alias impersonale *προσίσταται* sive *παρίσταται*, quae est v. l cod. P, constanter, si recte memini, significat *venit in mentem*, numquam *facultas est*, ut h. l. intellegunt, quod *πάρεστι* sive *παρέχει* sive *ἐνδέχεται* dici assolet. Ita tamen praeeunte scholiasta (*ὅσον σοι εὐκόλως καὶ δυνατῶς φαίνεται καὶ παρίσταται, ἀντὶ τοῦ· ὅσον ἐνδέχεται*) explicatur. Quamquam hic *προσίσταται* legisse videtur, fortasse tamen *παρίσταται* est genuina lectio, sed personaliter accipienda et sic interpretanda: „Domina, quantum facile a te *subiugatur*, tantum sine tibi persuaderi ut cum hac verbis transigas". Quippe facile est hoc ei concedere tibi, penes quam tamen, utpote dominam, restet victoria.

Vs. 304. *παρέλυσε δ' ἂν* (Casandra) *Ἑλλάδος ἀλγεινοὺς*
μόχθους, οὓς ἀμφὶ Τροίαν (*Τρωΐαν* Dind.)
δεκέτεις ἀλάλητο νέοι λόγχαις.

Ἀλᾶσθαι μόχθους dictum praesertim de iis qui eodem loco manentes pugnant ferri nequit, nec *νέοι* apte vocantur Troiae oppugnatores, quibus multi intererant viri aetatis provectioris. Ultima igitur verba misere depravata videntur. Expectatur aliquid huiuscemodi:

δεκέτεις ἔτλαν μυριόλογχοι

scil. *Ἕλληνες*, quod commode audias e praegresso *Ἑλλάς*. Lenius tamen si quis remedium excogitaverit, fecerit mihi pergratum.

Vs. 397. *ἀτὰρ τί ταῦτα δύρομαι, τὰ δ' ἐν ποσὶν*
οὐκ ἐξικμάζω καὶ λογίζομαι κακά;

Pro verbo corrupto nemo dum proposuisse videtur, quod solum probabile mihi videtur *ἐξετάζω*.

Vs. 445. *ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν*
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιές, ἀλλὰ πᾶν πέριξ
φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα.

Quia nemo mihi explicuit neque explicare poterit, quid sit

πέριξ φρονεῖν, persuasissimum habeo Euripidem scripsisse π α ρ έ ξ, *perverse*, idque eo magis quod per litteras monenti planissime mihi assensus est peritissimus editor.

Vs. 553. ἀλλ' ἀνηβητηρίαν
ῥώμην μ' ἐ π α ι ν ῶ λαμβάνειν, εἴπερ ποτέ.

Repeto, quod latuisse videtur editorem, veterem meam coniecturam μ ε ν ο ι ν ῶ, quae etiamnum valde probabilis mihi videtur.

Vs. 781. ἡδὺ μὲν γὰρ αὐτίκα τοῦτο βροτοῖσιν,
ἐν δὲ χρόνῳ τελέθει
ξηρὸν κ α ὶ ὀ ν ε ί δ ε σ ι ν ἔ γ κ ε ι τ α ι δ ό μ ω ν.

Fortasse fuit:
ξηρὸν καὶ ὄ ν ε ι δ ο ς (vel ὀνείδε') ἔ ν ε γ κ ε ν δ α μ ο τ ῶ ν.

Iam Hartungium δαμοτῶν proposuisse me docet *Appendix*.

Vs. 841. Hermione:
τί μοι ξίφος ἐκ χερὸς ἠγρεύσω;
ἀπόδος, ὦ φίλ', ἀπόδος, ἵν' ἀνταίαν
ἐρείσω πλαγάν· τί μ ε βρόχων εἴργεις;

Displicet ultimorum verborum asyndeton, quia ad aliam rem pertinent, et praetulerim:
τί δ ὲ βρόχων ⟨μ'⟩ εἴργεις;

ut recte mox legitur
ποῦ μοι πυρὸς φίλα φλόξ;
πῶς δ' εἰς πέτρας ἀερθῶ κτέ.

et sic alibi, velut Hippol. 224 sq.

Vs. 897.
Or. μῶν ἐσφάλμεθ' ἢ σαφῶς ὁρῶ
δόμων ἄνασσαν τῶνδε Μενέλεω κόρην;
Herm. ἥνπερ μόνην γ' ἡ Τυνδαρὶς τίκτει γ υ ν ὴ
Ἑλένη κατ' οἴκους πατρί· μηδὲν ἀγνόει.

Dubium non est quin male abundet γυνή, nec melior est lectio codicis L κόρη, quod vocabulum eodem senarii loco positum, quo κόρην in vs. praegresso, offendit aures. Aut fallor aut utraque vox est glossatoris et poeta dederat:
ἥνπερ μόνην γ' ἡ Τυνδαρὶς τίκτει ⟨ποτὲ⟩ κτέ.

Vs. 1154. οὐδ' ἐμοὶ καλὸν
κρύπτειν ἐν οἷς π α ρ ο ῦ σ α τυγχάνω κακοῖς.

Sic Wecklein de coniectura. Mihi quidem unice verum videtur quod libri tradiderunt ἐν ο ἷ σ π ε ρ ο ὖ σ α.

Vs. 1271. πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν ἥδε πρὸς θεῶν
ψῆφος κέκρανται· κατθανεῖν [τ'] ὀφείλεται.

Recte sic olim interpungebatur, deleta vocula τε cum libris EL.

Herculis vs. 307.
τόλμα μεθ' ἡμῶν θάνατος, ὅς μένει σ' ὅμως.
προκαλούμεθ' εὐγένειαν, ὦ γέρον, σέθεν·
τὰς τῶν θεῶν γὰρ ὅστις ἐ κ μ ο χ θ ε ῖ τύχας,
πρόθυμός ἐστιν, ἡ προθυμία δ' ἄ φ ρ ω ν.

Malim equidem:
τὰς τῶν θεῶν γὰρ ὅστις ἐ κ μ ο χ θ ε ῖ ν τύχας
πρόθυμός ἐστιν, ἡ προθυμία 'σ τ' ἄ φ ρ ω ν.

Cf. Phoen. 509:
ἀνανδρία γάρ, τὸ πλέον ὅστις ἀπολέσας
τοὔλασσον ἔλαβε.

Vs. 319. ἰδοὺ πάρεστιν ἥδε φασγάνῳ δέρη
κεντεῖν φονεύειν, ἱ έ ν α ι π έ τ ρ α ς ἄ π ο.

Quia non collum, sed totum corpus de saxo deici poterat, aut magnam sibi licentiam hic permisit poeta, aut verba ultima sunt veteris lacunae supplementum sic v. c. explendae:
κεντεῖν φονεύειν· <οὐκέτ' ἀντιτείνομεν>.

Vs. 578. ἢ τί φήσομεν καλὸν
ὕδρᾳ μὲν ἐλθεῖν εἰς μάχην λέοντί τε
Εὐρυσθέως πομπαῖσι, τῶν δ' ἐμῶν τέκνων
οὐκ ἐ κ π ο ν ή σ ω θ ά ν α τ ο ν;

Placuit editori Hartungi coniectura οὐκ ἐκπονεῖν σωτήρι'; sed vide ne praestet οὐκ ἐ κ π ο ν ῆ σ α ι β ί ο τ ο ν; adhibito eodem remedio, quo ipse Wecklein sanasse mihi videtur vs. 1351 rescribens ἐγκαρτερήσω βίοτον pro θάνατον.

RHESI vs. 254.

τίν' ἄνδρ' Ἀχαιῶν ὁ πεδοστιβὴς σφαγεὺς
οὐτάσει ἐν κλισίαις, τετράπουν
μῖμον ἔχων ἐπὶ γαῖαν
θηρός;

Ineptissimum hoc loco est adiectivum πεδοστιβής, quod optime legitur vs. 763. Intellegerem v. c. κρυφοστιβής. Num forte latet ὁ πεδὰ στίβους σφαγεύς?

Vs. 611.

Ul. τὸν ἄνδρα (Rhesum) δ' ἡμῖν που κατηύνασται φράσον·
πόθεν τέτακται βαρβάρου στρατεύματος;
Min. ὅδ' ἐγγὺς ἧσται κοὐ συνήθροισται στρατῷ,
ἀλλ' ἐκτὸς αὐτὸν τάξεων κατηύνασεν
Ἕκτωρ κτέ.

Vs. 612, qui ab aliis aliter corrigitur, abundat et fortasse non est genuinus.

Vs. 789. κλύω δ' ἐπάρας κρᾶτα μυχθισμὸν νεκρῶν.
θερμὸς δὲ κρουνὸς δεσπότου παρὰ σφαγαῖς
βάλλει με δυσθνήσκοντος (-θνητοῦντος Nauck) αἵματος νέου.

Νεκρός semper est *mortuus*, numquam *moribundus*, nec mortui μυχθίζουσιν, ut arbitror, itaque tradita lectio sine ulla controversia depravata est. Accedit quod e sequentibus apparet de solo Rheso moribundo haec dici. Quin igitur corrigimus μυχθισμὸν πικρόν. Cf. πικρὸν ὄδυρμα Troad. 1227, πικρὰν γῆρυν Iph. Aul. 441, πικροὺς γόους Phoen. 890, alia. Fieri potest ut superscriptum perversum glossema νεκρῶν fuerit confusionis causa, quamquam ipsa litterarum similitudo satis eam explicare videtur.

IPHIGENIAE TAURICAE vs. 291:

παρῆν δ' ὁρᾶν
οὐ ταὐτὰ μορφῆς σχήματ', ἀλλ' ἠλλάσσετο
φθογγάς τε μόσχων καὶ κυνῶν ὑλάγματα
χἂ φάσ' Ἐρινῦς ἱέναι μιμήματα.

Wecklein recepit Nauckii coniecturam μυκήματα lenem sane

et probabilem, nec tamen certam, quia tradita lectio aeque facile corrumpi potuit e vocabulo non minus apto *βριμήματα*, quod olim a me propositum latuisse videtur editorem.

Vs. 593. *μισθὸν οὐκ αἰσχρὸν λαβών.*

Οὐκ *ἰσχνὸν* vel *οὐ γλισχρὸν* proposuit Musgrave, *οὐ μεμπτὸν* iure praefert editor. Si quid mutandum, multo lenius possis *οὐ σμικρόν*; sed coll. Phoen. 1036 nihil mutaverim.

Vs. 646. *οἶκτος γὰρ οὐ ταῦτ', ἀλλὰ χαίρετ', ὦ ξέναι.*
Verba funditus corrupta. Fortasse:

οἰκτρ' ἐστὶ γὰρ ταῦτ', ἀλλὰ φερτέ', ὦ ξέναι.

Cf. singulare *φερτός* Hec. 158.

Vs. 1149. *πολυποίκιλα φάρεα*
καὶ πλοκάμους περιβαλλομένα γένυσιν
. . . ἐσκίαζον.

Ita Wecklein praeeunte Nauckio. Sed fortasse potius lacuna statuenda in medio vocabulo, ut fuerit *γένῡ . . . . σιν ἐσκίαζον*, unde conici possit

γένυν ⟨ἁ-
βρὰν⟩ συνεσκίαζον.

Vs. 1210.

Iph. *ἐν δόμοις μίμνειν ἅπαντας.* Tho. *μὴ συναντῷεν φόνῳ.*

Vix genuinum est *φόνῳ*, caedes enim in templo fiebat, hic vero agitur de victimis lustrandis aqua marina. Quare suspicor idem h. l. accidisse, quod supra vs. 1177, ubi Nauck probante editore *φόνου* in *μύσους* mutabat. Similiter igitur hic requiro *μύσει.*

Medeae vs. 183.

σπεῦσον πρίν τι κακῶσαι τοὺς εἴσω,
πένθος γὰρ μεγάλως τόδ' ὁρμᾶται.

Acute Wecklein coniecit *μέγ' ἄλαστον*, sed *μέγα* additum valde displicet; quare si eiusmodi quid latet, crediderim *μέγα* esse interpretamentum, ut fuerit

πένθος γὰρ τόδ' (*τι*?) *ἄλαστον ὁρμᾶται.*

Conici etiam potest

πένθος γὰρ μέγα δώμασ' ὁρμᾶται.

Vs. 195. στυγίους δὲ βροτῶν οὐδεὶς λύπας
ηὕρετο μούσῃ καὶ πολυχόρδοις
ᾠδαῖς παύειν. ἐξ ὧν θάνατος
δειναί τε τύχαι σφάλλουσι δόμους.

Manifeste deleto puncto post παύειν corrigendum

ἐξ οὗ θάνατοι κτέ.

i. e. *ex quo tempore* mors aliaeque graves calamitates domos labefactant. Ab omni aevo, ait poeta, nemo invenit artem carminibus et musica leniendi dolores humanos. Servata lectione tradita frustra quaerimus unde pendeat ὧν, quod neque cum λύπας neque cum ᾠδαῖς apte potest coniungi, ut omittam ita verba ἐξ — δόμους inepte abundare.

Vs. 431. σὺ δ' ἐκ μὲν οἴκων πατρίων ἔπλευσας
μαινομένᾳ κραδίᾳ, διδύμους ὁρίσασα πόντου
πέτρας κτέ.

Quia Medea non antequam, sed posteaquam e patria navigavit, Symplegadas penetravit, requiro ὁριοῦσα. Participium aoristi ita tantum recte se haberet, si pro ἔπλευσας legeretur quod significaret *huc venisti.*

Vs. 565. Iasonis ad Medeam verba sunt

σοί τε γὰρ παίδων τί δεῖ;
ἐμοί τε λύει τοῖσι μέλλουσιν τέκνοις
τὰ ζῶντ' ὀνῆσαι.

Schol. ἅπαξ ἐχούσῃ τὰ ἐξ ἐμοῦ τίς σοι χρεία ἄλλων τέκνων, sed ita requireretur τί προσδεῖ; Merito igitur haesit iam Elmsley coniciens μέλει, parum tamen apte. Aptum foret παίδων ἅλις sive ἅδην. Possis etiam

σοί τε πλειόνων τί δεῖ; κτέ.

Vs. 901. ἆρ', ὦ τέκν', οὕτω καὶ πολὺν ζῶντες χρόνον
φίλην ὀρέξατ' ὠλένην;

Miror poetam non maluisse, quod rei natura postulat, φίλας — ὠλένας.

Vs. 912. ἔγνως δὲ τὴν νικῶσαν ἀλλὰ τῷ χρόνῳ
βουλήν.

Sententia *victrix* saepe est deterior, hic vero *meliorem* intellegendam esse liquet. Num sanus est locus?

Vs. 918. ἀλλ' αὐξάνεσθε· τἄλλα δ' ἐξεργάζεται
πατήρ τε καὶ θεῶν ὅστις ἐστὶν εὐμενής.

Ut in recentioribus linguis, Graece haud raro praesens usurpatur, ubi extra omnem dubitationem ponitur res futura. „Cetera vero, nolite dubitare, efficiet vobis pater etc." Cf. v. c. Phoen. 1253 νῦν καλλίνικος γενόμενος σκήπτρων κρατεῖς. Thuc. VI 34, 4 ὑποδέχεται δ' ἡμᾶς Τάρας.

Vs. 990. σὺ δ', ὦ τάλαν, ὦ κακόνυμφε κηδεμὼν τυράννων,
παισὶν οὐ κατειδὼς
ὄλεθρον βιοτᾷ προσάγεις ἀλόχῳ
τᾷ σᾷ στυγερὸν θάνατον.

Deleto glossemate θάνατον conicio:
ὄλεθρον βιοτᾶς προσάγεις ἀλόχῳ
τᾷ σᾷ ⟨φιλίᾳ⟩ στυγερόν.

Supplicum vs. 238.
τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι
ἀνωφελεῖς τε πλειόνων ἐρῶσ' ἀεί·
οἱ δ' οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου
δεινοὶ νέμοντες τῷ φθόνῳ πλέον μέρος
εἰς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσιν κακά,
γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν φηλούμενοι·
τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ 'ν μέσῳ σῴζει πόλεις
κόσμον φυλάσσουσ' ὅντιν' ἂν τάξῃ πόλις.

Placuit editori vetus mea coniectura ἀεὶ pro δεινοὶ, sed postea ipse magis probavi ἀφιέναι pro ἀφιᾶσι, quod etiam Headlamo in mentem venisse animadverto. Sed ne sic quidem totus locus persanatus videtur. Vix enim omnes divites plures semper opes appetere dici potuerunt, ut non omnes pauperes, admissa coniectura ἀφιέναι, dicuntur impugnare divites, sed tantummodo invidiae obnoxii illuc inclinare. Quare multum dubito sanumne sit ἀνωφελεῖς, quod tamen neque Schmidtii coniectura μεγάλοι σθένει neque Stadtmülleriana μεγασθενεῖς sanari arbitror. Licet nusquam tradita sit, nescio an lateat aptissima vox αὐτωφε-

λεῖς. Divites certe, suam modo ipsorum, non communem utilitatem (κοινωφελεῖς) respicientes, rectissime dicuntur πλειόνων ἐρᾶν ἀεί. Tertia pars civium est eorum qui neque immoderato divitiarum amore neque paupertate et invidia acti constitutum ordinem tuentur. Duo ultimi versus auribus gratiores forent sic scripti:

τριῶν δὲ μοιρᾶν ἡ 'ν μέσῳ σῴζει χθόνα
κόσμον φυλάσσουσ' ὅντιν' ἂν τάξῃ πόλις.

Vs. 279. ἄντομαι ἀμφιπίτνουσά τε σὸν γόνου καὶ χέρα δειλαίαν. Weckleini coniecturam καὶ χέρ' ἑλοῦσαν praeter violentiam premit temporum inaequalitas, nihil enim ita poetam impedivisset quominus ἀμφιπεσοῦσα scriberet. Multo similior vero mihi videtur lenis Kolsteri coniectura δειλά, qui vocabuli usus Homericus in versu heroico aptissimus est, nec haerendum arbitror in zeugmate ἀμφιπίτνουσα — χέρα. Optime Weil in Hippolyti vs. 591 δειλά restituit pro φίλα.

Vs. 321. ὁρᾷς, ἄβουλος ὡς κεκερτομημένη
τοῖς κερτομοῦσι γοργόν' ὡς ἀναβλέπει
σὴ πατρίς;

Vere ἀντιβλέπει poetae reddidit Orelli. Minus mihi probatur editoris coniectura γοργὸν ὄμμ', quod num pro nudo γοργὸν aut pro γοργῷ ὄμματι recte dici potuerit plurimum dubito. Quidni praeferimus γοργόνωψ, verbo tantum, non re diversum ab eo quod est γόργωψ, scil. *truci vultu, qualis est Gorgonis* sive *Gorgonum?*

Vs. 366. ἐκλύετε τάδε γ', ἐκλύετ' ἄνακτος
ὅσια περὶ θεοὺς καὶ μεγάλα Πελασγίᾳ
καὶ κατ' Ἄργος.

Fortasse: ὅσια περὶ θεοὺς τάν τε γᾶν Πελασγίαν
τὰν κατ' Ἄργος.

i. e. καὶ τὸ Πελασγικὸν Ἄργος.

Vs. 369. εἰ γὰρ ἐπὶ τέρμα καὶ τὸ πλέον ἐμῶν κακῶν
ἑπόμενος ἔτι ματέρος ἄγαλμα
φόνιον ἐξέλοι, κτέ.

Aperte non sufficit Camperi coniectura *καὶ τὸ πέρας*, in qua praeter abundantiam articulus displicet. Conieci:

εἰ γὰρ ἐπὶ τέρμα δὴ (vel *τῶν*) *πόλεος ἐμᾶς κακῶν κτὲ.*

Vs. 610. Hemich. *δικαίους δαίμονας σύ γ' ἐννέπεις.*
Hemich. *τίνες γὰρ ἄλλοι νέμουσι συμφοράς;*
Hemich. *διάφορα πολλὰ θεῶν βροτοῖσιν εἰσορῶ.*

Vox *θεῶν* cum reliquis commode iungi nequit. Suspicor:

διάφορα πολλὰ δ' ἐν βροτοῖσιν εἰσορῶ.

„At multa aliter video evenire mortalibus."

Vs. 672. *οὐδὲν δεόμενος τεῖναι φόνον.*

Nihili esse hac in re *τεῖναι* iam Canter sentiens coniecit *θεῖναι*, sed periphrasis postulat *θέσθαι*, ut infra vs. 950 et ubique. Lenior quidem est sed parum probabilis Musgravii coniectura *τεῖσαι*.

Vs. 804. Adm. *ἰὼ ἰώ*. Chor. *τῶν γ' ἐμῶν κακῶν ἐγώ,*
Adm. *αἰαῖ*. Chor. . . . .
Adm. *ἐπάθομεν ὦ*. Chor. *τὰ κύντατ' ἄλγη κακῶν.*

Languet alterum *κακῶν*. Fortasse

τὰ κύντατ' ἄλγη <*βροτῶν*>.

Vs. 818. Adm. *ἔχεις ἔχεις*. Chor. *πημάτων γ' ἅλις βάρος.*
Adm. *αἰαῖ*. Chor. *τοῖς τεκοῦσι δ' οὐ λέγεις;*

Haud quaquam sufficere videntur lenes mutationes *δ' αὖ λέγεις* vel *τόδε λέγεις* et gravius ulcus subesse videtur. Aptissime legeretur

τοῖς τεκοῦσι δ' οὐ φατῶν.

Cf. Hes. Scut. 233. Pind. Ol. VI 37. Arist. Av. 1711.

Priorem versum collato vs. 806 sic scriptum malim deleta cum distinctione particula:

Adm. *ἔχεις ἔχεις* Chor. *πημάτων ἅλις βάρος.*

Vs. 898. *πολλοὺς δ' ἐραστὰς κἀπὸ θηλειῶν ὅσας*
ἔχων ἐφρούρει μηδὲν ἐξαμαρτάνειν.

Ex ingenti coniecturarum numero mihi quidem maxime abblanditur Schmidtiana *φίλας*.

Vs. 990. τί φέγγος, τίν' αὔραν
ἐδίφρευε τόθ' ἅλιος
σελάνα τε κατ' αἰθέρα
λαμπάδ' ἵν' ὠκυθόαι νύμφαι
ἱππεύουσα δι' ὄρφνας, κτέ.

Plurimis coniecturis accedat haec mea:
λαμπάδος ὠκυθόας φάει
ἱππεύουσα δι' ὄρφνας.

BACCHARUM vs. 14. Περσῶν ἡλιοβλήτους πλάκας.
Fortasse praestat forma vetustior ἡλιοβλῆτας, ut κεραυνοβλής et similia.

Vs. 20. εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων χθόνα.
Immo vero πρώτην, quam certam me iudice Cobeti emendationem in Appendicem minus probabiles continentem coniecturas relegavit editor.

Vs. 96. κατὰ μηρῷ δὲ καλύψας
χρυσέαισιν συνερείδει
περόναις κρυπτὸν ἀφ' Ἥρας.

Aut περόναις h. l. idem valet quod βελόναις, aut hoc ipsum substituendum.

Vs. 192. ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἂν ὁ θεὸς τιμὴν ἔχοι.
Minus recte editor articulum delendum suspicatur, quem si libri omisissent, de coniectura addere non dubitarem. Cf. in hac ipsa fabula vss. 194, 206, 476, 490 etc. Eadem de causa improbo eiusdem coniecturam in vs. 808 bene sanato a Weilio. Noli abuti vs. 1302, nam in praegressa lacuna fortasse fuit Bacchi nomen, ita ut ad verba οὐ σέβων θεόν mente supplendum sit τὸν Διόνυσον. Ceterum optime me iudice Elmsley correxit:
ἀλλ' οὐχ ὁμοίαν ὁ θεὸς ἂν τιμὴν ἔχοι.

Vs. 212. Πενθεὺς πρὸς οἴκους ὅδε διὰ σπουδῆς περᾷ,
Ἐχίονος παῖς κτέ.
Tam abrupte haec cum praegressis iuncta sunt, ut Πενθεὺς glossema esse credam, cui substituendas esse particulas καὶ μήν,

quibus noto usu novae personae adventus in tragoedia nuntiari assolet. Sed ante me idem monuisse Blaydesium animadverto ex *Addendis et corrigendis* post Rhesum.

Vs. 253. *οὐκ ἀποτινάξεις κισσόν;*
Praestare arbitror formam mediam *ἀποτινάξῃ*, scil. a capite tuo. Cf. vss. 81 et 341 sq.

Vs. 326. *μαίνῃ γὰρ ὡς ἄλγιστα, κοὔτι φαρμάκοις*
ἄκη λάβοις ἂν οὔτ' ἄνευ τούτων νόσου.
Iure haesit F. G. Schmidt, qui *μάλιστα* proposuit. An *μέγιστα* (MεΓICTA pro AΛΓICTA), collato v. c. Herod. III 38?
Post haec verba mireris infra vs. 359, posteaquam Pentheus longe ferociora locutus est, Tiresiam satis habere minus severe eum reprehendere dicentem:

μέμηνας ἤδη· καὶ πρὶν ἐξέστης φρενῶν.

Vix igitur falli mihi videor, secluso hoc versu languidissimo, in quo praeterea omissa distinctione *ἐξεστὼς* expectes, Tiresiae reddens:

358 *ὦ σχέτλι', ὡς οὐκ οἶσθα πού ποτ' εἶ λόγων!*
360 *στείχωμεν ἡμεῖς, Κάδμε κτέ.*

Vs. 402.
ἱκοίμαν ποτὶ Κύπρον,
νᾶσον τᾶς Ἀφροδίτας,
ἐν ᾇ θελξίφρονες νέμον-
ται θνατοῖσιν Ἔρωτες,
Πάφον θ' ἃν ἑκατόστομοι
βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ
καρπίζουσιν ἄνομβροι.

Meursii coniecturam *Βωκάρου* receptam ab editore vide ne premant epitheta *ἑκατόστομος* et *ἄνομβρος*. Quare *βαρβάρου ποταμοῦ* cum aliis, in quibus novissime Headlam, de Nilo accipiens praeferrem hance lectionem

Πάφον, ἃν θ' ἑκατόστομοι
βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ
καρπίζουσιν ἄνομβρον,

nisi vix apta et hoc quidem loco mirifica in mediis regionibus Graecis videretur Aegypti mentio. Accedit quod praegressa voce

νᾶσον pronomen ἂν satis incommode de terra continenti foret accipiendum. Nihil igitur affirmare fuerit satius, nisi hoc requiri ἄνομβρον.

Vs. 445. σκιρτῶσι Βρόμιον ἀνακαλούμενοι θεόν.
Modulatius scribatur ἀγκαλούμενοι.

Vs. 455. πλόκαμός τε γάρ σου ταναὸς οὐ πάλης ὕπο
γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος, πόθου πλέως.

Graviter corrupta nec certa ratione sanabilia sunt verba οὐ πάλης ὕπο. Accedat ariolationibus haec mea:

πλόκαμός τε γάρ σου ταναός, οὐκ ἀτημελῶς
γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος, πόθου πλέως.

Cf. vs. sequens

λευκὴν δὲ χροιὰν ἐκ παρασκευῆς ἔχεις.

Vs. 537. [οἵαν οἵαν ὀργὰν]
ἀναφαίνει χθόνιον
γένος ἐκφύς τε δράκοντός
ποτε Πενθεύς, ὃν Ἐχίων
ἐφύτευσε χθόνιος,
ἀγριωπὸν τέρας, οὐ φῶ-
τα βρότειον, φόνιον δ' ὥσ-
τε γίγαντ' ἀντίπαλον θεοῖς· κτἑ.

Vs. 537 cum Bothio ut spurium delevit Wecklein, quod si recte fecit nec potius cum Cantero Musgravioque lacuna statuenda est ante primum strophae versum 519, manifeste locus non est voculae τε in vs. 539 et corrigendum

ἀναφαίνει χθόνιον
γένος, ἐκφύς γε δράκοντός
ποτε, Πενθεὺς κτἑ.

Prodit infernam suam originem, quippe natus e dracone quondam, Pentheus.

Vs. 854. χρῄζω δέ νιν γέλωτα Θηβαίοις ὀφλεῖν
γυναικόμορφον ἀγόμενον δι' ἄστεως
ἐκ τῶν ἀπειλῶν τῶν πρίν, αἷσι δεινὸς ἦν.

Poeta dignior scriptura, quam iam olim ni fallor proposui,

foret *αἷς μ' ἐδέννασεν* vel *ἃς ἐδέννασεν*, utrumque enim recte dicitur. Cf. Theogn. 1211, Soph. Ai. 239, Ant. 755, Eur. Rhes. 925. Similiter Wecklein Iph. Aul. 480 pro verbis *οὐκ ἐς σὲ δεινὸς* apte coniecit *οἷσίν σ' ἐδέννασ'*.

Vs. 966. *κεῖθεν δ' ἀπάξει σ' ἄλλος*. Penth. *ἡ τεκοῦσά γε*. Quo tandem pacto Pentheus scire aut suspicari potuit, matrem ipsum abducturum esse? Num forte post *ἄλλος* nonnihil periisse putandum est?

Vs. 1054. *αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν θύρσον ἐκλελοιπότα*
κισσῷ κομήτην αὖθις ἐξανέστεφον.
Oratio vix Graeca. Olim requirebam *ἐκλελοιπότος κισσοῦ*, hodie malo *ἐλλελοιπότα κισσοῦ*. Feliciter nuper amicissimus Groeneboom, discipulus quondam, in *Albo gratulatorio*, in honorem meum composito a multis eruditis Nederlandicis et extraneis (Traiecti ad Rhen. ap. Kemink et fil. 1902) pag. 73 Sophocli El. vs. 2 reddidit
μέλαινά τ' ἄστρων ἐλλέλοιπεν εὐφρόνη
pro *ἐκλέλοιπεν*.

Vs. 1062. *ἴδοιμ' ἂν ὀρθῶς Μαινάδων αἰσχρουργίαν.*
*τοὐντεῦθεν ἤδη τοῦ ξένου * θαῦμ' ὁρῶ.*
Annotatur „*τι θαῦμ' ὁρῶ* p, *θαυμάσθ' ὁρῶ* Nauck, fort. *θέαμ' ὁρῶ*." At *θαῦμα* h. l. procul dubio multo aptius est quam *θέαμα*. Conieci
τοὐντεῦθεν ἤδη τοῦ ξένου <*'γὼ*> *θαῦμ' ὁρῶ.*
Nam propter *ἴδοιμ' ἂν* in Penthei oratione pronomen hic aptissime adderetur. Ceterum non ineptum est vetus grammatici supplementum *τι*.

Vs. 1184. Ag. *μέτεχέ νυν θοίνας*. Chor. *τί μετέχω τλάμων;* Sive nominativus est sive vocativus *τλάμων*, valde miror haec chori verba, quippe qui in toto hoc dialogo fingat se in eodem quo Agave versari errore, itaque locum sanum esse aegre mihi persuadeo, nec tamen video quo pacto sanari possit. Videant alii.

Vs. 1323. νῦν δ' ἄθλιος μέν εἰμ' ἐγώ, τλήμων δὲ σύ,
οἰκτρὰ δὲ μήτηρ, τλήμονες δὲ σύγγονοι.

Quia aperte poeta studuit quam maxime variare infelicitatis nomina, mireris eum non maluisse ponere δύσμοροι simileve adiectivum pro τλήμονες.

Vs. 1341. εἰ δὲ σωφρονεῖν
ἔγνωθ', ὅτ' οὐκ ἠθέλετε, τὸν Διὸς γόνον
εὐδαιμονοῖτ' ἂν σύμμαχον κεκτημένοι.

Obtemperandum fuerat Musgravio verissime corrigenti ηὐδαιμονεῖτ' ἂν pro soloeco optativo.

Vs. 1374. δεινῶς γὰρ τάνδ' αἰκίαν κτέ.

Imo αἴκειαν, quae forma unice vera (quod iam Dawes Misc. Crit. 311 intellexit) a librariis solita oblitterari, raro servata est, v. c. in Herondae papyro II 40.

Iphigeniae Aulidensis vs. 105.
μόνοι δ' Ἀχαιῶν ἴσμεν ὡς ἔχει τάδε
Κάλχας Ὀδυσσεὺς Μενέλεώς θ' κτέ.

Coniecturis addo hance:
μόνοι δ' Ἀχαιῶν <τῶνδέ [vel εἰσί] μοι ξυνίστορες> κτέ.

In versu sequenti nescio an post Μενέλεως delenda sit vocula τε.

Vs. 195. Πρωτεσίλαόν τ' ἐπὶ θάκοις
πεσσῶν ἡδομένους μορ-
φαῖσι πολυπλόκοις κτέ.

Imo vero ὁρμαῖσι i. e. κινήσεσιν. — Quo pacto vs. 203 τ', quod delendum putat editor, abesse possit non perspicere me fateor.

Vs. 225. (equos) πυρσότριχας, μονόχαλα δ' ὑπὸ σφυρὰ
ποικιλοδέρμονας.

Scire pervelim, quaenam pars corporis equini sub malleolis restet, quam maculosam poeta vocaverit. Nonne scripsisse putandus est
μονόχαλα δ' ὑπὲρ σφυρὰ
ποικιλοδέρμονας?

Vs. 512. *θυγατρὸς αἱματηρὸν ἐκπρᾶξαι φόνον.*
Dubito num *αἱματηρὸν φόνον* sit elegantiae Euripideae. Fallorne an ne Latine quidem dicitur *cruenta caedes?* Expectabam *μόρον*, ut Aeschylus Sept. 420 dixit *αἱματηφόρους μόρους.*

Vs. 552. *ἀπενέπω νιν* (Cupidinem) *ἀμετέρων,*
Κύπρι καλλίστα, θαλάμων.

Non iniuria haesisse videntur optimi critici, Nauck et Schmidt, ille *ἀπό νιν εἴργοις*, hic lenius *ἀπαγάγοις νιν* proponens. Sed *ἀπάγειν* minus aptum est quam *ἀπέχειν*, et lenissima fuerit correctio

ἄπεχέ πώ(ς) νιν ἀμετέρων,
Κύπρι καλλίστα, θαλάμων.

Vs. 573. *ἔμολες, ὦ Πάρις, ᾗτε σύ γε*
βούκολος ἀργενναῖς ἐτράφης
Ἰδαίαις παρὰ μόσχοις,
βάρβαρα συρίζων, Φρυγίων
αὐλῶν Οὐλύμπου καλάμοις
μιμήματα πνέων.

Wecklein tentavit

μέλπεις, ὦ Πάρις, ὕμενος οὗ κτὲ.

Ego praetulerim huiusmodi quid:

εἴθε σύγ', ὦ Πάρι, <μὴ> ᾿μολες, <ὃς>

vel *εἴθε σύγ', ὦ Πάρις, ὤλε' ὅπου κτὲ.*

Vs. 627. *ἑξῆς καθίστω δεῦρό μου ποδός, τέκνον,*
πρὸς μητέρ', Ἰφιγένεια, κτὲ.

Subtili iudicio Weil post *τέκνον* delevit virgulam. Quae optima correctio latuisse videtur editorem.

Vs. 630. *καὶ δεῦρο δὴ πατέρα πρόσειπε σὸν φίλον.*
Rectissime quidem diceretur: *δεῦρο δὴ καὶ πατέρα πρόσειπε*, sed *δεῦρο* sic interpositum iustam movet suspicionem. Nisi fallor, *δεῦρο* errore hic repetitum est e vs. 627. Quo deleto possis:

καὶ δὴ πατέρα πρόσειπε σὸν <τὸν> φίλ<τατ>ον.

Cf. vs. 652.

Vs. 654. Iph. ἀσύνετά νυν ἐροῦμεν, εἰ σέ γ' εὐφρανῶ.
Ag. παπαῖ· τὸ σιγᾶν οὐ σθένω· σὲ δ' ᾔνεσα.

Non iniuria haerens in articulo, Blaydes coniecit σιωπᾶν, sed ipsum *silendi* verbum, si referatur ad Iphigeniae sacrificium, iusto obscurius reddit Agamemnonis responsum. Propter Iphigeniae dictum εἰ σέ γ' εὐφρανῶ expectamus patrem dicere *gaudio se nullo affici posse*, velut χαρῆναι οὐ σθένω. Quo sensu olim proposui τοσοῦτον οὐ σθένω, scil. ὥστ' εὐφρανθῆναι.

Vs. 735. Agamemno ad uxorem:
οὐ καλὸν ἐν ὄχλῳ σ' ἐξομιλεῖσθαι στρατοῦ.

Verbum vix sanum est. Num forte ἐξετάζεσθαι, cui verbo glossema ὁμίλῳ adscriptum voci ὄχλῳ exitiosum esse potuit.

Vs. 749. χρὴ δ' ἐν δόμοισιν ἄνδρα τὸν σοφὸν τρέφειν
γυναῖκα χρηστὴν κἀγαθήν, ἢ μὴ τρέφειν.

Hic locus communis nihil huc facere videtur, quoniam Clytaemestra re vera se in his praestitit egregiam uxorem. Quare hi duo versus mihi non minus suspecti sunt quam tres antecedentes, quos cum Monkio delevit editor.

Vs. 846. Achilles ad Clytaemestram:
ἄμφω γὰρ οὐ ψευδόμεθα τοῖς λόγοις ἴσως.

Haud displicet mihi Weckleinii coniectura ἐψευδόμεθα, sed minus probo quod deinde scribi iussit τῶν λόγων. Malim
ἄμφω γὰρ ἐψευδόμεθα νῷ λόγοις ἴσοις.
nam ambo nos similibus verbis decipiebamur.

Vs. 865.
Senex. ὦ τύχη πρόνοιά θ' ἡμή, σώσαθ' οὓς ἐγὼ θέλω.
Ach. ὁ λόγος εἰς μέλλοντ' ἂν ὥσῃ χρόνον· ἔχει δ' ὄγκον τινά.

Verba sensu cassa facillime intellegentur leni manu sic refecti:
ὁ λόγος εἰς μέλλοντ' ἀνώγει χρόνον ἔχειν ὄκνον τινά.
(Haec senis) *verba de futuro tempore iubent* (nos) *aliquid metuere.* Ὄκνον ante me repperit Hermann.

Vs. 875. φασγάνῳ λευκὴν φονεύων τὴν ταλαίπωρον δέρην.
Durius hoc dictum quam Herc. 319

ἰδοὺ πάρεστιν ἥδε Φασγάνῳ δέρη
κεντεῖν Φονεύειν κτέ.

ubi praecedit verbum proprium κεντεῖν et zeugma obtinet. Hic vero aptius foret ἐ ρ ε ύ θ ω ν. Cf. Hom. Il. XVI 394. XVIII 329. Similiter καθαιμάξαι δέρην dicitur Or. 1527.

V. 916. σεσώμεθ'· εἰ δὲ μή, οὐ σ ε σ ώ μ ε θ α.
Frustra Wecklein ἐ ξ ο λ ώ λ α μ ε ν. Prorsus similiter mox vs. 929

πεισόμεθ', ὅταν δὲ μὴ καλῶς, οὐ πείσομαι.

Cui loco facili negotio similes addi possunt permulti.

Vs. 952. ἡ Σίπυλος ἔσται π ό λ ι ς ὅ ρ ι σ μ α β α ρ β ά ρ ω ν,
ὅθεν πεΦύκασ' οἱ στρατηλάται γένος,
Φθίας δὲ τοὔνομ' οὐδαμοῦ κεκλήσεται.

Verba opposita mihi suggerunt hanc coniecturam:

ἡ Σίπυλος ἔσται π ο λ ύ θ ρ ο ο ς, τ ὸ β ά ρ β α ρ ο ν
ὅθεν πεΦύκασ' οἱ στρατηλάται γένος, κτέ.

i. e. *aut famosa* (= πολυθρύλητος) *erit Sipylus, unde barbaram suam originem ducunt imperatores.*

Vs. 982. σὺ δ' ἄνοσος κακῶν γ' ἐμῶν.
Recte vocula γε abest ab Aldina editione.

Vs. 1024. Clytaemestra ad Achillem:

ὡς σώΦρον' εἶπας. δραστέον δ' ἅ σοι δοκεῖ.
ἢν δ' α ὐ τ ὰ μὴ πράσσωμεν ἃν ἐγὼ θέλω,
ποῦ σ' αὖθις ὀψόμεσθα;

Haud male α ὖ τ ι pro αὐτὰ proposuit Monk, sed propter αὖθις in eadem sequentis senarii sede auri gratius videtur, quod non minus aptum:

ἢν δ' ἄ ρ α μὴ πράσσωμεν κτέ.

Vs. 1092. ὁπότε τὸ μὲν ἄσεπτον ἔχει
δύνασιν, ἁ δ' ἀρετὰ κατοπι-
σθεν θ ν α τ ο ῖ ς ἀμελεῖται.

Permira et inelegans est copulatio κατόπισθεν ἀμελεῖται. Suspicor:

ἁ δ' ἀρετὰ κατοπι-
σθεν τ ε θ ε ῖ σ' ἀμελεῖται.

sed virtus posthabita neglegitur. Sic πρόσθεν τιθέναι noto usu significat *anteponere.*

Vs. 1138.

Ag. τί δ' ἠδίκησαι; Clyt. τοῦτ' ἐμοῦ πεύθῃ πάρα;
ὁ νοῦς ὅδ' αὐτὸς νοῦν ἔχων οὐ τυγχάνει.

Verba funditus depravata. Fortasse fuit:

τοῦτ' ἐμοῦ πεύθῃ πάρα,
ὅ γ' αὐτὸς οἶσθ', ἢ νοῦν ἔχων οὐ τυγχάνεις

Vs. 1281. κοὐκέτι μοι φῶς
οὐδ' ἀελίου τόδε φέγγος.

Nemo facile haec defendet. Conieci:

κοὐκέτι <λεύσσειν>
μούστ' ἀελίου τόδε φέγγος.

Vs. 1477. στέφεα περίβολα δίδοτε φέρε-
τε· πλόκαμος ὅδε καταστέφειν·
χερνίβων τε παγάς.

Malim, omissis distinctionibus:

στέφεα περίβολα δίδοτε φέρε-
τε πλοκάμους καταστέφειν
χερνίβων τε παγάς.

Cf. vs. 1502 sq.

Ionis vs. 53 me olim damnasse falso refert editor in Appendice. Delebam vs. 51, quem in paginae calce a Commero proscriptum esse commemorat. Vide editionis meae pag. 6.

Vs. 224. στέμμασί γ' ἔνδυτον, ἀμφὶ δὲ Γοργόνες.
Gorgonibus hic locum non esse, sed aquilis animadvertens Studnizcka in Herma a. 1902, p. 258 sqq. speciose coniecit

ἀμφὶ δὲ γοργὼ
<χρυσοφαέννω Διὸς οἰωνώ?>.

Vs. 545.

Ion. ἦλθες εἰς νόθον τι λέκτρον; Xuth. μωρίᾳ γε τοῦ νέου.
Ion. πρὶν κόρην λαβεῖν Ἐρεχθέως; Xuth. οὐ γὰρ ὕστερον γέ πω.

Facio cum Weckleinio Cobêti correctionem γ' ἔτι praeferenti Kirchhoffianae γέ που, ambigens tamen utrum illud verum sit an γέ τοι.

Vs. 1125. Ξοῦθος μὲν ᾤχετ' ἔνθα πῦρ πηδᾷ θεοῦ
βακχεῖον κτέ.

Weckleinio proponenti μετήρχετ' non possum assentiri, cum quia ipsi verbo μετιέναι locus non est tum propterea quod imperfectum μετήρχετο pro μετῄειν perquam dubii est atticismi. Neque haerendum arbitror in particula μέν paullo licentius adhibita, cui re vera, si spectatur sententia, respondet δέ in vs. 1132: ὁ δὲ νεανίας κτέ. Si quis forte haeret in ᾤχετο ter brevi intervallo posito, in vs. 1125 conicere possit Ξοῦθος μὲν ἦλθεν, sed nihil mutare fuerit satius.

Vs. 1250. Creusa:

πρόσπολοι, διωκόμεσθα θανασίμους ἐπὶ σφαγὰς
Πυθίᾳ ψήφῳ· κρατηθεῖσ' ἔκδοτος δὲ γίγνομαι.

Male haec verba concinunt cum praegressis vs. 1220 sq.

Δελφῶν δ' ἄνακτες ὥρισαν πετρορριφῆ
θανεῖν ἐμὴν δέσποιναν οὐ ψήφῳ μιᾷ

et vs. 1237 λεύσιμοι δὲ καταφθοραὶ et vs. 1240 θανάτου λεύσιμον ἄταν.

Num forte corrigendum

θανασίμους ἐπὶ φθοράς?

Solent enim verba σφάζειν et σφαγή de *iugulando* usurpari.

Vs. 1357. Pythia. τοῦ θεοῦ δ' ἕκατί σε
ἔθρεψα τ', ὦ παῖ, καὶ τάδ' ἀποδίδωμί σοι,
ἃ κεῖνος ἀκέλευστόν μ' ἐβουλήθη λαβεῖν
σῶσαί θ'· ὅτου δέ γ' εἵνεκ', οὐκ ἔχω λέγειν.

'Ακέλευστος, quod Radermacher proposuit, minus intellego quam traditam lectionem, quae mihi quidem aptissima videtur. Pythia quod nemo eam facere iusserat, tribuit voluntati divinae. Contra ἀκέλευστος dictum de Apolline *omnia* sua sponte facienti ineptum est.

HELENAE vs. 483. τί φῶ; τί λέξω;
Cf. Cycl. 210 τί φάτε; τί λέγετε; et Hippol. 571.
Frustra igitur Mekler τί δρῶ; coniecit.

Vs. 1528. σοφώταθ' ἁβρὸν πόδα τιθεῖσ' ἀνέστενε
πόσιν πέλας παρόντα κοὐ τεθνηκότα.

Σοφώτατα, *callidissime*, commode iungi potest cum verbis ἀνέστενε κτέ., neque igitur opus gravi Weckleinii mutatione ἁβρότατα λευκὸν πόδα.

CYCLOPIS vs. 14. ἐν πρύμνῃ δ' ἄκρᾳ
αὐτὸς λαβὼν ηὔθυνον ἀμφῆρες δόρυ.

Violenter editor coniecit οἴακ' ἔχων ηὔθυνον. Eximie autem versus sequens
παῖδες δ' ἐπ' ἐρετμοῖς ἥμενοι κτέ.
tuetur oppositum pronomen αὐτός, itaque solum participium ferri nequit. Possis:
αὐτὸς <πατὴρ> ηὔθυνον ἀμφῆρες δόρυ.

Vs. 60 sq. Vide, si tanti est, quae de his versibus scripsi in Mnemosynes vol. XXVII n. s. pag. 33.

Vs. 105. ἐκεῖνος οὗτός εἰμι. Rectissime, si quid video, αὐτός correxit L. Dindorf. 'Εκεῖνος αὐτός refertur ad vs. 103. Doctissimi editoris obiectionem non intellego.

Vs. 218. μήλειον ἢ βρότειον ἢ μεμ(ε)ιγμένον;
Cf. Aesch. Prom. 116 θεόσυτος ἢ βρότειος ἢ κεκραμένη; Num Euripides Aeschylum παρατραγῳδεῖ?

Vs. 241. οὔκουν κοπίδας ὡς τάχιστ' ἰὼν
θήξεις μαχαίρας καὶ μέγας φάκελον ξύλων
ἐπιθεὶς ἀνάψεις;

Κοπίς ubique est substantivum ἰσοδυναμοῦν voci μάχαιρα, quocirca μαχαίρας e glossemate fluxisse mihi persuasum est. Conieci:
οὔκουν κοπίδας ὡς τάχιστ' ἰὼν
θήξεις <πέτρᾳ τε?> πάμμεγαν φακελὸν ξύλων
ἐπιθεὶς ἀνάψεις;

De re cf. vss. 383 sqq.

Vs. 288. μὴ τλῇς πρὸς ἄντρα σοὺς ἀφιγμένους φίλους
κτανεῖν βοράν τε δυσσεβῆ θέσθαι γνάθοις.

Wecklein recepit Heimsoethii coniecturam οἴκους pro ἄντρα. Possis etiam:

μὴ τλῇς πρὸς (ἐς?) ἄντρα σ' (σὰ) εἰσαφιγμένους κτἑ.

Pro φίλους probabiliter ξένους malebat Kirchhoff.

Vs. 295. τὰ δ' Ἑλλάδος
δύσφρονά γ' (?) ὀνείδη Φρυξὶν οὐκ ἐδώκαμεν.

Coniecturis accedat οἰκτρ' ἐθήκαμεν. De praegressa corruptela consulatur editio.

Vs. 320. Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε,
οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός.
οὔ μοι μέλει τὸ λοιπόν· ὡς δ' οὔ μοι μέλει
ἄκουσον. ὅταν ἄνωθεν ὄμβρον ἐκχέῃ,
ἐν τῇδε πέτρᾳ στέγν' ἔχω σκηνώματα.

Languet vs. 322, quem metuo ne sit interpolatus propter sequens ἄκουσον, quod nude positum satis intellegitur. Cf. Hecub. 833.

Vs. 352. κρείσσονας γὰρ Ἰλίου
πόνους ἀφῖγμαι κἀπὶ κινδύνου βάθρα.

Non intellego neque olim intellexit Musgrave, qui βάθη coniecit. Cogitari potest de corrigendo κινδύνους ἄκρους vel κινδύνων ἄκρα. Cf. Stephani Thes. ed. Dind. vol. I p. 1336 sq.

Vs. 356. εὐρείας φάρυγγος, ὦ Κύκλωψ,
ἀναστόμου τὸ χεῖλος· κτἑ.

Hoc choricum temptantes viri docti non animadverterunt genetivi formam Atticam non φάρυγγος esse, sed φάρυγος. Cf. in hac ipsa fabula vss. 410 et 592.

Vs. 379. δισσούς γ' ἀθρήσας κἀπιβαστάσας χεροῖν,
οἳ σαρκὸς εἶχον εὐτραφέστατον πάχος.

Coniecta sunt γ' ἀθροίσας, γε δράξας, σταθμήσας. Si quid mutandum, his praestiterit γ' ἀγρήσας = γ' ἑλών.

Vs. 582. Γανυμήδην τόνδ' ἔχων ἀναπαύσομαι
κάλλιστα νὴ τὰς Χάριτας.
Recte Spengelii coniecturam κάλλιον ἢ recepit editor, minus recte praeterea coniciens ἀναπαύομαι. Manifeste enim necessarium est tempus futurum.

Vs. 566. Cycl. λάβ', ὦ ξέν', αὐτὸς οἰνοχόος τέ μοι γενοῦ.
Od. γιγνώσκεται γοῦν ἡ ἄμπελος τῇ 'μῇ χερί.
Malim τῇ 'μῇ Φρενί, ut sit sententia, *bonus saltem sum vini aestimator.*

Vs. 601. σύ τ', ὦ μελαίνης Νυκτὸς ἐκπαίδευμ', Ὕπνε.
Annotat editor „fort. ἐκπίδυμ' (vel ἐκΦίτυμ')." Mihi quidem ἐκΦίτυμ' multo aptius videtur.

Vs. 608. λήψεται τὸν τράχηλον
ἐντόνως ὁ καρκίνος
τοῦ ξένων δαιτυμόνος· πυρὶ γὰρ τάχα
ΦωσΦόρους ὀλεῖ κόρας.
ἤδη δαλὸς ἠνθρακωμένος
κρύπτεται ἐς σποδιάν.
Wecklein de suo reposuit πυράγρα. Factum nollem, neutiquam enim perspicio quo iure qui mox dicitur δαλός vocetur *forceps*, dissimillimum instrumentum, nec magis quid impediat quominus traditam lectionem interpretemur: *igni enim mox perdet* (i. e. amittet) *pupillos*. Cf. v. o. Hippol. 329.

Vs. 672.
Cycl. οὖτίς μ' ἀπώλεσ'. Chor. οὐκ ἄρ' οὐδείς σ' ἠδίκει.
Cycl. Οὖτίς με τυΦλοῖ βλέΦαρον. Chor. οὐκ ἄρ' εἶ τυΦλός.
[Cycl. ὡς δὴ σύ. Chor. καὶ πῶς σ' οὔτις ἂν θείη τυΦλόν;]
Cycl. σκώπτεις. ὁ δ' Οὖτις ποῦ 'στιν; Chor. οὐδαμοῦ, Κύκλωψ.
Ὡς δὴ σύ, quod potius ὡς δὴ σύ εἶ quam ὡς δὴ σὺ εἴης (quod sententia postulat), potest significare, iusto obscurius dictum est, et totus versus, quo nihil novi dicitur, multo melius abesset. Quin spurius sit vix dubito.

Vs. 693. δώσειν δ' ἔμελλες ἀνοσίου δαιτὸς δίκας·
κακῶς γὰρ ἂν Τροίαν γε διεπυρώσαμεν,
εἰ μή σ' ἑταίρων φόνον ἐτιμωρησάμην.

Pro κακῶς apte Cobet ἄλλως coniecit. Quia tamen in tali re scriptor pedestris recte scripturus fuisset καὶ γὰρ ἂν ἄλλως κτέ., vide annon poeta, cui libera est voculae γάρ sedes, scribere potuerit κἄλλως, quae lenior foret correctio.

Vs. 701. Ul. κλαίειν σ' ἄνωγα· καὶ δέδραχ' ὅπερ λέγω.

Iure haeret editor coniciens σε χρῆν, quod tamen vix potest significare ὅπερ με χρῆν σε δρᾶσαι aut ὅπερ σε χρῆν παθεῖν. Longe igitur malim ὅπερ με χρῆν, sc. δρᾶσαι, nec tamen vel hoc reponere ausim propter oppositum in vs. proximo:

ἐγὼ δ' ἐπ' ἀκτὰς εἶμι κτέ.

qui versus potius suadere videtur, ut post λέγω statuamus lacunam.

Hippolyti vs. 114. Servus:

ἡμεῖς δέ· τοὺς νέους γὰρ οὐ μιμητέον·
φρονοῦντες οὕτως, ὡς πρέπει δούλοις λέγειν,
προσευξόμεσθα τοῖσι σοῖς ἀγάλμασιν,
δέσποινα Κύπρι.

Latuit Weckleinium vetus mea suspicio Euripidem scripsisse

ἡμεῖς δέ· τοὺς νέους γὰρ οὐ μιμητέον
φρονοῦντας οὕτως, εἰ πρέπει δούλοις λέγειν·
προσευξόμεσθα κτέ.

Cf. Med. 61 ὦ μῶρος, εἰ χρὴ δεσπότας λέγειν τόδε.

Vs. 333. ἄπελθε πρὸς θεῶν δεξιᾶς τ' ἐμῆς μέθες.

Μεθοῦ, quod recte requirit editor, iam pridem ipse proposui.

Vs. 638. ῥᾷον δ' ὅτῳ τὸ μηδέν, ἀλλ' ἀνωφελὴς
εὐηθίᾳ κατ' οἶκον ἵδρυται γυνή.

Wecklein proposuit:

ῥᾷον δ' ὅτῳ τὸ μηδὲν οὖσα κἀφελής κτέ.

Placet participium, displicet adiectivum, quia ita vix locus est sequenti substantivo εὐηθίᾳ. Aptius foret, ni fallor, κἀβλαβής. Quoniam tradita lectio nihil aliud est quam dittographema

vocis ἀνωφελεῖς in vs. 636, in corrigendo litterarum apices tuto neglegi possunt. Eadem mulier mox vs. 642 ἀμήχανος vocatur.

Vs. 662. τῆς σῆς δὲ τόλμης εἴσομαι γεγευμένος.
Εἴσομαι non posse h. l. *sciam* significare iure monuit olim Weil, sed futuri epici εἴσομαι = εἶμι nullum extat in tragoedia exemplum et a diverbiis saltem alienum videtur, quocirca quondam proposui ἵξομαι. Sententia procul dubio haec est: „Tua „quidem domina quo vultu patrem meum adspectura sit ignoro, „sed tuam audaciam expertus novi." Possis igitur etiam conicere:

τῆς σῆς δὲ τόλμης εἰμ' ἅδην (s. ἅλις) γεγευμένος.

Vs. 925. φεῦ, χρῆν βροτοῖσι τῶν φίλων τεκμήριον
σαφές τι κεῖσθαι καὶ διάγνωσιν φρενῶν,
ὅστις τ' ἀληθής ἐστιν ὅς τε μὴ φίλος,
δισσάς τε φωνὰς πάντας ἀνθρώπους ἔχειν,
τὴν μὲν δικαίαν, τὴν δ' ὅπως ἐτύγχανεν,
ὡς ἡ φρονοῦσα τἄδικ' ἐξηλέγχετο
πρὸς τῆς δικαίας, κοὐκ ἂν ἠπατώμεθα.

Nihil in hac sententia desideraretur, si abesset vs. 729, in quo mire ἡ ἄδικος vocatur ἡ τυχοῦσα.

Vs. 1307. ὁ δ', ὥσπερ ὢν δίκαιος, οὐκ ἐφίσπετο
λόγοισιν, κτἑ.

„Sic EaBC, sed libri LP οὖν, ὡς ἀνὴρ δίκαιος C. Bussche". At quidni lenius ὥσπερ ἦν δίκαιος, ut in hac ipsa fabula vs. 1081 sq.

πολλῷ γε μᾶλλον σαυτὸν ἤσκησας σέβειν
ἢ τοὺς τεκόντας ὅσια δρᾶν, δίκαιος ὤν.

i. e. ὡς δίκαιον ἦν σε ποιεῖν, noto atticismo qui passim recurrit? Quod ante me iam Monkium vidisse me docet Appendix, quae optimae frugis permulta continet.

Vs. 1453. ὦ χαῖρε, καὶ σὺ χαῖρε πολλά μοι, πάτερ.
Recepit editor Weilii coniecturam ᾤχωκε. In *Appendice* et in *Addendis* desidero veterem meam suspicionem φῶς χαῖρε, quae mihi quidem nondum displicet.

Hecubae vs. 425.

ὦ φῶς· προσειπεῖν γὰρ σὸν ὄνομ' (ὄμμ' Iacobs) ἔξεστί μοι,
μέτεστι δ' οὐδὲν πλὴν ὅσον χρόνον ξίφους
βαίνω μεταξὺ καὶ πυρᾶς 'Αχιλλέως.

Artificiosa huius loci interpretatio numquam fide digna mihi visa est. Conieci:

μέτεστι δ' οὐδὲν πλὴν ὅσον χρόνον ξίφος
βαίνω τ' ἐπ' ὀξὺ καὶ πυρὰν 'Αχιλλέως.

Vs. 800. νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα.

Scholiastae interpretatio

θεὸν γὰρ ἴσμεν τῷ σέβειν θεοῦ νόμους

et ipsa facit senarium, utrum fortuito, an grammaticus versum antiquum citare existimandus est? Pro hac opinione fortasse militat formae antiquioris ἴσμεν usus pro recentiore οἴδαμεν.

Phoenissarum vs. 63.

ἐπεὶ δὲ τέκνων γένυς ἐμῶν σκιάζεται,
κλῄθροις ἔκρυψαν πατέρ', ἵν' ἀμνήμων τύχη
γένοιτο πολλῶν δεομένη σοφισμάτων.
ζῶν δ' ἔστ' ἐν οἴκοις. πρὸς δὲ τῆς τύχης νοσῶν
ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας,
θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε.

Quia misere abundant verba ζῶν δ' ἔστ' ἐν οἴκοις, ambigo utrum deleto toto hoc versu in sequenti legam ἀρὰς <δ'> ἀρᾶται, an sic refingam:

ζέων δὲ θυμῷ πρός τε τῆς τύχης νοσῶν κτέ.

Vs. 331. Dicitur de Oedipo:

ἀνῇξε μὲν ξίφους
ἐπ' αὐτόχειρά τε σφαγάν,
ὑπὲρ τέραμνά τ' ἀγχόνας.

Vix sanum videtur ὑπέρ, non enim supra tecta, sed sub tectis laqueos nectunt qui suspendio finiunt vitam, itaque suspicor:

ὑπό τε τέραμν' ἐπ' ἀγχόνας (sive ἀγχόναν).

Vs. 379. κακῶς θεῶν τις Οἰδίπου φθείρει γένος·
οὕτω γὰρ ἦρξατ', ἄνομα μὲν τεκεῖν ἐμέ,
κακῶς δὲ γῆμαι πατέρα σὸν φῦναί τε σέ.

Coniecturis addo:

ὅτῳ γ' ἄρ' ἤρεσ' ἄνομα μὲν τεκεῖν ἐμέ, κτὲ.

Vs. 566. *ὀδυνηρὸς ἄρ' ὁ πλοῦτος, ὃν ζητεῖς ἔχειν,*
γενήσεται Θήβαισι, Φιλότιμος δὲ σύ.

Partem veri vidit Schoene coniciens *Φιλότιμός τε σύ*. Sed necessarius est in tali sententia articulus, legendumque:

γενήσεται Θήβαισ' ὁ Φιλότιμός τε σύ.

Vs. 696, qui pessime abundat, merito suspectus fuit Geelio.

Vs. 697. *ἦ πόλλ' ἐπῆλθον εἰσιδεῖν χρῄζων σ', ἄναξ*
Ἐτεόκλεες, πέριξ δὲ Καδμείων πύλας
Φυλακάς τ' ἐπῆλθον σὸν δέμας θηρώμενος.

Deleatur vocula *τε* post *Φυλακάς*.

Vs. 703. *ἤκουσα μεῖζον αὐτὸν ἢ Θήβας φρονεῖν.*

Editor in notis commemorat Earlii coniecturam *εἰς ἡμᾶς*, relegata in Appendicem leniore sua ipsius *ἐς Θήβας*, quae mihi quidem plane sufficere videtur.

Vs. 722. Et. *βούλει τράπωμαι δῆθ' ὁδοὺς ἄλλας τινάς;*
Cr. *πάσας γε, πρὶν κίνδυνον εἰς ἅπαξ μολεῖν.*

Quia *εἰς ἅπαξ* arte iungendum et dubiae admodum graecitatis videtur *μολεῖν κίνδυνον* pro *μ. εἰς κ.*, ut constanter dicitur *εἰς κίνδυνον ἐλθεῖν*, v. c. Hec. 27 et Heracl. 149, fortasse corrigendum *βαλεῖν* pro *μολεῖν*, ut noto usu formulae *ῥίπτειν*, *ἀναρρίπτειν*, *ἀναβάλλειν κίνδυνον* teruntur, sumta metaphora a talorum tesserarumque iactu. Ita vertendum: *priusquam uni aleae iactui belli fortunam committas.*

Vs. 744. *ἀμύνειν τειχέων προσαμβάσεις.*

Reliqui tragicorum loci, ubi *προσάμβασις* occurrit, suadent *κλιμάκων*. Cf. Aesch. Sept. 448. Eur. Phoen. 492, 1173. Iph. T. 97. Veram tamen esse posse traditam lectionem furiosi foret negare.

Vs. 750. *ὄνομα* (*μνεία* Stadtmüller) *δ' ἑκάστου* (ducis) *διατριβὴν πολλὴν ἔχει,*
ἐχθρῶν ὑπ' αὐτοῖς τείχεσιν καθημένων,
ἀλλ' εἶμ', ὅπως ἂν μὴ καταργῶμεν χέρα.

Mihi quidem minime persuasit Trendelenburg hos versus Euripidi abiudicans. „Non sequor" ait poeta sumta Eteoclis persona „Aeschyli exemplum, qui Eteoclem suum quamvis imminente periculo de singulis hostium imperatoribus inepte induxit disserentem. Ipse rem melius administrabo has partes Nuntio tradens; quem talia dicere eximie decet." Vid. vss. 1104 sq. Haud semel Euripidem Aeschyli censorem et obtrectatorem egisse in vulgus constat.

Vs. 794. *'Ισμηνοῦ τ' ἐπὶ χεύμασι βαίνων*
ἱππείαισι θοάζεις, 'Αργείοις ἐπιπνεύσας
Σπαρτῶν γένναν,
ἀσπιδοφέρμονα θίασον ἔνοπλον,
ἀντίπαλον κατὰ λάινα τείχεα
[*χάλκῳ κοσμήσας*].
ἦ δεινά τις Ἔρις θεός, ἃ τάδε
μήσατο πήματα γᾶς βασιλεῦσιν
Λαβδακίδαις πολυμόχθοις.

Antistrophica his respondent haec verba:

810 *γένναν, ἃν ὁ κατὰ χθονὸς Αἴδας*
Καδμείοις ἐπιπέμπει· δυσδαίμων δ' ἔρις ἄλλα
θάλλει παίδων
Οἰδιπόδα κατὰ δώματα καὶ πόλιν.
οὐ γὰρ ὃ μὴ καλὸν οὔποτ' ἔφυ καλὸν
οὐδ' οἱ μὴ νόμιμοι <*νόμιμόν ποτε* suppl. Headlam>
[*παῖδες* idem del.] *ματρὸς λόχευμα, μίασμα* <*δὲ* Geel>
ἣ δὲ συναίμονος εἰς λέχος ἦλθεν. [*πατρός·*

Ultimum versum sic refinxerim:

τῇδε σύναιμον ὃς εἰς λέχος ἦλθον,

et strophae qui respondet versus extremus:

Λαβδακίδαις πολυμοχθοτάτοισιν.

Illic versus corruptus 797 ab Eichlero ita tentatur:

ἀσπιδοφέρμον' ἄθυρσον ἐνόπλιον,

qualis lectio nihil sane habet quod merito reprehendas. Tandem

de meo delevi verba post ἐνόπλιον inutilia et parum poetica, quae numeris excluduntur, χαλκῷ κοσμήσας.

Vs. 801. ὦ ζαθέων πετάλων πολυθηρότα-
τον νάπος, 'Αρτέμιδος χιονοτρόφον ὄμμα Κιθαιρών.

Eleganter vertit interpres Latinus *Dianae nivalis deliciae Cithaeron*, num tamen ὄμμα sic potuerit usurpari dubito, ut omittam vallem (νάπος), quamvis in monte sitam, non tamen esse montem. Hoc saltem constare mihi videtur 'Αρτέμιδος arte iungendum esse cum πολυθηρότατον νάπος, neque igitur virgula inde separandum. Tentavi autem:

πολυθηρότα-
τον νάπος 'Αρτέμιδος, χιονοτρόφος ἔνθα Κιθαιρών.

Vs. 818. ἔτεκες, ὦ γᾶ, ἔτεκές ποτε,
βάρβαρον ὡς ἀκοὰν ἐδάην ποτ' ἐν οἴκοις,
τὰν ἀπὸ θηροτρόφου φοινικολόφοιο δράκοντος
γένναν ὀδοντοφυῆ, Θήβαις κάλλιστον ὄνειδος.

Proposita sunt ἀποθηροτρόφου et θηροφόνου, quibus nihil proficitur. Aptum quidem foret coll. vs. 935 γαγενέτου, sed haud facile inde nasci potuit tradita scriptura. Una tantum mutata litterula, prodibit vera lectio κηροτρόφου, quo serpentis epitheto (fortasse ex hoc ipso loco petito) usus est Nicander in Theriacis vs. 191.

Vs. 960. Κρέον, τί σιγᾷς γῆρυν ἄφθογγον σχάσας;
κἀμοὶ γὰρ οὐδὲν ἧσσον ἔκπληξις πάρα.

Mirifica abundantia, quid enim aliud est γῆρυν ἄφθογγον σχάζειν quam σιγᾶν? Aptius foret τί θαμβεῖς —; Cf. Hec. 180 θάμβει τῷδ' ἐξέπταξας, Rhes. 291 θάμβει ἐκπλαγέντες. Verbum θαμβεῖν occurrit Ion. 1205. Iph. Aul. 1561. Aesch. Suppl. 565. Soph. Ant. 1231.

Vs. 1182—1185 ineptissimos merito Euripidi abiudicavit Nauck.

Vs. 1210. τοῦτ' εἰς ὕποπτον εἶπας· οὐκ ἐατέον.

Oratio vix Graeca. Legerim:

τοῦθ' ὡς ὕποπτον εἶπας·

i. e. *quam suspectum est quod dixisti* (me *hucusque* prospera uti fortuna).

Vs. 1273. αἰχμὴν εἰς μίαν καθίστατον.

Quo pacto αἰχμὴ μία possit μονομαχία significare, non magis equidem intellego quam olim intellexit Nauck, qui audacter αἰχμῆς εἰς πάλην coniecit. Quia autem αἰχμή saepe apud poetas idem valet quod μάχη, vide annon sufficiat μίαν in μόνην refingere, ut αἰχμὴ μόνη sit = μονομαχία, *pugna solitaria*.

Vs. 1304. σχεδὸν τύχα πέλας φόνου
κρινεῖ φάος τὸ μέλλον.

Pro φάος aut ξίφος cum Hermanno aut δ' ἄορ cum Musgravio rescribendum videtur, sub praegresso autem versu fortasse latet haece lectio:

σχεδὸν τύχα, <σχεδὸν> φόνος·

ut πέλας sit rarioris h. s. vocis πέλας interpretamentum. Eiusmodi autem parallelismum, quo tantopere gaudet Euripides, continet etiam versus antitheticus:

δι' ἀσπίδων, δι' εἱμάτων (αἱμάτων libri).

In strophicis vss. 1288 sqq.

πότερος ἄρα πρότερον αἱμάξει
— — — — — — —
ὁμογενῆ δέραν, ὁμογενῆ ψυχάν.

gravis me iudice est offensio in voce ψυχάν, quam quomodo possit aliquis *cruentare* difficile dictu est. Intellegerem στέρνον aut στῆθος (ὁμογενές) aut ὁμογενῆ νηδύν, aliamve corporis partem, cui letale vulnus infligi possit.

Vs. 1384. εἰ δ' ὄμμ' ὑπερσχὸν ἴτυος ἄτερος μάθοι,
λόγχην ἐνώμα, στόματι προφθῆναι θέλων.

Στόματι vitiosum esse puto cum editore, sed parum mihi arridet quam citat Stadtmülleri coniecturam κάμακι propter huius vocabuli post λόγχην abundantiam. Malim:

λόγχην ἐνώμα 'ς τοῦτο, προφθῆναι θέλων,

hastam huic (ori) *intorquebat, occupare studens.*

Vs. 1407. καί πως νοήσας Ἐτεοκλῆς τὸ Θεσσαλὸν
ἐσήγαγεν σόφισμ' ὁμιλίᾳ χθονός.

Perplexa verborum compositio, quam evitare potuerat poeta scribendo:

καί πως νοήσας ⟨τῆσδ'⟩ ὁμιλίᾳ χθονὸς
τὸ Θεσσαλὸν σόφισμ' ἐσήγαγ' Ἐτεοκλῆς.

Vs. 1500. δάκρυσι δάκρυσιν, ὦ δόμος ὦ δόμος,
ἀ ν α κ α λ έ σ ω μ α ι.

Modulatius est ἀ γ κ α λ έ σ ω μ α ι.

Vs. 1722. ὥ σ τ' ὄ ν ε ι ρ ο ν ἰσχύν.

Legatur aut ἰσόνειρον aut ἀντόνειρον. Utrumque olim proposui, hoc nuperrime Wecklein.

Orestis vs. 52.
ἐλπίδα δὲ δή τιν' ἔχομεν ὥστε μὴ θανεῖν.

Particulas δὲ δή, quae brevi intervallo bis repetuntur vs. 56 et 62, omittit liber Marcianus. Fortasse fuit ἐλπίδα δ' ὅ μ ω ς κτέ.

Vs. 395.
Men. Φείδου δ' ὀλιγάκις (ὀλοὰ δὶς Stadtmüller) λέγειν κακά.
Or. Φ ε ι δ ό μ ε θ'· ὁ δαίμων δ' ἐς ἐμὲ πλούσιος κακῶν.

Malim Φ ε ί σ ο μ ε θ', *ita faciam.*

Vs. 440.
Or. ψῆφος καθ' ἡμῶν οἴσεται τῇδ' ἡμέρᾳ.
Men. Φεύγειν πόλιν τήνδ' ἢ θανεῖν ἢ μ ὴ θ α ν ε ῖ ν;
Or. θανεῖν ὑπ' ἀστῶν λευσίμῳ πετρώματι.

Verba ἢ μὴ θανεῖν ineptum lacunae supplementum aut glossema videtur. Aptum foret v. c. με καὶ κάσιν. Cf. 857 sq. 899.

Vs. 443.
Men. κᾆτ' οὐχὶ Φεύγεις γῆς ὑπερβαλὼν ὅρους;
Or. κύκλῳ γὰρ εἱλισσόμεθα παγχάλκοις ὅπλοις.
Men. ἰδίᾳ πρὸς ἐχθρῶν ἢ πρὸς Ἀργείας χερός;
Or. πάντων πρὸς ἀστῶν, ὡ ς θ ά ν ω· βραχὺς λόγος.

Lite de sorte Orestis sororisque nondum diremta, parum aptum

videtur *θάνω*. Domus cincta erat a civibus, ne fugam capesserent, itaque expectatur *ὡς μένω*.

Vs. 524. *τὸ θηριῶδες τοῦτο καὶ μιαιφόνον*
παύων, ὃ καὶ γῆν καὶ πόλεις ὄλλυσ' ἀεί.
Eodem redit utrumque. Significantius scriberetur *κἄνδρας καὶ πόλεις*.

Vs. 596 et 599 dudum ante Weckleinium ipse proscripsi.

Vs. 691. *εἰ δὲ μαλθακοῖς λόγοις*
δυναίμεθ', ἐνταῦθ' ἐλπίδος προσήκομεν.
Sententia requirere videtur:
ἐνταῦθ' ἐλπὶς ὡς προκόψομεν.
Cf. Alc. 1082. Hec. 961. Hipp. 23.

Vs. 700. *ἢν δ' ἀνῇ πνοάς,*
τύχοις ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως ὅσον θέλεις.
Quamquam in Appendicem relatam ab editore certam arbitror Cobeti correctionem *οἴου*, scil. *πρᾴου*. Praeterea malim *θέλῃς*.

Vs. 702. *ἔνεστι δ' οἶκτος, ἔνι δὲ καὶ θυμὸς μέγας,*
καραδοκοῦντι κτῆμα τιμιώτατον.
Vide ne *χρῆμα*, *res*, sit potius quam *κτῆμα*, *possessio*.

Vs. 752. Or. *αἰσθάνῃ. τὸ τοῦδε* (Tyndarei) *κῆδος μᾶλλον εἵλετ' ἢ*
πατρὸς (Agamemnonis).
Pro *πατρὸς* expectabam *κάσιν*, *fratrem*, quia nullum cum fratre *κῆδος* erat aut esse poterat Menelao. *Κῆδος* enim semper est *affinitas*, numquam *consanguinitas*.

Vs. 776. Pyl. *μὴ <οὐ> λάβωσί σ' ἄσμενοι.*
Vereor ne Brunck iniuria *οὐ* suppleverit, quo omisso sententia est: *vide ne ita inimicorum manibus ipse te tradas.*

Vs. 898. *ἔλεξε δ'* (Talthybius) *ὑπὸ τοῖς δυναμένοισιν ὢν ἀεί.*
Subiecti semper quidem subiecti sunt, si tamen ingenio sunt liberali, non toti pendent a dominorum arbitrio. Hoc autem

Graece dici solet *εἶναι ἐπί τινι*. Quare videndum annon hac praepositione hic opus sit.

Vs. 921. *ξυνετὸς δέ, χωρεῖν ὁμόσε τοῖς λόγοις θέλων.*
Versus aut graviter corruptus necdum bene correctus, aut spurius. Hoc video artissime cohaerere vss. 920 et 922.

Vs. 1113.
Pyl. *τρυφὰς γὰρ ἥκει δεῦρ' ἔχουσα Τρωικάς;*
Or. *ὥσθ' Ἑλλὰς αὐτῇ σμικρὸν οἰκητήριον.*

Locus non est voculae *ὥστε*, *ita ut* (sit), sed legendum
ὥς γ', i. e. *ita*, *quippe* cett.

Contra *ὥστ'* recte se habet mox vs. 1122.

Vs. 1158. *σὺ γὰρ τά τ' εἰς Αἴγισθον ἐξεῦρες κακὰ*
καὶ πλησίον παρῆσθα κινδύνων ἐμοί.

Ego olim *καλῶς* proposui pro *κακά*, deinde Wecklein *σοφά*, sed utroque modo obscurus restat versus, procul dubio graviter corruptus. Hodie suspicor:
σὺ γὰρ τότ' εἰς ἄλγιστ' ἐπήρκεσας κακὰ
aut si mavis:
σὺ γὰρ τότ' εἰς ἄλγιστον ἤρκεσας κακὸν κτέ.
quibus verbis Orestes caedem matris significarit.

Vs. 1275.
El. *τί δέ; τὸ σὸν βέβαιον ἔτι μοι μένει;*
δὸς ἀγγελίαν ἀγαθάν τιν',
εἰ τάδ' ἔρημα τὰ πρόσθ' αὐλᾶς.

Malim *ἀγγελίαν ἐτύμαν*, nam utrum bonus sit nuntius an malus, id totum pendet a vero rerum statu.

Vs. 1315. *τὰν λιποπάτορα λιπόγαμόν θ', ἃ πλείστους*
ἔκανεν Ἑλλάνων.

Mire *λιποπάτωρ* dicitur Helena, quae iam relicto patre Menelao nupserat. Correxerim igitur *λιποπάτριδα*.

Vs. 1360. Non *πάνυ σοφῶς* (ut est in Appendice) sed *πάνυ σαφῶς* pro *συμφορᾶς* olim suasi, saltem suadere volebam.

Vs. 1412. ἔζονθ', ὁ μὲν τὸ κεῖθεν, ὁ δὲ
τὸ κεῖθεν [ἄλλος ἄλλοθεν] — πεφραγμένοι.

Deleatur glossema, quod recurrit vs. 1451, ubi iure suspectavit iam editor. Periit ante πεφραγμένοι (num sanum?) una longa syllaba aut duae breves.

Vs. 1457. ἀμφὶ πορφυρέων πέπλων ὑπὸ σκότου
ξίφη σπάσαντες ἐν χεροῖν.

Imo vero ἀμφιπορφύρων πέπλων κτέ.

Vs. 1483. τότε δὴ τότε διαπρεπεῖς (-πὲς?)
[ἐγένοντο Φρύγες]
ὅσον Ἄρεος ἀλκὰν ἥσσονες Ἑλλάδος
ἐγενόμεσθ' αἰχμᾶς.

Verba inclusa mihi suspecta sunt admodum.

Vs. 1547. In melicis requiro formam poeticam δύνασις pro δύναμις.

Vs. 1662. φερνὰς ἔχων δάμαρτος, ἥ σε μυρίοις
πόνοις διδοῦσα δεῦρ' ἀεὶ διήνυσεν.

Διήνυσεν vulgo cum scholiasta explicatur κατηνάλωσεν. Potius crediderim poetam ita scripsisse pro prosaico διετέλεσεν.

AD PLUTARCHUM.

Sull. 5 (Sint.). Post praeturam Sulla in Cappadociam mittitur τὸν μὲν ἐμφανῆ λόγον ἔχων πρὸς τὴν στρατείαν Ἀριοβαρζάνην καταγαγεῖν. Nihili est λόγος πρὸς τὴν στρατείαν, neque, si iam significare posset idem quod λόγος τῆς στρατείας, — atque hoc quis contendat mortalium? — addito isto πρὸς τὴν στρατείαν opus esset: prorsus enim sufficit ἀποστέλλεται τὸν μὲν ἐμφανῆ λόγον ἔχων: „Mittitur, specie quidem ut ..." Haud dubie στρατείαν corruptum est e σατραπείαν et πρὸς τὴν σατραπείαν iungendum cum καταγαγεῖν. Non enim necessarium duco pro πρός legere εἰς. Quamquam frequens est praepositionum confusio. Quod paulo post eundem Ariobarzanen Sulla dicitur βασιλέα fecisse, certae huic non nocet emendationi. J. J. H.

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DEMOSTHENEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e pag.* 129.)

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ.

§ 9 p. 228: *ἵνα μηδεὶς ὑμῶν τοῖς ἔξωθεν λόγοις ἡ γ μ έ ν ο ς ἀλλοτριώτερον τῶν ὑπὲρ τῆς γραφῆς δικαίων ἀκούῃ μου.* Commendo: *ὑ π η γ μ έ ν ο ς,* sicuti recte legitur § 188 p. 291: *εἰς ἔχθραν τῶν πόλεων ὑπηγμένων,* cf. Cobet. *Miscell.* p. 70. „Est," ait, „*ὑπάγεσθαι in fraudem inducere* et *ὑπάγεσθαι* dicuntur, qui aut fraude aliqua aut prava cupiditate ad capiendum consilium temerarium impelluntur."

§ 10 p. 228: *ἀλλ' ἀ ν α ς ά ν τ ε ς καταψηφίσασθε ἤδη.* Mihi participium nescio quomodo displicet; praestat, uti arbitror, *ἅ μ α π ά ν τ ε ς.* Causa cur ita sentiam, pellucet.

§ 26 p. 234: *οὐκ ἀφ' ἧς ὠμόσατε ἡμέρας μ ό ν ο ν ἀλλ' ἀφ' ἧς ἠλπίσατε τὴν εἰρήνην ἔσεσθαι, πάσας ἐξελύσασθε τὰς παρασκευὰς τὰς τοῦ πολέμου.* Cum loci sententia apertissime pugnat illud *μόνον,* quasi plus semel bellicos apparatus *ἐκλύεσθαι* potuerunt. Non nimis violenta correctio est: *ἀ ρ χ ό μ ε ν ο ι.*

§ 32 p. 236: ὠνεῖται ὅπως μὴ ἀπίωμεν ἐκ Μακεδονίας. Cobetus rectissime correxit ἄπιμεν, *Miscell.* p. 477, sed omisit addere eam ipsam scripturam servatam esse in lexico περὶ συντάξεως *Anecd. Bk.* p. 129. 4. Vide etiam Cobetum *Mnem.* 1858 p. 27, qui prae ceteris διδασκαλικὸς τόπος est.

§ 36 p. 237: διὰ τὴν τόθ' ὑποῦσαν ἀπέχθειαν πρὸς τοὺς Θηβαίους. Vix crediderim participium verbi ὑπεῖναι hoc sensu usurpari; moris est dicere quemadmodum legimus § 98 p. 258: τὴν τότε Θηβαίοις ῥώμην καὶ δόξαν ὑπάρχουσαν.

§ 79 p. 252: καὶ πρῶτον μὲν τὴν εἰς Πελοπόννησον πρεσβείαν ἔγραψα, ὅτε [πρῶτον] ἐκεῖνος εἰς Πελοπόννησον παρεδύετο. Alterum πρῶτον eiiciendum.

§ 104 p. 260. Est in Charitonis unico Codice Florentino, p. 132. 12 Hercheri, plane absurda lectio: ὀλίγον τ' ἐπένθουν ἢ οὐδέν, sed Cobetus *Mnem.* 1857 p. 278 et 1859 p. 230 provocavit ad Thuc. II 8 et evidenti usus medicina rescripsit: ὀλίγον τ' ἐπενόουν οὐδέν. Dorvillius postquam malesanam lectionem utcumque interpretatus est, p. 623 aliquid addidit de formula ceteroquin notissima ὀλίγον ἢ οὐδέν. Invenerat apud Platonem in Phaedro βραχέα ἢ οὐδέν, in Demosthenis Prooemiis ἢ μηδὲν ἢ μικρά, apud Alciphronem ὀλίγα ἢ οὐδὲν διαφέρουσι, apud Strabonem γεωργοῦντες ἢ οὐδὲν ἢ μικρά, *aut nihil aut paulo* apud Catullum. Nihil habet ea locutio miri vel insoliti, sed Dorvillius praeterea ex oratione de Corona attulit quem locum supra indicavi: μικρὰ καὶ οὐδὲν ἀναλίσκουσι et Aristog. I § 71 p. 791: μικρὰ καὶ οὐδὲν ἠδικήκασιν. Itidem apud Platonem invenio Apolog. p. 23 A: ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐςὶ καὶ οὐδενός, Theaet. p. 173 E: ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ καὶ οὐδέν, Politic. p. 298 A: σμικρὰ μὲν εἰς τὸν κάμνοντα καὶ οὐδὲν ἀναλίσκουσι. Hiccine recte scribitur καὶ οὐδὲν pro ἢ οὐδέν? Ait Stallbaumius ad Apologiam; equidem anceps haereo.

§ 104 p. 261: δυοῖν ἐφάνη τριήραρχος ὁ τῆς μιᾶς ἕκτος καὶ δέκατος πρότερον συντελής. Facile hoc intellectu est et recte Harpocration: συντελεῖς· οἱ συνδαπανῶντες καὶ συνεισφέροντες· τὸ

δὲ πρᾶγμα συντέλεια καλεῖται. Stulta autem adnotatio est, quae cum Demosthenis verbis coaluit: οὐδὲ γὰρ τριηράρχους ἔτι ὠνόμαζον ἑαυτοὺς ἀλλὰ συντελεῖς.

§ 108 p. 262: κατὰ τοὺς προτέρους νόμους ἅπαντα ταῦτ' ἐγίγνετο. Lege: χρόνους. Contra § 225 p. 303: ἐκ παλαιῶν χρόνων καὶ ψηφισμάτων πολλῶν ἐκλέξαντα, lege νόμων. Recte autem § 153 p. 278: δὸς δέ μοι τὰ δόγματα ταῦτα· καὶ τοὺς χρόνους ἐν οἷς ἕκαστα πέπρακται.

§ 110 p. 263: καίτοι τὰ μέγιστά γε τῶν πεπολιτευμένων καὶ πεπραγμένων ἐμαυτῷ παραλείπω, ὑπολαμβάνων πρῶτον μὲν ἐφεξῆς τοὺς περὶ αὐτοῦ τοῦ παρανόμου λόγους ἀποδοῦναί με δεῖν, εἶτα κἂν μηδὲν εἴπω [περὶ τῶν λοιπῶν πολιτευμάτων] ὁμοίως παρ' ὑμῶν ἑκάστῳ τὸ συνειδὸς ὑπάρχειν μοι. Vides quid suadeam.

§ 123 p. 268: ἵνα ἀπὸ τῶν ἰδίων κακῶς τἀπόρρητα λέγωμεν ἀλλήλους. Ambigitur sitne κακῶς an κακῶν legendum, cf. G. H. Schäferus. Equidem molestum adverbium una litura libenter, si licebit, delebo.

§ 129 p. 270: ὡς ἡ μήτηρ σου τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις χρωμένη .... ἐξέθρεψέ σε. Confer verbosas virorum doctorum disputationes apud Schäferum; alii vulgatam lectionem tuentur, alii probant Wolfii coniecturam καθημερινοῖς. Novo argumento usus Blassius, „μεθημερινοῖς", ait, „minime sollicitandum, nam iustae nuptiae non μεθ' ἡμέραν sed vesperi fiebant." At falso hoc contenditur; ridiculum multi esse contendunt exemplis probare quod ex ipsa rei natura sequitur, sed novi quorundam hominum pertinaciam. Contrahebantur nuptiae de medio circiter die; deinde coena nuptialis; vesperi autem nova nupta deducebatur in domum mariti: estne hoc naturae consentaneum an non est? Sed ecce exempla ut tamquam soli facem accendam. Scribit Cicero ad Q. fratrem II 3. 7: Haec scripsi *ante lucem*; eo die apud Pomponium in eius nuptiis eram cenaturus. Iuvenalis II 119:

Signatae tabulae, dictum *feliciter*: ingens
Cena sedet; gremio iacuit *nova nupta* mariti.

Graeci non multo aliter; cf. v. c. Lucian. Conviv. c. 8: *ἐν δεξιᾷ μὲν εἰσιόντων αἱ γυναῖκες ὅλον τὸν κλιντῆρα ἐκεῖνον ἐπέλαβον, οὐκ ὀλίγαι οὖσαι, καὶ ἐν αὐταῖς ἡ νύμφη πάνυ ἀκριβῶς ἐγκεκαλυμμένη ὑπὸ τῶν γυναικῶν περιεχομένη.* Sed equidem plurimum confido Ciceronis loco, quem Demosthenem ante oculos habuisse dixeris, ad Herennium IV 84: cuius mater *quotidianis* nuptiis delectatur. Quotidianis, non diurnis: *καθημερινοῖς* non *μεθημερινοῖς*.

§ 134 p. 272: *τοῦτον μὲν εὐθὺς ἀπήλασεν ὡς προδότην, Ὑπερείδῃ δὲ λέγειν προσέταξε καὶ ταῦτα ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέρουσα τὴν ψῆφον.* Languet quod in fine adscriptum est: *ἔπραξε.*

§ 141 p. 274: *εἰ μὲν ἀληθῆ πρὸς ὑμᾶς [εἴποιμι καὶ] εἶπον τότ' εὐθὺς ἐν τῷ δήμῳ.* Nullus hic locus optativo.

§ 143 p. 275: *οἱ μὲν ἐκ παρακλήσεως συγκαθήμενοι οὐκ εἴων με λέγειν.* Hic venit mihi Dionis Cassii in mentem LIII 21: *ἐπεμελεῖτο ὅπως μήτ' ἀνεπιτήδειοι μήτ' ἐκ παρακελεύσεως ἢ καὶ δεκασμοῦ ἀποδεικνύωνται.* Herwerdenus apud Boissevanium commendavit: *ἐκ παρασκευῆς·* si corruptum vocabulum est, magis crediderim illud Demosthenis *ἐκ παρακλήσεως* Dioni obversatum fuisse.

§ 144 p. 275: *καὶ γὰρ εὖ πρᾶγμα συντεθὲν ὄψεσθε, καὶ μεγάλα ὠφελήσεσθε πρὸς ἱστορίαν τῶν κοινῶν καὶ ὅση δύναμις ἦν ἐν τῷ Φιλίππῳ θεάσεσθε.* Lege: *καὶ γὰρ εἰ.*

§ 150 p. 277: *εἰπὲ τὸν εἰδότα, δεῖξον.* Mutata interpunctione legendum: *εἰπέ, τὸν εἰδότα δεῖξον.* Cf. § 191 p. 292: *εἰπέ, τίς ἢ λόγος ἢ καιρὸς ὑπ' ἐμοῦ παρελείφθη τῇ πόλει;*

§ 153 p. 278: *ἡλίκα πράγματα ἡ μιαρὰ κεφαλὴ ταράξασα αὕτη δίκην οὐκ ἔδωκε.* Rectius scribes cum uno et altero Codice: *οὐ δέδωκε.*

§ 162 p. 281: *περὶ τῶν ἄλλων πολλάκις ἀντιλέγοντας ἑαυτοῖς.* Ultimum vocabulum Blassius cum Parisino Codice ex

textu eliminavit; equidem non assequor quomodo possimus addito pronomine carere; nulla certe offensio in ἑαυτοῖς pro ἀλλήλοις usurpato. Philipp. I § 10 p. 43: βούλεσθε, εἰπέ μοι, περιιόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι. Coron. § 19 p. 231: πάντας συνέκρουεν καὶ πρὸς ἑαυτοὺς ἐτάραττεν. Xen. Mem. III 5 § 16: Φθονοῦσιν ἑαυτοῖς μᾶλλον ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις. Plat. Lysid. 215 B: οἳ μήτ' ἀπόντες ποθεινοὶ ἀλλήλοις μήτε παρόντες χρείαν αὐτῶν ἔχουσι.

§ 168 p. 284: ὡς οὐδ' ἂν εἴ τι γένοιτο συμπνευσάντων ἂν ἡμῶν καὶ τῶν Θηβαίων. Transpositis literis scribam: οὐδ' εἰ πᾶν γένοιτο, coll. Soph. Ai. 86: γένοιτο μέντἂν πᾶν θεοῦ τεχνωμένου et aliis multis locis.

§ 169 p. 284: τὰ γέρρα ἐνεπίμπρασαν. Absurda lectio, quae multorum laudibus merito celebratum locum graviter deturpat. Blassius non videtur cognovisse Cobeti luculentam disputationem in *Collectaneis Criticis* p. 175. Quod autem reposuit περιεπετάννυσαν de verbo non ambigo; id haud sine causa dubites an revera praepositio περί lateat. Nihil certi pronunciare ausim; sed quidni tandem coniicimus ἀνεπετάννυσαν = *explicabant?*

§ 171 p. 285. In longiore sententia ponuntur etiam haec: εἰ δὲ τοὺς ἀμφότερα ταῦτα, καὶ εὔνους τῇ πόλει καὶ πλουσίους (scil. παρελθεῖν ἔδει), οἱ μετὰ ταῦτα τὰς μεγάλας ἐπιδόσεις ἐπιδόντες. Satis hoc est apertum et vix pueris utilis est lectoris alicuius adnotatio: καὶ γὰρ εὐνοίᾳ καὶ πλούτῳ τοῦτ' ἐποίησαν.

§ 200 p. 295: τότε δὲ ἀξιοῦσα προεστάναι τῶν ἄλλων, εἶτ' ἀποστᾶσα τούτου Φιλίππῳ προδεδωκέναι πάντας ἂν ἔσχεν αἰτίαν. Quod Dionysius cum uno et altero Demosthenis codice habet τῶν Ἑλλήνων, id Blassius rectissime in textum recepit, sed etiam aliquando recipiendum erit quod Dionysius itidem habet πάντως.

§ 202 p. 295: μετὰ πολλῆς χάριτος τοῦτ' ἂν ἀσμένως (sed cf. Cob. *Miscell.* p. 482) ἐδόθη τῇ πόλει ὅτι βούλεται λαβούσῃ

καὶ τὰ ἑαυτῆς ἐχούσῃ τὸ κελευόμενον ποιεῖν καὶ ἐὰν ἕτερον τῶν Ἑλλήνων προεςάναι. Impedita constructio est, sed verborum sententia commode pellucet. Itaque Reiskius postquam dixit duram et inconsentaneam esse sententiam omniaque recte interpretatus est, haec quoque adscripsit: „Illa participiorum consectatio Graecos haud raro in manifestas et ridiculas absurditates implicat imprudentes." Mireris Reiskium qui tot locorum millia coniectando feliciter enucleavit, nunc de corruptela ne cogitavisse quidem, sed ipsius Demosthenis notavisse incuriam et absurditatem. Ipse tamen malo incorruptum Reiskii iudicium quam multorum aliorum pronum ad superstitionem animum. Veluti G. H. Schäferus, qui magis industria quam ingenio Reiskio par erat, ita pergit: „Bona verba quaeso. Non fuit docendus a Reiskio Demosthenes quomodo loqui oporteret, ne ridiculus vel absurdus fieret. Qua enim verborum constructione usus est, si rationem habeas sensus, nihil quidquam differt ab hac: τὸ κελευόμενον ποιούσῃ καὶ ἐώσῃ ἕτερον τῶν Ἑλλήνων προεςάναι ὅ τι βούλεται λαβεῖν καὶ τὰ ἑαυτῆς ἔχειν." Addit quoque Technicos hoc schema μετάθεσιν appellare, quasi in rerum natura id omne vitale sit quod nomen acceperit. Mihi quidem aliquid excidisse palam est et supplebo in hunc ferme modum: ἐδόθη τῇ πόλει ὅ τι βούλεται λαβούσῃ καὶ τὰ ἑαυτῆς ἐχούσῃ (ἡ σ υ χ ί α ν ἄ γ ε ι ν ἐ π ὶ τ ῷ) τὸ κελευόμενον ποιεῖν. Sententia aperta est, sed ipsa verba quae interciderunt praestare velle dementia est.

§ 204 p. 296: τὴν πόλιν ἐκλιπεῖν ὑπέμειναν εἰς τὰς τριήρεις ἐμβάντες [ὑ π ὲ ρ τ ο ῦ μ ὴ τ ὸ κ ε λ ε υ ό μ ε ν ο ν π ο ι ε ῖ ν]. Quae verba uncinis inclusi, ex superioribus male iterata fuerunt.

§ 205 p. 296: οὐ γὰρ ἐζήτουν οἱ τότ' Ἀθηναῖοι οὔτε ῥήτορα οὔτε ςρατηγὸν δι' ὅτου δουλεύσουσιν ε ὐ τ υ χ ῶ ς, ἀλλ' οὐδὲ ζῆν ἠξίουν εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας ἐξέςαι τοῦτο ποιεῖν. Blassius qui plerumque unici codicis Parisini auctoritate contentus est, nunc tamen miro consilio recepit adverbium εὐτυχῶς, etiamsi in illo Codice desit. „Numeris", inquit, „defendi videtur." At secundum oratorem Atheniensium δουλεία εὐτυχής ne potest quidem cogitari. Si quid deest, adhibita § 203, coniicio ἀσφαλῶς, sed εὐτυχῶς absurdum est.

§ 212 p. 298: πῶς ἂν (οὖν) ὠμότερος συκοφάντης γένοιτο. Inserenda coniunctio est.

§ 215 p. 300: τὰ παρ' αὐτοῖς καὶ πᾶσι δ' ἐν πλείςῃ φυλακῇ [παῖδας καὶ γυναῖκας]. Quidni Blassius Herwerdeno obsecutus est rectissime delenti παῖδας καὶ γυναῖκας *Mnem.* 1875 p. 130?

§ 244 p. 308: οὐδὲ τὴν ἧτταν ἐν οὐδενὶ τῶν παρ' ἐμοὶ γεγονυῖαν εὑρήσετε τῇ πόλει. Prorsus necessarium duco: τῶν παρ' ἐμέ, quo sensu v. c. scribitur in vicinia § 232 p. 305: πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο γέγονεν τὰ τῶν Ἑλλήνων, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ, ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα. Item Mid. § 61 p. 534: τῶν μὲν νικᾶν ἂν παρὰ τοῦτ' οἰομένων χορηγῶν, longe praefero παρὰ τοῦτον, nam sermo est de Aristide quodam, qui olim celeberrimus choreuta fuerat. Recte Buttmannus in Indice p. 191 docet παρά „non tam simpliciter causam sive rationem indicare, sed rei momentum vel ansam (*was den Ausschlag gibt*) et illud sine quo vera causa efficax non foret." Operose hoc dictum est, sed sensum satis assequimur, nempe choragi credebant se *absque* Aristide victoriam *neutiquam* posse adipisci. Itemque Aristog. I § 45 p. 784: τῶν γὰρ ἄλλων ἁπάντων καὶ φρονούντων ἃ δεῖ καὶ φυλαττόντων τοὺς νόμους, οὐδὲν ἂν παρὰ τοῦτ' οἶμαι γενέσθαι, requiro: παρὰ τοῦτον. Nubem exemplorum vide apud Wyttenbachium ad Plut. Moral. p. 85 E et 177 D, qui tamen memor non fuit Iuliani sui p. 224 B: τοῦτο δ' οὐ παρ' ὑμᾶς γίγνεται, παρ' ἡμᾶς δέ· συνετώτεροι γάρ ἐσμεν τῶν ἀνοήτων ἐκείνων. Sed Callicratidae notum est: οὐ πὰρ ἕνα ἐςὶν ἁ Σπάρτα. Imprimis luculentus locus est quem Wyttenbachius attulit ex Proculi Commentario in Hesiodum, quem locum Plutarcho asseruit: ὀρθῶς Ἀριςοτέλης ἔλεγεν, ὅτι χείριςον τῶν ἐν τῷ βίῳ τὸ μὴ παρὰ τοῦτο λεγόμενον· εἰ γὰρ κατεφρονεῖτο ὡς μικρὸν ἕκαςον καὶ ἐπιλέγοιμεν μὴ παρὰ τοῦτο, κακῶς πράξομεν. Etiam Isocrates plus semel hoc modo locutus est. Nicocl. § 48: ὑπολαμβάνοντες ὡς οὐ παρὰ τοῦτ' ἐςίν. Archid. § 52: ὑπὸ πάντων ἀνωμολογεῖτο παρὰ τοῦτον γενέσθαι τὴν σωτηρίαν αὐτοῖς. Epist. IX § 15: ὥσπερ παρὰ τοὺς ἐμοὺς λόγους ἢ βέλτιον ἢ χεῖρον πράξουσαν. Hinc fortasse corrigendum Euthyn. § 13, cf. *Mnem.* 1879 p. 85.

§ 249 p. 310: δι' ὧν μάλισθ' ὑπελάμβανον ἀγνοήσεσθαι. Ante Bekkerum edebatur ἀγνοηθήσεσθαι idque praestare dixeris, quum ἀγνοήσεσθαι ceteroquin activam significationem habeat, sed vide Zenoth. § 10 p. 885: ἀγνοήσετε. Blassius correxit ἀγνοήσαιτ' ἂν Conon. § 31 p. 1266 et Theocrin. § 49 p. 1337.

§ 251 p. 310: ἀλλὰ τὸ τοῦ Κεφάλου καλόν, [τὸ μηδεμίαν γραφὴν φυγεῖν], καὶ νὴ Δί' εὐδαιμόν γε. Quam eleganter omitti potuit explicatio: τὸ — φυγεῖν. Iudices ignorare non poterant singulare illud quod fortuna Cephalo tribuerat beneficium et vide Aesch. Ctes. § 194.

§ 252 p. 311: ἣν γὰρ (fortunam) ὁ βέλτιστα πράττειν νομίζων καὶ ἀρίστην ἔχειν οἰόμενος, οὐκ οἶδεν εἰ μενεῖ τοιαύτη τῆς ἡμέρας. Hic haesit Dobraeus et quaesivit num forte duplex fuerit lectio ὁ ἀρίστην ἔχειν οἰόμενος et ὁ τὰ βέλτιστα πράττειν νομίζων. Fortasse satis est corrigere: ἄριστ' ἔχειν οἰόμενος.

§ 254 p. 311: τὸ μὲν τοίνυν προελέσθαι τὰ κάλλιστα καὶ τὸ τῶν οἰηθέντων Ἑλλήνων εἰ πρόοιντο ἡμᾶς ἐν εὐδαιμονίᾳ διάξειν, τούτων αὐτῶν ἄμεινον πράττειν, τῆς ἀγαθῆς τύχης τῆς πόλεως εἶναι τίθημι. Graecitas nisi fallor postulat: τῶν οἰηθέντων ἄν. Noli credere hanc violentam correctionem esse; saepe confunduntur Ἑλλήνων, ἀλλήλων et ἄλλων itemque ἄλλων et ἄν. Vide quae congessi *Mnem.* 1878 p. 213.

§ 258 p. 313: πόλλ' ἂν ἔχων ἕτερ' εἰπεῖν περὶ αὐτῆς παραλείπω φυλαττόμενος τὸ λυπῆσαί τινας ἐν οἷς σεμνύνομαι. Malim fere: πόλλ' ἂν ἔχων (ἔτι) ἕτερ' εἰπεῖν, sicuti legitur § 270 p. 316: βούλομαι ἔτι μικρὰ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν et persaepe alibi, sed ultro fateor hoc nimis esse incertum. Est autem propemodum necessarium ἐφ' οἷς σεμνύνομαι, cf. § 256 p. 312; § 263 p. 314, alibi.

§ 263 p. 314: πρὸς αὐτὰ τὰ τοῦ τρόπου σου βαδιοῦμαι κατηγορήματα. Blassius postremam vocem delere voluit; equidem certe malim: κατηγορημένα.

§ 267 p. 315: φέρε δὴ καὶ τὰς τῶν λῃτουργιῶν μαρτυρίας ὧν

λελῃτούργηκα ὑμῖν ἀναγνῶ. Haud satis scio an viri docti nondum attenderint ad hunc usum primae personae, etiamsi mox ad praeconem conversus orator, *λέγε*, inquit *τὰς μαρτυρίας.* Item Fals. Leg. § 187 p. 399: *τὰς ἐπιϛολὰς ὑμῖν ἀναγνώσομαι τὰς τοῦ Φιλίππου.* Aristocr. § 115 p. 658: *ἀναγνώσομαι δ' ὑμῖν τὴν ἐπιϛολήν.* Mid. § 130 p. 557: *ἀναγνώσομαι μὲν ὑμῖν, ὡς ἐμαυτῷ γέγραμμαι τὰ ὑπομνήματα πάντα.* Hos igitur commentarios de Midiae facinoribus sibi scripserat et credibile est ipsum oratorem eos recitavisse. Ceterum cf. Vandenessius ad Lycurgi Leocrateam p. 81.

§ 269 p. 316: *οὐ δὴ ποιήσω τοιοῦτον οὐδὲν οὐδὲ προαχθήσομαι.* Commendo: *προϋπαχθήσομαι* et de usu huius verbi iam dixi ad Coron. § 9 p. 228. Cobetus *Miscell.* p. 70 Symmor. § 4 p. 179 pro *προαπεχθησόμεθα* correxit *προϋπαχθησόμεθα.* Cf. Symmor. § 35 p. 188: *οὔτε φοβεῖσθαί φημι δεῖν πέρα τοῦ μετρίου, οὔθ' ὑπαχθῆναι προτέρους ἐκφέρειν τὸν πόλεμον.* Pac. § 10 p. 59: *φενακισμοὺς οἷς ὑπαχθέντες — προεῖσθε Φωκέας.* Fals. Leg. § 53 p. 357: *οὗτοι πιϛεύειν ὑπήχθησαν.* Aesch. Tim. § 178: *ὑπὸ τῆς ἀπάτης καὶ τῶν ἀλαζονευμάτων ὑπάγεσθε.*

§ 272 p. 317. Supplendum: *εἰ μὴ τὸ ὅλον (ἀλλὰ) μέρος γ' ἐπιβάλλει τῆς βλασφημίας ἅπασι.* Vides quid paene necessario inserendum sit.

§ 276 p. 318: *ὡς ἐὰν πρότερός τις εἴπῃ τὰ προσόνθ' ἑαυτῷ περὶ ἄλλου, καὶ δὴ ταῦθ' οὕτως ἔχοντα καὶ οὐκέτι τοὺς ἀκούοντας σκεψομένους τίς ποτ' αὐτός ἐϛιν ὁ ταῦτα λέγων.* Postulatur, uti opinor, futurum; verbi causa sic: *αὐτίκα δὴ ταῦθ' οὕτως ἕξοντα.*

§ 284 p. 320: *ἐκ ποίας γὰρ ἴσης ἢ δικαίας προφάσεως [Αἰσχίνῃ] τῷ Γλαυκοθέας τῆς τυμπανιϛρίας ξένος ἢ φίλος ἢ γνώριμος ἦν Φίλιππος;* Sentisne cur proprium nomen expungendum esse censeam?

§ 301 p. 326: *τῶν πρὸς Πελοπόννησον τόπων.* Mire dictum; praestat fortasse *πρὸς Πελοποννήσου.*

§ 315 p. 330: *οὔτε γὰρ δίκαιον οὔτ' ἴσον ἀλλὰ πρὸς σὲ καὶ ἄλλον εἴ τινα βούλει τῶν ταὐτά σοι προῃρημένων.* Imo: *ὅν τινα.*

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΠΑΡΑΠΡΕΣΒΕΙΑΣ.

§ 4 p. 342: *ὡς δή μοι δοκεῖτ' ἂν ὅμως ἐκ τούτων καὶ γνῶναι τὰ δίκαια καὶ δικάσαι νυνί.* Dicitur hoc: *ὡς ἐκ τούτων.*

§ 6 p. 342: *καὶ μὴν περὶ ὧν γε προσετάξατ' εἰπεῖν ἢ πρᾶξαι ἢ διαρρήδην ἐψηφίσασθε ποιῆσαι, προσήκει διῳκηκέναι.* Elumbis sententia est, quam restitues scribendo pro *ποιῆσαι*: *πῶς οὐ προσήκει διῳκηκέναι;*

§ 7 p. 343: *τὸ μὲν [ἐκ τούτων] λαμβάνειν ἐξ ὧν ἡ πόλις βλάπτεται.* Apparet quid suadeam.

§ 17 p. 346: *ἐπειδὴ πάλιν ἥκομεν ἐκ τῆς πρεσβείας ταύτης [τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους] ἧσπερ εἰσὶν αἱ νῦν εὔθυναι.* Interpolatio in paucis manifesta.

§ 18 p. 346: *μὴ προέσθαι συνεβούλευεν μηδὲ ταὐτὰ παθεῖν μηδ' ἀναρτωμένους ἐλπίσιν ἐξ ἐλπίδων καὶ ὑποσχέσεσιν* (*ἐξ ὑποσχέσεων* inser. Markl.) *εἰς τοὔσχατον ἐλθεῖν τὰ πράγματ' ἐᾶσαι.* Interpolabo: *μηδὲ* (*δὶς*) *ταὐτὰ παθεῖν.*

§ 21 p. 347. Narrat orator quae Aeschines ex legatione domum reversus Atheniensibus pollicitus fuerit. Brevi, dixerat, audietis *τῷ θεῷ τὰ χρήματ' εἰσπραττόμενα οὐ παρὰ Φωκέων ἀλλὰ παρὰ [Θηβαίων] τῶν βουλευσάντων τὴν κατάληψιν τοῦ ἱεροῦ.* Erant certe Thebani qui antequam bellum Phocicum erupit, templum Delphicum aliquamdiu occuparunt; est ea de re indubitatum testimonium apud Xenophontem Vectig. V 8: *ἐγὼ μὲν,* inquit, *οὐδὲν ἂν οἶμαι θαυμαστὸν εἶναι εἰ καὶ πάντας τοὺς Ἕλληνας ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους λάβοιτε ἐπ' ἐκείνους, οἵτινες ἐκλιπόντων τῶν Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο,* quem locum docte expedivit Cobetus *Mnem.* 1858 p. 407 sqq. et in universum de illorum annorum historia Arnoldus Schäferus conferri poterit, qui tamen quantum comperi Cobeti disputatio-

nem non legit, certe non probavit, quamquam minime videam quid contra possit obmoveri. Sed utcumque ea de re iudicaveris, dixerim apud Demosthenem utique proprium Thebanorum nomen expungendum esse. Aeschines certe, cuius verba referuntur, ipse omiserat; sed totus locus considerandus est et cf. Aesch. Fals. Leg. § 117.

§ 30 p. 350: *οὐ γὰρ εἰ Φαύλοις χρῆσθ' ὑμεῖς εἰς τὰ κοινὰ πολλάκις ἀνθρώποις, καὶ τὰ πράγματ' ἐϛὶ Φαῦλα ὧν ἡ πόλις ἀξιοῦται, οὐδὲ πολλοῦ δεῖ.* Deinde pergit orator: *εἶτα καὶ Φωκέας ἀπολώλεκεν μὲν οἶμαι Φίλιππος, συνηγωνίσαντο δ' οὗτοι, κτέ.* Hic non assequor quid sit *εἶτα καὶ*· requiro *αὐτίκα* = exempli gratia.

§ 36 p. 352. Recitata fuit in contione populi epistula Philippi, in qua rex hoc agebat ut omnem ab legatis culpam removeret et affirmabat se prohibuisse legatos quominus Athenas continuo reverterentur *καὶ πάντα ἀναδεχόμενος εἰς αὐτὸν τὰ τούτων ἁμαρτήματα ἐϛίν.* Sic demum haec omnia bene cohaerebunt si deleto postremo vocabulo *ἐϛίν*, rescripseris: *ὡς πάντα ἀναδεχόμενος εἰς αὐτόν.* Nihil opus est demonstrare *ὡς* et *καί* particulas sexcenties confusas fuisse.

§ 42 p. 354: *ἐνῆν παραχρῆμα τότ' εὐθὺς ἐξελέγχειν.* Qui nuper de eiusmodi locutionibus egit Polakius *Mnem.* 1901 p. 428, concedit quidem quod frustra negabitur bene Attice dici posse *τάχ' ἴσως, αὖθις αὖ, αὐτίκα παραχρῆμα, πάλιν ἐξ ἀρχῆς* sim., sed cum nullum adscripserit exemplum locutionis *εὐθὺς παραχρῆμα*, Cobetus autem pertinaciter teneat *Mnem.* 1858 p. 323 et 1860 p. 440 dicendum esse *παραχρῆμα*, adscriptum esse *εὐθὺς* vocabulum, quo omnes utebantur, ut vocabulum antiquum et obsoletum explicaretur, videbo num locorum multitudine hunc obruere possim. Ac primum ipse iam indicavit unum locum apud Dinarchum, tres apud Isaeum, unum apud Antiphontem et duos apud Demosthenem. Dixeris iam satis esse praesidii in septem testibus, sed exempla cumulare facile est. Veluti praeter illos duos Demosthenes locos iam habemus Fals. Leg. § 42 p. 354 et Aphob. III § 15 p. 849. Ex Isaeo accedit IV § 10: *εὐθὺς*

κατὰ τὰ πρῶτα. Non minus notabile est Plat. Legg. IX p. 867 A: ὁ μὲν τὸν θυμὸν Φυλάττων καὶ οὐκ ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἐξαίφνης ἀλλὰ μετ' ἐπιβουλῆς ὕϛερον χρόνῳ τιμωρούμενος ἑκουσίῳ ἔοικεν, ὁ δ' ἀταμιεύτως ταῖς ὀργαῖς καὶ ἐκ τοῦ παραχρῆμα εὐθὺς χρώμενος ἀπροβουλεύτως ὅμοιος μὲν ἀκουσίῳ, κτέ. Alibi autem, locus legitur Theag. p. 129 E, ταχὺ γὰρ παραχρῆμα ἐπιδιδόασι, malim corrigere πολὺ γάρ, sicuti illic haud semel invenitur. Quid autem faciet Cobetus Cratini versiculo apud Athenaeum IV p. 164 E:

ὡς εὖ καὶ ταχέως ἀπετίσατο καὶ παραχρῆμα.

Scilicet παραχρῆμα ex usu sequiorum evanuerat indeque interpretantur quod vulgus minus intelligebat: quid autem si apud illos ipsos παραχρῆμα interpretationi inservit? Cf. Schol. Plat. Gorg. 459 C: αὐτίκα· εὐθέως καὶ παραχρῆμα. Sunt alia plurima quae miramur nec tamen debemus sollicitare, veluti apud Demosthenem est τάχ' ἂν ἴσως Lept. § 18 p. 462, Mid. § 191 p. 576 et Stephan. I § 83 p. 1126 et τάχ' ἂν εἰ τύχοι Aristocr. § 58 p. 638 et § 143 p. 667, Timocr. § 36 p. 711 et pr. Phorm. § 55 p. 961. Vide etiam Dobraeum in *Adversariis* p. 465, qui cum alia laudavit tum αὐτοῦ ἐκεῖ ex Thuc. VII. 16. Quid si *ter* idem dicitur? Aristoph. Nub. vs. 975: εἶτ' αὖ πάλιν αὖθις ἀνιϛάμενον ξυμψῆσαι et illud πάλιν αὖθις αὖ recurrit Soph. Phil. 952, Oed. Colon. 1418, Eurip. Helen. 941, alibi fortasse.

§ 50 p. 356: ἀπεληλυθότων δὲ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ προῃσθημένων τὴν ἀπάτην. Significat hoc secundum Reiskium: *quamvis* s. *quoniam praesensissent*. Alterum illud quod verius est, ut obtineamus scribam: καίπερ ᾐσθημένων. Cf. § 77 p. 365: ἐπειδὴ δ' ἧκεν εἰς Πύλας, οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι αἰσθόμενοι τὴν ἐνέδραν ὑπεχώρησαν.

§ 53 p. 358: ἡγοῦντο (Philippum) οὐδέποτ' ἂν τούς γ' [Ἀθηναίων πρέσβεις] Ἀθηναίους ἐξαπατᾶν τολμῆσαι. Est in paucis evidens interpolatio.

§ 59 p. 359: εἰκὰς ἢ τίθεμεν πυθέσθαι τοὺς Φωκέας τὰ παρ' ὑμῶν. Pluralis numerus huc minus quadrat et malo: τίθεμαι, Cf. Aristog. I § 43 p. 783: τῶν μὲν οὖν ἐν τῷ δικαϛηρίῳ νῦν

ὄντων ὑμῶν, οὐδέν' εἶναι τοιοῦτον τίθεμαι et mox, § 44, Φιλοκράτην μόνον εἶναι τοιοῦτον τίθεμαι.

§ 60 p. 300: ὀγδόη τοίνυν, ἑβδόμη, ἕκτη, πέμπτη, τετράς· αὐτὸ συμβαίνει: hoc est: *ratio quidem hercle apparet*, nos: *het komt uit*; nec necesse est addere in aperta re: εἰς ταύτην εἶναι πέμπτην. Hic non utar argumento haec verba si retinueris, molestum hiatum offensioni esse; nam nec leges quas Blassius de hiatu apud Demosthenem vitato perscripsit, mihi nihili videntur nec tamen infirmo argumento utar ut meam suspicionem stabiliam; sed vide Plat. Gorg. 459 B: Σωκρ. τοῦτο συμβαίνει ἢ ἄλλο τι; Γοργ. τοῦτο ἐνταῦθά γε συμβαίνει. Ibid. 498 E: συλλόγισαι δὴ κοινῇ μετ' ἐμοῦ, τί ἡμῖν συμβαίνει ἐκ τῶν ὡμολογημένων. Soph. p. 223 B: ὡς ὁ νῦν λόγος ἡμῖν συμβαίνει. Est fere proverbii instar αὐτὸ συμβαίνει, sicuti αὐτὸ δείξει, de quo proverbio vide copias Bernhardyi ad Suidam.

§ 69 p. 363: οἱ δ' [Ἀθηναίων] τῆς ἐλευθερωτάτης πόλεως πρέσβεις [ὑμᾶς] οἷς συζῆν ἀνάγκη .... τούτους ἐξαπατᾶν ὑπέστησαν. Aperta res.

§ 70 p. 363: ὑπογραμματεύων ὑμῖν καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτὸς ἐξηγεῖτο τὸν νόμον τῷ κήρυκι. Hac significatione *verba praeeundi*, id quod est ἐξηγεῖσθαι quantum comperi hoc solo loco invenitur.

§ 73 p. 364: ὅσα νῦν ἐρεῖ περὶ τῶν Φωκέων ... ὡς Πρόξενον οὐχ ὑπεδέξαντο, ὡς ἀσεβεῖς εἰσίν, ὡς ὅ τι ἂν δήποτ' αὐτῶν κατηγορῇ. Imo: ἢ ὅ τι ἂν δήποτε. Frequens hoc vitium est quod et alibi persaepe recurrit et Plat. Euthyd. 280 D.

§ 81 p. 366: δουλεύειν καὶ τεθνάναι τῷ φόβῳ [Θηβαίους καὶ] τοὺς Φιλίππου ξένους οὓς ἀναγκάζονται τρέφειν. Nonne illa verba quae notavi elegantius omittentur?

§ 82 p. 367: μὴ δὴ ταῦτα λέγειν αὐτὸν ἐᾶτε, ἀλλ' ὡς οὐκ ἀπολώλασι Φωκεῖς. Satis hoc est et libenter carebimus vocabulo quod in fine adhaeret δεικνύναι.

§ 88 p. 369: ἐςὶ δὲ καὶ (αὐτὰ) ταῦτα κατηγορήματα τούτου. Assumsi αὐτὰ ex Maximo Sophista; etiam Reiskio ea lectio probabatur.

§ 89 p. 369: οὐ τριήρεις τριακόσιαι καὶ σκεύη ταύταις καὶ χρήμαθ' ὑμῖν περίεςι [καὶ περιέςαι] διὰ τὴν εἰρήνην; Dittographiam agnosco; confer Reiskium qui locum ita interpretatur ut legisse videatur: καὶ περιείη.

§ 89 p. 369: προσόδων αἳ γεγόνασιν ἐκείνῳ (μὲν) μεγάλαι, γεγόνασι δὲ καὶ ἡμῖν τινές. Inserenda particula.

§ 95 p. 371: ὅτι ἐν μὲν τοῖς ὑφ' αὐτοῦ πεπραγμένοις ἀγαθὸν μὲν οὐδέν ἐςιν. Imo legendum: ἔνεςιν.

§ 97 p. 372: καίτοι καὶ τούτου συναίτιος οὗτος συνειπὼν Φιλοκράτει. Unius Aeschinis culpam arguit orator, Philocratem non curat; hinc in extrema paragrapho multa esse dicit ἀνήκεςα, ὧν αἴτιος οὗτος, non συναίτιος. Facile est remedium: καὶ τούτου 'ςὶν αἴτιος οὗτος.

§ 102 p. 373: ἀνάγκη δήπου τοὺς λόγους τούτους [Αἰσχίνην] πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν τουτονί [τοὺς περὶ Φωκέων καὶ τῶν] Θεσπιῶν καὶ τῆς Εὐβοίας]. Inutiliter haec addita fuere.

§ 103 p. 374: πάντ' αὐτῷ γέγονεν τὰ δεινότατα καὶ [τὰ] αἴσχιςα. Articulus non debuit iterari.

§ 104 p. 374: τί δέ; ἐξελέγχοντα [ἢ λέγοντά] τι τούτων ἑόρακεν; Mera dittographia est.

§ 113 p. 375: συνεῖπεν μόνος τῶν ἐν τῇ πόλει [πάντων ἀνθρώπων]. Non sunt ipsius oratoris duo ultima vocabula. Recte legitur § 111: τῷ προσῆκεν οὖν ἀντειπεῖν τούτοις μάλιςα πάντων ἀνθρώπων;

§ 114 p. 375: εἰ μὲν μηδένα μηδὲν ἔχοντα εἴχομεν δεῖξαι τῶν πρέσβεων, μηδ' ἦν (φανερὸν) ὥς' ἰδεῖν ἅπαντας, βασάνους καὶ τὰ τοιαῦθ' ὑπόλοιπον ἂν ἦν σκοπεῖν. Φανερὸν est excidisse id quod est φανερόν· ipsa res loquitur.

§ 117 p. 376: *ἵν' οὖν μήτ' ἀφῶ μήτ' αἰτιάσωμαι μηδένα, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα αὐτὸ τοὺς μὲν αἰτίους εὕρῃ, τοὺς δὲ μὴ μετεσχηκότας ἀφῇ.* Quid est e regione oppositum *τῷ ἀφιέναι*? Num forte *εὑρίσκειν*? Imo *αἱρεῖν*. Quin igitur reponimus: *τοὺς μὲν αἰτίους αἱρῇ.*

§ 129 p. 381: *ἐν τοῖς κοινοῖς τοῖς ὑμετέροις γράμμασιν [ἐν τῷ μητρῴῳ] ἐφ' οἷς ὁ δημόσιος τέτακται.* Asservabantur sane *τὰ κοινὰ* illa *γράμματα ἐν τῷ μητρῴῳ*, sed eratne pretium addere quod omnes norant? Certa est tabularii fides; praeest enim *ὁ δημόσιος·* hoc ad rem pertinet. Vide quoque Aesch. Fals. Leg. § 89.

§ 137 p. 383: *ἐπειδὴ παρ' ὑμῖν ἐπύθετο αὐτὸν τεθνεῶτα καὶ οὐδὲ τοῦ ζῆν ἴντα κύριον αὐτῷ βεβαιῶσαι.* Dobraeus p. 427, quum nescio quomodo sibi persuasisset in libris manuscriptis inveniri *τὸ ζῆν*, multis locis allatis studuit probare *κύριος* cum infinitivo apud Demosthenem saepissime construi, ut *βεβαιῶσαι* penderet ex eo quod est *κύριον* et *τὸ ζῆν* ex eo quod est *βεβαιῶσαι*. Verum codices omnes, uno solo fortasse excepto, *τοῦ ζῆν* repraesentant et correctio magis lenis videtur quam revera est, quum praesertim impeditus oriatur verborum ordo. Scripserim equidem: *τοῦ ζῆν ὄντα κύριον*, deletis interpolatis verbis *αὐτῷ βεβαιῶσαι.*

§ 140 p. 384: *ἠξίουν .... ἄξιόν τι καὶ αὐτοῦ καὶ τῶν Θηβαίων πρᾶξαι καὶ ὅλην τε τὴν πόλιν οὕτω καὶ σφεῖς [ὡμολόγουν] ὑπάρξειν αὐτῷ.* Est plane inutile fulcrum illud *ὡμολόγουν.* Praeterea notabile est pronomen *σφεῖς* in solo Parisino libro rectissime servatum. Unicum est si bene memini exemplum apud Demosthenem.

§ 141 p. 384: *σκέψασθε τί τοῖς Θηβαίοις γέγονεν ἐκ τούτων καὶ τί συμβέβηκεν.* Hic contra aliquid excidit et necessario supplendum: *καί τί (ἡμῖν) συμβέβηκεν.*

§ 149 p. 387: *τοῦτο δ' ἦν τὸ δεινότατον τοῦ πρὸς Φίλιππον πολέμου.* Nullus hic locus superlativo; lege *δεινόν.* Hoc modo saepe erratur cum in Graecis scriptoribus tum in Latinis.

§ 159 p. 391: *οὐ γὰρ αὐτῷ συςρατεύσειν ἐφ' ἃ νῦν ἔχει τῶν ὑμετέρων ἔμελλον.* Facilia haec verba sunt, sed nimis mihi languere videntur illa: *ἐφ' ἃ νῦν ἔχει.* Placet: *ἐφ' ἃ ἐν νῷ εἶχε*, sed obstat, fateor, hiatus.

§ 163 p. 392: *οὐδ' ἄρνησίς ἐςιν αὐτοῖς τὸ μὴ ταῦθ' ὑπὲρ Φιλίππου πράττειν.* Paene suspicor necessarium esse *τὸ μὴ* (*οὐ*). Scripsit Plato Crit. p. 43 C: *οὐδὲν αὐτοὺς ἐπιλύεται ἡ ἡλικία τὸ μὴ οὐχὶ ἀγανακτεῖν τῇ παρούσῃ τύχῃ.* Idem Rep. III p. 354 B: *οὐκ ἀπεσχόμην τὸ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦτο ἐλθεῖν ἀπ' ἐκείνου.* Proclivis librariorum error est alteram negandi particulam negligere. Exemplum habes apud Cobetum in *Var. Lect.* p. 510.

§ 163 p. 392: *Ἀπῆραν διὰ τοῦ πολεμίου ςρατεύματος εἰς Παγασάς, καὶ προϊόντες ἀπήντων ἐν Λαρίσῃ τῷ κήρυκι.* Facilia verba sunt in quibus nil quidquam nos morari poterit. Deinde sequitur: *τοσαύτῃ σπουδῇ καὶ προθυμίᾳ τότ' ἐχώρουν.* Hoc quoque facile intellectu est, sed nemo ita loquitur; equidem certe longe malo: *ἐχρῶντο.*

§ 171 p. 395: *τὴν μετὰ ταῦτα πρεσβείαν [τὴν ἐπὶ τοὺς ὅρκους].* In paucis inutile supplementum est.

§ 174 p. 395: *τὸ ψήφισμα ἐπεχείρησαν κινεῖν καὶ μεταίρειν.* Hoc intelligo quidem, sed praeter consuetum morem dictum videtur; praestat *μεταγράφειν*, cf. Mid. § 85 p. 542.

§ 180 p. 397: *τοῦτο τοίνυν αὐτὸ ἄνευ τῶν ἄλλων ἡλίκον ἐς' ἀδίκημα [τὸ Θρᾴκην καὶ τὰ τείχη προέσθαι].* De hoc loco Cobetus egit *Var. Lect.* p. 510: „abiice", inquit, „insulsum glossema: *τοῦτο* monstrat id quod praecedit *καὶ Θρᾴκην προδέδωκε Φιλίππῳ*". Qui locum interpolavit, nam minime dubito quin verum Cobetus viderit, memor fuit eorum quae legerat § 156 p. 390: *Δορίσκον, Θρᾴκην, τἀπὶ τειχῶν, Ἱερὸν ὄρος ... ᾕρει ὁ Φίλιππος.* Hic Reiskius post Palmerium, „suspicari", inquit, „si licet in re perobscura et nobis ignorata, malim legi *Θρᾴκης τὰ ἐπὶ τῶν τειχῶν*, Thraciae partem eam, quae *τὰ*

ἐπὶ τῶν τειχῶν, regio versus castella appellatur. Fuisse tractum Thraciae *τὰ τείχη* dictum, ut in Belgio *les barrières* e pag. 397 constat". Contra assurgit de more G. H. Schäferus: „Sed ille ipse locus vulgatam satis tuetur". Hoc vero emblemate cum Cobeto expuncto, incerta sit Reiskii suspicio, sed in paucis speciosa est. Ipse Schäferus alicubi, ad Coron. § 215 p. 300, vi veritatis ductus significat se Corai assentiri: *Κατηγορεῖται κοινῶς ὁ Ῥείσκιος, ὡς τολμηρὸς εἰς τὰς διορθώσεις του· ἀπέβαλα κ' ἐγὼ πολλὰς ἐξ αὐτῶν ἀπὸ τὴν ἔκδοσίν μου ὡς ἐσφαλμένας. Ἀλλ' ὅμως προτιμῶ τὴν γόνιμον τόλμην τοῦ Ῥεισκίου ἀπὸ πολλῶν ἄλλων ἐκδοτῶν τὴν ςεῖραν εὐλάβειαν*. Verissime hoc dictum est: est Reiskii *τόλμα* si qua alia *γόνιμος*, sed *ἡ ςεῖρα εὐλάβεια* hodie in honore est.

§ 191 p. 401: *οἱ προδιδόντες καὶ* [*οἱ*] *παραπρεσβεύοντες καὶ* [*οἱ*] *δωροδοκοῦντες*. Non fero iteratum articulum.

§ 193 p. 401: *ἤρετο Σάτυρον ... τίνα* [*ἐν*] *ἑαυτῷ μικροψυχίαν ἢ πρὸς αὐτὸν ἀηδίαν ἑνεορακώς, κτέ*. Cobetus praepositionem sustulit; hic quoque Blassius tacet et dixeris interdum eum *Varias Lectiones* et *Miscellanea Critica* aut omnino non cognovisse aut certe indiligenter lectitavisse.

§ 194 p. 401: *εἰπεῖν* [*φασιν*] *αὐτὸν ὅτι ἦν αὐτῷ ξένος*. Dele quod parum eleganter iteratum est ex praec. §.

§ 195 p. 402: *προῖκα δὲ προσθεὶς ἐκδώσω*. Apollophanes una certe plures filias habebat; quapropter necessarium est *προῖκας*.

§ 201 p. 404: *ἃ δ' ἐγὼ πέπυσμαι μέλλειν αὐτὸν λέγειν, ἐςὶ μὲν ἐγγυτάτω μανίας*. Lege: *ἐγγὺς ταῦτα μανίας*, sicuti saepe dicere solet.

§ 230 p. 412: *ὁ μὲν τὸν υἱὸν ἔπεμψε Φιλίππῳ πρὶν εἰς ἄνδρας ἐγγράψαι* [*ὁ μιαρὸς Φρύνων*]. Etiam in iis quae proxime sequuntur omissa sunt propria nomina. Sciolus Phrynonis nomen cognovit ex § 233.

§ 241 p. 416: ἐκείνους τοὺς λόγους εἶπεν οἳ κατ' αὐτοῦ ὑπάρχουσιν. Placet vetus lectio ὑπάρξουσιν. Eadem medicina usus est Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 134 Fals. Leg. § 324 p. 445 et vide quid suspicati simus Symmor. § 24 p. 184. Itidem cf. Dobr. p. 435.

§ 244 p. 417: τὸν μὲν Τίμαρχον οὐδ' οἱ πρόσχωροι πάντες ἐγίγνωσκον. Laborat sententia; requiro: οὐδ' οἱ πρόσχωροι πάνυ τι ἐγίγνωσκον. Sic πάνυ τι cum negatione coniungitur, cf. si tanti est Cobet. *Mnem.* 1858 p. 146.

§ 248 p. 419: τὴν δ' ἄτην ὁρῶν ϛείχουσαν ὁμοῦ [τὴν ἐπὶ Φωκέας ϛρατείαν] οὐ προεῖπεν οὐδὲ προεξήγγειλεν. Spuria in marginem releganda; mirabor si mihi re bene pensitata contradixeris.

§ 249 p. 419: διδάσκων ὁ πατὴρ γράμματα .... ὅπως ἠδύνατο, ἀλλ' οὖν ἐν ταύτῃ γ' ἔζη. Scribam: ἀλλ' οὖν ἐντεῦθέν γ' ἔζη. Prorsus idem vitium ap. Diodorum Siculum XX 103 eodem modo Madvigius sanavit *Advers.* p. 517.

§ 252 p. 420: τοῦτο μὲν τοίνυν εἶπε τοῖς δικαϛαῖς καὶ ἐμιμήσατο. Leve est corrigere: ὃ καὶ ἐμιμήσατο.

§ 253 p. 420: οὗτος δ' ἦν βασιλεὺς καὶ πάντες οἱ Ἕλληνες ὑμετέραν ἔγνωσαν Ἀμφίπολιν, ταύτην ἐξέδωκε κἀπέδοτο. L.: πόλιν· proprium nomen redeat in marginem.

§ 257 p. 423. Aeschines ἠτίμωσεν ὑπακούσαντα τιν' αὐτοῦ κατήγορον. Quaeritur quid hoc significet, quod quum minus appareat, G. H. Schäferus post Wolfium et Reiskium et alios ita respondet: „Orator dicit Timarchum non sponte sua, non ἐν ἐπηρείας τάξει καὶ φθόνου, non ut petulantem sycophantam, sed rogatum ab amicis invitatumque a bonis civibus ad accusandum Aeschinem prodiisse." Dobraeus p. 438 aliter nec melius: „Malim", inquit, „ὑπακούσαντά τιν' αὐτοῦ κατηγορεῖν. *Hominem, qui aliis obsecutus Aeschinem accusaturus erat.*" Nihil horum Blassio probari potuit *Eloq. Att.* III 2 p. 168: „Die Stelle",

inquit, „scheint nicht einmal unverdorben, jedenfalls aber braucht das *ὑπακούσαντα* nicht mit G. H. Schäfer so gedeutet zu werden, als bezeichne es den, der auf Wunsch eines Andern (hier des Demosthenes) an der Anklage theilnahm. Es kann auch bedeuten: „der auf die öffentliche Aufforderung hin, bei der Rechenschaftsablage etwaige Anklagen vorzubringen, sich einstellte."" Haec verbotenus descripsi, ut ipsi lectores iudicium ferre possent; mihi autem tam operosa ratio placebit donec melius quid inventum fuerit. Illud certe video *ὑπακούειν* in iudicio aliter usurpatum fuisse, veluti apud Hyperidem pro Euxenippo init.: *ἦν σπάνιον ἰδεῖν ἀπ' εἰσαγγελίας τινὰ κρινόμενον ὑπακούσαντα εἰς τὸ δικαςήριον.* Conferam autem legem quam recitari iussit Aeschines in Timarchea § 35: *τῶν ῥητόρων ἐάν τις .... κακῶς ἀγορεύῃ τινά, ἢ ὑποκρούσῃ .... κυριευέτωσαν οἱ πρόεδροι μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν καθ' ἕκαςον ἀδίκημα ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσιν, κτέ.* Quid hoc sit *ὑποκρούειν* Phrynichus dicet apud Bekkerum p. 68. 10: *ὑποκρούειν τοὺς ῥήτορας· τὸ μεταξὺ λεγόντων αὐτῶν ὑποφθεγγόμενον ἐμποδίζειν* et habemus exemplum apud Aristophanem Acharn. 37: *ἥκω παρεσκευασμένος*

βοᾶν, ὑποκρούειν, λοιδορεῖν τοὺς ῥήτορας,
ἐάν τις ἄλλο πλὴν περὶ εἰρήνης λέγῃ.

Non quaero nunc legaturne apud Aeschinem genuina an spuria lex, et satis est de hoc argumento lectores ablegare ad Bakii disputationem *Mnem.* 1858 p. 329 = *Schol. Hypomn.* V p. 116, sed hoc mihi intelligere videor, quum de populo quivis posset *ὑποκρούειν τοὺς ῥήτορας* et *obturbare*, verosimiliter graviore poena coercitum fuisse, si forte non Dicaeopolis aliquis sed unus *ἐκ τῶν πολιτευομένων* tale quid admisisset. Aeschines, fateor, nusquam totidem verbis arguit Timarchum *ὑποκρουςικὸν* fuisse; sed poterit eo pertinere quod exprobrat § 26: *πρῴην ποτὲ ῥίψας θοἰμάτιον γυμνὸς ἐπαγκρατίαζεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὕτω κακῶς καὶ αἰσχρῶς διακείμενος ὑπὸ μέθης καὶ βδελυρίας, ὥςε τούς γ' εὖ φρονοῦντας ἐγκαλύψασθαι.* Itaque fuit Timarchus *τῶν ἐλαττόνων ῥητόρων τῶν θορύβου μόνον καὶ κραυγῆς κυρίων*, sicuti Hyperides loquitur c. Demosthenem col. XII vs. 15. Ac talis orator Philippides erat, *κορδακίζων καὶ γελωτοποιῶν*, contra quem idem Hyperides declamat § 7. Accusator rem quantum potest exaggerat; Demosthenes amico suo parcit, nihil dicit de eius vita

flagitiis cooperta, ex omnibus criminibus — si quidem Aeschinis aliqua fides est — eligit levissimum idque tectis verbis ita elevat, ut Timarchus nihil magno opere peccasse videatur: Aeschines ἠτίμωσεν ὑποκρούσαντά τιν' αὐτοῦ κατήγορον. Contra, ubi de poena loquitur, ad invidiam conflandam et concitandam misericordiam, § 2 p. 341: τὸν μὲν ἀνῄρηκε τῶν ἐπὶ τὰς εὐθύνας ἐλθόντων, τοῖς δ' ἀπειλεῖ περιιών. Ἀνῄρηκε· non ultimo supplicio affecit, sed: de statu deiecit, sustulit. Phryn. Bk. 27. 16: ἀνῄρηκεν· οὐχ ὡς οἱ νῦν ἀντὶ τοῦ ἀπέκτεινεν, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ἐκποδὼν πεποίηκεν. οὕτω καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας. Timarchus infamis factus est, ἠτιμώθη, nihilque ultra in eum saevitum fuit. Ceterum de verbo ὑποκρούειν dignus est qui conferatur Toupius ad Longinum § 41. 2.

§ 265 p. 426: Λασθένης μὲν ἤρεψε τὴν οἰκίαν τοῖς ἐκ Μακεδονίας [δοθεῖσι] ξύλοις, Εὐθυκράτης δὲ βοῦς ἔτρεφεν κτέ. Recte Blassius omisit participium δοθεῖσι, quod non comparet apud Plutarchum de Garrulitate qui locum laudavit. Praeterea malim ἤρεφε scribere eamque scripturam Photius in Lexico quodammodo confirmat, sed pluris est animadvertere in sequentibus imperfecta identidem recurrere.

§ 265 p. 426: ἀπέβλεπον, ἐζήλουν, ἐτίμων, ἄνδρας ἡγοῦντο. Pariter Cicero ad Atticum XIII 52, quum in villa Caesarem hospitio excepisset: Quid multa? *Homines* visi sumus. Haud ita frequens ille usus mihi videtur esse. Unum adscribam exemplum: Xenoph. Hellen. VII. 1. 24: Ἀρκάδες ἀνεφυσῶντό τε καὶ ὑπερεφίλουν τὸν Λυκομήδην καὶ μόνον ἄνδρα ἡγοῦντο.

§ 266 p. 426: τὰς πόλεις ἁπάσας ἀπωλωλέκεσαν τὰς ἐν τῇ Χαλκιδικῇ προδιδόντες καὶ Φίλιππος οὐκέτ' εἶχεν ὑπακούειν τοῖς προδιδοῦσιν οὐδ' εἶχεν ὅτι πρῶτον λάβῃ. Cobetus in *Miscell.* p. 489 post Marklandum et Dobraeum recte delevit id quod est προδιδόντες. „Non tantum," inquit, „προδιδόντες (οἱ προδιδόντες) additum laedit aurem ob vicinum τοῖς προδιδοῦσιν, sed etiam cum loci sententia pugnat. Nempe ἀπωλωλέκεσαν de Olynthiis dictum manifesto significat ἀπεβεβλήκεσαν, *amiserant.*" Praeterea recepit Blassius Parisinam lectionem οὐχ ὑπεῖχεν ὑπακούων, quae

mihi non magno opere arridet. Malo equidem Dobraeum sequi p. 438, cui plane delenda videntur verba οὐδ' εἶχεν ὅ τι πρῶτον λάβῃ. Idem haec verba significant quod: οὐκέτι εἶχεν ὑπακούειν, sed minus eleganter enunciata sunt.

§ 272 p. 428. Orator praeconem recitare iusserat τὴν στήλην, in qua perscriptum erat Athenienses Arthmio Zelitae aqua et igni interdixisse ὅτι τὸν χρυσὸν τὸν ἐκ τῶν βαρβάρων εἰς τοὺς Ἕλληνας ἤγαγεν. Stabat illa loco conspicuo iuxta τὴν Ἀθηνᾶν Πρόμαχον· παρὰ τὴν χαλκῆν τὴν μεγάλην [Ἀθηνᾶν] ἐκ δεξιᾶς ἕστηκεν ἣν ἀριστεῖον ἡ πόλις τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους πολέμου δόντων τῶν Ἑλλήνων τὰ χρήματα ταῦτα, ἀνέθηκεν. Primum expungam proprium Minervae nomen, quod nostris hominibus fortasse utiliter additum est, nec vero ipsis Atheniensibus; deinde cum ταῦτα planissime abundet, coniiciam: δόντων τῶν Ἑλλήνων τὰ χρήματα ἐνταῦθ' ἀνέθηκεν. Ad rem Boeckhius conferri poterit Oec. Civ. II p. 247 sqq.

§ 280 p. 431: ὑπομενεῖτε τὸν μὲν εὐεργέτην τοῦ δήμου καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς [Ἐπικράτην] ἐκπεσεῖν; Nomen proprium irrepsit ex § 277. De Epicrate post alios quaedam collegi *Mnem.* 1899 p. 203.

§ 284 p. 432: ὁ μὲν ἠτιμώσεται ὅτι τοῦτον εἶδεν ἀδικοῦντα. Imo vero: οἶδεν· non sane fuerat testis oculatus.

§ 288 p. 433: πρότερον μὲν τί παρ' ὑμῖν ἐψήφισαι, τοῦτ' ἐπετήρουν οἱ ἄλλοι πάντες Ἕλληνες. Esse etiam hodie qui hoc probent vel certe excusent! Reiskius tamen iamdudum correxerat: ὅ τι.

§ 303 p. 438: τίς ὁ συσκευάζεσθαι τὴν Ἑλλάδα καὶ Πελοπόννησον Φίλιππον βοῶν; Suppleverim: (ὅλην τὴν) Πελοπόννησον.

§ 303 p. 438: τίς ὁ τὸ Μιλτιάδου καὶ τὸ Θεμιστοκλέους ψήφισμ' ἀναγιγνώσκων καὶ τὸν ἐν τῷ τῆς Ἀγλαύρου τῶν ἐφήβων ὅρκον; Quod ad hunc morem attinet, scribit Schoemannus *Antiqq. Jur.*

Publ. p. 198: „Adulta aetate iuvenes in demi s. pagi sui albo inscribebantur: deinde in concionem populi in theatro producti hastaque et scuto instructi in arcem templumque Aglauri solemni pompa deducebantur. Ibi iusiurandum dabant, se pro virili parte remp. eiusque salutem domi forisque conservaturos esse." Multi de hoc argumento egerunt, quos indicare nihil opus est. Ipsum iusiurandum servatum ab Stobaeo Floril. XLIII 48, cf. Schöm. *de Comit.* p. 332. Quaeritur autem utrum omnes ἔφηβοι in theatrum introducti fuerint an ii tantum, quorum patres bello occubuerant. Hoc equidem malo propter Aristotelem Politic. II 8: (Ἱππόδαμος Εὐρυφῶντος Μιλήσιος νόμον ἐτίθει) τοῖς παισὶ τῶν ἐν τῷ πολέμῳ τελευτώντων ἐκ δημοσίου γίνεσθαι τὴν τροφήν, ὡς οὔπω τοῦτο παρ' ἄλλοις νενομοθετημένον· ἔςι δὲ καὶ ἐν Ἀθήναις οὗτος ὁ νόμος νῦν καὶ ἐν ἑτέραις τῶν πόλεων, quae secutae erant, opinor, exemplum quod dederant Athenienses, cf. Timocr. § 210 p. 765. Nihil horum fortasse attigissem, nisi digitum voluissem intendere in *Mnem.* 1855 p. 309, ubi primum Cobetus laudat Aesch. Ctes. § 154: προελθὼν ὁ κήρυξ καὶ παραςησάμενος τοὺς ὀρφανοὺς ὧν οἱ πατέρες ἦσαν ἐν τῷ πολέμῳ τετελευτηκότες, νεανίσκους πανοπλίᾳ κεκοσμημένους ἐκήρυττε τὸ κάλλιςον κήρυγμα καὶ προτρεπτικώτατον πρὸς ἀρετήν, ὅτι τούςδε τοὺς νεανίσκους, ὧν οἱ πατέρες ἐτελεύτησαν ἐν τῷ πολέμῳ ἄνδρες ἀγαθοὶ γενόμενοι, μέχρι μὲν ἥβης ὁ δῆμος ἔτρεφε, νῦν δὲ καθοπλίσας τῇδε τῇ πανοπλίᾳ ἀφίησιν ἀγαθῇ τύχῃ τρέπεσθαι ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν καὶ καλεῖ εἰς προεδρίαν. Deinde Cobetus confert Cratini locum apud Suidam v. ἀμύνασθαι, ut felicissimo acumine emendet: αὐτοὺς ἐπαίδευσεν, ἔθρεψέ τε δημοσίοις χρήμασιν εἰς ἥβην ἵνα οἵ ποτε λοιγὸν ἀμύναιντο. Etenim ad eos ipsos, ut ait Cobetus, qui novis armis fulgentes in loco conspicuo sedentes ludos spectabant, se Poeta repente convertit et eos admonet ut pro his beneficiis fortem ac strenuam reip. operam praestent, his verbis:

(ὁ Δῆμος)
αὐτὸς ἐπαίδευσέν σ' ἀνέθρεψέ τε δημοσίοισι
χρήμασιν εἰς ἥβην ἵνα οἵ ποτε λοιγὸν ἀμύναις.

§ 307 p. 439: ἆρά γε ὅμοια ἢ παραπλήσια τούτοις; In *Anecd. Bk.* p. 163. 11 laudatur καὶ παραπλήσια, quod fortasse praestat.

§ 312 p. 441: εἰ μὴ τὰς ἀρετὰς ὑπὲρ αὐτῶν ἐκείνας οἱ Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι παρέσχοντο [οἱ ἡμέτεροι πρόγονοι]. Est emblema in paucis manifestum.

§ 313 p. 442: ὧν ἀποστερῶν ἐκείνους οὗτος αὐτὸς ἂν τῆς ἐπιτιμίας δικαίως νῦν στερηθείη καὶ ταύτην ὑπὲρ τῶν προγόνων ὑμεῖς δίκην λάβοιτε παρ' αὐτοῦ. Supple: (ἀξίαν) δίκην, cf. § 8 p. 343.

§ 320 p. 444: πῶς οὖν πάνθ' ἃ βούλομαι διαπράξωμαι; πῶς; οὕτως ἂν Ἀθηναίους τινὰς εὕρω τοὺς Ἀθηναίους ἐξαπατήσοντας. Lege: ὅπως;

§ 325 p. 445: τὰ τῶν συμμάχων τῶν ὑμετέρων [Φωκέων] τείχη κατεσκάπτετο. Item: § 141 p. 384: τῶν ἐχθρῶν [Φωκέων] ἄρδην ὄλεθρος. Quam est mirum ne hic quidem Blassium obtemperavisse Cobeto qui proprium nomen eliminavit *Var. Lect.* p. 509 et 513.

§ 337 p. 449: τὰ Θυέστου καὶ τῶν ἐπὶ Τροίᾳ κακά. Articulum inseram: (τὰ) τῶν, ne Thyestem Troiam aliquando venisse credamus.

§ 341 p. 450: οὐ μόνον κατὰ τἄλλα ἀλλὰ καὶ (πρὸς) τὰ πρὸς αὐτὸν τὸν Φίλιππον πράγματα πανταχῶς συμφέρει τοῦτον ἑαλωκέναι. Inserenda praepositio cuius compendiolum saepissime intercidit.

(*Continuabuntur*).

AD PLUTARCHUM.

Sull. 34 (Sint.). Sullae triumphus τῇ πολυτελείᾳ καὶ καινότητι τῶν βασιλικῶν λαφύρων σοβαρὸς γενόμενος μείζονα κόσμον ἔσχε καὶ καλὸν θέαμα τοὺς φυγάδας. Ne inepte balbutiat Plutarchus, pro καλόν legatur κάλλιον.

Cimon 16 (Sint.). Helotes in inermes cives se impetum facturos rati, cum illos armatos ad pugnamque paratos viderent, ἀνεχώρησαν ἐπὶ τὰς πόλεις. Quae illae sint πόλεις in densis latet tenebris. Venerant autem, ut modo dictum, ἐκ τῶν ἀγρῶν. Ergo pro πόλεις rescribendum erit ἐπαύλεις. J. J. H.

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex pag.* 210.)

XIV.

Hactenus observationes meas Taciteas ita disponere et ordinare potui ut capitula bene cohaerentia de variis nascerentur argumentis. Maior nunc restat pars, quae nullo inter se cohaereant vinculo. Ne tamen legentes statim longissima variarum annotationum detineam serie, primum me intra eos Annalium continebo libros, qui praestantissimo servantur codice Mediceo I. Qui cum lectu sit facillimus, accuratissime scriptus et a summis philologis diligentissime excussus, non ita multi eius restant loci, qui corrupti aut dubitationi obnoxii videri possint. Proferam tamen meas qualescunque suspiciones, quae hoc loco non plane indignae mihi visae sint, quibus exhaustis sponte mihi via ad novum erit munita argumentum, quod paulo diligentius pertractare una alteraque observationum mearum iubere videatur.

„Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant recentibus odiis compositae sunt.''

Haud dubie hoc vult Tacitus, neque vivis principibus illis neque mortuis eorum res ita ut oporteat scribi potuisse. Quam equidem sententiam e verbis eius extrahere non possim, nisi mihi liceat cum voce *compositae* aliquod adverbium iunctum

cogitare, in quo et ipso vocis *falsae* vis insit. Ad incitas ergo redigor hac Nipperdeii annotatione: „*falsae* steht in keiner Verbindung mit *compositae sunt*": nam verba *recentibus odiis* tamquam „ablativum modi" accipere nimis durum videtur: eo enim sunt loco posita ut *causam* alicuius rei iis indicari tantum non certum videatur. Aliquam tamen et in mea inesse interpretatione duritiam lubenter agnosco. Facere ergo non possum quin in *compositae* vitium latere suspicer. Sed in promptu est emendatio admodum lenis. Credo enim Tacitum dedisse *corruptae*. E)*ruptae* facile)*positae* nasci potuisse quis neget? Quod ad sensum verbi *corrumpendi*, quo opus hic est, pertinet, cf. A. IV. 11: „(peto ab iis) quorum in manus cura nostra venerit ne divulgata ... veris neque *in miraculum corruptis* antehabeant."

I, 6. Postquam narravit Tiberium oratione in senatu habita de Agrippae Postumi morte ita disseruisse ut ipsum Augustum iussisse contenderet, simulatque ipse diem supremum obiisset, illum de medio tolli, sic Tacitus pergit:

„Multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatus consulto sanciretur, perfecerat: ceterum in nullius unquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni illatam credibile erat."

Quoniam haud dubie Tacitus ipse duobus argumentis a se inventis hic Tiberii mendacium refutare studet, non quid de eo tunc senatores censuerint refert, pro *credibile erat* legendum *credibile est* censeo. Nam quem locum hic affert Furneaux c. 53:

„literae, quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur"

eius tam diversa est indoles, ut in eo non spernendum meae coniecturae inesse firmamentum persuasum mihi sit. Altero, ad quem idem v. d. provocat, IV, 74:

„Satis constabat auctam ei (Seiano) adrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti"

pro *constabat* legendum esse *constat* mox demonstrare conabor, idque argumento, ut mihi quidem videtur, certissimo.

I, 7: „Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere republica et ambiguus imperandi. Ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae. Verba edicti fuere pauca

et sensu permodesto: de honoribus parentis consulturum, neque abscedere a corpore, idque unum ex publicis muneribus usurpare."

Istam Tiberii „dissimulationem" hac re in medium proferenda redarguere Tacitus nititur:

„Sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat."

At *cuncta*, quae hic narrantur, facta sunt iam mortuo Augusto, aut certe cum in articulo mortis ille esset. Videndum ergo annon post *sed* inserendum sit: *vix* vel *vixdum*.

I, 22. Hoc quoque loco vocabulum quoddam excidisse ego suspicor. Per vim discordes Pannonicarum legionum milites eos ex suo numero, quos, tamquam seditionis auctores, Blaesus dux carcere claudi iusserat, liberant. Inde novarum turbarum instigator Vibulenus, gregarius miles, hanc ad commilitones orditur orationem ante ipsum Blaesi tribunal:

„Vos quidem his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis; sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blaese, ubi cadaver abieceris e. q. s."

Verbi *iugulavit* subiectum deesse nequit, quin obscurum sit audientibus de quo hic agatur. Digito autem, ut opinor, Blaesum orator noster indicat, ergo inserendum censeo *iste*, quod post *iugulavit* facile excidere potuit.

I, 32. De Germanicarum legionum seditione et alia et haec narrantur:

„Repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt..... Prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent; tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiciunt."

Ad *sexageni singulos* haec annotat Nipperdeius:

„Die Soldaten betrachten, was den einzelnen von ihnen geschah, wie dem Körper an einem Teile, so als allen insgesamt gethan. Wie also 60 centurionen die Legion schlugen, so wird jetzt jeder Centurio von 60 Soldaten geschlagen, um jeden dasselbe fühlen zu lassen, was bisher die Legion gefühlt hat."

Et probat ista Furneaux. At ego vix credo tantam in mili-

tibus illis fuisse doctrinam, aut tantam in centurionibus sagacitatem ut sapientissimum illud militum consilium non admoniti statim perspicerent. An praeco aliquis adstabat qui clara voce latine ea declamaret, quae in Nipperdeii leguntur annotatione? Non opinor. Iure ergo miseret centurionum, qui *convellantur, lanientur*, partim *exanimes proiciantur* et ne hoc quidem, haud leve profecto, mortis habeant solatium quod „symbolice" se vapulare sentiant. Sed frustra, ut opinor, desudavit Nipperdeius: nulla enim doctrinae vis tanta est ut id, quod ille voluit, e verbis *ut numerum centurionum adaequarent* ullo modo possit extorqueri. Reddamus, censeo, ista sciolo, qui hic nos ludibrio habet; tum enim quae restabunt, aptissima erunt et ipsi naturae rei, quae traditur, respondebunt: cuiusque centuriae milites cuncti in suum sibi involant centurionem, quod satis accurate, simulque facunde et graviter, verbis *sexageni singulos* significatur. Nam quae porro Nipperdeius observat:

„Wie viel Streiche jeder Soldat gegeben hat, ist dabei gleichgiltig, und es brauchen deshalb nicht alle Centurionen durch die Schläge getötet zu werden"

risum movent. Quis enim istis sarciri credat immanem illum Taciti errorem, de quo pag. 87 egimus? An sic verborum *laniandi* et *convellendi* vim imminui credamus?

Paulo post haec apud Tacitum legimus:

„Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum adulescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit."

Adverbia *mox* et *tum* inter se opposita efficiunt ut non dubitem quin pro *adeptus* legendum sit *adepturus*.

I, 34. Ex eadem narratione:

„Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere; et quidam prensa manu eius per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret."

Corrupta haec esse certo scio: salva enim Latinitate verba *prensa manu inseruerunt digitos* non *possunt* quidquam aliud significare quam hocce absurdissimum: „milites Germanici manum prehenderunt atque *huic* inseruerunt *suos* digitos." Quid tamen scripserit Tacitus non video.

I, 61. Germanicus, cum prope ab eo loco abesset, ubi Vari

legiones fuerant profligatae et reliquiae earum insepultae iacere dicebantur, militibus ducique solvere iusta cupiebat:

„Praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres umido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt maestos locos visuque ac memoria deformis. Prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant."

A tribus integris legionibus ea castra structa esse milites, cum accesserant, statim *intelligebant* (paulo post sequitur illud verbum, de quo cf. Vol. XXX pag. 103), tantus erat eorum ambitus et tantae omnes eorum partes. Sed absurdum est ad eiusmodi res, de quibus soli oculi idonei sunt testes, intelligendas promere perticas et metatoribus exhibere negotia. Accedit quod *lato ambitu et dimensis principiis* admodum incongrue dictum est. Locum haud dubie corruptum lenissima emendatione in integrum restituere potes. Legendum enim est *immensis principiis*. De adiectivi *immensus* usu Taciteo cf. quae scripta sunt pag. 206.

I, 74. In Granium Marcellum unum eiusmodi crimen in senatu profertur ut irae suae imperare non possit Tiberius. Sed lepida Cn. Pisonis interrogatione confutatur:

„quantoque incautius efferverat, paenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis."

De *structura* non ambigo, quamquam nullus e Tacito affertur locus ubi *eo modo quo hic* positivus aliquis comparativo opponitur. Sed ipsum illud *paenitentia patiens* sensu cassum esse mihi pro certo constat. Neque ita scripsisse Tacitum ipse codex perspicue demonstrat. In Medicei enim imagine phototypica, quam egregie conficiendam curavit Sythoffius, civis noster, vox *paenitentia* ultima quidem est lineae, sed non ad finem lineae percurrit: sequitur enim lacuna, in qua evanidae quaedam etiam nunc conspiciuntur literae. Equidem ibi mihi *propior* vel *pronior* agnoscere videor, sed literas *p* et *o* apparere etiam nemo negabit. Atque alterutro vocabulo lacunae spatium fere impletur. Scripsit ergo Tacitus *paenitentiae propior* (vel *pronior*), sed qui codicem scripsit, vel substantivi *paenitentia* sono, vel alia causa aliqua, in errorem inductus novam lineam ab adiectivo *patiens* ordiebatur. Deinde, ratus *paenitentia patiens* sincerae Latinitatis

atque huic loco aptum esse, illud *propior* (vel *pronior*) tamquam supervacuum delere conatus est.

II, 69. Venenum Germanico a Pisone datum Tacitus, licet ipse non credat (v. III, 14), ut legentes credant dat operam et alia narrando et haec:

„Tum Seleuciam digreditur (Piso), opperiens aegritudinem, quae rursus Germanico acciderat. Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone dati."

Si quis venenum sibi datum esse credit, aliamve ob causam persuasum sibi habet insanabili se laborare morbo, inanes esse solent medicorum labores: quidquid tentant et conantur, ipse aeger tristi illa opinione eorum arti et curae repugnat; sic facile morbus, quamvis levis, funestum habere exitum potest. Sed hoc ipsi naturae contrarium eiusmodi opinionibus *vim* (i. e. *impetum*) morbi augeri. Contrarium hic et ego expecto et quemque exspectare opinor, qui accurate totum locum legat:

„Saeva vis morbi augebat persuasionem veneni a Pisone dati."

Hoc, non id quod traditum est, a Tacito scriptum esse et ideo credo, quia statim annectitur alia res, quae eundem effectum habuerit, nempe ut illa *persuasio* augeretur. Continuo enim sequitur:

„et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carminaque et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres et tabo obliti aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis sacrari. Simul missi a Pisone incusabantur, ut valitudinis adversa rimantes."

III, 67. Silanus repetundarum ex Asia accusatur; quin verum illud fuerit crimen Tacitus non dubitat: addit *saevitiam* quoque eius in eo iudicio patuisse. Et tamen dat operam ut legentes rei misereat eorumque in Tiberium ira moveatur, et alia commemorans et haec:

„non temperante Tiberio, quin premeret voce vultu, eo, quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset."

Quanta fuerit Taciti in Tiberium iniquitas vel unus hic locus satis superque declarat. Nam fuerit Tiberius hic paulo severior

quam opus erat, at res ei erat cum provinciae carnifice, quod genus hominum semper optimus quisque princeps gravissimis affecit poenis. Et quod eum, quocunque tandem modo, ad confessionem compellebat, nihil ille confitebatur, quod verum non esset. Sed hoc nunc mitto. In ipsa Taciti verba vitium irrepsisse opinor. Est enim locus eiusmodi ut enumerentur notenturque quaecunque fecerit ipse Tiberius, non quae alii. Ergo pro *dabatur* legendum censeo *dabat*: tam erant crebrae Tiberii rogationes, ut respondendi spatium reo non esset. Etiam propter sequens *quaesivisset* necessaria videtur nostra emendatio. Gravissimum vero hoc quod, si *dabatur* retinetur, frustra quis quo modo illam Silano ademerit facultatem quaerimus. Formarum quales sunt *dabat* et *dabatur* perpetua est in codicibus confusio.

IV, 6. Inde ab anno 23 p. Chr. in deterius mutatum esse Tiberii principatum contendit Tacitus, nam usque ad illum annum recte et alia eum egisse ultro agnoscit et hoc quod

„mandabat honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse".

Si referre hic voluisset Tacitus quae fuisset opinio eorum hominum qui ipsi illa vixissent aetate, non, ut opinor, *fuisse* scripsisset, sed *esse*, neque adverbium *satis* addidisset, quod eius est, qui quid ipse post aliquam dubitationem secum statuerit narrat. Ergo pro *constaret* legendum erit *constet*. Itemque, atque eodem argumento ductus c. 74 pro *satis constabat* legendum arbitror *satis constat*.

IV, 11. Prudentissime Tacitus eos, qui tradiderint veneni poculum, quod sibi a filio paratum crederet, ipsum Tiberium filio porrexisse hoc argumento redarguit:

„Quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius antea flagitii compertum uteretur."

Quoniam nemo unquam Latine *unicum filium* sic nude *unicum* appellavit, non dubito equidem quin post *compertum* exciderit *filium*.

IV, 12. „Seianus, ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia

prima provenerant, volutare secum quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio."

Quis unquam adiectiva, qualia sunt *superbus*, *ferox* cum *genitivo* structa vidit? Et, ut iam faciamus semel sibi eiusmodi aliquid esse largitum Tacitum, quid istud *ferox scelerum* significare poterit aliud quam: „ipsis sceleribus, *quia bonum habuerunt eventum*, confidentior factus"? At illud ipsum eleganter vocibus, quae statim sequuntur, *quia prima provenerant* significatur. Ergo aliud quid nostro loco requiritur. Demonstrare, ut opinor, hic Tacitus voluit facile in mente Seiani quodvis nasci scelus, fertile esse illud scelerum solum. Scripsit ergo *ferax scelerum*. Usitatissimum est de alicuius *ingenio feraci* bonorum et malorum loqui; sed ipsum quoque Seianum *feracem scelerum* a Tacito certe dictum esse minime incredibile mihi videtur.

IV, 35. Cremutius Cordus, accusatus quod libris suis Brutum et Cassium laudaverit, mortem sibi consciscit. Sequuntur haec:

„Libros per aediles cremandos censuere patres; set manserunt, occultati et editi. Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui praesenti prudentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere."

Verissimum esse credo, quod observat Furneaux, Neronis hic magisque etiam Domitiani notari socordiam. Sed hoc si voluit Tacitus, res, quae vel sic satis elucet, fit apertissima: nempe *opponi* inter se imperatores Romanos et externos reges. Sed id recte non fit, nisi coniunctionem *aut* tollimus. Nam probari haudquaquam potest Nipperdeii annotatio: „durch das trennende *aut* ergänzt sich ein *apud nos* als Gegensatz zu *externi* von selbst." Talia enim si *sponte supplentur*, nulla non cuiusvis sententiae pars impune omitti potest. Quodsi quis non talem, qualem et Furneaux et Nipperdeius statuunt, oppositionem hic cerni contendit, is doceat, qui ergo homines verbis *qui eadem saevitia usi sunt* significentur.

IV, 39. Seianus Liviam, quae Drusi fuerat coniunx, in matrimonium sibi petit a Tiberio, argumento usus se iam

„quod pulcherrimum, adeptum, ut coniunctione Caesaris dignus crederetur. Hinc initium spei; et quoniam audiverit

Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum."

Tam durum mihi videtur inter se respondere coniunctiones *quoniam* et *ita*, ut in mentem mihi veniat pro *quoniam* legendum esse *quomodo*. Hoc certum est istud *q̊m̊* multis semper obnoxium fuisse casibus, cuius rei insigne praebet exemplum VI, 6, ubi nunc recte editur: „quid scribam vobis, patres conscripti, aut *quomodo* scribam aut quid omnino non scribam e. q. s.", at in codice non est *quomodo*, verum *quando*.

IV, 45. „Isdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinae. Is praetorem provinciae L. Pisonem, pace incuriosum, ex improviso in itinere adortus uno vulnere in mortem affecit."

Mira, hercle, locutio *in mortem afficere.* Equidem facere non possum quin verborum quorundam capitis 62 recorder: „et illi quidem, quos principium stragis in mortem afflixerat," atque nostro quoque loco *in mortem afflixit* legendum esse suspicer.

Ceterum harum rerum curiosos monitos volo, mire multis in rebus hanc congruere narrationem cum Sallustii illa B. C. c. 19, de alio quodam Pisone, qui et ipse in Hispania necatus est.

IV, 52. Vehementer Agrippina de iniuriis quibus afficiatur apud Tiberium queritur: „audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non regnaret."

Summopere dolendum quod Graecus ille versus interierit, nam quae eius fuerit sententia e verbis hic traditis non efficias. E quibus cum nullus omnino possit erui sensus, aliud quid a Tacito scriptum suspicor, lenique transpositione sic rescribo: „ideo non laedi quia non regnaret." Sic enim loquitur Tiberius: „non regnas, ergo laedi non potes; ubi unus homo praeest reipublicae, in illum solum istud *laedi* et vox *iniuria* conveniunt; ceteros cives, in quorum tu quoque es numero, quidquid sibi acciderit aequi bonique consulere oportet." Et idem nobis suppeditat Suetonius, qui hanc Tiberii „orationem directam" servavit: „si non dominaris, filiola, iniuriam te accipere existimas?", dummodo cum Rothio *interrogationis* post illam ponamus

signum, ut sic Agrippinam corripiat Tiberius: „non dominaris, filiola: qui ergo tam stulta esse potes ut iniuriam te existimes accipere?"

IV, 50. Cum Capreas abiret Tiberius:

„ferebant periti caelestium iis motibus siderum excessisse Tiberium, ut reditus illi negaretur. Unde exitii causa multis fuit properum finem vitae coniectantibus vulgantibusque. Neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. Nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore et saepe moenia urbis adsidens extremam senectam expleverit."

Locum a Tacito artificiose structum vox *ceterorum* perturbat; nam neque quae *cetera* ista sint satis patet, neque *ars* et *falsum* bene dirimuntur, et *nescii* nunc dicuntur iidem qui in urbem non regressurum haud forte dixerant, quod certe non voluit Tacitus; non reversurum Tiberium praedixerant mathematici, sed quo modo illud vaticinium esset accipiendum neque pronuntiaverant neque quaesiverant: in ea re exploranda frustra desudaverat imperitorum vulgus. Lege ergo *ceteri* pro *ceterorum*, ut hoc dicat Tacitus: „quod mathematici dixerant evenit; ceterorum interpretationes inanes fuerunt." Revera sic patuit *breve confinium artis et falsi:* ubi ab arte vel transversum unguem recedis, in falsa incidis; et hoc quoque patuit *vera quam obscuris tegerentur:* vera vaticinati erant mathematici, sed neque ipsi neque ceteri mortales, quid sibi vellet istud vaticinium, intellexerant.

IV, 62. „Coepto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit neque firmis nexibus ligneam compaginem superstruxit ..... Affluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, ob propinquitatem loci effusus."

Pro *effusus*, quod haud dubie corruptum est, Lipsius *effusius* coniecit. Sed quam vim summus vir huic adverbio tribuit? Ecquid: maiore studio, maiore ardore? Non obloquor, sed vel sic in vocibus *ob propinquitatem loci* haereo. Nam quae narrationis

pars eo sit referenda non video, neque ex ipsis verbis facile efficias *propinquitatem ab urbe Roma* cogitari. Nonne utrique incommodo lenissima prospicitur medela, si *effusi* legimus? Rari, Tiberio imperante, in ipsa urbe fuerunt gladiatorum ludi, ergo, cum tam prope urbem eiusmodi spectacula edebantur, avida plebs e tota urbe eo ruebat.

In praecedentibus *celebraret* prorsus idem significare, quod *ederet*, verissime annotat Furneaux, sed nonne admodum puerile est verbis *coepto amphitheatro* annectere: „quo spectaculum gladiatorum celebraret (vel *ederet*)" tamquam si non illud esset omnium amphitheatrorum struendorum consilium usitatissimum vulgatissimumque? Equidem post *quo* excidisse arbitror *citius* vel *celerius*, ut illud: *quo citius — celebraret* cum sequentibus, quibus viri festinatio describitur, sit iungendum.

De spectatorum in illo amphitheatro interitu et alia legimus et haec:

„miserandi magis (sc. quam qui statim sunt exstincti), quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant."

Pro *noscebant* legendum esse *poscebant* olim (Mnem. vol. 22 p. 357) demonstravi, vehementerque eam emendationem laudavit Vlietius meus, quo nullum novi iudicem magis idoneum. Postea apud Ritterum vidi iam Nevium idem intellexisse neque ipsi Rittero eam displicere lectionem. Tot tantorumque virorum fretus consensu ceterorum calumnias non magnopere metuo. Unum addo: vulgatae lectioni nihil esse praesidii in hisce Plinii (Ep. VI, 20) verbis: „vocibus requirebant vocibus noscitabant." Ibi enim *requirebant* eum obtinet locum, quem in emendata Taciti lectione *poscebant*. Et apud Plinium tam de sauciis agitur quam de eorum necessariis, qui illos quaerebant, apud Tacitum omnia ad solos saucios pertinent, qui fortasse ululatibus noscebantur; sed illos narrare *ululatibus noscere* eos, a quibus salutem expectent, vix dici potest quam sit absurdum.

IV, 67. Non possum alium locum indicare aptiorem ad demonstrandum quorsum abducat viros doctos novicia ista intemperies traditas lectiones, quamvis absurdas, cum certa sit

inventa emendatio, per fas atque nefas defendendi quam hic est. Traditum est:

„At Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset, ne quis quietem eius irrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus tamen municipia et colonias omniaque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit."

Pro *irrumperet* Heraeus felicissima lenissimaque emendatione reposuit *interrumperet*. Et tamen insanum istud *irrumperet* retinent editores quidam, his scilicet locis moti:

H. I, 82, 1. Militum impetus ne foribus quidem Palatii coërcitus, quominus convivium irrumperent.

H. IV, 50, 2. Raptim vecti, obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis irrumpunt destrictis gladiis.

Hoccine ergo edicto vetuit Tiberius vim sibi in suo Palatio fieri et necem intentari?

V, 6. Vir quidam, qui Seiani fuerat amicus, et post illius damnationem in summum adductus est discrimen, ad amicos et alia et haec loquitur:

„Versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum (Seianum) asciverat sibi ignoscit; ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur."

Nulla est in his oppositio, et omnino nullus sanus sensus, nisi sumimus hunc hominem declarare Tiberium, quoniam ipse scelus a se commissum non sentiat, omni scelere liberum esse (ceteri *cum scelere* insectantur, Tiberius sibi ignoscit). Quod nimis absurdum. Verum lege: *ignoscat*, habebis orationem egregiam dignamque viro, qui excelsum in republica tenuerit locum et ne in mortis quidem confinio reverentiae erga principem obliviscatur: „illos, qui olim Seiano sunt adulati, nunc eum insectantur, scelestos vocare non dubito; quod ad Tiberium attinet, is de se viderit, et, si possit, factum suum sibi approbet."

VI, 9. De Vistilio praetorio literas ad senatum mittit Tiberius, quibus insimulatur composuisse quaedam in C. Caesarem ut impudicum:

„atque ob id convictu principis prohibitus cum senili manu ferrum temptavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti responso, venas resolvit."

Sentententiam simul inepte verbosam (*venas* — *venas*) et lacunosam (*precatus* sine obiecto) sic esse sarciendam ut legeretur: „.... obligat venas, precatusque per codicillos veniam, immiti responso, resolvit" demonstravi Mnem. XXII p. 358.

VI, 15. „Diu quaesito, quos neptibus suis maritos destinaret, Caesar, postquam instabat virginum aetas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus, patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius, plebei Romae generis, verum antiqui honoratique et severa patris disciplina eductus, facilitate saepius quam industria commendabatur."

In vocabulo *saepius* haeret Nipperdeius, proque eo *plus* coniicit. At mihi tota res, quae narratur, negotii plus exhibet. Quid enim magis absonum quam eundem illum iuvenem, quem modo dixeris severe esse educatum, tam *facilem* evasisse narrare, tamquam si e severa disciplina facilitatem nasci quam maxime sit consentaneum? Quid quod Vinicio *opponitur* Cassius: Vinicium autem legimus fuisse *mitem ingenio*, quod prorsus idem est atque *facilis*. Ergo non sollicitandum istud *saepius*, sed locum inter se mutare debent *facilitate* et *industria*: „industria saepius quam facilitate commendabatur," ut hoc dicat Tacitus: „non, ut Vinicius, urbanitate et lenitate morum homines capere solebat Cassius; immo interdum plebeia simplicitate offendebat; at eiusmodi errores solida sua industria, cuius ostendendae *saepius* habuit facultatem, compensare solebat.

VI, 16. „Vetus urbi faenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus."

Nullus in his sensus inest, nisi *cohibebatur* dictum putamus pro *cohibendum erat*. Sed duriusculum istud, et ipse sensus, qui sic oritur, admodum est languidus. Ergo pro *eoque* legendum censeo *aegreque*, vel aliud quid in eandem sententiam: etiam cum minus corrupti mores erant, faenebre istud malum adeo iam inveteraverat ut vix exstirpari posset.

VI, 18. Poena statuitur in nobiles Graecos quosdam:

„Datum erat crimini, quod Theophanen Mytilenaeum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat."

Ista modorum varietas (*habuisset — tribuerat*) nil habet quo defendatur excuseturve. Sed lege *tribueret*, ét grammaticae consultum erit ét historiae: non enim dubium quin *illo quoque tempore* divinis honoribus afficere Theophanem Graeci sint soliti, qui ante 100 fere annos praeclare de ipsis fuerit meritis.

VI, 22. Postquam quomodo imminens sibi periculum perspexerit Thrasyllus et quomodo inter Tiberii receptus sit amicos narravit Tacitus, multa disputat de fato deque libero hominum arbitrio. Tum sic illam disputationem abrumpit:

„Quippe a filio eiusdem Thrasylli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim."

Immanem soloecismum *ne nunc abierim*, optime tollas legendo *aberrem* pro *abierim*. Hoc enim dicit Tacitus: „satis longus iam hic evasit excursus, nolo eum etiam augere commemorandis iis rebus, quae multo post evenerunt, sed ad propositum ordinem redeo."

XV.

Iam in praecedenti capite unum alterumque indicavi locum, qui nullo alio sanari modo posset quam vocabulis aliquot e textu eximendis. Est enim apud Tacitum affatim locorum corruptorum, quibus hac medela afferri salus debeat, praesertim in iis libris, quos codex Mediceus alter servavit, sed neque prior iis caret. Hos nunc, si non omnes, at plerosque proponam, et

quoniam haec ratio plerumque videtur
Futilis esse quibus non est tractata, retroque
Vulgus abhorret ab hac,

vel potius quoniam haud pauci nullam hic agnoscunt rationem, sed meram tantummodo temeritatem levitatemque, ordine procedam ingentemque materiem ita in certa dividam capita, ut legentibus ét quam maxime persuadeam ét, si fieri possit, etiam voluptatis afferam aliquid. Atque primum de *externis*, quae dicuntur, agam indiciis, demonstraboque hic illic iis commaculatum esse additamentis textum Taciteum, quae olim in margine

vel inter lineas adscripta fuisse nostris etiamnunc cernamus oculis. Iam iis, qui libelli mei *de Emblematis in Platonis textu obviis* primas adspexerunt paginas, nota sunt ista ex Mediceo altero:

(Hist. II, 98): mare quoque et esi *flabra aquilonis* arum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat

et (Hist. III, 20): et vineis, *machinamenti genus ad expugnandos muros in modum turrium factum* is aggredienda urbs.

(v. libelli citati p. 3). Nunc alia non minus insignia addam exempla.

In *Mediceo* ergo *priore* A. V, 9 hoc habemus: (ad mortem agebatur Seiani filiola adeo nescia)

„ut crebro interrogaret, quod ob delictum et quo traheretur, neque facturam ultra et posse se *puerilimo* verbere monerit."

Errare editores, qui syllaba *mo* delenda in integrum sibi locum restituere videantur, in *mo* enim latere *modo* (m̊), quod olim vocabulo *verbere* fuerit illustratum, antea demonstravi [1]. Habemus ergo hic *aberrantem* etiam annotationem, quae nondum certam in textu sedem invenerit. Si non ab homine rudi, sed a librario semidocto, liber hic descriptus fuisset, cum litera *t*, quae, e dittographia nata, nunc etiam vocabulo *moneri* adhaeret, etiam syllaba *mo* fuisset omissa, nosque certo emblematis careremus indicio.

A. III, 12. „Id solum" (Tiberii sunt verba, quibus de morte Germanici se cogniturum negat) „Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro, aput senatum quam aput iudices, de morte eius anquiritur."

Haeccine in Tacito tolerari etiam, neque quemquam adhuc observavisse bis idem hic dici, semel a Tacito (*in curia potius quam in foro*), semel a ludimagistro (*aput senatum quam aput iudices*)! At re observata simul manifesto tenemus librarium, pro Taciti verbis puerilem scioli venditantem annotatiunculam. Ne latinum quidem istud *aput senatum quam aput iudices* (omisso adverbio *potius*) esse videtur.

II, 81. „Interim Piso classem haud procul operientem adpugnare frustra temptavit; regressusque et pro muris modo semet afflictando, modo singulos nomine ciens praemiis vocans

1) Mnem. XXIX p. 280.

seditionem coeptabat, adeoque commoverat ut signifer legionis vocans sextae signum ad eum transtulerit."

Sic in codice est, qui ergo spectaculum nobis exhibet manifestum annotationis e margine in textum transgredi *conantis etiam*. Cum enim in archetypo locus ita esset scriptus (dabo autem linearum primae secundaeque tantummodo extremas partes):

. . . . nomine ciens *praemiis*
. . . . legionis sextae *vocans*
signum ad eum transtulerit,

novus librarius primum post *ciens* totam annotationem, deinde post *sextae* iterum alteram eius partem in textum recepit.

Vides non deesse in codice Mediceo priore eius rei, quam dicebam, praeclara exempla. At longe largior in Mediceo altero messis est.

A. XII, 33. „Sed tum astu locorum fraude prior (Caratacus), vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas."

Rectissime *fraude* seclusit Halmius, quod, olim supra *astu* scriptum, in eum textus locum irrepsit, ubi ferri nullo modo possit. Qui enim istud *astu locorum fraude* defendunt etiam, ii sanae menti indicere bellum mihi quidem videntur [1].

Simile quid, nec minus funestum, evenisse videtur A. XIII, 14. Irata Neroni Agrippina Brittanicum se ad imperium vocaturam minatur:

„Ituram cum illo in castra; audiretur hinc Germanici filia, inde debilis Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expostulantes."

Num quidquam unquam scriptum est simul ét disertius ét magis perspicuum? Non tamen pulcherrimum istud *hinc* .... *inde* intellexit ludimagister, ergoque ad *inde* annotavit *rursus*. Et nunc in textu legitur *inde debilis rursus Burrus*. Nam Acidalii ratio, *rursus* delentis, a recentioribus spernitur editoribus. Praeclaras profecto habebimus scriptorum latinorum editiones,

---

1) Quod ad peculiarem illam substantivi *astu* significationem (ars eligendi campi suis militibus apti) pertinet, cf. H. V, 17: „quae provideri astu ducis oportuerit, provisa, campos madentes et ipsis gnaros, hostibus noxios," qui locus admonere videtur ut hic (A. XII, 33) *locorum* quoque deleamus; nam *fraude locorum* vocis *astu* sic adhibitae non ineptum est interpretamentum. Sed fortasse *fraude* delere sufficit.

si ineptiarum amor iste pertinax aliquantisper grassabitur etiam!

A. XII, 67. „Infusum delectabili ci boleto venenum."

Unice vera ratio est Orellii sic legentis: *infusum delectabili cibo venenum.* Nam cum Tacitus ipsum *boleti* nomen sprevisset, et exquisita locutione *delectabili cibo* usus esset, illud supra lineam adpinxit sciolus. Nunc annotationem luctantem etiam cernimus, ut in alienam irrepat sedem, non sine veri iustique domini detrimento.

A. XIII, 35. „Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotae legiones, pace longa segnes, munia Romanorum aegerrime tolerabant."

Quae deinceps legimus: „satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent e. q. s." cuncta *castra* spectant. Sed lectione, quam proposuit Nipperdeius, *munia castrorum Romanorum* neque restituitur Taciti manus (inepte enim istud *Romanorum* abundat), neque patefit mendi origo. Equidem Tacitum scripsisse censeo *munia castrorum*, adscripsisse autem sciolum, qui putaret hic Syros et Romanos inter se opponi, *Romanorum*, eamque annotationem sic in textum irrepsisse ut genuinum vocabulum *castrorum* interiret.

Audis etiam magistelli vocem stridulam in hisce (XIV, 51): (praecedit narratio de Burri morte) „civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis et alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia adulteria."

Hic tamen editores obtemperant Orellio *adulteria* delenti, quo vocabulo recte quidem quid sibi illud *flagitia* velit illustratur, sed sermo Taciteus, atque adeo Latinus, absurdum in modum corrumpitur.

Atque admonet me hic locus duorum in Historiis, ubi eadem vox pueriliter in textum inserta Taciteae orationis splendorem pessumdat. Alter est I, 22. Agitur de Othonis libertis patronum suum ad fortiter agendum incitantibus:

„aulam Neronis et luxus, adulteria matrimonia ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes, quiescenti ut aliena exprobrabant."

Quis apud Tacitum istam fert sermonis ubertatem, qua sine ullo sententiae emolumento eadem res binis vocabulis (*adulteria*,

matrimonia) significetur? Hoc aulici isti volunt: „si ad imperium veneris, nobilissimarum mulierum, quamcunque voles, uxorem habere poteris."

Minus etiam ferendum quod altero loco legitur IV, 55:

„Sabinum super insitam vanitatem falsae stirpis gloria incendebat, proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse."

Admodum delectatum esse Tacitum flosculo isto *corpore placuisse* opinor, sed spoliavit eum egregio ornamento, qui primus insulsam annotationem *atque adulterio* in textum recepit.

A. XVI, 2. De thesauro a se invento homo quidam vanus Neronem edocet:

„Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis, per quos nosceret, an vera afferrentur, auget ultro rumorem."

Hic magistellus, ut structuram *missis per quos* discipulis explicaret, absurdum et a se inventum substantivum *visoribus* in margine adscripsit, quod postea in textum receptum sermonis barbarie etiam prodit sciolum. Quodsi nunc apud Tacitum legeretur „missis *exploratoribus* qui noscerent" vel eiusmodi aliquid, non deessent viri docti, qui anxie obstarent, quominus istud *exploratoribus* e textu eximeremus.

H. I, 27. „(Otho) sub aedem Saturni pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem ac paucitate salutantium trepidum, sellae [1]) festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt: totidem ferme milites in itinere adgregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore *et gladiis*, pars silentio."

Frustra desudarunt critici, qui pro *et gladiis* coniecerint *et gaudiis* vel *et gaudio*. Est enim *gladiis* annotatio adscripta vocabulo *mucronibus*, quae in alienam aberravit sedem, ibique coniunctione *et* praecedentibus verbis est agglutinata.

H. III, 19. Per tenebras noctis urbem Cremonam diripiendam esse milites quidam ex Flaviano clamant exercitu, et aliis usi argumentis et hoc:

---

1) Ante *sellae* in codice legitur coniunctio *et*, quam, ut totius loci constaret ratio, ego exemi.

„si lucem operiantur, iam pacem, iam preces, et pro labore ac vulneribus clementiam et gloriam, inania, laturos, sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore."

Quam egregie dicta haec sint, quam praeclare militum referant mentem, praedae inhiantium ducibusque invidentium, si quis semel senserit, non feret ultra adiacentem his insulsissimam magistelli, qui, ut ita dicam, ipso vocis se prodit sono, annotatiunculam: „expugnatae urbis praedam ad milites, deditae ad duces pertinere" [1]).

H. IV. 22. Civilis castra Romanorum oppugnat:

„Spem obpugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum [Romanorum] tuebantur."

Ineptum istud *Romanorum* non est in codicibus „deterioribus." Descripti ergo illi sunt non ex ipso Mediceo, sed ex aliquo apographo, quod vocabulum illud aut omnino non habebat, aut in margine scriptum. Cff. quae c. VIII scripsimus et Nipperdeii observatio p. IV praefationis, quae est in parte III editionis, quam a. MDCCCLXXIV in lucem emisit.

(*Continuabuntur*).

---

1) Rem verissimam apertissimamque primus mortalium perspexit v. d. H. M. Leopold, quem ante paucos annos discipulum habui carissimum.

AD PLUTARCHUM.

Theseus c. VI (Sint.). „Erant illo tempore homines quidam ingentibus viribus corporis et magna velocitate, quibus naturae donis ad ceteros opprimendos utebantur:"

τούτων Ἡρακλῆς τοὺς μὲν ἐξέκοπτε καὶ ἀνῄρει περιιών, οἱ δὲ λανθάνοντες ἐκείνου παριόντος ἔπτησσον καὶ ἀνεδύοντο καὶ παρημελοῦντο ταπεινὰ πράττοντες.

Primum lege *παρόντος* pro *παριόντος*, requiritur enim sententia: „quamdiu Hercules inter Graecos versabatur" recteque mox opponitur *ἐπεὶ δὲ Ἡρακλῆς . . . εἰς Λυδίαν ἀπῆρε καὶ συχνὸν ἐκεῖ χρόνον ἐδούλευε.*

Deinde pro *ἀνεδύοντο* prorsus contrarium requiritur: *ὑπεδύοντο,* quod synonymum est *τῷ πτήσσειν καὶ ταπεινὰ πράττειν.* v. Rom. 25: *οἱ μὲν ἀσθενέστεροι τῶν προσοίκων ὑπεδύοντο.* J. J. H.

AD TIMOTHEI PERSARUM
CARMINIS LYRICI FRAGMENTUM NUPER REPERTUM [1].

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

Quatuor paginas huic fasciculo deesse certiorem me facit typographus; quo spatio utar ut de Persis Timothei pauca quaedam observem. Carminis huius lyrici pars posterior nuper innotuit e volumine papyraceo, quod in Aegypto est repertum. Litterae magnae et pulcrae et priscam figuram servantes: prae ceteris notabiles sunt Ε, Μ, Π, Σ, Ω. Nostris autem ipsorum oculis iam cernimus discrimen quod intercedit inter libros antiquissimos et editiones quae postea Alexandriae prodierunt cura eruditorum grammaticorum, cum hoc volumen, quod IV° ante C. n. saeculo a primo editore tribuitur, — neque habeo quod contra dicam, — cum papyro duobus fere saeculis recentiore componimus, qui Bacchylidis exhibet carmina. Ibi versiculi breves, bene distincti et emendatissime scripti: Timothei hoc carmen de pugna Salaminia uno tenore per paginas latissimas est exaratum, nulla versuum habita ratione, et quam sublestae fidei etiam vetustissima fuerint exemplaria luculenter testatur: nam licet eleganter in charta nitida sit depictum haud ita diu postquam ab ipso poeta est compositum, — altera vixdum saeculi pars videtur intercessisse, — vitiis scatet apertis. Quorum pars nullo negotio tolli potuit, alia primo editori quantumvis sagaci negotia facessiverunt, necdum omnia sunt emendata.

Etiam emblema invitis numeris et verborum structura in textum irrepsit; de quo ne in diversa abeant virorum doctorum opiniones non videtur esse periculum, sed omnes opinor Wilamowitzium sequentur sic edentem (vs. 97 sq.):

1) Der Timotheos-Papyros. Lichtdruck-Ausgabe. Leipzig 1903. — Timotheos. Die Perser .... herausgegeben von U. v. Wilamowitz-Möllendorff. Leipzig 1903.

Φυγᾷ δὲ πάλιν ἵετο Πέρ-
σης στρατὸς [βάρβαρος] ἐπισπέρχων.

Contrarius error commissus est in pagina paenultima. „*Eheu!*" victus Xerxes lamentatur: „*naves Graecae nostram iuventutem* [1]) *delerunt, νᾶες δὲ οὐκὶ ὀπισσοπόρευτον ἄξουσιν.*" Lacunam post „*νᾶες δὲ*", ubi finem habet 4us paginae versus, indicavit vWilamowitz, et in paraphrasi sermone pedestri conscripta, quam ad exemplum veterum grammaticorum verbis poetae subiunxit, probabiliter sic explevit: „*αἱ δὲ τριήρεις ⟨αἱ ἡμέτεραι καὶ αὐταὶ ἀπολώλασιν⟩ οὐδὲ ἐπανάξουσιν αὐτούς.*" Itaque fortasse sufficit quod propono:

νᾶες δ' ⟨ἁμέτεραί νιν⟩
οὐκ ὀπισσοπόρευτον ἄ-
ξουσιν κτέ.

Litteras vitiosas passim correxit editor. Quibus locis addendus videtur qui legitur vs. 32 sqq.:

σμαραγδοχαίτας δὲ πόν-
τος ἄλοκα ναΐοις ἐφοι-
νίσσετο σταλα[γμοῖς].

Hoc loco quae extant litterae, clarae sunt omnes, certum autem esse quod vW. supplevit *-γμοῖς* nemo non videt. Sed eidem sermone pedestri ultima reddenti: „*τοῦ πυρὸς ἐκ τῶν νεῶν σταλάσσοντος*" non assentior. Nam *ignis scintillas* si dicere voluisset Timotheus, *ardendi* notio aliqua ratione erat indicanda. Quapropter mare non flammis navium flagrantium sed cruore pugnantium rubescens poetae menti obversatum esse arbitror. Quod si recte statuo, sequitur ut corruptus habeatur textus traditus; nam *guttae navales* non minus ineptum est *sanguinis* destillantis nomen quam *scintillarum* micantium. Pro Ναΐοις scribamus Δαΐοις, non iam erit dubium quae stillicidia sint intellegenda, et verti poterit locus: *per pontum caeruleum sulcus ducebatur sanguinolentus.* Quam coniecturam postquam in nostratium Museo aliquot abhinc hebdomadibus proposui [2]), laetus vidi op-

1) „*ἥβαν νέων πολύανδρον.*" Ubi pro *νέων* P. Mazon coniecit *ναῶν*, terra enim non dum victos fuisse Persas tum cum ad Salaminem classe est depugnatum. Quod tamen argumentum in hoc poeta, qui res gestas negligenter stringit potius quam enarret, non tanti videtur ponderis ut litteram E errori tribuamus.

2) Vid. Museum, Maandblad voor philologie en geschiedenis, 1903 p. 283 - 286.

time concinere quae nuper scripsit Paulus Mazon vir doctus[1]: „je crois que ἐφοινίσσετο et σταλαγμοῖς s'entendent . . . du *sang*." Contulit ille Pindari de pugna Salaminia verba: „ἀναριθμων ἀνδρῶν χαλαζάεντι φόνῳ" (Isthm. V 50) et oraculum ab Herodoto (VIII 77) servatum: „αἵματι δ' Ἄρης | πόντον φοινίξει." Gravissimum autem argumentum ad arguendum librarii errorem praebent poetae verba vicina; nam tertio abhinc versu redit adiectivum ναΐος, et ibi quidem apte adhibitum.

Sequuntur enim haec (vs. 36 sqq.):

ὁμοῦ δὲ ναΐος στρατὸς
βάρβαρος ἄμμι[γ' αὖτις] ἀν-
τεφέρετ' ἐ[ν ἰχ]θυ[σ]τεφέσι μαρ-
μαροπ[τέρ]ο[ι]ς κόλποισιν [Ἀμ-
φιτρίτ]ας.

Quae si recte sunt constituta, infeliciter hoc loco rem cessisse poetae negari nequit. Et *piscium* quidem ille ornatus fortasse est ferendus, sed *alae marmoreae* quoniam coniecturae debentur, — cautes sinum Salaminium cingentes ita dici arbitratur editor, — videamus an alia imagine poeta usus fuerit. Ego certe melius intellegam μαρμαροπ[ΤΥΧ]οις, apte enim *fluctus* dici potuerunt *plicae marmoreae* sive fulgentes *vestis deae marinae*.

Simillimam controversiam in fragmento carminis epici, quod anno proximo innotuit[2]), benevole mihi indicat Naberus collega venerabilis. Vs. 9 sq. ibi edidit Kenyon:

ἡ δὲ Μεθυμναίοιο βαθύπτ[ερ]ον οὐλο[μένοιο]
ἐς κλισίην ἵκετ' ἄρτι,

probabilius autem est quod proposuit Crönert[3]): βαθύπτ[υχ]ον.

Sed diffidenter de ultimo quem tetigi Timothei loco loqui me decet, legitur enim in voluminis parte misere habita, ubi fieri non potuit ut ipsa poetae manus passim restitueretur, licet admirationem moveat editor, qui singulari mentis acumine et felici audacia e sparsis verborum umbris litterarumque vestigiis continuam fere versuum seriem effinxerit satis apte decurrentium. Nempe poetae portenta et aenigmata loquentis hoc est opus.

1) Revue de Philologie, 1903 p. 210.
2) Vid. Album Gratulatorium in honorem Herwerdeni conscriptum p. 138 sq.
3) Archiv f. Papyr. II p. 351, 2.

Exempli causa affero quae de Persarum navibus ab hoste oppressis dicuntur (vs. 100 sqq.):

μακρχυχενόπλους | χειρῶν δ' ἔκβαλλον ὀρείους | πόδας ναός. στόματος | δ' ἐξήλλοντο μαρμαροφεγ- | γεῖς παῖδες συγκρουόμενοι.

Prima verba perspicua sunt: „*nautae* triremis ab hoste percussae *e manibus emittebant remos*", et clarius iam patet quam praestanti emendatione Lampitonis Aristophaneae verba (Lys. 173) olim persanaverit Valckenaer: „*pacem nunquam agetis Athenienses*

ἇς πόδας κα ἔχωντι ταὶ τριήριες",

ἕως ἂν πόδας ἔχωσιν — ἢ θεῖν οἷαί τε ὦσιν — αἱ τριήρεις, quo loco traditum est in codd. *ἀσσποδᾶς* vel *ἀσσπουδάς*. Sed in proximis Timothei verbis res minus certa est; quae nimis absurda ratus vW. si *nautarum στόμα* sit cogitandum, ipsius *navis* dentes et os intellegit, Dielsium secutus: „*ὀδόντες* sind die im Dollenbord „gesetzten Dollen (*σκαλμοί, τύλοι*)... Diese weissen Pflöcke sieht „man an der rothgestrichenen Schiffswand in den Ruderlöchern „wirklich wie Zähne stehen". Ingeniosissime profecto excogitatum! Sed, dicam aperte, deteriores etiam hi versus mihi videntur si ita sunt interpretandi, quam si de veris ipsorum remigum dentibus, quod puto, locutus est Timotheus: „e manibus remi, ex ore dentes excutiebantur". Verbum autem *συγκρούειν* apte dici potuit de maxillis inferiore et superiore violento ictu complosis, *triremis* vero illi dentes — si tam mira imagine uti libuisset poetae — *ἐκκόπτεσθαι* vel *ἐκκρούεσθαι* potius erant dicendi. Et *μαρμαροφεγγής* — Vürtheimii haec est observatio — facilius intellegitur de dentibus dictum quam de paxillis sive ligneis sive ferreis.

Unum locum addo. Miles Asianus cum maris fluctibus colluctans (vs. 79 sqq.)

ἀπείλει | γόμφοις ἐμπρίων | μιμούμενος, λυμεῶ- | νι σώματος θαλάσσᾳ·

— sequuntur hominis minae. Verba quae excripsi editor ita reddidit: „*ἠπείλει τῇ θαλάσσῃ τῇ τὸ σῶμα διαλυμαινομένῃ, διὰ* „*μιμήσεως γοῦν τοῖς ὀδοῦσι καταπρίων* (*τὴν θάλασσαν*)" et fuse de iis egit in commentario [1]). Nondum tamen satis intellego textum traditum, sed suspicor pro ΜΙ*μούμενος* legendum esse ΘΥ*μούμενος*:

γόμφοις ἐμπρίων, | θυμούμενος λυμεῶ- | νι σώματος θαλάσσᾳ.

Plura non capit charta.

1) „Voir l'excellent commentaire de Wilamowitz sur ces mots" (P. Mazon).

AD MARCI ANTONINI COMMENTARIOS.

SCRIPSIT

J. H. LEOPOLD.

Marci Antonini Commentarii, ed. Ioannes Stich.

I.

Epictetus in Dissertationum libro IV. c. 4, cum in eos invehitur, qui vitam otiosam et literis deditam agere cupiant, primum Stoicorum illam et Cynicorum doctrinam exponit, scilicet libros, otium, studia tantum eatenus esse expetenda, quatenus ad vitam recte instituendam et fortiter peragendam facere possint; deinde subiungit alterum sibique magis proprium argumentum: ut divitiarum et honorum appetitum, sic etiam cupidinem legendi, discendi, meditandi, rerum nimirum extra fines humani arbitrii positarum, homines pro liberis servos facere et fortunae vicissitudinibus obnoxios. „Quid enim distat exoptare „utinam senator sim" et „utinam ne senator essem," quid „utinam magistratus fiam" et „utinam privatus essem." Quid differt de se praedicare: „male mihi est; nihil habeo, quod agam, in quo agendi facultates exerceam, dum iners libris intabesco," et „male mihi est, nam otium non habeo legendi et meditandi." Ut salutatio, ut honores, sic etiam legendi potestas res est externa neque in voluntate nostra posita."

Et sane cogitatione assequimur, homines illos Romanos, qui nobiles quique inde a pueritia rebus gerendis destinati, mox in republica capessenda occupati essent, postquam semel in cognitionem pervenerint eorum, quae revera ad nos pertinent quae-

que nescire malum, haud sine animi discordia et dissensione a legendo, meditando, philosophiae studio promovendo sese abduxisse et tempus viresque iis rebus impendisse, quibus fortuna et rerum eventus eos circumdedisset ac paene deligasset. Quin inter ipsa negotia qua veneratione memoriam horarum legendo et tacite secum colloquendo absumptarum coluisse, quo desiderio quibusve votis studiorum instaurationem prosecuti esse existimandi sunt! Optime igitur, ne ii, qui nuper vanis cupiditatibus animique perturbationibus liberati essent, protinus nova atque aeque futili spe deliquescerent, ab Epicteto admonentur, quippe qui hominibus, quae esset vera libertas, ostendere sibi proposuisset.

Haec autem omnia in quemnam melius quadrent vel quis praecepta Epicteti sui saepius recolenda sibique ante oculos ponenda habuerit, quam Marcus ille Aurelius philosophus? Nam quot et quanta negotia ei sustinenda fuerint, et rerum ab eo gestarum memoria et res ipsa declarat, cum a puero honoribus auctus, inde ab anno duodevicesimo in societatem fere imperii adsumptus, denique anno aetatis quadragesimo ad summum fastigium ipsumque principatum pervenerit. Quanto autem studio natura ad literas et disciplinas ferretur, apparet apud omnes, qui de sedulitate eius et indefessa industria multa tradiderunt et de magistris, quos studiosissime coluit; qui inter alia memorant eum iam senem scholas Sexti frequentasse, ita ut Verus, manus ad caelum tollens, dictum in eum iactaverit: „ὦ Ζεῦ, ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς γηράσκων ἤδη δέλτον ἐξαψάμενος ἐς διδασκάλου φοιτᾷ" [1]), denique apud quos „literis Graecis et Latinis refertus," „ἀνὴρ πολυίστωρ," „literarum Graecarum peritissimus," talia passim audit.

Ceterum quanto amore artes et disciplinas amplexus sit Marcus, etiam Commentarii ipsi interdum implicite confitentur. In quibus v. c. auctor omnia diligentissime enumerat, quae magistris suis singulis se debere existimet, nec non dis gratias agit, qui sibi tam egregios viros praeceptoresque obtulerint. Neque discrepat locus, qualis est I. 17, ubi dis acceptum refert: τὸ μὴ ἐπὶ πλέον με προκόψαι ἐν ῥητορικῇ, καὶ ποιητικῇ, καὶ τοῖς

1) Philostratus in vita Herodis vol. II. ed. Kayser p. 65. 20.

ἄλλοις ἐπιτηδεύμασιν, ἐν οἷς ἴσως ἂν κατεσχέθην, εἰ ᾐσθόμην ἐμαυτὸν εὐόδως προϊόντα [1]); etenim haec ipsa sunt verba hominis, qui, quantum in se est, in artes discendas incubuit, sed rebus, quae sui arbitrii non sunt, obstantibus, ingenio puta deficiente, non tantum, quantum speravit, profecerit; post autem bene factum esse perspicit et dis gratulatur, quod profectus in rebus levioribus eum non detinuerint, quominus ad rei gravioris cognitionem perveniret. Postremo huc faciunt loci illi sat multi, in quibus auctor se ad res agendas et ad negotia suscipienda adhortatur, qua admonitione nulla fere in Commentariis est frequentior. Etenim obiurgatio illa toties repetita philosophum arguit, qui, dum moribus suis corrigendis operam dat, imprimis ad illas res sese exhortatur, in quibus praecipue se deficientem deprehenderit. Itaque ipsa illa adhortatio ad munera, ad officia obeunda, ad vitam activam ut aiunt, haud ambigue indicat, qualis fuerit nativa et primaria auctoris indoles, vel potius aperte declarat eam ad studia et contemplationes inclinasse [2]).

Atque his iam sensim ad ea, quae volui, pervenimus. Etenim si recte statuitur Marcum et munere imperatoris egregie perfunctum esse et natura ad vitam otio et studiis deditam potius inclinasse, inquiri iam potest, num qua vestigia discordiae illius internae cupiditatumque conflictionis, de quibus Epictetus loco supra a nobis allato acute disputat, in Antonini scriptis extent:

---

1) Similiter l. I. 7. Rustico acceptum refert auctor, quod a studio rhetoricae et poeticae destitit et intellexit se indigere correctione et curatione morum, quodque in illis appetendis neque ad aemulationem sophisticam vel ad libellos de theorematis conscribendos vel ad oratiunculas adhortatorias se declinavit neque rursus, ut homines in stuporem et admirationem sui raperet, virum strenue agentem et se exercentem ostentavit. — Quem locum si recte enarravi, apparet emendationem Xylandri *ἐνεργητικόν* omnino in contextum recipiendam esse.

2) Fuisse Marcum hominem elegantiorem et ad musicae et poeticae delenimenta minime durum, indirecte etiam efficitur ex l. XI. 2, ubi cantum vel saltationem dulcem in singulas partes et quasi elementa dirimendam atque ita dulcedinem et potestatem in mentem humanam frangendas sibi praescribit. Cum quo loco conferatur lepida illa narratio, quam tradit Philostratus in vita Aristidis vol. II p. 87. 10: „*τὴν γὰρ πόλιν ταύτην* (sc. *Σμύρναν*) *ἀφανισθεῖσαν ὑπὸ σεισμῶν τε καὶ χασμάτων, οὕτω τε ὠλοφύρατο ὁ Ἀριστείδης πρὸς τὸν Μάρκον, ὡς τῇ μὲν ἄλλῃ μονῳδίᾳ θαμὰ ἐπιστενάξαι τὸν βασιλέα, ἐπὶ δὲ τῷ „Ζέφυροι δὲ ἐρήμην καταπνέουσι", καὶ δάκρυα τῷ βιβλίῳ ἐπιστάξαι τὸν βασιλέα" κτέ.*

num etiam ille cum dolore interdum et animi contentione ad res necessarias a rebus potioribus, studiis, libris se abduxerit. Ad quam quaestionem ea, quae modo attulimus, partim iam respondisse videntur. Nec desunt alii loci in Commentariis, qui indicia exhibent animi nunc se consolantis, quod doctrina non nimis necessaria sit ad vitam recte agendam, nunc libros et otium legendi studendique desiderantis quidem, sed in rerum statu acquiescere conantis. Quae res nonnumquam hunc vel illum ex interpretibus effugisse videtur.

Sic v. c. l. II. 13: „nihil est miserius, inquit, quam homo, qui omnia undique indagatur et quae sub terra sunt, ut ait poeta, perscrutatur, neque intellegit sibi sufficere, ut cum illo, quem intra se gerit, genio versetur eumque sincere colat."; l. III. 19: „*πάντα οὖν ῥίψας, ταῦτα μόνα τὰ ὀλίγα σύνεχε*," i. e.: „igitur omnia reliqua, sc. studia, investigationes, disceptationes valere iube, pauca illa et praecipua praecepta retine." Porro II. 2: „*ἄφες τὰ βιβλία· μηκέτι σπῶ· οὐ δέδοται*," „proinde mitte libros; ne amplius distrahere, non enim licet" [1]). Denique III. 14: „ne diutius evageris: neque enim futurum est, ut commentarios tuos perlegas aut Romanorum et Graecorum res gestas et ex variis scriptis Excerpta, quae senectuti tuae reposuisti. Itaque festina ad finem et missa spe vana, si tui tibi cura est, tibi ipsi consule, dum licet," et imprimis II. 3: „*τὴν δὲ τῶν βιβλίων δίψαν ῥῖψον, ἵνα μὴ γογγύζων ἀποθάνῃς, ἀλλὰ ἵλεως, ἀληθῶς καὶ ἀπὸ καρδίας εὐχάριστος τοῖς θεοῖς*," — „librorum sitim pelle, ut ne murmurans moriare" — murmurans puta ob sortem iniquam, quae sitim legendi et cognoscendi explere non concessisset.

Pergo ad l. VIII. 8: „*ἀναγινώσκειν οὐκ ἔξεστιν. ἀλλὰ ὕβριν ἀνείργειν ἔξεστιν· ἀλλὰ ἡδονῶν καὶ πόνων καθυπερτερεῖν ἔξεστιν· ἀλλὰ τοῦ δοξαρίου ὑπεράνω εἶναι ἔξεστιν*" *κ. τ. ἑ.* Qui locus et olim a Nauckio et nuper a v. d. Rendall in dubium vocatus est, quorum prior contextum traditum „vix ferri posse" statuit [2]). Quodsi locos supra allatos recte inter se composuimus

1) Cf. etiam l. II. 7.

2) Cf. Mélanges Gréco-Romains tom. V. p. 13. Quod ipse Nauck dubitanter quidem protulit: „*ἀναβιῶναι οὐκ ἔξεστιν*", vereor, ut sit ex mente Antonini, qui toties innuit homini unoquoque aetatis momento, immo vel in extremo vitae limine, licere vitam alteram, novam, sc. ex rationis praeceptis institutam inire. Cf: VII. 2: „*τοῦτο*

et explicavimus, sponte elucet, credo, locum hunc non tantum omni vitio carere, sed praeclare animi statum illustrare auctoris, qui, quoniam intellexit legere et studere sibi non licere, se consolatur, quod tot alia munera, eaque longe graviora, sibi praestanda supersint.

Ad eundem autem statum animi auctoris referendus est alter locus, paullo difficilior, l. IV. 30, qui a Stichio sic editur: „ὁ μὲν χωρὶς χιτῶνος φιλοσοφεῖ, ὁ δὲ χωρὶς βιβλίου· ἄλλος οὕτως ἡμίγυμνος. ἄρτους οὐκ ἔχω, φησί, καὶ ἐμμένω τῷ λόγῳ. — ἐγὼ δὲ τροφὰς τὰς ἐκ τῶν μαθημάτων οὐκ ἔχω, καὶ ἐμμένω." Ultima Nauck l.l. p. 6 tamquam glossema eiecit, haec addens: „verba extrema (ἐγὼ δὲ — ἐμμένω) quae uncis inclusimus conveniunt pauperculo ludi magistro, qui se quamvis victu destitutum dicat in optimarum artium studiis perseverare: num vero Antoninus is erat, qui ἐκ τῶν μαθημάτων victum quaereret?"

Locus aut omnino integer est, aut unica tantum eaque lenissima correctione indiget, quam dudum adhibuerunt Menagius et Gataker, pro οὕτως scribentes οὗτος: ἄλλος οὗτος ἡμίγυμνος „alius quispiam seminudus" [1]). Qua emendatione recepta, omnia recte procedunt, dummodo locus hoc modo distinguatur: „ὁ μὲν χωρὶς χιτῶνος φιλοσοφεῖ, ὁ δὲ χωρὶς βιβλίου. ἄλλος οὗτος ἡμίγυμνος ,ἄρτους οὐκ ἔχω' φησί ,καὶ ἐμμένω τῷ λόγῳ'. — ἐγὼ δὲ τροφὰς τὰς ἐκ τῶν μαθημάτων οὐκ ἔχω, καὶ ἐμμένω." Instituitur nimirum comparatio vitae Cynicorum, qui corporis blandimenta contemnere, et vitae auctoris, qui animi voluptatibus egere consuerat. Igitur Cynicus philosophatur sine tunica, at huic philosophandum est „sine libro." Ecce alter Cynicus seminudus „panis" inquit „mihi non est et tamen rationem constanter observo." „At ego alimentis illis animi, quae ex disciplinis variaque doctrina percipiuntur, careo et tamen rationem observo."

μάθε καὶ ὀρθὸς εἶ· ἀναβιῶναί σοι ἔξεστιν." X. 8: „ἐὰν οὖν διατηρῇς σεαυτὸν ἐν τούτοις τοῖς ὀνόμασι, ἔσῃ ἕτερος καὶ εἰς βίον εἰσελεύσῃ ἕτερον."

V. d. Britanni coniecturas cognovi ex libro eius: M. Aurelius Antoninus to himself. An English translation with introductory study on Stoicism and the last of the Stoics. London. 1898.

1) Ad locutionem ἄλλος οὗτος illustrandam Gataker affert locum ex Demosthenis oratione ad Midiam: ἄλλος οὑτοσί τις ἀναιδής. Possis etiam conferre proverbium illud ex Plut. Thes 29: ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς.

Vides quam bene haec in Antoninum conveniant et in ea, quae supra de studiis interruptis ex Commentariis collegimus, quamque immerito haec a Nauckio tamquam Marco indigna abiciantur. Nec non persentiscis, opinor, amaritudinem, quae inest in verbis ultimis, quae in Cynicum frugalitate sua et patientia corporis elatum, regeruntur ab eo, qui aliam eamque longe graviorem paupertatem, sc. animi et vitae internae, tacite et sine ostentatione perferre didicerat.

Haec de Antonini primaria indole. Quodsi quis ea, quae disseruimus, breviter complecti cupiat, et simul animo concipere ac sentire, quam penitus imperator hic literas et philosophiam dilexerit, perlegat l. VIII. 1 vel VII. 67 sub fine. Nusquam enim apertius vel dolore magis conspicuo auctor Commentariorum statuit „se iam desperare fore, ut umquam dialecticae vel physicae satis peritus existeret, vel ut nomen philosophi veri tueri posset," nusquam clarius illustratur illud: „Felix qui potuit .... fortunatus et ille," etqseqq., consolatio illa poetica eius, qui nobilitate philosophiae perspecta studiis illis praeclaris sufficere se posse, sive propter ingenii debilitatem sive temporibus obstantibus, desperat et tandem, missis iam iis, quae sperare nefas, concessis uti secum destinat.

II.

Fuisse Marcum hominem eruditum declarant etiam loci ex aliis scriptoribus petiti, qui passim in Commentariis interspersi inveniuntur. Quos auctorem laudasse apparet tamquam suam ipsius sententiam eximie referentes vel eo consilio, ut disputationem ex loco aliquo aliunde noto instituens, dein de suo adderet nonnulla, verborum citatorum sensum augeret et amplificaret, interdum corrigeret etiam vel ad placitorum suorum normam redigeret. Qui loci et numero satis multi et ex variis scriptoribus arcessiti, auctoris haud mediocrem fuisse doctrinam clare indicant. Homo autem vere elegans, cui non eruditionis copias ostentare in animo esset, sed sententiam suam ornare et ea tantummodo respicere, quae omnibus cultioris ingenii homi-

nibus nota et prompta essent, in locis ipsis integre et ad verbum reddendis non nimis anxius fuit et nomen scriptoris addere saepissime neglexit [1]), interdum ne indicavit quidem, se non sua sed aliena afferre verba.

Hi autem loci, sive nomine auctoris notati, sive vocabulo *Φησί* addito vel alio modo indicati, sive per se satis noti, tantum non omnes iam olim, ut fit, a primis Antonini editoribus agniti et, quoad fieri potuit, ad ipsorum scriptorum, unde petiti erant, libros, capita, versus relati sunt. Nec non in editione recentissima Commentariorum, quam curavit Stichius, literis diductis vel siglis „ " vel alio typothetarum artificio significati sunt [2]); pauci his quoque diebus inventi sunt, ut l. VIII. 41, ubi Rendall versum illum Empedocleum ex l. XII. 3 recte attulisse videtur et nuperrime in loco desperato l. IV. 46, ubi idem vir doctus vocem obsoletam *τοκεώνων* feliciter restituit et totum locum Heraclito vindicavit [3]).

Superest locus unus et alter, quem indicia interna potius, sententiarum connexio et totius loci tenor, aliunde arcessitum arguunt. Quid velim, liber undecimus Commentariorum optime illustrabit. Etenim in fine huius libri auctor satis longam seriem adiunxit capitum, ubi aut ipsa verba aliorum scriptorum laudantur, aut notae historiae, fabellae, talia respiciuntur, denique res aliunde petitae et ab auctore in usum suum conversae proferuntur. In qua serie perlustranda ante omnia apparet c. 33: „*σῦκον χειμῶνος ζητεῖν μαινομένου· τοιοῦτος ὁ τὸ παιδίον ζητῶν, ὅτε οὐκ ἔτι δίδοται*" iniuria a Stichio nullo signo tamquam aliunde petitum notatum esse, quippe quod caput perinde atque

1) Notatu dignum esse videtur, cum passim philosophi varii nominatim laudentur, nusquam a Marco in poetarum sententiis afferendis nomen auctoris apponi, quippe quod alienum videretur ab argumento graviore. Quae res quodammodo facere potest ad coniecturam Xylandri refellendam, qui l. IV. 18 in loco desperato: „*ἢ κατὰ τὸν ἀγαθὸν μὴ μέλαν ἦθος περιβλέπεσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τῆς γραμμῆς τρέχειν ὀρθόν, μὴ διερριμμένον,*" legendum censuit: *κατὰ τὸν Ἀγαθῶνα.*

2) Neglecta a Stichio esse videntur V. 29: „*καπνός, καὶ ἀπέρχομαι*" locus ex Epicteto desumptus (cf. Diss. I. 25. 18 et IV. 10. 27) et VII. 66: „*ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐβρενθύετο,*" quae sunt verba Aristophanis Nub. 362. — Dolendum praeterea, quod locorum, qui in contextu laudantur, titulos et numeros in calce paginarum adscribere omisit editor.

3) Classical Review XV. feb. 1902 p. 28.

sequentia (34 et 35) proxime accedat ad hunc Epicteti locum Diss. III. 24. 87: *„οὕτω κἂν τὸν υἱὸν ἢ τὸν φίλον τότε ποθῇς, ὅτε οὐ δέδοταί σοι, ἴσθι ὅτι χειμῶνος σῦκον ἐπιποθεῖς."* Itaque patet omnino nullum locum hic esse emendationi Gatakeri, qui articulum [τὸ] *παιδίον* reiecit, neque cum interpretibus cogitandum esse de Antonino curas domesticas animo volvente et conquerente et „sibi liberos optante, quando non amplius concedatur," sed simpliciter verba alterius philosophi ab auctore excerpta esse, tamquam egregie dicta ad desiderium propinquorum defunctorum leniendum.

Idem autem factum esse suspicor in capite proximo 29, quod sic procedit: *„ἐν τῷ γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν οὐ πρότερον ἄρξεις, πρὶν ἀρχθῇς. τοῦτο πολλῷ μᾶλλον ἐν τῷ βίῳ."* Etenim si locum recte intellego, verba priora ut dictum aliunde notum ab auctore proponuntur, qui mox ipse sententiam suam additurus est. Atque sic asyndeton illud intellegitur, quod est scriptoris, qui alterius dictum ex sua ipsius mente augeat vel corrigat [1]).

Quodsi statuas etiam hoc capite 29 aliena ab auctore laudari, tum demum exsistit continua et fere per viginti capita non interrupta series locorum aliunde arcessitorum, quam auctorem in fine huius libri protulisse monueramus. Quae series unde initium capiat, si quaeritur, non tam ad c. 22 quam ad c. 21 lectorem relegatum velim. Quod caput sic instituitur: *„ᾧ μὴ εἷς καὶ ὁ αὐτός ἐστιν ἀεὶ τοῦ βίου σκόπος, οὗτος εἷς καὶ ὁ αὐτὸς δι' ὅλου τοῦ βίου εἶναι οὐ δύναται. οὐκ ἀρκεῖ (δὲ) τὸ εἰρημένον, ἐὰν μὴ κἀκεῖνο προσθῇς, ὁποῖον εἶναι δεῖ τοῦτον τὸν σκόπον" κτέ.* In quo loco primum notandum est, iterum hic apparere asyndeton illud, de quo egimus; nam vocabulum δὲ additum est a Xylandro, quod minime opus erat, opinor. Tum, quod ad sen-

---

1) Eodem modo l. VII. 61: *ἡ βιωτικὴ τῇ παλαιστικῇ ὁμοιοτέρα ἤπερ τῇ ὀρχηστικῇ, κατὰ τὸ πρὸς τὰ ἐμπίπτοντα, καὶ οὐ προεγνωσμένα, ἕτοιμος καὶ ἀπτὼς ἑστάναι"* alludere videtur auctor ad notum dictum, quo ars vivendi cum saltatoria comparabatur quodque corrigit et immutat Marcus. Nec non l. VII. 67: *ἡ φύσις οὐχ οὕτως συνεκέρασέ (σε) τῷ συγκρίματι, ὡς μὴ ἐφεῖσθαι περιορίζειν ἑαυτόν, καὶ τὰ ἑαυτοῦ ὑφ' ἑαυτῷ ποιεῖσθαι· λίαν γὰρ ἐνδέχεται θεῖον ἄνδρα γενέσθαι, καὶ ὑπὸ μηδενὸς γνωρισθῆναι"* verba ultima non tam universe efferuntur, quam tecte et amare alludunt ad obscuritatem vitae oblivionemque viri alicuius, philosophi puta vel potius viri cuiusdam egregii, quem noverat ipse Antoninus. Gatakerus hic de Democrito et Socrate cogitavit; dubito num recte.

tentiam ipsam attinet, conferri possunt v. c. loci illi complures, quos Gatakerus collegit, unde apparet verba priora notum Stoicorum praeceptum efficere. Itaque Marcus dictum illud Stoicum praemisisse, tum opinionem suam subiunxisse atque hinc, sc. a capite 21, seriem locorum citatorum instituisse videtur.

Contra verba ipsius auctoris ei reddenda videntur l. IX. 41 in fine: „ταὐτὰ οὖν ἐκείνῳ (sc. Ἐπικούρῳ) ἐὰν νοσῇς, καὶ ἐν ἄλλῃ τινὶ περιστάσει· τὸ γὰρ μὴ ἀφίστασθαι φιλοσοφίας ἐν οἷς δήποτε τοῖς προσπίπτουσι, μηδὲ ἰδιώτῃ καὶ ἀφυσιολόγῳ συμφλυαρεῖν, πάσης αἱρέσεως κοινόν, πρὸς μόνῳ τῷ νῦν πρασσομένῳ εἶναι καὶ τῷ ὀργάνῳ, δι' οὗ πράσσει." Immo post κοινόν per punctum interpungendum esse videtur atque a vocibus πρὸς μόνῳ nova sententia instituenda, in qua ad ea, quae omnibus philosophorum sectis communia sunt, de suo addit Marcus (idque per asyndeton!) placitum illud, quod in deliciis habuit vir πρακτικός et quo fere nullum frequentius in Commentariis occurrit.

In transitu deinde observari potest l. IX. 3: „εἰ δὲ καὶ ἰδιωτικὸν παράπηγμα ἀψικάρδιον ἐθέλεις, μάλιστα" κτέ., poeticam locutionem a Marco insertam esse videri; itemque eiusdem libri c. 26: „ἀνέτλης μύρια — ἀλλὰ ἅλις" est, cur disiecti membra poetae hic apparere suspiceris. Porro V. 27: „συζῆν θεοῖς. συζῇ δὲ θεοῖς ὁ συνεχῶς δεικνύς" κτέ. auctor Cynicorum placitum illud adhibuisse videtur, quo sapientes cum dis convivere declarabantur; Cynicis autem praeceptis et dictis abundare Marcum, vix est quod moneam.

At subsistendum paululum est in loco, qui legitur l. II. 15: „ὅτι πᾶν ὑπόληψις. δῆλα μὲν γὰρ τὰ πρὸς τὸν Κυνικὸν Μόνιμον λεγόμενα· δῆλον δὲ καὶ τὸ χρήσιμον τοῦ λεγομένου, ἐάν τις αὐτοῦ τὸ νόστιμον μέχρι τοῦ ἀληθοῦς δέχηται." Qui locus etiam ideo notatu dignum est, quia hic primum apparet apophthegma illud „in opinione sita esse omnia," quo fere nullum crebrius in Commentariis invenitur. Quae verba quo sensu acceperit Marcus, apparet ex aliis, in quibus occurrunt, locis; sc. res externas in se nihil mali neque boni habere neque animum commovere posse, τὰ πράγματα αὐτὰ οὐδ' ὁπωστιοῦν ψυχῆς ἅπτεται οὐδὲ ἔχει εἴσοδον πρὸς ψυχήν· οὐδὲ τρέψαι, οὐδὲ κινῆσαι ψυχὴν δύναται (V. 19); at nos opinando de iis tamquam de bonis vel malis iudicia ferre per τὸ περὶ κακῶν ὑπολαμβάνον (IV. 39) atque tum

demum conturbari; itaque dummodo mens rerum perceptioni ne addat ex se opinionem quasi de bonis vel malis, *τὴν δὲ ὑπόληψιν, τὴν ὡς περὶ ἀγαθοῦ, ἢ κακοῦ, μὴ προστιθέτω τὸ ἡγεμονικὸν ἐξ ἑαυτοῦ* (V. 26), tollitur omne malum tolliturque omnis perturbatio. Nec non reliqui, si quid video, loci, sive expressis verbis declarant, sive brevius expressi explicationem hanc admittunt, Marcum verba laudata ad ethicam tantummodo et moralem philosophiam referre et ea commendare tamquam affectuum remedium efficax, cum omnia, quae nobis extrinsecus accidant, ex nostra tantum opinione pendere dicantur, quominus mala vel bona declarentur. Atque optime haec in Stoicum cadunt, qui corporis imperium in animum negare et impatientiam ante omnia sectari sibi proposuisset [1].

Iam si ad dictum ipsum *ὅτι πάντα ὑπόληψις* attendimus, patet verba illa per se spectata multo latius patere ac non solum ad affectus nostros et rerum aestimationem sed etiam ad ipsarum rerum scientiam et cognitionem humanam applicari posse. Itaque non tam Stoicam vel Cynicam quam Scepticam doctrinam redolent, neque facile credideris casui deberi, quod in verbis proxime sequentibus mentio fit Cynici illius Monimi, quem ad Scepticorum philosophiam inclinasse constat et cuius plane simile effatum servatum est: „*τῦφον εἶναι τὰ πάντα*" [2]. Quodsi iure admisimus hic Scepticum aliquod dictum a Marco insertum esse, apparet, quid sibi velint verba ultima: „*ἐάν τις αὐτοῦ τὸ νόστιμον μέχρι τοῦ ἀληθοῦς δέχηται*" et simul patet, quare hic locus dignus visus sit, qui paullo fusius tractaretur. Qui et per se satis magni est momenti et unice illustrat, quam libere in verbis alienis adhibendis versatus sit Marcus, qui etiam ea, quae a placitis suis haud parum abhorrere videantur, immutando vel restringendo in usum suum convertere, immo in omnium sibi familiarissimum dictum commutare haud dubitaverit.

---

1) Eadem est Marco *ὑπόληψις*, quae sunt Epicteto *δόγματα*. Cf. Diss. III. 3. 18: „*τί γάρ ἐστι τὸ κλαίειν καὶ οἰμώζειν; δόγμα. τί δυστυχία; δόγμα. τί στάσις, τί διχόνοια, τί μέμψις, τί κατηγορία, τί ἀσέβεια, τί φλυαρία; ταῦτα πάντα δόγματά ἐστι καὶ ἄλλο οὐδὲν καὶ δόγματα περὶ τῶν ἀπροαιρέτων ὡς ὄντων ἀγαθῶν καὶ κακῶν*" et cf. Ench. 16: „*ἀλλ' εὐθὺς ἔστω πρόχειρον ὅτι 'τοῦτον θλίβει οὐ τὸ συμβεβηκός (ἄλλον γὰρ οὐ θλίβει) ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ τούτου.*"

2) Cf. Sext. Emp. adv. math. VIII. 5 p. 289 Bekker.

Cuius rei alterum neque minus luculentum exemplum in fine addere liceat. L. VI. c. 57 sic procedit: „ἰκτεριῶσι τὸ μέλι πικρὸν φαίνεται· καὶ λυσσοδήκτοις τὸ ὕδωρ φοβερόν· καὶ παιδίοις τὸ σφαιρίον καλόν. τί οὖν ὀργίζομαι; ἢ δοκεῖ σοι ἔλασσον ἰσχύειν τὸ διεψευσμένον, ἢ τὸ χόλιον τῷ ἰκτεριῶντι, καὶ ὁ ἰὸς τῷ λυσσοδήκτῳ;" Agnoscis, credo, in verbis prioribus afferri exempla illa nota et fere classica, quae a Scepticis adhibentur, cum ex perceptionum studiorumque varietate demonstrare student, nihil in se et natura ipsa dulce esse vel amarum, appetendum vel fugiendum, pulchrum vel turpe [1]. Quae exempla quomodo ad doctrinam suam accommodare conatus sit auctor Stoicus et de norma veritatis, ut aiunt, minime incertus, verba proxima clare demonstrant, quibus suam ipsius adiungit sententiam. Scilicet primam et secundam opinionem, tamquam ex morbo et veneni contagio ortam, mentis erroribus comparat; tertium autem exemplum, quod vel maxime menti eius repugnaret nec tam facile quam priora posset redargui vel sententiae suae adaptari, commemorare prudens supersedet, tamquam ad rem suam non faciens.

III.

Supra de studiorum desiderio otiique cupiditate Antonini egimus; alterum iam neque absimile ex eius tacitis votis breviter commemorare liceat.

Nulla est fere res, quae in Commentariis perlustrandis lectorem magis tangit atque afficit, postremo eius animum occupat et fere opprimit, quam consideratio, quam misera et prorsus infelix Marco fuerit vita. Taceo, quod corpus minus firmum et valetudinem parum prosperam ei fuisse et alii loci disertis verbis declarant et v. c. ex l. V. 5 efficere possis, ubi inter vitia, quae sibi

---

1) Conferri possunt loci iam a Gatakero laudati ex Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. I, ubi in exponendo quarto illo Scepticorum tropo, qui est de variis hominum iudiciis pro variis animi dispositionibus, etiam haec afferuntur: „καὶ τὸ αὐτὸ μέλι ἐμοὶ μὲν φαίνεται γλυκύ, τοῖς δὲ ἰκτερικοῖς πικρόν" (102 p. 24 Bekker) et: „παισὶ μὲν γάρ, εἰ τύχοι, σφαῖραι καὶ τροχοὶ διὰ σπουδῆς εἰσιν, οἱ ἀκμάζοντες δὲ ἄλλα αἱροῦνται, καὶ ἄλλα οἱ γέροντες" (106 p. 25).

propulsanda proponit, etiam *τὸ σωμάτιον καταιτιᾶσθαι* enumerat, vel ex l. I. 17, ubi dis acceptum refert *τὸ ἀντισχεῖν μοι τὸ σῶμα ἐπὶ τοσοῦτον ἐν τοιούτῳ βίῳ*. Sed ipsa vita aulica hominumque aulicorum consuetudo et experientia quanto taedio et quanta fere satietate affecerit Marcum, singulae Commentariorum paginae aut expressis verbis testantur, aut tecte indicant. Quae res quantum adiecerit ad nativam eius gravitatem et ad tristiorem illam et severiorem rerum humanarum existimationem, qualis ex meditatione philosophica plerumque oritur, denique quomodo his omnibus ex causis Marcus rerum contemplator tam penitus tristis exstiterit, pluribus verbis nunc exponi non est opus. In praesentia hoc volo, nemini mirum fore interdum etiam Antonino vel invito desiderium solitudinis obrepsisse et *ἀναχωρήσεις*, *ἐρημίαν* inter tacita eius, quae dixi, vota fuisse. Itaque passim in Commentariis hominem deprehendimus contra harum cogitationum illecebras et blanditias fortiter sese obfirmantem, dum se admonet non tantum inter saxa et solitudines, sed ubique, etiam in aula, etiam inter maxima negotia, modo animum recte instituas, vitam tolerabilem, immo vitam beatam et sapiente dignam degi posse.

Et tamen, quamvis fortiter Marcus sese talia adhortari soleat, nescio an interdum tacite et clam apud se constituerit, aliquando rebus gerendis se subtrahere et secessionem hanc vel illam appetere, quod consilium tempora aut mors ad irritum redegerit. Etenim vide, quae leguntur l. V. 29: „*ὡς ἐξελθὼν ζῆν διανοῇ, οὕτως ἐνταῦθα ζῆν ἔξεστιν. ἐὰν δὲ μὴ ἐπιτρέπωσι, τότε καὶ τοῦ ζῆν ἔξιθι· οὕτως μέντοι, ὡς μηδὲν κακὸν πάσχων,*" *κτέ.* Cuius loci verba priora de morte ipsa intellegi solent atque sic fere vertuntur [1]): „Quo modo vivere cogitas vita excessurus, eo iam nunc vivere licet"; ad significationem autem tuendam verbi *ἐξέρχομαι*, absolute pro *ἐξέρχομαι τοῦ βίου* positi, citatur locus Epicteteus, qui legitur Diss. II. 15. 6 [2]), ita ut interpretes sta-

---

1) At cf. verba Casauboni apud Gat., qui locum recte intellexisse videtur.

2) In transitu liceat locum Epicteti leviter emendare, qui legitur l. III. 13. 19 in capite, quod agit de solitudine: „*ἐγὼ οὖν, ἂν πλεύσητε ὑμεῖς, μέλλω καθήμενος κλαίειν, ὅτι μόνος ἀπελείφθην καὶ ἔρημος; οὕτως οὐκ ὀστράκια ἔξω, οὐ σποδόν*" *κτέ.* Distinguendum videtur „*ὅτι μόνος ἀπελείφθην καὶ ἔρημος οὕτως; οὐκ ὀστράκια ἔξω,*" nota vocis *οὕτως* significatione.

tuant verbis allatis nescio quo pacto alludi ad notum illud effatum, secundum quod anima tum demum, si unoquoque temporis momento ad mortem parata fuerit, veram serenitatem adeptura est (II. 11 et XI. 3).

Sed hac interpretatione verbis contextus vis infertur; nam nisi illud participium aoristi per futurum reddas, fieri non potest, ut sensus, quem volunt interpretes, ex Marci verbis eliciatur. Quae res quam sit temeraria, vix est quod moneam. Nec non gradatio illa sive climax, quam in verbis proximis *τότε καὶ τοῦ ζῆν ἔξιθι* inesse apparet, concidit et plane perit; immo in tradita explicatione verba illa ne intellegi quidem posse contenderim.

Omnes autem hae difficultates vide an evanescant, si locum ita verteris: „Quomodo in secessu vivere tecum constituis, ita iam hic vel in mediis negotiis vivere licet. Si vero id non permiserint, praestat omnino vita exire, ita tamen, ut" etqseqq. Recte haec omnia, opinor, et leniter procedunt, neque est, cur offendaris in verbo *ἐξιέναι* absolute adhibito, cum proximum illud *ἐνταῦθα*, dummodo proprie de loco quodam, sc. de aula et vita aulica, accipiatur, abunde explicet, unde abire constituerit auctor. Quid quod afferri potest locus quam maxime similis, qui legitur X. 22: *„ἤτοι ἐνταῦθα ζῇς, καὶ ἤδη εἴθικας· ἢ ἔξω ὑπάγεις, καὶ τοῦτο ἤθελες· ἢ ἀποθνήσκεις, καὶ ἀπελειτούργησας. παρὰ δὲ ταῦτα οὐδέν."* Locus, qui tam perspicuus est, ut interpretatione vix indigeat, egregie locum alterum illustrat, immo plane ei respondet et paene ad verbum eum referre videtur.

Utroque autem loco perlecto apparet, Marcum, quamvis fortiter vitae solitariae et procul a coetu hominum peractae blandas cogitationes a se removere soleat, ne ab officiis obeundis distrahatur, clam tamen atque intimo corde harum rerum desiderium et imaginationes fovisse, immo sibi arbitrium reservasse, ut, quando tempus adesse existimaret sibique ita videretur, ultimum hoc refugium appeteret. Qua in re non ita longe a scholae disciplina recessisse videtur, et sicut Stoici mortem voluntariam tamquam extremum aerumnarum subsidium, quod sibi semper paratum esset, contemplabantur, ex qua consideratione miram quandam animi quietem et libertatem hausisse

putandi sunt, eodem modo imperatorem exilii et secessionis cogitationes imprimis ideo secum coluisse credideris, ut praesentis temporis haberet delenimentum futurique supremum solatium.

IV.

„Δριμύτητά σου οὐκ ἔχουσι θαυμάσαι" (V. 5). En ipsius auctoris verba, quibus de se animique sui dotibus iudicium fert et sibi mentem non ita acrem neque acutam fuisse profitetur; quibus adde, quod sub fine eiusdem capitis tamquam βραδύτερον καὶ δυσπαρακολουθητότερον se designat. Quae verba etsi non nimis urguenda esse videntur, cum homines in eiusmodi confessionibus iusto humilius de se iudicare soleant, tamen haud procul a vero aberrare videtur Marcus ita de se ipso testimonium ferens, quippe quod egregie conveniat cum locis supra ex libro primo Commentariorum allatis, quibus de ingenio suo deficiente in artium liberalium studio et de mediocribus suis profectibus ipse se consolatur.

Neque alia fortasse desunt indicia, unde Antonino tardius paullo hebetiusque ingenium fuisse conicias. Etenim cum toties eum deprehendimus τὸ ἀκριβές in aliis laudantem et sibi ipsi commendantem, accuratam rerum considerationem et in perquirendo constantiam praedicantem, a cognitione summaria abhorrentem, oritur tandem suspicio apparere hic praeconium virtutum illarum, quibus homines primo ingenii et inventionis deficientibus viribus mederi, quasque mox laudibus ad caelum ferre solent. Nec non mentem arctiorem et angustiorem indicare videntur indefessa illa industria et fere nimia curiositas, qua etiam senex scholas frequentasse et in Veri reprehensionem incurrisse traditur. Itemque cum in veterum testimoniis tamquam πολυίστωρ laudatur noster, forsitan agnoscere possis notum et vulgare illud naturae humanae proprium, quo omnes, siquid contemplationis profundioris sibi deest, variae doctrinae copia et ambitu supplere amant. Denique totum Commentariorum librum in testimonium adducere possis, in quo auctor non

tam nova vel recondita quaedam profert, quae nos in admirationem rapiant ingenii felicis et inaudita molientis, quam animi candidi fortitudinem, sinceritatem, simplicitatem ubique ingenue testatur.

Atque haec hactenus. Tardius autem ingenium manifesto arguunt loci, ubi scriptor Commentariorum, postquam novi aliquid aut paululum insoliti protulit, continuo explicationem adiungere et difficultates vel minimas, quae ne mediocris quidem ingenii lectorem morentur, exponere anxie curat; scilicet homo benevolus, quem talia saepius vexassent, quaelibet expedire planaque reddere cordi habet. Sic tropo aliquo, non tamen nimis obscuro vel audaci, instituto explicationem et paene excusationem addere amat. E. g. IV. 36, *seminis* notionem his verbis amplificat et de omnibus rebus novi quid ex se gignentibus adhibet: „σπέρμα γὰρ τρόπον τινὰ πᾶν τὸ ὂν τοῦ ἐξ αὐτοῦ ἐσομένου. σὺ δὲ μόνα σπέρματα φαντάζῃ τὰ εἰς γῆν ἢ μήτραν καταβαλλόμενα· τοῦτο δὲ λίαν ἰδιωτικόν." Sic IV. 48, cum vocem ἀποθνήσκειν de urbibus adhibet, vocibus „ἵν' οὕτως εἴπω" additis locutionis duritatem leniendam et quodammodo excusandam sibi esse putat. Sic V. 10 vocem *involutionis* „ἐν τοιαύτῃ τρόπον τινὰ ἐγκαλύψει" adhibet ad rerum externarum obscuritatem designandam. Sic VII. 16 ratio sese ipsa non „ἐνοχλεῖν, οἷον λέγω," dicitur. Sic IX. 2 vocem *pestem* λοιμόν de animi quoque morbis et vitiis valere fuse demonstrat. Sic X. 7 φθείρεσθαι adhibetur „σημαντικῶς τοῦ ἀλλοιοῦσθαι."

Hisce praemissis accedere liceat ad locos nonnullos, qui Nauckio, viro inter recentiores omnium optime de Antonini scriptis merito, suspecti visi sunt, prae caeteris igitur digni, qui paullo fusius a nobis tractentur. In quibus interpretandis cum vir acutissimus imprimis prolixitatem, languorem, abundantiam notaverit et interpolatori quam Marco attribuere maluerit, videndum est, an lenius et aequius de iis iudicium ferre possimus, dum ea, quae de Marci tardiore ingenio disputavimus, recordantes, eadem, quae supra notavimus, sive vitia sive proprietates agnoscimus; quae, modo leviora sint, aut non animadvertuntur aut facile condonantur, eadem, ubi latius grassantur et apertius se produnt, tamquam intolerabilia conclamantur.

Initium faciamus a loco, qui legitur l. IX. 10: „φέρει καρπὸν καὶ ἄνθρωπος, καὶ θεός, καὶ ὁ κόσμος· ἐν ταῖς οἰκείαις ὥραις ἕκαστα φέρει. εἰ δὲ ἡ συνήθεια κυρίως τέτριφεν ἐπὶ ἀμπέλου καὶ τῶν ὁμοίων, οὐδὲν τοῦτο. ὁ λόγος δὲ καὶ κοινὸν καὶ ἴδιον καρπὸν ἔχει" κτέ. Verba media εἰ δὲ — οὐδὲν τοῦτο tamquam interpolata abicienda censuit Nauck. Neque facile contenderis gravissima esse aut quicquam continere, quod vel mediocris ingenii lector non sponte sua intellexerit. Sed cum ea, quae supra nimiae Marci diligentiae exempla collegi, perpendo, quae, etsi minus offendunt, tamen plane eiusdem sunt generis, facere non possum, quin verba illa a Nauckio immerito Marco abiudicata esse suspicer, et anxiae potius auctoris curiositati ea tribuo, qua omnia lectori perspicua reddere studeat [1]).

Haud multum differt locus, qui legitur l. XI. 1: „τὰ ἴδια τῆς λογικῆς ψυχῆς· ἑαυτὴν ὁρᾷ, ἑαυτὴν διαρθροῖ, ἑαυτήν, ὁποίαν ἂν βούληται, ποιεῖ, τὸν καρπόν, ὃν φέρει, αὐτὴ καρποῦται (τοὺς γὰρ τῶν φυτῶν καρπούς, καὶ τὸ ἀνάλογον ἐπὶ τῶν ζῴων ἄλλοι καρποῦνται), τοῦ ἰδίου τέλους τυγχάνει, ὅπου ἂν τὸ τοῦ βίου πέρας ἐπιστῇ." Verba uncinis inclusa reiecit Nauck „non enim attinebat plantarum fruges commemorari, rem ab hoc argumento alienissimam." Nemo non libenter haec viro acutissimo assentietur; neque tamen sententiam Marco indignam dicere ausim. Verba illa ab auctore non ad argumentum confirmandum vel promovendum inserta abitror sed eo consilio addita, ut, quod proximis verbis αὐτὴ καρποῦται inest insoliti et parum proprii, lectori expediatur et commendetur; itaque etiam hic locus inter locos illos explicativos, de quibus supra, referendus esse videtur.

Ultima autem loci laudati verba Nauckio „etiam ineptiora" visa sunt: „ubi anima ratione praedita dicitur τοῦ ἰδίου τέλους τυγχάνειν, facile patet τέλος esse id, quod quis appetat: interpolator videtur de vitae fine cogitasse et dicendi genere usus esse perversissimo, cum voluerit dicere ὅταν αὐτὴν ἀπολυθῆναι δέῃ τοῦ σώματος." In libris Antonini, scriptoris satis difficilis, tractandis haud pudor est confiteri, si quem vel in interpretum

1) Quae annotat Nauck de usu verbi φέρειν, quod eodem sensu adhibitum esse contendit atque in locis, qualis est II. 3: „παντὶ φύσεως μέρει ἀγαθόν, ὃ φέρει ἡ τοῦ ὅλου φύσις," valde dubito, num recte affirmaverit vir sagacissimus, vel propter verba continuo sequentia καρπὸν ἔχει.

explicationibus percipiendis interdum mentis acumen deficiat; itaque me interpretationem Nauckii, viri sagacissimi, vix assequi ingenue fatebor. Si vero locum ita, ut explicari solet, accipimus: „proprium est animae ratione praeditae, ut finem suum consequatur, ubicumque vitae terminus constitutus erit," non solum aptissima existit sententia quaeque optime illustratur verbis proxime sequentibus: „οὐχ ὥσπερ ἐπὶ ὀρχήσεως καὶ ὑποκρίσεως καὶ τῶν τοιούτων, ἀτελὴς γίνεται ἡ ὅλη πρᾶξις, ἐάν τι ἐγκόψῃ· ἀλλ' ἐπὶ παντὸς μέρους, καὶ ὅπου ἂν καταληφθῇ, πλῆρες καὶ ἀπροσδεὲς ἑαυτῇ τὸ προτεθὲν ποιεῖ," sed etiam talis oritur sententia, qualis et alias apud Marcum legitur et in qua verba a Nauckio reiecta necessaria potius esse quam molesta sponte elucet.

Tertius, quem volo, locus integer exscribendus est; legitur autem l. VIII. 37: „μήτι νῦν παρακάθηται τῇ Οὐήρου σορῷ Πάνθεια ἢ Πέργαμος; τί δέ, τῇ 'Αδριανοῦ Χαβρίας, ἢ Διότιμος; γελοῖον. τί δέ, εἰ παρεκάθηντο, ἔμελλον αἰσθάνεσθαι; τί δέ, εἰ ᾐσθάνοντο, ἔμελλον ἡσθήσεσθαι; τί δέ, εἰ ἥδοντο, ἔμελλον οὗτοι ἀθάνατοι εἶναι; οὐ καὶ τούτους πρῶτον μὲν γραίας καὶ γέροντας γενέσθαι οὕτως εἵμαρτο, εἶτα ἀποθανεῖν; τί οὖν ὕστερον ἔμελλον ἐκεῖνοι ποιεῖν, τούτων ἀποθανόντων; γράσος πᾶν τοῦτο καὶ λύθρον ἐν θυλάκῳ." Ad quae haec habet Nauck: „quod postea habetur γελοῖον expungendum arbitror: nihil inest in verbis μή τι νῦν παρακάθηται κτέ. quod ridiculum potuerit videri Antonino, nihil quod nobis risum movere possit. Ridiculae istae quaestiones visae sunt homini stupido, qui loci initium non intellegeret: Antoninus enim simpliciter hoc dicit, obmutuisse iam lamentationes Pantheae et Pergami, Veri mortem deplorantium, neque amplius in vivis esse Chabriam et Diotimum, qui quondam luxerint defunctum nunc Hadrianum." Sane in verbis ipsis μή τι νῦν παρακάθηται κτέ. nihil ridiculi inesse viro acutissimo libenter concedas; sed neque id voluisse auctorem vel quisquis vocem γελοῖον addidit crediderim neque Antoninum simpliciter hoc dicere, obmutuisse iam lamentationes etqseqq., sed insuper significare voluisse, quam ridicula sit res philosopho contemplanti, quod homines, licet cuivis pateat propinquos nostros, amicos, omnes denique, qui mortem nostram deplorent, sua vice interituros esse, tamen amicorum et cognatorum lamenta-

tionibus tantum tribuere soleant. Itaque vide an mentem auctoris assequamur loco sic exposito: „numquid adhuc Veri tumulo adsidet Panthea aut Pergamus? num Hadriani Chabrias vel Diotimus? ridiculum vel potius absurdum (nam ita potissimum vocem *γελοῖον* explicaverim, cf. ex gr. VII. 71 et X. 7), absurdum, inquam, est vel uno temporis momento hoc supponere — et tamen homines mortem hac spe consolari solent, perpetuum fore sui desiderium apud posteros." Certe loco sic explicito nihil superesse, in quo equidem offendar, sincere fateor.

Ad ultima loci verba Nauck haec adnotat: „verba *τί οὖν ὕστερον ἔμελλον ἐκεῖνοι ποιεῖν, τούτων ἀποθανόντων*; tamquam subditicia notavi, neque opus esse arbitror verborum ambagibus, quibus demonstremus ab Antonini argumentatione istud emblema esse alienum." Sed verba allata, quae emblematis speciem minime, credo, prae se ferunt, cur ab auctoris argumentatione aliena vocaverit vir sagacissimus, non assequor; immo in argumentorum serie, in qua res ad absurdum, ut aiunt, redigitur, locum suum satis recte obtinere et rem conficere videntur. Unica res, quae iudicem severiorem in hoc loco offendat, haec est, quod nimis prolixe et iusto abundantius expressa haec videntur; quo tamen vitio cum et totum, de quo agitur, caput manifesto laboret, et scriptor etiam alias haud raro peccaverit, non est, credo, cur verba allata a vicinis aliena esse statuamus.

Transeo ad l. IV. 21, qui locus sic incipit: „*εἰ διαμένουσιν αἱ ψυχαί, πῶς αὐτὰς ἐξ ἀϊδίου χωρεῖ ὁ ἀήρ*;" Ad quam quaestionem quaestione respondet Marcus: „*πῶς δὲ ἡ γῆ χωρεῖ τὰ τῶν ἐκ τοσούτου αἰῶνος θαπτομένων σώματα*;" et pergit demonstrando, sicut terra cadaveribus dissolutis aliis locum praebeat, ita etiam aera animis *εἰς τὸν σπερματικὸν λόγον* receptis novas semper animas capere posse; denique subiungit: „*τοῦτο δ' ἄν τις ἀποκρίναιτο ἐφ' ὑποθέσει τοῦ τὰς ψυχὰς διαμένειν.*" Ultima scrupulum iniecerunt Nauckio, qui adnotat: „quae verba ut aliena ab Antonino existimem duabus rationibus adducor: primum dicendi genus isto in enuntiato parum est aptum (voluisse videtur, qui ita scripsit, *τοῦτο δ' ἄν τις ἀποκρίναιτο τῷ μὴ διαμένειν τὰς ψυχὰς λέγοντι*), deinde vero, id quod multo gravius est, inculcatis istis verbis argumentatio scriptoris obscuratur et ea,

quae arctissime inter se cohaerent, male divelluntur. Pergit enim Antoninus: *χρὴ δὲ μὴ μόνον ἐνθυμεῖσθαι κτἑ.*"

Non infitias ibo verba a Nauckio conficta „*τῷ μὴ διαμένειν τὰς ψυχὰς λέγοντι*" satis recte se habere et a Marco scribi potuisse; tamen aeque aptam sententiam praebere videntur verba vulgata: „*ἐφ' ὑποθέσει τοῦ τὰς ψυχὰς διαμένειν,*" quae Gataker sic exponit: „hoc respondere licebit, si pro concesso sumatur, animas corporibus esse superstites." Aeque aptam, aio, praebent sententiam; immo longe meliorem. Etenim Marcum verba facere cum adversario, qui animas morti superesse negat, inde ab initio capitis patet, neque necesse erat id in fine expressis verbis iterum monere, ut fit in Nauckii coniectura. At longe subtilior verborum illorum sensus est. Scriptor enim prudens et cautus, postquam obiectionem adversarii refellit, lectorem monere voluit, licet obiectio adversarii expedita videatur, minime tamen sibi ipsi certo certius constare animas revera immortales esse. Optime haec et omnino ex more Antonini, qui nusquam in Commentariis quaestionem illam de vita futura dirimit, ubique incertam relinquit seque dubitare significat; itaque rectissime ad hunc locum adnotavit Gataker: „*ἐφ' ὑποθέσει κτἑ.* nihil itaque certi hic statuit Marcus. Sed et ambigue passim loquitur" etqseqq.

Quod autem de argumentatione interrupta et male divulsa queritur Nauck, ne hac quidem in re viro acutissimo accedere possum. Etenim, quoad video, ipsa argumentatio priore tantum capitis parte continetur; quae postquam ad finem perducta est, conclusionis loco apponuntur illa: „*τοῦτο δ' ἄν τις ἀποκρίναιτο κτἑ.*" Verba autem, quae tum subiungit Marcus: *χρὴ δὲ μὴ μόνον ἐνθυμεῖσθαι τὸ πλῆθος τῶν θαπτομένων οὑτωσὶ σωμάτων, ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν ἑκάστης ἡμέρας ἐσθιομένων ζῴων ὑφ' ἡμῶν τε καὶ τῶν ἄλλων ζῴων. ὅσος γὰρ ἀριθμὸς καταναλίσκεται κτἑ.*" non tam argumentationem intermissam excipiunt et promovent, quam verba quaedam, quae in argumentatione sunt adhibita, *τὰ τῶν θαπτομένων σώματα*, fusius illustrant, augent etiam et amplificant, denique tamquam explicatio vel corollarium ipsi demonstrationi subnectuntur.

Finem faciam in attingendo loco, qui legitur l. VI. 44: „*εἰ μὲν οὖν ἐβουλεύσαντο περὶ ἐμοῦ καὶ τῶν ἐμοὶ συμβῆναι ὀφειλόντων οἱ*

θεοί, καλῶς ἐβουλεύσαντο· ἄβουλον γὰρ θεὸν οὐδὲ ἐπινοῆσαι ῥᾴδιον· κακοποιῆσαι δέ με διὰ τίνα αἰτίαν ἔμελλον ὁρμᾶν;" ad quem locum haec adnotat Nauck: „nec placet ῥᾴδιον: deo tribuere ἀβουλίαν non tam difficile est quam nefas et absonum. Fortasse expuncto ῥᾴδιον adiectivo scribendum ἄβουλον γὰρ θεὸν οὐδ' ἔστι νοῆσαι." Recte et acute haec a viro sagacissimo observata esse quis neget, cum pateat multo melius et praecipue multo fortius sententiam totam efferri, si vocem illam ῥᾴδιον omiseris. Et tamen ipsa illa prudentia (iam enim nolo rogare, quae causa nescio quem interpolatorem impellere potuerit, ut vocem illam contextui appingeret) ipsa illa, inquam, fere nimia prudentia, quam additum illud ῥᾴδιον prodit, nescio an ipsius Marci indolem referat et optime cum iis, quae supra de ingenio eius disputavimus, congruat. Qui auctor, etsi contradictionem, ut aiunt, in terminis, quae vocibus θεὸς ἄβουλος manifesto inest, optime sensisse putandus est, tamen, qua erat animi modestia et cautione, ne quid nimis absolute statueret, rem esse difficilem quam omnino fieri non posse declarare maluit.

V.

De commentariorum contextu, qualis exhibetur in editione recentissima Stichiana, paucissima tantummodo dicenda supersunt. Etenim tam copiose tamque accurate hac de re disputavit v. cl. nostras Polak in ephemeride, quae Hermes [1]) inscribitur, ut fere nihil reliqui fecisse videatur.

Qui auctor postquam opus Stichii insignibus laudibus merito extulit, tamen, ut par erat in opere humano, desiderari quoque nonnulla rectissime monuit. V. c. l. VIII. 27: „τρεῖς σχέσεις· ἡ μὲν πρὸς τὸ αἴτιον τὸ περικείμενον, ἡ δὲ πρὸς τὴν θείαν αἰτίαν, ἀφ' ἧς συμβαίνει πᾶσι πάντα· ἡ δὲ πρὸς τοὺς συμβιοῦντας" cuivis in promptu est exemplari suo pro αἴτιον adscribere ἀγ-

---

1) In Marci Antonini Commentarios Analecta Critica. Hermes XXI p. 321—356.

γεῖον et mirari emendationem tam facilem itemque tam necessariam viros doctos latuisse, donec ex editione Schultziana II vel a Polacio didicerit eam iamdudum excogitatam esse a Valckenaerio sed a Stichio iniuria neglectam.

Paullo graviora sunt, quae acciderunt viro doctissimo Britanno Rendall ad l. XI. 15, qui locus sic apud Stichium exhibetur: „ὡς σαπρὸς καὶ κίβδηλος ὁ λέγων· ἐγὼ προῄρημαι ἁπλῶς σοι προσφέρεσθαι. τί ποιεῖς, ἄνθρωπε; τοῦτο οὐ δεῖ προλέγειν. αὐτοῦ (αὐτὸ Gataker) φανήσεται· ἐπὶ τοῦ μετώπου γεγράφθαι ὀφείλει εὐθὺς ἡ φωνή. τοιοῦτον ἔχει (καὶ add. St.) εὐθὺς ἐν τοῖς ὄμμασιν ἐξέχει, ὡς τῶν ἐραστῶν ἐν τῷ βλέμματι πάντα εὐθὺς γνωρίζει ὁ ἐρώμενος," ubi Britannus elegantissime emendavit: „ἐπὶ τοῦ μετώπου γεγράφθαι ὀφείλει· εὐθὺς ἡ φωνὴ τοιοῦτον ἠχεῖ· εὐθὺς ἐν τοῖς ὄμμασιν ἐξέχει" κτέ. At ex editione Schultziana I apparet iam Reiskium verbum ἠχεῖν substituendo meliorem emendationis partem occupasse, ita ut viri accutissimi vicem fere doleas, quod Stichius inventum Reiskii ne verbo quidem commemoravit.

Eodem modo ad l. II 6: „ὕβριζε, ὕβριζε αὐτήν, ὦ ψυχή· τοῦ δὲ τιμῆσαι σεαυτὴν οὐκέτι καιρὸν ἕξεις· βραχὺς γὰρ ὁ βίος ἑκάστῳ. οὗτος δέ σοι σχεδὸν διήνυσται" κτέ., ubi in codd. εὖ γάρ, vel οὐ γάρ, vel βραχὺς γὰρ invenitur, Britannus εἷς γὰρ correxit, quod unice verum videtur, dudum autem emendavit Boot, cuius coniecturam commemoravit Schultzius I.

Reliqua, quae ùtpote immerito a Stichio omissa notavi, haec fere sunt.

I. 16 circa finem: καὶ τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις πρὸς αὐτὸ τὸ δέον πραχθῆναι δεδορκότος, ubi Morus ἀνθρώπου voluit.

I. 17: ἀπολείπεσθαι δέ τι ἀπὸ τούτου παρὰ τὴν ἐμὴν αἰτίαν, ubi apud Schultzium δὲ ἔτι legitur, quod praestat, cum multo modestius illud τι omnino absit.

II. 17: οὐδὲν δὲ κακὸν κατὰ φύσιν, ubi Reiske κακὸν ὂν correxit (cf. IX. 31).

VII. 3: πομπῆς κενοσπουδία, ἐπὶ σκηνῆς δράματα, ποίμνια, ἀγέλαι, διαδορατισμοί, ubi memorandum saltem erat id, quod Reche coniecit: ποικιλαὶ ἀγλαΐαι.

VIII. 31: εἶτα ἔπιθι τὰς ἄλλας, ubi Reiske supplevit πόλεις vel γενέας vel ταφάς.

IX. 21: *καὶ γὰρ τούτων πᾶσα μεταβολή, θάνατος*, ubi Reiske *πασῶν* voluit [1]).

IX. 42: *οὐκ ἀρκεῖ τούτῳ, ὅτι κατὰ φύσιν τὴν σήν τι ἔπραξας*, ubi Schultzius *ἀρκῇ* legit.

X. 28: *ὅμοιον καὶ ὁ οἰμώζων ἐπὶ τοῦ κλινιδίου μόνος σιωπῇ τὴν ἔνδεσιν ἡμῶν· καὶ ὅτι μόνῳ τῷ λογικῷ ζῴῳ δέδοται κτέ.*, ubi Gataker interpunxit post *σιωπῇ*, deinde supplevit *ἐπινόησον τὴν ἔνδεσιν ἡμῶν*, quo facto locus unus omnium pulcherrimus et profundissimus tandem elucescit.

XII. 31: *τὸ αὔξεσθαι; τὸ λήγειν αὖθις; τὸ φωνῇ χρῆσθαι*; ubi Casaub. *τὸ λεσχηνεύεσθαι; [τὸ φωνῇ χρῆσθαι]* legit.

Sequuntur loci duo vel tres, in quibus constituendis a Stichio dissentire mihi videor. L. V. 1. „— *ἀλλὰ τοῦτο ἥδιον. — πρὸς τὸ ἥδεσθαι οὖν γέγονας; ὅλως δὲ οὐ πρὸς ποιεῖν, ἢ πρὸς ἐνέργειαν;*" Orationem hiulcam et tautologia laborantem sanare conatus est Corai, qui *πρὸς τὸ ποιεῖν* proposuit. At notabilis in Mss. A et D invenitur lectio sc. *πεῖσιν*, quae vox sollemni modo opponitur *τῇ ἐνεργείᾳ*, cf. IX. 16. Itaque vide an legendum sit: „*πρὸς τὸ ἥδεσθαι οὖν γέγονας; ὅλως δὲ πρὸς πεῖσιν; ἢ πρὸς ἐνέργειαν;*" expuncta negatione, qua nulla fere vox saepius in Commentariis turbata est. Quo facto sententia leniter procedit et sic demum illud *ὅλως* propriam suam vim nanciscitur.

Ibidem: „— *ἀλλὰ δεῖ καὶ ἀναπαύεσθαι. — φημὶ κἀγώ· ἔδωκε μέντοι καὶ τούτου μέτρα ἡ φύσις· ἔδωκε μέντοι καὶ τοῦ ἐσθίειν καὶ πίνειν.*" Non possum non suspicari alterum illud *ἔδωκε μέντοι* per dittographiam irrepsisse, quo sublato ordine demum et rite procedit argumentatio.

VIII. 28: „*ὁ πόνος ἤτοι τῷ σώματι κακόν· οὐκοῦν ἀποφαινέσθω· ἢ τῇ ψυχῇ· ἀλλ' ἔξεστιν αὐτῇ, τὴν ἰδίαν αἰθρίαν καὶ γαλήνην διαφυλάσσειν, καὶ μὴ ὑπολαμβάνειν, ὅτι κακόν. πᾶσα γὰρ κρίσις, καὶ ὁρμή, καὶ ὄρεξις, καὶ ἔκκλισις ἔνδον καὶ οὐδὲν κακὸν ὧδε ἀναβαίνει.*" In cod. A deest postremum illud *κακόν*, quod nescio an multo melius absit [2]).

---

1) Equidem cogitavi de restituenda voce *παῦλα*, quae arridet imprimis propter ea, quae sequuntur: „*μήτι δεινόν; οὕτως τοίνυν οὐδὲ ἡ τοῦ ὅλου βίου λῆξις καὶ παῦλα καὶ μεταβολή.*"

2) Cf. X. 36: „*οὐδείς ἐστιν οὕτως εὔποτμος, ᾧ ἀποθνήσκοντι οὐ παρεστήξονταί*

Ibid. 31 in fine: „εἶτα ἀνάγκη ἔσχατόν τινα γενέσθαι· πάλιν ὧδε ὅλου γένους θάνατον." Xylandrum, Casaubonum, Gatakerum exercuit accusativus ille casus in verbis ultimis. Neque mirum. At θάνατος repone et omnia non tantum recte procedunt sed etiam apparet hisce verbis respici ad ea quae antecedunt: „ὅλης αὐλῆς θάνατος", id quod etiam vox πάλιν aperte indicat.

X. 6: „λίαν ἐστὶν ἀναισθήτου, καὶ Φιλοψύχου, καὶ ὁμοίου τοῖς ἡμιβρώτοις θηριομάχοις, οἵτινες, μεστοὶ τραυμάτων καὶ λύθρου, παρακαλοῦσιν ὅμως εἰς τὴν αὔριον Φυλαχθῆναι, παραβληθησόμενοι τοιοῦτοι τοῖς αὐτοῖς ὄνυξι καὶ δήγμασιν." Reiske supplevit τοιοῦτοι ὄντες. Tamen apparet vocibus illis ipsam auctoris ratiocinationem debilitari quodammodo et vitiari; etenim bestiariorum sors nihilo miserior erit, si dilacerati et vulnerati ferarum unguibus et dentibus proiciantur; itaque in promptu est cogitare de dittographia orta ex sequentibus τοῖς αὐτοῖς. Quamquam fortasse Marco non nimis severa et rigida est obtrudenda argumentatio.

Ibid. 13: „— οἷα δὲ κλέπτουσιν, οἷα δὲ ἁρπάζουσιν, οὐ χερσὶ καὶ ποσίν, ἀλλὰ τῷ τιμιωτάτῳ ἑαυτῶν μέρει, ᾧ γίγνεται, ὅταν θέλῃ <τις> πίστις, αἰδώς, ἀλήθεια, νόμος, ἀγαθὸς δαίμων;" Corai illud τις inseruit, neque facile eiusmodi additamento carere possis, si vulgatam tuearis. At leni mutatione ὃ γίγνεται, ὅταν θέλῃ, πίστις κτέ. admissa, neque additamento opus est et sententia multo rectius procedere videtur.

Denique huc afferri possunt loci ii, in quibus distinguendis a Stichio discrepo. Sic l. XII. 2: „ὁ γὰρ μὴ τὰ περικείμενα χρεάδια ὁρῶν, ἤπου γε ἐσθῆτα, καὶ οἰκίαν, καὶ δόξαν, καὶ τὴν τοιαύτην περιβολὴν καὶ σκηνὴν θεώμενος ἀσχολήσεται" nescio an aptius cum Casaubono verba ultima per interrogationem efferantur.

Porro l. VIII. 17: „εἰ μὲν ἐπὶ σοί, τί αὐτὸ ποιεῖς; εἰ δὲ ἐπ' ἄλλῳ, τίνι μέμφῃ; ταῖς ἀτόμοις, ἢ τοῖς θεοῖς; ἀμφότερα μανιώδη. οὐδενὶ μεμπτέον. εἰ μὲν γὰρ δύνασαι, διόρθωσον· εἰ δὲ τοῦτο μὴ δύνασαι, τό γε πρᾶγμα αὐτό" κτέ. Patet a voce οὐδενί novum

τινες, ἀσπαζόμενοι τὸ συμβαῖνον κακόν" κτέ. Apparet illud κακόν, siquidem genuinum est, non ex persona laetantium, sed ex persona scriptoris ipsius efferri. Atqui mortem malum appellare neque est Stoici neque Antonini: itaque oritur suspicio hic quoque vocem illam e glossemate in contextum irrepsisse.

institui ratiocinium et ad *οὐδενί* supplendum esse *ἀνθρώπῳ*, ex quo rursus obiectum *αὐτόν* ad verbum *διόρθωσον* arcessendum est. Itaque si iam auctoritati codd. AX non videtur parendum, qui hinc novum caput incipiunt, at certe nova linea omnino opus erat.

L. IX. 32: *„πολλὰ περισσὰ περιελεῖν τῶν ἐνοχλούντων σοι δύνασαι, ὅλα ἐπὶ τῇ ὑπολήψει σου κείμενα· καὶ πολλὴν εὐρυχωρίαν περιποιήσεις ἤδη σεαυτῷ* <*τῷ*> *τὸν ὅλον κόσμον περιειληφέναι τῇ γνώμῃ, καὶ τὸν ἀΐδιον αἰῶνα περινοεῖν" κτέ.* Quandoquidem a vocibus *τὸν ὅλον κόσμον* novum praeceptum institui apparet, non opus erat cum Gat. illud *τῷ* inserere, sed praestat cum Cas. post *σεαυτῷ* interpungere, dein novam sententiam vel alineam incipere: *τὸν ὅλον κόσμον κτέ.*

Similiter l. X. 31 a verbis: *„οἵαν ὕλην καὶ ὑπόθεσιν φεύγεις;" κτέ.*, nec non l. VI. 36: *„πάντα ἐκεῖθεν ἔρχεται, ἀπ' ἐκείνου τοῦ κοινοῦ ἡγεμονικοῦ ὁρμήσαντα, ἢ κατ' ἐπακολούθησιν,"* novam lineam incipere malim, quia et his ambobus locis novum argumentum inchoare videtur auctor.

At pauca haec neque admodum gravia. Quodsi Stichio, viro doctissimo et diligentissimo, contingat, ut alteram nobis paret Antonini editionem, eamque ita institutam, ut loci a Marco ex aliis scriptoribus petiti ad calcem paginarum adnotentur; si praeterea (ut omnibus iam votis defungar) paullo locupletiore verborum indice instruatur, additis etiam particulis et minoribus vocabulis (nam a priori, ut aiunt, vix statui posse opinor, quae voces „ad rem criticam alicuius sint momenti", quae minus), tum confido fore, ut libellus omnibus numeris absolutus in manus legentium perveniat.

AD PLUTARCHUM.

Plut. Solon (Sint.) 30. His versibus cives suos Solon reprehendit:

εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι' ὑμετέραν κακότητα,
μή τι θεοῖς τούτων μῆνιν ἐπαμφέρετε.

Immo *μέμψιν*. Cf. *τῷ δὲ Λοξίᾳ μέμψιν δικαίαν μέμφομαι.*

J. J. H.

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex pag.* 334.)

XVI.

Manifesto ergo apparet eo utrumque codicem Mediceum laborare morbo, de quo nunc agimus: oculis cernimus et tantum non manibus tenemus librariorum errores, annotationes, saepe insulsissimas, in textum transferentium. Sed vix minorem habent persuadendi vim ii loci, quos sic corruptos esse non videmus quidem, sed audimus et ipsa sana admonemur mente. Confidenter iam, qui ex isto genere sunt praecipui, hocce proponemus capite.

Ann. I, 61. Campum, ubi Varianae interierunt legiones, Germanicus contemplatur:

„Et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas: primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera mortem invenerit."

Nunc ipsi huic adesse demonstrationi nobis videmur, audimus singultus hominum, rem tristissimam, quam suis oculis adspexerint, paucis verbis exponentium, neque patimur ludimagistrum suam his stridula voce intermiscere doctrinam. At in codice post *infelici dextera* legimus *et suo ictu!*

Ann. I, 78. Edixit Tiberius et alia et hoc:

„Imparem oneri rempublicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur. Ita proximae seditionis male consulta abolita in posterum."

Quae illa proximae seditionis male consulta fuerint, nemo tam est infirma memoria, quin noverit etiam. Capite enim 19 in narratione de tumultuantibus Pannonicis legionibus haec legimus:

„Acclamavere (milites), ut filius Blaesi tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sedecim annis."

Et capite 36, ubi agitur de discordibus Germanici militibus:

„Placitum, ut epistolae nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari, qui sena dena fecissent."

Cum contemptu ergo abiicimus quae nostro capite verbis *male consulta* annectuntur: „quibus sedecim stipendiorum finem expresserant." Quis enim non sentit absurdissimo sermone *sedecim stipendiorum finem* expressisse milites dici, qui flagitaverant et (id quod nunc demum docemur) impetraverant etiam, ut post sedecim stipendia honesta daretur militiae missio? Quis non intelligit *male consulta* ducum esse, non militum?

A. II, 12. Instante proelio Germanicus explorandos militum animos ratus, neque tribunis centurionibusque, neque libertis amicisque fidem se habere posse intelligit, utpote qui laetiora quam veriora referre soleant, in contione vero etiam ignavissimos pugnandi amorem simulare. Quid ergo facit? Vesperi assistit tabernaculis seque a militibus certatim laudari proeliumque tali duce expeti audit. Illam autem explorandi rationem elegerat, quia persuasum sibi habebat:

„penitus noscendas mentes cum secreti et incustoditi spem aut metum proferrent."

Quando autem id fiebat? Nempe inter coenam et pocula. Res ipsa clamat et sequens narratio clare demonstrat. Minime ergo opus disertis id hic significare verbis; iis vero verbis significare, quae nunc post *incustoditi* in textu leguntur: „inter militares cibos" absurdissimum est. Et locus et sermo arguunt sciolum. Suspicor autem *militares* olim ad *mentes, inter cibos* ad ultima sententiae vocabula fuisse adscriptum.

A. II, 28 (De causa Drusi Libonis agitur):

„Celebre inter accusatores Tironis ingenium erat avidumque famae malae."

Probus, haud dubie, homo fuit et calumniatorum inimicus, qui istud *malae* in margine adscripserit; sed boni elegantisque

sermonis naturam ignorabat, qui putarit unquam quemquam recte dici posse avidum *malae* famae.

A. II, 30 (Ex eadem narratione):

„Negante reo, adgnoscentes servos per tormenta interrogari placuit: et quia vetere senatusconsulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet."

Satisne perspicuum Tiberii consilium hisce fit verbis, an putemus ipsum Tacitum magistelli sermone sic illud illustrasse: „scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur"? Verba iam a Mendoza proscripta etiam ab editoribus vindicari Tacito est quod indignemur.

II, 54. Clarii Apollinis oraculum adit Germanicus:

„et ferebatur" (sc. sacerdos dei) „Germanico per ambages maturum exitum cecinisse."

Ad *per ambages* annotavit aliquis *ut mos oraculis*, quae verba nunc Taciti commaculant sermonem.

III, 2. Appropinquante Agrippina cum Germanici cineribus Italiae, Drusus Tiberii filius:

„Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici."

Quis rei ignarus non putet *Drusi* hic fratrem dici Claudium? Quis non sentit hic aut ipsi veritati aut sermonis legibus apertissime vim fieri? An credamus salva latinitate pro: „cum Germanici liberis et fratre Claudio" dici posse „cum Claudio fratre liberisque Germanici"? Immo, Tacitus scripsit: „cum fratre liberisque Germanici", sed in margine aliquis nomen fratris addidit.

Paulo post (III, 3) qui factum sit ut de singulari quodam ob mortem Germanici Antoniae matris luctu nihil traderetur ab auctoribus varie disputat Tacitus; postremo hanc profert coniecturam:

„Facilius crediderim Tiberio et Augustae cohibitam, ut par maeror et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur".

Quis ex his non plane intelligit Tiberium quoque et Liviam illis diebus domi mansisse? Quis se inepta illud doceri patiatur annotatiuncula: *qui domo non excedebant*, quae nunc inter Taciti verba legitur?

A. IV, 49. Sabinus Thraecum castellum quoddam ab omni parte inclusum tenet, ita ut omni malorum genere miseri homines vexentur:

„sed nihil aeque quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium uno reliquo fonte uterentur; simulque armenta, ut mos barbaris, iuxta clausa, egestate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat; pollui cuncta sanie odore contactu."

Non dubito quin verum viderit Ritterus, qui verba *ut mos barbaris* proscripsit: prorsus aliena hinc ista sunt, non enim barbarorum mores hic describuntur, sed quid *tunc*, ad incitas redacti, fecerint cum summo suo incommodo, narratur. Conferatur cognatum emblema *ut mos oraculis* quod e capite 54 libri II exemimus.

A. V, 10. Falsum Drusum persequens Poppaeus Sabinus:

„Toronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam et Piraeum, dein Corinthiense litus angustiasque Isthmi evadit."

Eundemne, qui sic sine ullo loci indicio Thermaeum Toronaeumque sinum, qui tamen fortasse legentium vulgo parum noti esse potuerunt, reliquerit, ad *Euboeam* „Aegaei maris insulam", ad *Piraeum* „Atticae orae" adscripsisse putemus? Quae partim inepte sunt enuntiata, partim nihil legentibus prosunt. Non minus absurdum stupidumque emblema sustulit VI, 12 Nipperdeius e verbis: „post exustum [sociali bello] Capitolium."

A. VI, 24. De tristissima dirissimaque Drusi, Germanici filii, morte et alia et haec narrantur:

„Etiam sua verba centurio saevitiae plena, tamquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo [alienationem mentis simulans] quasi per dementiam funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras imprecabatur."

Hic tamen editores morem gerunt Bahrdtio absurdum verborum *quasi per dementiam* interpretamentum includi iubenti. Sed in ipso narrationis initio additamentum deprehendimus non minus importunum:

„Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, [mandendo e cubili tomento] nonum ad diem detinuisset."

Unde istud habeat sciolus nescio, perturbatum atque corruptum ab eo sermonem Taciteum certo scio.

Sed ex hoc quoque genere multo plura nobis affert exempla Mediceus alter:

XI, 13. „At Claudius matrimonii sui ignarus et munia censoria usurpans e. q. s."

Prorsus sensu vacuum esse *matrimonii sui ignarus* mihi constat; nam quod certatim docti commentatores, alius alium describens, huc afferunt H. I, 49: „amicorum libertorumque usque ad culpam ignarus", in eo loco praesidii nihil est. Omittunt enim illi quod in eo vel primarium est, nam sic ibi Tacitus scripsit: „amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus", ita ut fere nihil hi loci inter se habeant commune: genitivi *amicorum libertorumque* a *patiens* magis quam ab *ignarus* dependent, cum *ignarus* vero arte iungendum *si mali forent*. Et quae ratio intercedat inter verba *matrimonii sui ignarus* et *munia censoria usurpans* prorsus me latet. Nihili enim est quod viri docti commenti sunt de *sortis quadam ironia*, quod censoris munere fungatur Claudius, ipse ignarus qualem habeat uxorem; id quod tum demum in hunc locum conveniret, si de Claudio ibi narraretur censoria gravitate matrimonii sanctimoniam defendente. At *theatralem* ab eo correptam *licentiam* legimus. Iam cum *matrimonii* alicuius *ignarum* fuisse Claudium legimus, non possumus non cogitare de illis Silii Messalinaeque nuptiis, quas non per risum iocumque fictas sed veras sincerasque fuisse Tacitus ipse credidit et legentibus persuadere est conatus. Res nobis hic est cum annotatione, eaque corrupta: in margine enim ad vocem *ignarus* explicandam olim appictum fuit *matrimonii Silii*, idque ita in textum translatum est ut e *Silii* nasceretur *sui*. Praeclarum huic coniecturae subsidium praebet ultimorum capitis XII verborum lectio, quam codex exhibet. Ibi nunc recte e Puteolani emendatione editur: „postremo, velut translata iam fortuna, servi liberti paratus principis apud *adulterum* visebantur", in codice esse: „*alterum* supra scripto *filium*" Nipperdeius refert, sed aut Nipperdei error hic deprehenditur, aut librarius in describenda annotatione leve commisit vitium: ad *alterum* vel ad *adulterum* (nam hoc quidem vitium quando natum sit in tenebris latet) adscripsit aliquis *Silium*, atque idem paulo post adiectivum *ignarus* verbis *matrimonii Silii*

illustrare conatus est. Adiectivi *ignarus* „absolute" positi egregium habemus exemplum A. I, 6: „primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes; quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit."

In ipsa de illis Silii Messalinaeque „nuptiis" narratione insulsissimam scioli deprehendimus annotationem. Tacitus scripsit: „urgeri praela, fluere lacus; et feminae pellibus accinctae adsultabant; ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro" elegantissima brevitate id reticens quod quivis non plane indoctus sponte coniiciat: quorum deorum hominumque Silius, Messalina, chorus sint functi partibus. At sciolus, cetera omnia silentio praetermittens, ad unum illud *feminae pellibus accinctae* annotavit: „ut sacrificantes vel insanientes Bacchae," quae verba inepta, stupida, absurda, nunc nobis pro Taciteis venditantur!

XI, 34. Appropinquantem ad urbem Claudium Narcissus aliique in Messalinam instigant, ipsa precibus, amicis allegandis, liberis offerendis maritum mitigare studet; omnes Narcissus amolitur:

„Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret ne indefensa uxor exitio daretur. Igitur auditurum principem et fore diluendi criminis facultatem respondit: iret interim et sacra capesseret."

Virginem Vestalem fuisse Vibidiam c. 32 cognovimus, et haecce legentes statim recordamur. Quid ergo illo facias qui primus huc e margine transtulerit et post *interim* posuerit vocem *virgo*? Nil equidem unquam vidi ineptius.

A. XII, 24. Verbis non opus est ut puerili additamento liberetur Tacitus; scripsit enim:

„Atrox odii Agrippina ac Lolliae infensa ... molitur crimen et accusatorem, qui obiceret Chaldaeos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris"

sed in codice post *Chaldaeos* legitur etiam *magos*.

Non minus ineptum est quod XIII, 10 exemit Nipperdeius:

„Quamquam censuissent patres, ut principium anni inciperet mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem kalendarum Ianuariarum [inchoando anno] retinuit."

Illud tamen denuo in textum reduxit Furneaux; equidem potius *kalendarum Ianuariarum* quoque deleverim.

Non, ut opinor, tam imperitos antiquitatum lectores sibi finxit Tacitus ut XIII, 43:

„Repertique accusatores direptos socios, cum Suillius provinciam Asiam regeret, ac peculatum detulerunt"

ad *peculatum* adscriberet „publicae pecuniae", quae verba nunc in textu leguntur.

Ex eodem genere annotationem invenimus XIII, 51. Agitur de Neronis consiliis, quibus cives peregrinosque oneribus levavit:

„Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio; et ne censibus negotiatorum naves ascriberentur [tributumque pro illis penderent] constitutum."

Verba inclusa non solum plane sunt supervacua, admodum enim perspicua sunt quae scripsit Tacitus, neque exquisitam locutionem vocabulis pervulgatis corrumpunt, sed totam sententiae structuram pessumdant.

A. XIV, 8. Salva iam ad villam suam Agrippina pervenit, sed simul adsunt Anicetus militesque, qui ubi vi irruperunt, Agrippina

„respicit Anicetum Trierarcho Herculeio et Obarito, centurione classiario, comitatum: ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere."

Praeclare hic omnia sunt enuntiata estque sermo et Tacito dignissimus et muliere primaria: non vult diram rem suo appellare nomine, ergo verecunde eam verbis „nihil se de filio credere" significat. At inutilia Tacito ét consilium ét ars sua fuerunt; translata enim in textum annotatione magistelli, rusticana nunc simplicitate dicta sunt omnia. Sed nos istud *non imperatum parricidium*, quod nunc elegantiam verborum *nihil se de filio credere*, quibus adhaeret, pessumdat, auctori suo reddimus.

A. XIV, 27. „Veterani Tarentum et Antium adscripti non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant; neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas domos relinquebant."

Risum movet quod in codice post *orbas* legitur: *sine posteris*, tamquam si unquam quisquam posteros suos conspiciat domive relinquat!

A. XIV, 35. Boudicca, Icenorum regina, et alia apud Bri-

tanniae civitates de Romanorum crudelitate conqueritur et haec:

„Eo provectas Romanorum cupiditates, ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquant."

Facessat hinc importunum istud *non corpora*, quod nulla ratione defendi, nullis argutiis excusari potest.

A. XV, 7. Paeto, iamiam bellum cum Parthis inchoaturo, tristia et alia fiunt omina et hoc:

„Pila militum arsere, magis insigni prodigio, quia hostis missilibus telis decertat."

Indignus profecto qui Tacitum legat is est, qui hic requirit etiam quis sit hostis ille; tamen in codice, cum ipsius Latinitatis detrimento legitur: „quia *Parthus* hostis e. q. s."

A. XV, 23. „Memmio Regulo et Verginio Rufo consulibus natam sibi ex Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit... Locus puerperio [colonia] Antium fuit, ubi ipse generatus erat."

Suam sibi habeat doctrinam magistellus, nam nemo legentium, qui quidem non sit adversis Musis natus, hic scire cupit quo iure fuerit oppidum, in quo nata sit Neronis filia, propter quam ille tantopere exsultaverit.

A. XV, 25. Bello cum Parthis gerendo tandem aliquando praeficitur Corbulo, postquam Paetus diu multa molitus nihil profecerat sed in summum discrimen rem adduxerat. Id hisce verbis Tacitus enuntiat:

„Et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursus peccaretur."

Non poterat senatus consilium elegantius vel magis perspicue significari. At in textu adhaeret pannus absurdissimus *quia Paeti piguerat*, in quibus verbis nihil inest, quod non multo venustius verbis *ne cuius alterius inscitia rursus peccaretur* declaretur; praeterea sciolum ista redolent, qui in Latine scribendo ne ineptissima quidem evitare potuerit vitia.

A. XV, 40. Nunquam adducar ut credam ipsum Tacitum scripsisse: „quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur," nam si scripsisset, nemo non aequalium in risus erupisset, quod de re tam nota edoceretur etiam. Et est scholiorum sermo iste: sic, ut e multis exemplis unum afferam, in Horatii codicibus ad C. S. vs. 7 plerumque annotatum invenimus: „Roma in

septem collibus constituta est." Sed scripsit sic fere Tacitus: „Regionum enim quattuor integrae manebant; tres solo tenus deiectae, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant," cum quibus verbis annotatio: „quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur" ita est conglutinata, ut nunc legatur: „quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor e. q. s.".

A. XV, 47. „Sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum." Imperante *Nerone* semel tantummodo antehac cometes visus fuit A. XIV, 22. Sed *in universum* hic locutus est Tacitus, ut et illic: „de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regis portendat" [1]), et utrobique eandem rem significavit: nam vulgi illam opinionem efficere ut, quotiescunque cometes sit aspectus, is qui tunc imperium tenet unum alterumque virum nobilem, quem prae ceteris metuit, de medio tollat, sponte intelligitur. Sed observationem Tacito dignissimam corrupit, qui primus annotationen *Neroni* in textum recepit.

A. XVI, 17. Serione credamus iis hominibus scripsisse Tacitum, qui nescirent quid esset *procuratorem* esse? At eiusmodi sibi lectores finxit grammaticus, qui ad verba: „Mela ... adquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes" annotavit: „administrandis principis negotiis," quae verba nunc orationem Taciteam pessumdant.

Ex *Historiis* haec potissimum profero exempla:

H. I, 23. De Othonis in Galbam coniuratione perfida sic narrare Tacitus incipit:

„Sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris affectaverat, in itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque nomine vocans ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando."

Praeclare enuntiata haec sunt; sed ad *vetustissimum quemque* adscripsit aliquis *militum,* quod nunc in textu legitur; namque

1) Cff. praeclari Statii versus Th. I, 705, ubi sic aliquis Apollinem alloquitur:

Tu doctus iniquas
Parcarum praenosse manus fatumque quod ultra est
Et summo placitura Iovi, quis letifer annus,
Bella quibus populis, *quae mutent sceptra cometae.*

hactenus ne hoc quidem ab ullo doctorum virorum observatum videtur, quam dura quamque inepta esset repetitio in hisce: „studia *militum* ... vetustissimum quemque *militum*."

H. I, 52. „Sub ipsas superioris anni kalendas Decembres Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat. Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatae notae, plura ambitione, quaedam iudicio, in quibus sordes et avaritiam Fontei Capitonis integre mutaverat." Sic Tacitus scripsit; nam quae post *Fontei Capitonis* in codice leguntur: „adimendis assignandisve militiae ordinibus," ea sciolo, qui primus adscripsit, esse reddenda, pro suo acumine dudum Nipperdeius perspexit. Vel una vox *militiae* auctorem prodit.

H. I, 86. Postquam perfido consilio imperium Galbae ademptum in se transtulerat Otho, nondum tamen quies redierat, ignaris etiamtum civibus iam ad certum exitum perductam rem:

„Coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas; et privato Othoni nuper nota adulatio." Verus hic Tacitus agnoscitur, praesertim in ultimis *et privato Othoni nuper nota adulatio*, quod egregia brevitate haec significat: „Otho, qui paucis diebus ante privatus fuerat, facile adulationem a veritate dignoscere poterat; utpote qui saepe illa usus esset ipse." Ultrane feramus nervos Taciteos hic incidi puerili additamento *atque eadem dicenti*, quod nunc cum praeclarae sententiae interitu post *nuper* in textu legitur?

H. I, 87. Obviam Vitellio cum Otho proficisceretur:

„curam navium Moschus libertus retinebat ad observandam honestiorum fidem."

Satis perspicua, ut opinor, haec; sed quo magis appareret huic duci non accidisse quod accidit Aemilio Pacensi, ut in eius locum alius copiis praeficeretur, deinde, mutato imperatore, in integrum restitueretur (de illo enim in proxime praecedentibus haec leguntur: „Aemilio Pacensi, cui ademptum a Galba tribunatum reddiderat") annotavit aliquis *immutatus*, quod tamquam si bonae illud esset Latinitatis, scribae in textum receperunt (post *fidem*). Exemit Muretus; nostra aetate fortasse existent editores qui restituant.

H. II, 1. „Ubi Corinthi certos nuntios (Vespasianus) accepit de interitu Galbae e. q. s."

Tacitumne credamus nomini *Corinthi* adscripsisse „Achaiae urbe," an cum Iacobo ista reddamus sciolo? Ne dubites, inspice quae ad A. V, 10 annotavimus. Non minus insulsum (neque magis utile) interpretamentum in hisce deprehendimus (H. II, 20: de Caecina agitur cum exercitu per Italiam incedente): „ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, bracas [barbarum tegimen] indutus togatos alloqueretur."

Unquamne quisquam inclusis verbis patrocinabitur? *βροτοῖσιν οὐδέν ἐστ' ἀπώμοτον.*

H. II, 23. Marcius Macer, dux Othonianus, rem bene gerit sed victoria sua non abutitur:

„Suspectum id Othonianis fuit, omnia ducum facta prave aestimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marium Celsum variis criminibus incessebant."

Ad nomina illa adscripsit aliquis: „nam eos quoque Otho praefecerat," tamquam si cuiquam legentium ignoti esse possent primarii illi praeclarique duces Othoniani, ad quos cuncta, quae proxime praecedunt, sunt referenda, de quibusque I, 87 disertis verbis narratum est: „peditum equitumque copiis Suetonius Paulinus, Marius Celsus, Annius Gallus rectores destinati." Iam satis, ut opinor, nunc apparet quam ineptum istud *quoque* sit. Et tamen puerilem istam annotationem, in textum receptam, per longam saeculorum seriem aequo animo tulerunt viri docti, donec tandem aliquando Rittero, viro acutissimo, fraus suboluit.

H. II, 28. Praetextu utitur Valens ad Batavorum cohortes turbidas amovendas. Quod ubi ceteris militibus cognitum est, fremere omnes orbari se validissimo auxilio. Ergo cum acerba querimonia et alia disputant et haec:

„Si provincia" (nam ad eam defendendam Batavos istos Valens dimiserat) „urbe et salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriae columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos artus."

Vocabulum paulo minus usitatum *columen* aliquis utcunque interpretari est conatus adscribendo „sanitas, sustentaculum." Atque istud interpretamentum, tam importunum tamque parum aptum, sine ulla nota in textu perstitit, donec a Nipperdeio

uncinis est inclusum, quibus tamen — ut nunc sunt mores — fortasse mox liberabitur.

H. II, 63. Dolabella quo crimine perierit sic narratur:

„Dolabella audita morte Othonis urbem introierat. Id ei Plancius Varus praetura functus, ex intimis Dolabellae amicis, apud Flavium Sabinum, praefectum urbis, obiecit."

Sicine Latinitati vim faciat quisquam, ut cum dicere velit: „*Dolabellae* Varus, ex intimis *eius* amicis, obiecit ...," sed se nomen illud paulo ante ponere recordetur, pro illo pronomen *ei* ponat, tum tribus vocabulis interiectis ipso iterum nomine proprio utatur (*ei* Varus, ex intimis *Dolabellae* amicis obiecit)? Certe non fecit Tacitus, sed, quod elegantis est scriptoris, tantummodo *ex intimis amicis* scripsit, minime dubitans quin statim quisque intellecturus esset e *Dolabellae* intimis amicis fuisse Varum.

H. II, 78: „Recursabant animo (Vespasiani) vetera omina: cupressus [arbor] in agris eius, conspicua altitudine, repente prociderat e. q. s."

Balbutientem nobis Tacitum exhibuit, qui primus istud *arbor* verbis eius adiecit. Hic quoque primus mortalium veritatem agnovit Leopoldius meus.

H. II, 95. Ut significet quam mature novum illud Vitellii imperium omnia priorum regnorum vitia contraxerit, et alia tradit Tacitus et hoc acutissima enuntiat brevitate:

„Nondum quartus a victoria mensis et *Asiaticus Polyclitos Patrobios* et vetera odiorum nomina aequabat."

Bene nobiscum actum fateamur quod non in codice sit: „*Vitellii libertus* Asiaticus Polyclitos Patrobios, *Neronis libertos*." Nam nunc quod solum annotavit sciolus: *Vitellii libertus*, ad hunc usque diem omnes, quotquot sunt, editiones commaculat.

H. III, 24. In narratione de proelio ad Cremonam commisso et alia leguntur et haec:

„Neutro inclinaverat fortuna donec adulta nocte luna surgens ostenderet facies falleretque, sed Flavianis aequior a tergo; hinc maiores equorum virorumque umbrae, et falso ictu tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine conlucentes velut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur."

Nonne, cum omnia hic sint praestantissima, tamen ceteris

omnibus elegantius enuntiatum videtur illud *falso ictu tela hostium citra cadebant?* Quid enim hic vel ad perspicuitatem vel ad venustatem desideratur? Quid addi poterat sine summo elegantiae periculo atque adeo pernicie? *Falso ictu*: corpora nimirum esse umbras illas putabant. Hoccine voluit Tacitus? Non opinor, sed: „longae illae umbrae efficiebant ut de spatio, quod inter exercitus esset, et de loco, ubi starent hostes, Vitelliani fallerentur." Haec Taciti mens fuit, sed, qualis ille error fuisset accuratius describere supersedit; rectissime, nam sic praeclara nascitur descriptio. At aliter librario visum, vel potius viris doctis, qui, illi obsecuti, ad hunc usque diem in textu retinuerunt (post *falso*) insulsam annotationem *ut in corpora.* An Vitellianos de industria humum telis suis petiisse putemus?

H. III, 31. Cremona expugnata in victos Vitellianos victores „ingerebant probra, intentabant ictus"; mox tamen ira cessit misericordiae et:

„subiit recordatio illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae temperassent. Sed ubi Caecina praetexta lictoribusque insignis, dimota turba, incessit, exarsere victores."

Putavit sciolus haec aliquando lectum iri ab hominibus barbaris, qui sua sponte e verbis *praetexta lictoribusque insignis* quem honorem cum maxime gessisset Caecina efficere non possent. Annotavit ergo: *consul*, quod vocabulum, in textum receptum, nunc ipsa sede, quam occupavit, falsi arguitur: post *turba* enim legitur.

H. III, 49. In Aegypto cum esset etiam Vespasianus de proelii Cremonensis exitu fit certior:

„Eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellii exercitu urbem quoque externae opis indigam fame urgeret. Namque [1]) et Africam terra marique invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discordiam hosti facturus."

Numquid iis hominibus se scribere putavit Tacitus, qui in qua parte orbis terrarum provincia Africa sita esset ignorarent? Et si putavit, num quidquam se iis profuturum arbitratus est, si adscriberet *eodem latere sitam*? Immo magistelli ista est annotatio neque docti admodum et in scribendo parum elegantis.

1) *Namque*: ecquid *iamque*?

H. III, 49. „Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia agebat, satisfactum bello ratus et cetera ex facili e. q. s."

Sermonem, ut opinor, nemo hic improbabit, de sententia nemo dubitabit; planissima enim sunt omnia. Verbis „nequaquam pari innocentia agebat" Antonium victorem iam et urbi appropinquantem cum eo Antonio comparari, qui modo e provincia sua castra moverit, quivis statim intelligit. Sed omnia corrupit librarius, qui in textum transtulit inutilem annotationem *post Cremonam*, quam adscripserat aliquis ad illustranda verba *satisfactum bello ratus*. Quae nunc ante *agebat* legitur, ubi nullo modo ferri possit. Age, clara voce aliquis recitet ista: „nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat": statim vitium sentiet.

H. III, 72. Capitolium aggredientibus Vitellianis, dum Sabinus quid in tanto rerum discrimine agat dubius haeret: „inrumpunt Vitelliani et cuncta ferro flammaque miscent."

De ipso Capitolio sermo hic est, de hominibus, qui tunc occisi sunt, in sequentibus agitur. Confudit ergo corrupitque omnia, qui inseruit *sanguine*. Non enim languidum solum est *sanguine ferro flammaque*, sed, nisi me fallunt omnia, ne Latinum quidem.

H. III, 73. Irrumpentibus in Capitolium Vitellianis, Flavii Sabini milites variis artibus dolisque salutem quaesiverunt:

„fuere, qui excepto Vitellianorum signo ultro rogitantes audaciam pro latebra haberent."

Planissima haec; nemo enim vel mediocriter Latine doctus de quo hic *signo* sit sermo dubitabit. Tamen Nipperdeio opus fuit, qui primus insulsum tolleret interpretamentum *quo inter se noscebantur*, quod ad illius usque aetatem voci illi adiunctum fuit. Et ne hoc quidem additamento contentus fuit sciolus, sed praeterea adscripsit aliquid, quod, item in textum receptum, maiorem etiam ei labem attulit: Flaviani illi milites, cum semel Vitellianorum signum excepissent, si in hostium, qui iam expugnaverant Capitolium, inciderent aliquem, non exspectabant donec ab illis signum rogarentur, sed *ultro rogitabant*: consentaneum illud est et unice in hunc casum convenit. At absurdissime in codice legitur: „ultro rogitantes *respondentesve*."

Cum *respondendi* enim verbo nullo modo adverbium *ultro* coniungi potest, et quod, tesseram rogati, *respondent* in ea re *audaciae* nihil est.

H. III, 82. Proelium inter Flavianos Vitellianosque committitur in campo Martio:

„Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine, hos, rursus illos, clamore et plausu fovebat. Quoties pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut si quam in domum perfugerant, erui iugularique expostulantes parte maiore praedae potiebantur."

Facessat hinc *altera*, quod imperitus adscripsit magister. Oportuit saltem *alterutra*.

H. III, 84. Adoriuntur Flaviani castra Vitellianorum, qui illa, tamquam ultimum perfugium, summa defendunt desperatione:

„Eo intentius victores, praecipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent."

Hic continere se non potuit sciolus quin legentibus doctrinae suae documentum daret insigne, sed quae essent cuncta illa urbium excidiis reperta fideliter enumeravit: *testudinem tormenta aggeres facesque.* Et haec nunc in medio sermone Taciteo leguntur; cum quanto egregii loci detrimento vides. Inutile est singula hic corrigere, ut fecit Ritterus, qui *aggerem* coniecit pro *aggeres* et *falces* pro *faces*: una litura cuncta delenda sunt.

XVII.

Dubitaturum iam opinor neminem, qui haec omnia perlegerit, quin uterque codex Mediceus multis, iisque absurdissimis, sit commaculatus additamentis. Saepe ipsam magistelli audimus vocem stridulam, doctrinam suam legentibus venditantis, neque raro librarium in ipso transferendi negotio errantem deprehendimus, quo nullum est certius rei, quam demonstrare conati sumus, indicium. Sine ullo ergo metu, si qui locus corruptus uno alteroque vocabulo eximendo sanari potest, ea medela utemur, cum praesertim vocabula illa pleraque omnia eiusmodi sint ut ibi quoque eandem agnoscamus sciolorum importunitatem,

eundem scribarum errorem. Nam vocabulis delendis scriptori opem ferre perversum est, nisi demonstrare possis verisimile esse ea aliquando in margine vel inter lineas fuisse appicta; hoc vero ubi constat, nulla est vel efficacior vel magis probabilis emendandi ratio. Hic quoque a Mediceo priore faciemus initium, qui cum omnino paucioribus laboret vitiis, tum huius quoque morbi non ita multa praebet exempla.

A. I, 5. Paulo longior mihi hic locus exscribendus est:

„Haec atque talia agitantibus gravescere valitudo Augusti; et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum electis sociis et comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo, fore, ut iuvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. Gnarum id Caesari; neque multo post extincto Maximo, dubium an quaesita morte [1]), auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset."

Videamus, qui rumor ille fuerit quo nitebatur opinio de veneno a Livia Augusto data, atque inducamus loquentem aliquem de vulgo hominum, quorum ea fuerit opinio: „paucos ante menses Augustus Planasiam vectus est ad Agrippam visendum, idque quam maxime secreto, namque cum cura elegerat omnes, qui in navi erant [2]), atque in ipsa insula unum tantum comitem habebat Fabium Maximum, qui ergo adfuit, cum Augustus cum Agrippa loquebatur: eiusmodi autem colloquium fuit illud, ut iamiam inter avum nepotemque reconciliatum iri gratiam appareret. Quam rem, maximopere celandam, Fabius uxori Marciae aperuit atque illa Liviae. En subito Fabius moritur: venenum nimirum ei dandum curaverat Livia, ut unicum testem rei tam molestae et sibi et Tiberio suo de medio tolleret; neque hoc sine iusta suspicor causa: audivimus enim Marciam lamentantem, quod causa marito exitii fuisset. Et nunc Augusti

---

1) Utique tenendum hic quod de particula *an* sic posita observavimus p. 338 huius voluminis. In illo enim *dubium an* hic sunt omnia.

2) Sic fere accipienda arbitror verba *electis consciis*, ut aliquid inter *comitem* et *conscios* intersit. Hoc certum *summam secreti curam* a Tacito significari.

valitudinem gravescere audimus: quid magis est credibile quam in hunc quoque scelus molitam Liviam, ne perficeret id quod in animo eum habuisse comperisset illa? Iam mortuo Augusto mortuoque illo, qui solus testis fuit colloquii, quod illam mox futuram promitteret reconciliationem, nullum Liviae Tiberioque ab Agrippa erit metuendum periculum, aut a Tiberio, iam principe, nullo negotio ille quoque e vivorum poterit eximi numero."

Eiusmodi hominum sermones, suspiciones, ratiocinationes ex ipsa vita sumtae videntur, et possent e Taciti quoque verbis facillime intelligi, nisi tria intercederent vocabula, quae totam rem perturbant et quam maxime reddunt obscuram: *Gnarum id Caesari.* Quid, quaeso, Caesar comperit? Nempe: *„Maximum uxori, illam Liviae aperuisse."* Alio verti pronomen *id* verborum contextus vetat. Et quid postea? *Augustusne* necandum Fabium curavit? Ut mittam, totam narrationem ad *Liviae* pertinere scelera et veneficia, quid minus e re Augusti fuit? Poterat ob eam causam vel totam rem omittere, vel, quod ipsi negotio consentaneum magis, maturare; necato Fabio nihil lucrabatur: ad Liviam iam permanaverat tota res, Liviae, si forte ira motus Augustus de conscio suo tam incerto poenas sumpsisset, omnis eximebatur dubitatio quin vera audivisset; infestam sibi redditam Liviam scire poterat Augustus, si illud de Fabio et Marcia ei *gnarum* fuit: placari eam posse vel vitari eius insidias Fabii nece si nunc Augustus credidisset, insaniisse eum iure diceremus. Denique totum illud *Gnarum id Caesari* una litura delendum est: in margine sciolus aliquis adscripsit, qui deesse aliquid Taciti narrationi, quam non intellexerat, opinatus est [1]).

1) Quae leguntur apud Plutarchum de Garrulitate p. 508 (facio enim ibi non esse legendum quod dat Bernardakis vol. III p. 316 Φούλβιος, sed Φάβιος cum codice M.) non congruere cum nostra Tacitei loci emendatione et interpretatione lubenter concedo, sed omnino Plutarchus rem hic tradit admodum diversam ab ea, quam legimus apud Tacitum, sive proscribimus istud *Gnarum id Caesari*, sive in textu retinemus. Verum utcunque res se ea habet, primum efficiendum ut Tacitus dicat aliquid quod bene cohaereat: tum demum eius narratio cum aliorum narrationibus conferri potest. Idem et alibi tenendum. Sic, ut hoc utar, si quis nostram ad H. IV c. 83 emendationem (v. Mnem. vol. XXX p. 119 sq.) redargui contendat iis quae legantur apud Plutarchum De Soll. Anim. vol. VI p. 77, et De Is. et Os. vol. II p. 498 sqq. (Bern.), hoc ei respondeamus: Plutarchus deum illum, de quo agitur, Serapidem esse dicit; hoc ei licet, nam vetus deus Aegyptius et Sinopensis coaluerunt in unum;

A. I, 32. De tumultuantibus in Germania militibus et alia narrantur et haec:

„Repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies et saeviendi principium. Prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent."

Ad verba „ut numerum centurionum adaequarent" haec annotat Nipperdeius:

„Die Soldaten betrachten, was den einzelnen von ihnen geschah, wie dem Körper an einem Teile, so allen insgesammt geschehen. Wie also 60 Centurionen die Legion schlugen, so wird jetzt jeder Centurio von 60 Soldaten geschlagen, um jeden dasselbe fühlen zu lassen, was bisher die Legion gefühlt hat"

eumque, quamvis dubitanter, sequitur tamen Furneaux. At mihi hac annotatione non Tacitus sed obscurissimum aliquod oraculum illustrari videtur. Praeterea quam absurdam rem nobis illa proponit ante oculos: milites de industria in sexagenorum discedentes globos, ita ut singuli globi unum verberent centurionem. Profecto est quod nos centurionum illorum misereat, qui non solum diris cruciatibus dilanientur et tantum non omnes ad mortem adigantur [1]), sed ne hoc quidem mortis habeant solatium quod „metaphorice" se vapulare sentiant. Hoc tamen quam artificiose excogitarant milites! Neque a centurionibus intellectum eorum consilium constat, nisi forte sumimus milites inter verberandum clara voce doctam suam metaphoram interpretatos. At quae Nipperdeius annotat, ea Latine neque enuntiata fuerunt umquam neque enuntiari possunt. Sed iocos mittamus! Mihi dubium non est quin hoc narraverit Tacitus: singulas centurias in suum sibi involasse centurionem. Hoc ipsi tumultuantium militum naturae consentaneum est, ad hanc rem uno opus est impetu, non Nipperdeiana illa metaphora, quae in mentem venire nemini potest nisi post longam deliberationem. Si autem dicimus a suis centuriis singulos esse dilaniatos centuriones, a sexagenis fere in singulos centuriones saevitum esse

---

Tacito non licet eundem deum et esse et non esse Serapidem dicere, quod tamen fit in vulgata lectione.

1) Ad mortem adactos esse plerosque centuriones, hoc certe a Tacito hic narrari, suo loco demonstravimus.

militibus dicimus. Res ergo eo redit ut totum illud *ut numerum centurionum adaequarent* olim ab homine semidocto in margine annotatum fuisse statuamus. Ipsum illud quod Nipperdeius voluit, quodque loco illustrando parum idoneum esse iam vidimus, e verbis *u. n. c. a.*, qui balbutientis sermo est, nulla vi extorqueri posse nemo, ut opinor, admonitus non videt.

I, 38. In narratione [1]) de tumultuantibus in Chaucis vexillariis haec legimus:

„Duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id M' Ennius, castrorum praefectus, bono magis exemplo quam concesso iure. Deinde intumescente motu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur."

Dubium esse non potest, quin illud *repertusque* delendum sit. Primum enim „postquam intutae latebrae" nihil aliud significat quam hoc: „postquam se *mox repertum iri* intellexit", ineptissime ergo *repertusque* praemittitur. Deinde dux, in quem militum ira exarsit, si semel est *repertus* (i. e. e latebris, in quas confugit, protractus), a militibus aut statim trucidatur aut vincitur, aut denique ita retinetur constringiturque ut commovere se non possit. At Ennius „exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit"; manus ergo certe habebat liberas: sponte e latebris suis provolavit, ne tamquam captivus a militibus inde protraheretur.

A. I, 55. Postquam narravit quam bene Arminii consiliis prodendis meritus antea saepe de populo Romano fuisset Segestes, sic Tacitus pergit:

„Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat; auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat. *Gener invisus, inimici soceri*; quaeque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irrarum apud infensos erant."

Sic est in codice: *inimici*, quod tuentur alii, dum *inimici soceri* aut genitivos singularis aut nominativos pluralis numeri esse statuunt, Nipperdeius *inimicus* coniecit et confidenter posuit in textu. Sed sive hunc sequimur, sive illos, haudquaquam intelligimus, quorsum illud pertineat eandem hic rem tamquam

1) Ceteras, quibus premeretur, difficultates iam antea indicavimus.

diversis e locis considerare. Etenim ubi de genero legimus, etiam cum socero vel socru eius rem nobis esse statim perspicimus, et, ubi gener est invisus, socer carus acceptusque esse nequit. Sin e textu vocabula illa eiicimus omnia perspicua fiunt atque venusta. Quomodo irrepere potuerint quaeris? Duae mihi annotationes videntur ad verba illa vere Tacitea (et elegantissima haec est brevitas): „quaeque aput concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant."

A. I, 56. Germanicus expeditum exercitum in Chattos rapit et:

„incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere."

Sequitur etiam:

„quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit"

sed annotationem hanc olim fuisse ego non sine causa suspicari mihi videor. Nam verba Taciteum quendam habent colorem (haud nego), sed imitator se ipse pronomine *illi*, quod in hunc locum minime quadrat, prodit et praeterea observanda docendaque ea re, quae hinc prorsus est aliena. Etenim veram illam fuisse fugam, non simulatam, non *Φόβον* sed *Φύζαν* plenam perfectamque, tota narratio quam disertissime docet. Postremo illud „quod illi moris — cessit" legens non de *uno* Germanorum populo, sed de tota *Parthorum* gente agi putare cogeris.

A. I, 66. Caecinae milites vix e manibus Germanorum elapsi, dum postero die exitium adfuturum persuasum sibi habent, subito terrore perculsi ad portam decumanam plerique ruunt:

„Caecina, comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum clausit viam."

Diutiusne feramus pulcherrimum hunc locum languidum frigidumque reddi insulsa magistelli annotatione *quia per corpus legati eundum erat,* quae nunc verbis *miseratione demum* adhaeret?

A. I, 72. De lege maiestatis, quam reduxerat Tiberius, ita Tacitus disputat:

„Nomen aput veteres idem, sed alia in iudicium veniebant: si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique male re gesta maiestatem populi Romani minuisset."

Figurae, quae zeugma dicitur, hic nos admonent grammatici, neque ego nego e *minuendi* verbo aliud extrahi posse verbum, quod aliquo modo „exercitum" obiectum habere possit. Sed quid accusativo *plebem* faciamus? Certe *plebem minuere* nihili est, quamvis verbum illud in alium sensum, qui tamen aliquo modo innatae significationi cognatus sit, detorqueamus. Deinde tota loci enuntiatio eiusmodi est ut *plebs* et *exercitus* non videantur populi Romani partes: etenim quocumque tandem modo *minuendi* verbum flectimus vertimusque, hoc spectantes ut tam *plebs* et *exercitus* quam *maiestas* recte *minui* dicantur, adverbium *denique* certe non potest aliter accipi quam sic ut non *comprehendendi* („kortom"), sed *claudendi* („eindelijk") vim habeat. Mihi luce clarius videtur ét *exercitum* ét *plebem* olim fuisse annotationes hominis, qui ne vocabulorum quidem, quae sunt *proditio* et *seditio*, sententiam accurate cognitam haberet, hoc docere unice studentis *proditionem* rem esse, quae ad exercitum, *seditionem*, quae ad plebem pertineret. Reiectis e textu annotationibus optimum verissimumque restitui sensum ét alia multa docent et hi Ciceronis loci: de Or. II, 164; Part. Or. XXX, 105.

A. II, 52. Quae hic de proelio, quo Tacfarinas a Furio Camillo fusus profligatusque est, narrantur e sex constant partibus:

1. Camillus in hostem duxit: „modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares."
2. „Sed nihil aeque cavebatur, quam ne bellum metu eluderent."
3. „Spe victoriae inducti sunt ut vincerentur."
4. „Igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur."
5. „Nec Tacfarinas pugnam detrectavit."
6. „Fusi Numidae."

Parum ergo apte tota est disposita narratio. Nam, ut nunc res se habet, id quod tertio est positum loco (*spe victoriae inducti sunt ut vincerentur*) illam in breve spatium comprehendit, vel potius quid „fabula doceat" nos admonet, atque ut quinta pars (*Nec T. pugnam detrectavit*) plane fiat supervacua efficit. Quid vero si illud *spe victoriae inducti sunt ut vincerentur* eiicimus? Omnia, ut opinor, fiunt expeditissima, et elegantissime decurrunt. Et quamquam satis venuste dictum id est quod nos proscribimus, putidum tamen sapit magistrum.

A. V, 3. „Iunium Gallionem, qui censuerat, ut praetoriani actis stipendiis ius apiscerentur in quattuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit (Tiberius), velut coram rogitans, quid illi cum militibus, quos neque dicta imperatoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset."

Sic est in codice; Lipsius *imperatoris* delet; mihi verisimilius videtur Tacitum scripsisse: „quos neque dicta neque praemia nisi *imperatoris* accipere par esset", quod cum ad intelligendum paulo videretur difficilius in margine annotatum esse *ab imperatore* ad structuram magis consuetam indicandam; cumque semel ea annotatio post *nisi* in textu esset posita, suo loco pulsum *imperatoris* in alienum aberrasse. Hoc certum est non posse sanari locum nisi uno pluribusve vocabulis recidendis: nemini enim probari opinor vel Nipperdeianum *nisi e praetorio*, vel Ritterianum *imperiti oratoris.*

Ad alterum nunc codicem Mediceum transeamus.

A. XI, 4. Quo crimine fratrum, quibus Petra cognomen, alter perierit his verbis traditur:

„Nocturnae quietis species obiecta, tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum spicis retro conversis, eaque imagine gravitatem annonae dixisset."

Sic est in codice. Pro *dixisset* autem Rhenanus coniecit *praedixisset*, vulgoque ab editoribus ea coniectura in textum recipitur. At ego bonae sinceraeque Latinitatis esse *ea imagine gravitatem annonae praedixit* non credo, quia *ea imagine* nobis sic erit accipiendum ut sit: *propter eam imaginem* sive: *ea imagine motus*, et omnino totum illud *ea — praedixit* languidum minimeque Taciteum videtur. Multo ergo melius, quod proposuit Cornelissenus: *eaque imagine gravitatem annonae portendi praedixisset.* Sed hoc quoque verbosum nimis, ipsaque coniectura aliquanto etiam violentior quam Rhenaniana illa, quae et ipsa satis audax. Equidem Tacitum scripsisse opinor: *eamque imaginem annonae dixisset*, deleto *gravitatem*, quod est vocabulum tritum, ubi de aucto frumenti pretio agitur (cf. VI, 13: „gravitate annonae iuxta seditionem ventum"). Non solum viderat nocturnam eam speciem Petra, sed etiam evulgaverat ipse (nam alioquin qui innotescere potuit delatoribus?), neque evulgaverat solum sed etiam simul ita erat interpretatus ut infaustissimi

ominis vim haberet. Etenim si imago illa Claudii spicea corona evincti ad annonam referenda est, gravitatem caritatemque annonae ea significari sponte sequitur, siquidem coronae spicae *retro* conversae erant. Si narrato somnio hoc solum addidit: *annonae imago ea est*, et perspicue satis est locutus et id dixit quod Claudius non aegre ferre non posset: nam cuiquam se civium tristissimae rei nuntium apparuisse cum dolore cognoscere debebat, cum praesertim tota res eiusmodi esset, ut facile a malignis in ipsum posset converti instantium miseriarum culpa!

A. XI, 7. Silio consule, ut delatorum cohiberet libidinem, de reducenda lege Cincia referente, Suillius, Cossutianus aliique calumniatores, poenam sibi hac relatione parari intelligentes, acriter obsistunt. Quorum orationem sic referre Tacitus incipit:

„Quem illum tanta superbia esse ut aeternitatem famae spe praesumat? Usui et rebus subsidium parari, ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit."

Verbis *usui — parari* de *patronorum* agi commodis Nipperdeio lubenter assentior: sic enim demum nanciscimur aliquid, quod recte opponatur ineptae arrogantiae eorum, si qui eloquentia sua immortales se fore credunt, de qua in praecedentibus sermo est. At istud *ne quis — sit* nequaquam cum illis cohaeret, quod ultro indicat Nipperdeius, in annotatione sua sic scribens: „und dies müsse geschehen damit nicht", ubi totum illud *und dies müsse geschehen* ab ipso Nipperdeio de nihilo est confictum. Totum negotium, de quo hic agitur, disputando persequamur. Fac nullam iam mercedem causarum patronis dari. Quid sequitur? Nempe ut hominibus insontibus inopibusque nullae posthac a causarum patronis exhibeantur molestiae, siquidem iniqui isti pravique patroni esse mox desinent, neque tamen unquam deerunt probi homines, qui iniuriis obstare et velint et possint. Nonne enim cives ideo obnoxii calumniatoribus fiunt, quod eloquentia forensis tantum lucri affert? At in textu legimus aliquid, quod quo convertamus plane nescimus: „ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit." *Potentes* illi qui, quaeso, sunt? Praeter ipsum imperatorem vix ulli alii homines recte illo significantur vocabulo. Nam adversus alios *potentes* non causarum patroni sunt adhibendi, sed ipsius est implorandum principis auxilium. Iam satis, ut opinor, apparet quam inepte disputantes loco

nostro, sicut nunc in textu legitur, callidi isti fingantur rabulae. Non ergo sine causa totum illud „ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit" annotationem esse scioli suspicor, qui verba *usui et rebus* ad universos esse referenda cives putaret. Quid quod illis eiectis demum recte sequentia annectuntur: „neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat", i. e. „vel sic non (= neque tamen) posse quemquam sine magno damno gravique iactura eloquentem fieri, ergo ne *purum* quidem et *integrum* esse lucrum, quod labor ferat forensis."

A. XI, 26. „Iam Messalina facilitate adulteriorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi simulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat."

Haud dubie corruptus locus hic est; lacunosum putabat Nipperdeius et sic fere supplendum: „Silius *sive taedio incertae fortunae* sive fatali vecordia e. q. s." At languet istud *sive — sive — an* et duo ista *fatali vecordia* et *an . . . ratus* omnem de Silii consilio coniectandi materiem tam bene exhauriunt, ut, quidquid addideris, ultro locum depraves. Quanto ergo praestat Acidalii ratio *sive* delentis, quod additum esse non minus est verisimile quam alterum colon, a *sive* incipiens, excidisse. Adscripsit illud *sive* homo imperitus, qui simplicis *an* usum ignorabat.

A. XII, 15. Mithridates Bosporanus undique collecto exercitu in Cotyis, Romanorum socii, regnum et in provinciam, quam Iulius Aquila obtinebat, irrupit. Qui suis diffisi viribus:

„externas et ipsi gratias quaesivere, missis legatis ad Eunonem, qui Aorsorum genti praesidebat [1]). Nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridatem ostentantibus."

Utique *societas* eiiciendum est; non enim nudum illud substantivum significare potest: „τὸ ad societatem adducere." Eiecto omnia ordine procedunt: „nec fuit in arduo" idem est quod: „et facile fuit negotium."

Iterum in vocabulo q. e. *societas* turbatum videtur A. XII, 47: Radamistus Pharasmanis, Hiberorum regis, filius, cum patruo

---

1) *Praesidebat* ex egregia Haasii emendatione; inepte in codice *praecellebat* legitur.

Mithridate, Armeniorum rege, quem obsidione clausum tenet, in gratiam se redire simulat, cumque eo extra castellum, quod obsidetur, congreditur:

„Mos est regibus, quotiens in societatem coeant, implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere."

Deleatur *in*: non enim ista fiunt in primo congressu, qui colloquii de societate causa habetur, sed postquam congressis multaque utrimque locutis iam placuit societas. Addidit aliquis, qui locutionem sibi inauditam *societatem coire* non concoqueret. E Cicerone tamen notam eam habere poterat.

A. XII, 51. Radamistus, qui Armeniam occupavit crudelique vexat imperio, ab iratis civibus in sua regia circumvenitur, sed pernicitate equi se obsidentibus subtrahit. Post variosque casus:

„Hiberos ad patrium regnum pervadit."

Ut sanaretur soloeca verborum structura, Heinsius: „ad Hiberos patriam in regnum pervadit" proposuit; Bezzenbergerus: „ad Hiberos patrium regnum p.". Sed quanto efficacior leniorque Ritteri ratio totum illud *Hiberos* delentis. Esset cur miraremur, si ad Taciti verba *ad patrium regnum* nunquam istud *Hiberos* adscriptum fuisset.

A. XII, 54. Felix Samaritarum et Ventidius Cumanus Galilaeorum praefectus inter se immissis latronibus raptant praedasque ad procuratores referunt:

„hique primo laetari; mox gliscente pernicie cum arma *militum* interiecissent, caesi *milites*."

Diutiusne absurdum istum et ipso vocabulorum sono intolerabilem sermonem feramus, an *militum* eiiciamus? Certe nudo vocabulo *arma* ad perspicuitatem nihil deest: latrones isti fortasse — quamquam ne hoc quidem necessarium — secum habuerunt aliquid, quo vulnera facere possent; iusta *arma* non habuerunt.

A. XII, 64. Prodigiorum omne genus civium mentes perturbabat:

„Sed in praecipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus iecerat, fatalę sibi, ut coniugum flagitia ferret, dein puniret, metuens, agere et celerare statuit."

Ut horum vocabulorum aliqua tamen constet ratio, post *Agrippina* distinctio ponenda est maior, ita ut *erat*, vel *versabatur*

mente sit supplendum. Sed sic structura nascitur parum, hercle, venusta et Tacito prorsus indigna. At eiecto *in* omnia fiunt elegantissima, sive *praecipuo pavore* tamquam aliquem „ablativum absolutum" accipimus (= Agr., cuius praecipuus erat pavor), sive cum *metuens* iungimus.

A. XII, 65. Agrippina ergo, extremum sibi instare periculum gnara:

„Amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur."

Num quidquam est absurdius quam puerum *adhortari* ut quam primum adolescat? Non, ut opinor, ἐν εὐχαῖς τοῦτο εἶναι τὸ πρᾶγμα callida mulier ignorabat, quod et praecedentia *robur aetatis quam maturrimum precari* testantur. Etiamsi in tali re quidquam monendo et incitando proficeretur, tamen tam parvo spatio bis eandem rem significare eleganti scriptore indignum foret. Facessat ergo *adolesceret* eo, unde male pedem intulit.

A. XIII, 31. Causa denuo inter Romanos Parthosque exorti belli haec erat, quod ipse Vologaeses suis copiis Tiridaten in Armeniae regnum deducere cupiebat et quod:

„Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores connubiisque permixti ac libertate ignota *illud* magis ad servitium inclinantes."

Sic Lipsius, quem plerique sequuntur editores, nam in codice est *illuc*. Sed *illud ad servitium* neque eleganter neque perspicue neque, quod gravissimum est, accurate dictum videtur. Non possunt enim hoc loco duo inter se opponi servitia, quod tamen fieret, si Armenii ad *certum aliquod* servitium *magis* inclinare dicerentur: servi enim Parthorum quam Romanorum fieri malle dicerentur. At Armenii cum faciunt quod Romani cupiunt, ut regem a senatu Romano petant, scriptori Romano non servi fieri sed plenam perfectamque accipere libertatem videntur. Parthorum ille eos *servos*, at Romanorum *socios amicosque* dicit. Ergo *illuc*, quod traditum est, servandum ego censeo, at delendum *ad servitium*. Sic omnia Taciteo erunt enuntiata sermone et Romani homines referent iudicium. Multis rebus Armenii propiores Parthis quam Romanis erant, et *libertate ignota illuc* magis inclinabant. Nunc non duo inter se opponuntur servitia,

sed *libertas*, quae sociorum Populi Romani est et *servitium* gentis, quae Parthis se adiungit. Bene rem perspexit qui hic adscripsit *ad servitium*, sed annotationem eius in textum recipi non oportebat.

A. XIII, 40. Ad confligendum cum Armeniis procedunt Romani:

„In cornibus pedes sagittarius et cetera manus equitum ibat *productiore cornus in sinistro*."

Pro vitiosa Medicei lectione deteriores exhibent *productior cornu in sinistro*, Agricola *productiore cornu sinistro* coniecit, Lipsius: *productiore cornuum sinistro*, Nipperdeius vero *productiores in sinistro*, quae omnium est pessima coniectura. Sed neque ceteras quisquam, ut opinor, probabit. Unice verum videtur quod dat Halmius: *productiore sinistro*, qua lectione simul quomodo nata sit Medicei lectio patefit: vocabulum in margine adscriptum ita in textum est receptum ut dittographia fieret: *cornu sin sinistro*, unde corrector quidam infelix *cornus in sinistro* finxit.

ib. Corbulo secum de urbe Artaxatis petenda agitat ratus illuc Tiridaten concessisse:

„Dein postquam exploratores attulere longinquum regis iter . . . lucem opperitur; praemissaque levi armatura, quae muros interim ambiret oppugnationemque eminus inciperet."

Claudicare orationem quivis videt, sed non restituunt eam, qui pro *levi* scribunt *levis* et a *praemissaque* novum incipiunt colum. Quanto rectius Heinsius *levi* retinet sed *que* eiicit, ut omnia sic decurrant: „lucem opperitur, praemissa levi armatura e. q. s."

A. XIII, 54. Frisii, rati duces Romanos vetitos castra movere, Romanae dicionis agros quosdam vacuos occupant et ut suos exercent auctoribus Verrito et Malorige. Tum:

„Dubius Avitus, accepta a Paulino provincia, minitando vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos aut novam sedem a Caesare impetrarent, perpulit Verritum et Malorigem."

Quid certius quam puerile istud *Frisii* e margine irrepsisse?

A. XIV, 20. Antiqui moris homines novos a Nerone institutos ludos aegre ferebant, commemorabantque avorum indignationem in Pompeium:

„quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus et scaena in tempus structa ludos edi solitos; vel

si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret."

Rectissime Agricola particulam *ne*, quae in codice post *continuaret* legitur, huc transiecit, ubi nunc est in editionibus. Sed non perfecit emendationem; ferri enim non potest *theatro*, sive cum *consideret*, sive cum *continuaret* iungis. In margine adscripsit vir probior quam sollertior, metuens ne quis ignoraret quae *ignavia* hic esset intelligenda.

A. XIV, 38. In Britannia Iulius Classicus procurator omnibus modis Suetonium, qui hactenus vario eventu rem ibi gesserat, oppugnabat:

„simul in urbem mandabat nullum proeliorum finem expectarent, nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera *ad fortunam ipsius* referebat."

Sic est in codice; pro *ipsius* autem satis audacibus coniecturis Puteolanus *reipublicae*, Sirkerus *imperatoris* reposuerunt. Sed nihil *pravitati ipsius* elegantius opponitur, quam nuda vox *fortuna*; recte ergo Ernestus *ad fortunam referebat* scribendum esse statuit, magistelloque, qui in margine appinxit, suum sibi *ipsius* reddendum.

A. XIV, 51. Cognito sibi a delatoribus insidias strui, Seneca colloquium a Nerone petit impetratque, in quo, gnarus e suis divitiis, potentia, eloquentiae fama, praesertim periculum sibi nasci et alia dicit et haec:

„cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: iuvere procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi."

Sic in codice a prima manu est, altera *iube* correxit et *per* addidit, unde nunc plerumque *iube rem per procuratores tuos administrari* editur. Elegantius illi qui istud *rem* (re) quoque eliminant, quod, proxime praecedente *opes*, plane est supervacuum; utrum *iube per procuratores tuos administrari* an *iube procuratores tuos administrare* (Ritterus) legamus parum refert, sed illud propter sequens *recipi* verisimilius, nam *per* ante *procuratores* facile excidere potuit. Iam habemus: „cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: iube per procuratores tuos administrari." Poteratne res maiore urbanitate significari? Opes suas Seneca tradit Caesari, sed non utitur *dandi*, vel *donandi* verbis, quae tamquam contumelias accipere Nero

poterat. Et tamen, si suos procuratores eas administrare iubet, nil aliud quam dono eas accipit. Ergo cum loquendi urbanitate summam iungit Seneca acerbitatem. Sed perit omne orationis artificium, si praeterea aliquid additur simile istis *in tuam fortunam recipi*, quibus olim magistellus lectionem *iube per procuratores tuos administrari* illustravit. An censeamus de industria haec sic a Tacito posita esse, ut sermonis ubertatem, quo in scribendo usus esset Seneca, imitaretur? In magno honore nunc eiusmodi sunt argumenta, cum id agitur ut lectiones traditae, quamvis absurdae, defendantur. At ego nunquam adeo verbosum fuisse Senecam credo ut, cum aliquam rem tecte, acute, venuste significasset et legentibus intelligendam reliquisset, statim eiusdem tritum quotidianumque nomen adderet; sed cum personatum Senecam sic loquentem audio: „senex et levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: iube per procuratores tuos administrari. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis, quorum fulgore praestringor, quod temporis hortorum aut villarum curae seponitur, in animum revocabo", laudo admirorque auctorem fabulae, certeque dignum eum arbitror, qui a sciolorum nihil intelligentium importunitate defendatur.

A. XIV, 59. Plautum Sullamque iam exules, sed quos summopere etiam metuendos esse ei Tigellinus persuaserat, per percussores suos de medio sustulit Nero, scripsitque ad senatum literas, quibus securitati reipublicae a se consultum nuntiaret:

„Decretae eo nomine supplicationes, utque Sulla et Plautus senatu moverentur, gravioribus *tam* ludibriis quam malis."

Sic in codice est. Iam a primis inde temporibus critici, ut pro *tam* aliud vocabulum reponerent, quod aptius videretur, desudarunt: in deterioribus est *tamen*, Agricola *iam* coniecit, Halmius *tum*. At nihil reponendum, unaque litura delendum istud *tam* censeo, utpote adscriptum ab indocto homine, qui unde *quam* penderet non intelligeret, et quem omne sententiolae fugeret acumen. Hoc fere dicit Tacitus: „ne ipsa quidem *mala* (i. e. caedes illae et crudelitates Neronis) tam gravia cognitu sunt (tamque digna odio nostro et indignatione), quam scurrilis ista et abiecta senatus adulatio."

A. XV, 65. „Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus...

destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur, traderetur que imperium Senecae ... Quin et verba Flavi vulgabantur non referre dedecori, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet."

Ad lectionem traditam *dedecori* defendendam afferuntur duo loci, de quibus tacere praestat: Plauti enim est alter, alter Horatii versus ille notissimus:

dic quid referat intra
Naturae finis viventi, iugera centum an
Mille aret?

In quo praesidii nihil esse apparet: *homo* enim ibi dativo designatur. Ergo plerumque Heinsii probatur coniectura, sane lenissima *dedecoris*, quoniam ipse Tacitus H. I, 1 dixerit: „omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit", Quint. IX, 4, 44: „plurimum refert compositionis", Plin. Ep. VIII, 22: „quisquis ille, qualiscunque, sileatur, quem insignire exempli nihil, non insignire humanitatis plurimum refert" [1]). Sed tribus his locis *pax*, *compositio*, *exemplum*, *humanitas* tamquam homines cogitantur, et, quod gravius, si ad illorum exemplum noster locus emendetur, non *dedecoris*, verum *decoris*, sit scribendum. Unum tantummodo hactenus allatum video, qui plane huc conveniat: Plin. Paneg. 40: „tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas quod deberi non oportuerit, an constituas ut debeatur?" Sed quamquam fortasse a sedulis venatoribus pauci quidam alii e latebris protrahentur, admodum insoliti aliquid Tacito Heinsiana obtrudi coniectura satis apparet. Iam sententiam dicti consideremus: „parum refert" (Flavus ait) „utrum citharoedum an tragoedum imperatorem habeamus." Num quidquam hic deest? Immo vero quidquid addideris, languidum reddes quod acre fuit et mordax. Cf. A. VI, 2 (Post mortem Seiani et aliae dicebantur ab adulatoribus Tiberii in senatu sententiae et haec): „bona Seiani ablata aerario ut in fiscum cogerentur, tamquam referret." A. XI, 36: „sponte an coactus tam magna peccavisset,

1) Totus locus est huiuscemodi: ut amicum a nimia in aliena vitia deterreat severitate, exemplum se ei coram narraturum promittit Plinius viri, qui aliquando in poenis sumendis modum excesserit; sed nomen eius se ne tum quidem editurum verbis, quae citavimus, significat.

nihil referre." H. II, 7: „nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret." H. III, 66: „id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant an per virtutem." Vides omnibus hisce sententiis eundem esse colorem, eandem acerbitatem ... atque verbo *refert* nullum addi genitivum. Quid ergo, si statuamus nostro quoque loco scripsisse Tacitum: „non referre, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet"? Num incredibile est adscripsisse aliquem: „dedecori", quo utcunque significaret hoc velle auctorem: „idem esse utriusque rei dedecus et eandem turpitudinem"? Immo audire mihi hominis vocem videor.

A. XV, 69. Vestinus consul, Neroni prae ceteris mortalibus invisus, inter ipsas epulas immite ab imperatore accipit imperium, quod confestim exsequitur:

„Circumdati interim custodia, qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum, ex mensa exitium opperientium et imaginatus et irridens Nero satis supplicii luisse ait pro epulis consularibus."

Tum demum Taciti hic manum agnoscemus, si utrumque *et* (tam illud quod ante quam quod post *imaginatus* legitur) simulque participium *irridens* deleverimus: „postquam pavorem eorum ex mensa exitium opperientium imaginatus Nero satis supplicii luisse ait." Ecquis nostrum nunc monendus etiam est ab *irridente* haec Nerone dicta? Haud opinor.

A. XVI, 2. Ab impostore deceptus Nero ingentes sibi auri thesauros repertos credidit, cumque forte eodem tempore ludi quinquennales celebrarentur largam hanc imperatori adulandi materiem avide arripuerunt oratores: non confusum aliis metallis sed purum putum e terra provenire aurum declamabant:

„quaeque alia summa facundia nec minore adulatione fingebant, securi de facilitate credentis."

Hic se magistellus continere non potuit quin indignationem suam in margine annotando „servilia" significaret. Et nunc in textu legitur: „quaeque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingebant"! Sed quicumque Taciteam orationem probe notam habet amatque, ex exemplari suo importunum istud *servilia* eradet.

A. XVI, 6. De funere Poppaeae et alia et haec legimus:

„Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos, sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur."

Hic Agricola pro *Romanus* legit *Romanis*, quod certe colorem magis Latinum magisque Taciteum habet. Sed quis credat hominem Romanum aequalibus scribentem omnino adiecisse aliquid quale est istud *ut Romanis mos?* Cum vero traditum exstet *Romanus*, statim magistellum agnoscimus, et eum quidem magistellum, cuius parum accurata sit doctrina. Non enim vetustus est apud Romanos mos corporum cremandorum.

A. XVI, 6. L. Vetus in Formiano suo custodia, a Nerone immissa circumdatur:

„aderat filia, super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti, mariti sui viderat; cruentamque cervicem eius amplexa servabat *sanguinem et vestes respersas*."

Sic est in codice et sic plerumque etiamnunc editur. Sed iamdudum quid Taciti quid interpolatoris sit constat. Illius enim manum restituit Heinsius legendo: *sanguine vestes respersas.*

A. XVI, 17. Lucani pater, Annaeus Mela, vir praedives, tamquam conscius coniurationis accusatur:

„Mela ... exolvit venas, scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. *Additur codicillis tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset,* se quidem mori nullis supplicii causis, Rufrium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi."

Sunt etiamnunc qui istam verborum farraginem concoquant; sunt qui eam ultro perturbent pro *scripsisset* legendo *scripsisse*, ut *additur* eam accipiat structuram, quam habere solent *dicitur*, *videtur* simm. Quasi vero non sit luce clarius, ubi in eadem narratione ét de *codicillis* sermo sit, ét aliqua verbi *addendi* forma legatur, de nulla alia re ibi sermonem esse posse quam de aliquo ipsorum codicillorum additamento. Tandem aliquando exstitit Draegerus, qui sciolum deprehenderet. Quod autem totum illud *tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset* e textu eximit, fortasse modum excedit. Si quis enim retineri posse *tamquam de iniquitate exitii querens* contendit, equidem non repugno, dummodo hinc facessat *codicillis* et — nam ita

demum apparebit, qui fieri potuerit ut tam immanem in modum hic locus corrumperetur — pro *additur* legatur *addit.* Scripsisse ergo Tacitum arbitror: „addit, tamquam de iniquitate exitii querens, se quidem mori nullis supplicii causis e. q. s." Cum semel *addit*, quod frequentissimum vitium est, in *additur* transiisset, cetera omnia sponte sunt secuta.

A. XVI, 30. „Atque interim Ostorius Sabinus, Sorani accusator, ingreditur orditurque de amicitia Rubelli Plauti, quodque proconsulatum Asiae Soranus pro claritate sibi potius adcommodatum quam ex utilitate communi egisset."

Vidi editorem traditae lectionis tam tenacem, ut ista sic in textu suo proponeret. Si nobilissimi scriptores Latini talia protulerunt, ego a literis Latinis ingenuam iuventutem procul arcendam censeo. Dudum est ex quo saniora docuit Nipperdeius, sed quod ille dedit *popularitate* neque admodum elegans est nec verisimile. Si quis ét Taciteam orationem restitutam ét convictum interpolatorem cupit, totum illud *pro claritate* aut deleat aut denuo in marginem releget. Cum enim eleganter quidem sed paulo obscurius significasset Tacitus Sabinum esse accusatum, quod in proconsulatu gerendo non tam publicum commodum quam suum spectasset, annotavit aliquis *pro claritate*, nempe ut doceret Sabinum huic rei praesertim in provincia dedisse operam ut ipse inclaresceret. Et bene quidem Taciti perspexit mentem ille, sed pulchre conformatam sententiam: „quodque proconsulatum sibi potius accommodatum quam ex utilitate communi egisset" corrupit qui annotationem, quamvis prudentem, admiscuit.

Ex *Historiis* hosce praesertim locos hanc flagitare medicinam opinor:

H. I, 2. Brevi conspectu mala enumerans, quibus eo tempore sit afflicta respublica, de quo iam sit scripturus, et alia Tacitus profert et hoc:

„hausta aut obruta fecundissima Campaniae ora."

Statim dedi locum, sicut revera a Tacito est scriptus et sicut eum Woelfflinii restituit acumen; admodum enim corruptum eum exhibet codex Mediceus. Scilicet lector, quae de *urbibus* Pompeiis Herculaneoque dirutis cognita haberet, cum sibi retinere non posset, suum *urbes* infersit, quo factum est ut cum

gravissimo sententiae detrimento, cum numerorum Taciteorum pernicie ante Woelfflinium vulgo ederetur: „haustae aut obrutae urbes fecundissima Campaniae ora."

H. I, 5. De Galba alii optima quaeque augurabantur, aliis ipsae virtutes eius suspectae erant:

„Laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos, ut haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur."

Sicine a Tacito scriptum putemus: „ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos"? Mihi aut absurdissima ista videntur aut inepte verbosa. Etenim aut bis hic idem temporis spatium indicatur, aut, si in verbis *a Nerone* quidquam inest, quod non sit in verbis *quattuordecim annis*, homo hic nobis describitur ipso Nerone multo insanior. Tum demum „ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos" recte habet, si Neronem fingimus per quattuordecim annos *huic rei operam dedisse* ut animi militum corrumperentur. Quod quoniam non voluisse Tacitum constat, istud *a Nerone* sciolo reddemus: quod restabit vere Taciteum erit.

H. I, 30. Cohortem, quae in Palatio stationem agit, ut odio contemptuque Othonis impleat, et aliis alloquitur verbis et hisce Piso:

„Stupra nunc et comissationes et feminarum coetus volvit animo: haec principatus praemia putat, quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor et dedecus penes omnes."

Pronomen *haec* aut ad praecedentia (*stupra*, *comissationes*, *coetus*) referri potest, aut — et sic mihi quidem tota Pisonis oratio gravior ponderosiorque fieri videtur — nova hinc potest inchoari sententia. Sed sive hoc, sive illud malumus, molestum nobis est *sit*, quo vitium in textum introducitur simillimum ei, quod modo notabamus („ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos"). Videtur enim Otho insimulari quod *de industria* illum omnium ruborem et illud omnium dedecus provocet. At non illud vult Piso verum hoc: „nil nisi voluptates Otho appetit; utrum honestae illae sint an totam civitatem dedecore afficiant, id minime curat." Habebimus hoc, si *sit* deleverimus.

Saepe vocula *et* invito Tacito obtruditur. Possitne servari in his I, 73: „expostulata ad supplicium Calvia Crispinilla variis

trustrationibus *et* adversa dissimulantis principis fama periculo exempta est", dubito, sed eximere malo, quoniam ablativorum *variis frustrationibus* et *adversa fama* tam diversa natura est.

Verum non dubito quin bis sit expellenda I, 85:

(Sedato tumultu praetorianorum, qui ad trucidandos senatores in Palatium irruperant), „non tamen quies urbi redierat: strepitus telorum et facies belli, *et* militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu *et* maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat."

Atque illud quidem *et*, quod post *habitu* legit, expulit Classenus, quod post *belli* Doederlinus, rectius quam Meiserus qui: „facies belli et metus, militibus e. q. s." proposuit, quae nimia est verbositas.

Ambabus vero manibus arripio Leopoldii mei venustissimam emendationem II, 46 (describuntur militum studia, Othonem post Bedriacense proelium ne desperet hortantium):

„qui procul astiterant, tendere manus, et proximi prensare genua"

cum magno Taciteae orationis emolumento *et* delentis [1]).

H. II, 48 (Ex pulcherimo illo loco, ubi quomodo fratris filium adolescentulum trepidum atque maerentem solatus sit Otho narratur):

„Mereri se festinato exitu clementiam victoris: non enim ultima desperatione, sed poscente proelium exercitu, remisisse rei publicae novissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum. Proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset."

Num quidquam hic desideratur? Immo omnia sunt praestantissima absolutissimaque. Postquam adolescentulo persuasit in

---

1) Item delendum *et* censeo in hisce:

H. III, 44: „(Vespasianus) illic secundae legioni a Claudio praepositus *et* bello clarus egerat."

H. III, 74: „Sabinus et Atticus onerati catenis *et* ad Vitellium ducti nequaquam infesto sermone vultuque excipiuntur."

A. I, 4: „Hunc (Tiberium) *et* prima ab infantia eductum in domo regnatrice, congestos iuveni consulatus."

praesentia nihil ei esse periculi, ne in posterum ipse sibi pericula provocet hoc eum monet argumento: „contentus esse potes ea dignitate, quam ego in gentem nostram intuli; quid tibi opus ad altiora tendere?" Et sunt hic omnia praeclare enuntiata; pulcherrime vero post brevem sententiolam „satis posteris nobilitatis quaesitum" *statim* subiicitur clausula, qua tota allocutio quodammodo in unam hanc contrahitur adhortationem, qua nihil unquam ad animos commovendos aptius fuit: „proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset." Quid vero codex? Post illa: „satis sibi ... quaesitum" haec etiam nobis ingerit: „post Iulios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse", in quibus multa reprehendenda sunt, vix quidquam est quod probes. Primum divelluntur iis ea quae utique iungenda et inter se constringenda sunt. Tum non ita facile est aptum inde extundere sensum. Quid enim illud est: „ego primus in familiam novam imperium intuli"? Fuitne omnino Othonis gens tam obscura ut prae ceteris *nova* recte diceretur? Immo pater eius „urbanos honores, proconsulatum Africae et extraordinaria imperia ... administraverat" (Suet.) et gratia Tiberii floruerat. Tum mire post nomina gentilia *Iulios Claudios* Galbae *praenomen* Servius subiicitur. Hoc vero absurdissimum quod cum imperiis illis, quae Iulii et Claudii per longam annorum seriem obtinuerunt, pauci illi Galbae menses componuntur, tamquam si nihil interesset. Denique omnia semidoctum produnt hominem, cuius misella annotatiuncula debilitari virilem robustamque Othonis orationem non ultra feremus.

H. II, 68. In exercitu Vitellii e rixa legionarii militis et Galli ingens tumultus caedesque nascitur:

„Remedium tumultus fuit alius tumultus. Pulvis procul et arma aspiciebantur: conclamatum repente quartam decimam legionem verso itinere ad proelium venire; sed erant agminis coactores: agniti dempsere sollicitudinem."

Dicere non possum quam ingrata mihi accedat ad aures huius loci oratio: elumbis videtur, languida, puerilis. Praesertim colon istud *sed erant agminis coactores* ieiunum frigidumque est; sed omnino vehementer displicet in duo membra distracta simplicissimae rei narratio. Vin in unum corpus solidum atque robustum

cuncta colligi? Mecum lege: „sed agminis coactores agniti dempsere sollicitudinem."

Simili morbo laborat locus H. III, 25. Praecedit narratio de patre a filio in pugna Cremonensi interfecto deque acerbis filii post agnitum facinus questibus:

„Advertere proximi, dein plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli exsecratio. Nec eo segnius propinquos adfinis fratres trucidant spoliant; factum esse scelus loquuntur faciuntque."

Quantum potuit scelus hic ipse commisit sciolus: trucidavit enim orationem Taciteam. Sed nihil facilius quam in vitam eam revocare; abiiciendum est onus, quo opprimitur: „... trucidant spoliant: *scelus loquuntur faciuntque*". Hoc, ut opinor, Taciteum est.

H. III, 39. Acrem in Iunium Blaesum concipit iram Vitellius imperator, quam L. Vitellius criminationibus suis incendit; tandem:

„trepidanti inter scelus metumque, ne dilata mors maturam perniciem, palam iussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari. Addidit facinori fidem nobili gaudio, Blaesum visendo; quin et audita est saevissima Vitellii vox, qua se pavisse oculos spectata inimici morte iactavit."

Hic primum dubium non est quin verum viderit Ritterus *vocem* eam non imperatoris sed fratris eius fuisse, ergoque *L. Vitellii* esse legendum: nam si ab ipso imperatore crudelia illa verba pronuntiata fuissent, nil opus fuisset alia argumenta afferre ad demonstrandum credibile esse illius iussu venenum datum: prae illis enim haec admodum infirma videri debebant. Iam quod ad absurdum illud *nobili gaudio* pertinet, pro eo *notabili gaudio* legit Faërnus, coniectura elegantissima, qua tamen mihi locus in integrum restitui non videtur. Etenim istud *notabili gaudio Blaesum videndo* temere deiicientis verba magis est quam eleganter struentis, et, cum alterius fratris verba *gaudium* testantia commemoras, alterum quoque *gaudentem* exhibere legentibus puerile videtur. Suspicor olim scriptum fuisse *ignobili gaudio* — non a Tacito, verum ab aliquo, qui istud L. Vitellii legens dictum continere se non posset, quin eum aliqua nota aspergeret: ad vocem enim, quae est *pavisse*, adscriptum illud *ignobili gaudio* arbitror. De imperatore ergo haec dicta restant: „addidit facinori fidem Blaesum visendo," quae quam egregie

in totam conveniant narrationem quivis perspicit, qui ultimorum Agricolae capitum memor est, e quibus haec potissimum affero (c. 43): „Ceterum per omnem valitudinem eius crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat."

H. III, 41. Vitellium iam prodidit Bassus classis praefectus, iam ab eo defecit Caecina; Valentis milites, quod unicum eius praesidium, neque bello pares erant neque integrae fidei:

„pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos periculorum et dedecoris securos."

Pro absurdo isto *avidos* Faërnus coniecit *pavidos*, rectissime, dummodo et *periculorum* deleamus, quod, cum semel *pavidos* in *avidos* abiisset, a semidocto homine est adscriptum ne vox illa plane sensu careret. *Pavidos periculorum* ineptae est loquacitatis et in Taciti textu minime ferendae.

H. III, 67. Iam cedere victoribus Vitellius decrevit, hortantibus eum amicis ut ad supremum se accingeret certamen, et ad eiurandum imperium pullo amictu Palatio digreditur. Sed tristem illam narrationem praecedit moestae rei, ad ipsam imperatoris domum pertinentis, commemoratio:

„erat illi et fessa aetate parens; quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit, nihil principatu filii adsecuta nisi luctum et bonam famam."

Non sine causa haec praemittuntur; mox enim legimus non solum Palatio digressum Vitellium, sed *maesta circum familia*, ergo legentes antea edoctos oportet de matris illius, de qua in praecedentibus pauca sed egregia cognoverunt, sorte. Sed hic in illo *opportuna morte* omnia sunt; illis ipsis diebus eam mortuam esse nunc quivis statim intelligit, disertis id etiam verbis referre ingratissimum est. Ergo non cum Io. Muellero *ante* sed totum illud *paucis ante diebus* eiiciendum censeo. Etiam in proxima vicinia locus hic scioli manum est experta. Sic enim pergitur:

„Quintum decimum kalendas Ianuarias audita defectione legionis cohortiumque, quae se Narniae dediderant, pullo amictu Palatio digreditur."

Agnoscisne annotationem: „quae se Narniae dediderant"? Non Tacitus se a tam obliviosis lectum iri hominibus exspectavit, quibus opus esset omnia identidem in memoriam revocare.

H. III, 69. Sparso rumore de imperio a Vitellio eiurato, Flavius Sabinus a primoribus civitatis compellitur ut et ipse victoriae famaeque partem capessat. Qui ubi tandem aliquando eorum cessit precibus — ipse enim natura paulo ignavior parumque ad agendum promptus erat — subito cognoscit vulgus et cohortes Germanicas ad extremum pro Vitellio subeundum certamen paratas:

„Longius iam progressus erat, quam ut regredi posset; et suo quisque metu, ne disiectos eoque minus validos Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma impellebant. Sed quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum."

Ferri istud *armatis* nequit. Tota de Flavio Sabino narratione, in hac re quaestio versatur, utrum arma ab eo pro fratris imperio sumantur an non sumantur, et ex ipsis verbis, quae citavimus, ab iis certe, qui discrimen non detrectarent, arma sumpta cognovimus. Non igitur nos iterum doceri patimur *armatos* fuisse, qui Sabinum comitabantur. Ferre utcunque nominativum *armati* possemus, nisi illam vocem adiectivum *promptissimi* plane redderet supervacuam. Sed confidenter istud *armatis* abiicimus; omnino enim, ut iam dicebam, hae paginae isti annotandi studio obnoxiae fuerunt. Denique haec quoque accedit causa minime levis, quod, sive adiectivi sive substantivi vicem implere vocem *armatis* statuamus, totum illud *descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis* durissimum et vix latinum videtur.

H. IV, 12. Postquam narratum est Batavi unde venerint, cur patriam reliquerint, quo loco consederint, sic pergitur:

„Nec opibus Romanis societate validiorum attriti viros tantum armaque imperio ministrabant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant."

Hic recte cum Wurmio *ministrabant* pro *ministrant* legitur: enarratur enim condicio, qua ante bellum fuerint Germani. Cetera in integrum nondum restituta videntur. Nam neque quisquam quae ratio intercedat inter *opibus Romanis* et *societate validiorum* videt, neque quomodo omnino *opibus Romanis* socii possint *atteri*

(de rei enim familiaris detrimento illud verbum adhibetur) intelligit, neque ordine procedit tota narratio. Etenim, cum sic esset disputandum: „quoniam arma tantummodo et viros (non pecuniam) ministrabant Batavi, non atterebantur", contrario nunc modo ratiocinatur scriptor: „quoniam non attriti erant, arma tantummodo et viros imperio ministrabant," quod quam sit absurdum non opus est demonstrare. Rectam emendandi viam Vlietius noster demonstravit, delendo *Romanis*; sed sic quoque quod restat iusto durius est: *societate* enim ablativus, *causae* quae dicitur, erit, at *opibus* ablativus *partis*. Equidem et *opibus* et *Romanis* e margine in textum irrepsisse censeo, e duabus nata annotationibus: ad *validiorum* adscripsit aliquis: „Rom." (i. e. Romanorum), ad *attriti*: „opibus" (ut significaret ad rem familiarem illud verbum pertinere). Sed restat aliquid quod nondum a quoquam esse observatum miror: ut totus nunc locus bene decurrat, emendatione opus est, qua lenior nulla, si iam emendatio dici potest nova verborum distinctio: illud „viros tantum armaque imperio ministrabant" *in parenthesi*, ut dicitur, est collocandum, ut sua verba ipse explicans inducatur Tacitus. Vide quam bene nunc omnia cohaereant et quam sint perspicua: „Nec societate validiorum attriti — viros tantum armaque imperio ministrabant —, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria e. q. s."

H. IV, 36. Dum Vocula, qui modo Vetera haud improspere contra Civilis impetum defenderat, cum magna parte copiarum frumentatum abest:

„iterum [1]) Civilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam atque inde Novaesium concessit. Civilis capit Geldubam; mox haut procul Novaesio equestri proelio prospere certavit."

Palam est hic vitii latere aliquid; etenim *Romanos* esse, qui hic prospere certasse dicuntur, manifestum fit iis quae sequuntur: „sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur." Neque ullam prae se ferunt veri speciem coniecturae eorum, qui pro *prospere* proponunt *improspere*, vel post *mox* „Vocula" aut ante *prospere* inserunt „Romanus". Quanto pru-

1) *Iterum*, sic e certa Nipperdei emendatione legendum est pro *interim*. E c. enim 34 extr. liquido apparet in praesentia Civilem castrorum illorum obsidionem omisisse.

dentius Urlichsius totum istud: *Civilis capit Geldubam* proscripsit. Sic enim apte tota procedit narratio, et aliquando in margine illud *Civilis capit Geldubam* fuisse annotatum admodum est verisimile. Sic enim sciolus aliquis explicare conatus est, qui factum sit ut primum Geldubam, deinde Novaesium concederet Vocula. Sententiolas autem minutas illas: „Iterum Civilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam atque inde Novaesium concessit. Civilis capit Geldubam" haudquaquam esse orationis Taciteae vel aures admonent.

Eiusdem generis additamentum, sed aliquanto etiam ineptius, deprehendimus c. 67 in narratione de Iulii Sabini Lingonis defectione:

„Interea Iulius Sabinus proiectis foederis Romani monumentis Caesarem se salutari iubet magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus adfuit: Sabinus festinatum temere proelium pari formidine deseruit."

Potuitne vel elegantius vel magis perspicue significari utri in eo certamine vicerint, utri sint profligati? *Fortuna melioribus adfuit.* Nonne egregie scriptorem Romanum decet illo *melioribus* eos designare, qui a partibus steterint Romanorum, atque sic illos notare infamia qui fidem detrectaverint? Nonne omne enuntiati acumen atque omnis venustas perit, si praeterea vel victores vel victi *suo nomine* indicantur? Iure ergo nostro importunum interpretamentum *fusi Lingones* facessere hinc iubemus. Ipsa voce se hic magistellus prodit.

H. V, 3. Claram mihi affundere lucem posse videor loco, qui hactenus in densis latuit tenebris. De malis quibus conflictati sunt Iudaei per deserta novam quaerentes sedem et alia et haec narrantur:

„Nihil aeque quam inopia aquae fatigabat; iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit:. secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit."

Hic ego non dubito, quin istud *coniectura herbidi soli* invito Tacito in textum irrepserit. Iam ipse sermo fraudis mihi iniicit suspicionem. Coniectura herbidi soli: quis unquam sic locutus est, cum hoc vellet: coniiciens herbidum ibi solum esse? Sed fac vocabula ista aliquo modo ferri posse, num narrationis nunc

constat ratio? Haud opinor. Veniunt animalia ista e pastu; si *herbis* pasta ea Moyses coniicit, ut herbidum illud solum inveniat *unde* veniant ei est quaerendum, non *quo* abeant. Quid ergo *sequi* ea attinet? Praeterea non *herbam* Iudaei quaerunt sed aquam. Dixeris humidum esse debere solum, ubi herba nasci possit. Respondeo satis esse, si non solis radiis solum exaruerit: id autem ipsa arborum umbra praestare potest: sic ubi herbidum solum est, non statim ibi et *fons* est *fluviusve* e quo bibere homines possint. Sed deletis vocabulis, quae ego notavi, statim omnia fiunt aperta neque ulla restat molestia. Asini illi *pasti* erant: hoc perspicuum erat ex ipso habitu incessuque; utrum herba an carduis foliisque nihil referebat; dummodo pastos eos esse constaret, sitientibus aquae inveniendae viam monstrabant. Satis erat eos sequi, nam nunc locum eos petere, ubi fons esset fluviusque, res ipsa clamabat.

H. V, 15. Romani Batavique loco vadorum pleno confligunt. Quod genus pugnae ibi sit exortum et quam adversum Romanis facile est coniicere. Dabo ipsa verba, quae nunc apud Nipperdeium leguntur:

„Neque, ut in pedestri acie, comminus certabatur; sed tamquam navali pugna, vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem implicabantur."

Ain vero? Ibine non *comminus* certabatur, ubi homines *implicabantur* inter se? Quidquamne commune est pugnae hominum in mediis aquis natantium eorumque qui ne aqua mergantur omnibus nituntur modis ... et pugnae navali? Nihil vidi magis perturbatum magisque absurdum. Bonum factum quod tamen ipsa textus conditio aliquo modo unde omnes illae turbae natae sint indicat, et cum morbi origine sanandi rationem docet. Traditum enim est non *comminus* sed *comminus minus*, unde Iac. Gronovius *comminus eminus* fecit, in qua lectione, ut statim videbimus, pars veri inest. Nipperdeius abiiciendo *minus* ultro corrupit locum. Sic, ut opinor, Tacitus scripsit:

Neque ut pedestri acie certabatur neque tamquam navali pugna: vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic viribus nitentes e. q. s."

Ad *pedestri acie* sciolus aliquis annotavit *comminus*, ad *navali*

pugna adscripsit *eminus*; quod e duabus annotationibus natum est *comminus minus* in textum aberravit. Fuit cum putarem vocem *sed*, quae nunc ante *tamquam* legitur, retineri posse et ita transponi ut legeretur: *sed vagi inter undas* sqq. Sed longe praestat asyndeton quod dedi. Hoc certum est errare Madvigium pro *illic* coniicientem *illuc*: absurdum enim videtur niti *in illud* quod *occurrat*. Hoc dicit Tacitus: „sicubi pedibus stabile aliquid nacti erant, illum locum obtinere studebant", non ergo *illuc* sed *illic* nitebantur.

H. V, 17. Stant parati ad proelium, quod toti bello finem facturum exspectant, Cerealis et Civilis cum suo uterque exercitu, atque milites orationibus monent hortanturque. Civilis Germanos suos et alia docet et:

„Quae provideri astu ducis oportuerit, provisa, campos madentes et ipsis gnaros, paludes hostibus noxias."

Hic quoque Leopoldio primo suboluit fraus; hactenus per longam saeculorum seriem aequo animo tulerunt viri docti post *campos madentes* commemoratas *paludes*, tamquam si quidquam interesset. Nunc vero, ab illo moniti, posthac sic legemus: „campos madentes et ipsis gnaros, hostibus noxios", et sibi redditum Tacitum grati agnoscemus.

Ubi dicendi finem fecit Civilis atque:

„sono armorum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis ut elicerent lacessentibus."

Illi male sit qui primus isto *ut elicerent* interiecto elegantissimam periodum (neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis lacessentibus) corruperit et ridicule loquacem nobis Tacitum exhibuerit. Nam quid in hac narratione *lacessendi* verbum, sic nude positum, sibi velit quivis puer intelligit, neque ad hostium consilium, id agentium ut Romanos *in paludem illiciant*, designandum ullum aliud excogitari poterat verbum ineptius quam ipsum *eliciendi* illud.

(*Continuabuntur*).

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DEMOSTHENEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e pag.* 317.)

ΠΡΟΣ ΛΕΠΤΙΝΗΝ.

§ 2 p. 457: *ἐν δὲ τῷ προσγράψαι μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι δοῦναι ὑμᾶς τὸ δοῦναι ὑμῖν ἐξεῖναι*, scil. *ἀφείλετο*. De hoc loco multi egerunt, veteres interpretes, Wolfius, Reiskius, quos vide apud G. H. Schäferum, Dobraeus p. 448, Cobetus *Miscell.* p. 490, Blassius denique. Equidem scribam quod facile intellectu est: *ἐν δὲ τῷ προσγράψαι μηδὲ τὸ λοιπὸν δοῦναι τὸ δοῦναι ὑμῖν ἐξεῖναι*, scil. *ἀφείλετο*. Duo vocabula, uti vides, *ἐξεῖναι* et *ὑμᾶς* ex interpolatione nata sunt.

§ 20 p. 463: *θήσω ..... τῶν μετοίκων πλείονας ἢ τοσούτους τοὺς λῃτουργοῦντας ἔσεσθαι*. Cur tandem Blassius ne memoravit quidem quod Reiskius proposuit: *ἢ* (*δὶς*) *τοσούτους*? Mihi quidem aperta res videtur.

§ 22 p. 463: *ἵν' οὖν τριάκοντ' ἄνθρωποι πλείους παρὰ πάντα τὸν χρόνον λῃτουργήσωσιν*. Ita sine sensu Blassius cum Codice Parisino edidit, sed vulgata lectio *ἢ πλείους* non est multo melior. Hic quoque multi aliquid tentarunt, Dobraeus p. 449,

Bakius *Schol. Hyp.* III p. 123, alii. Scripserim: ἵν' οὖν τριάκοντ' ἄνθρωποι — (μὴ) πλείους — παρὰ πάντα τὸν χρόνον λῃτουργήσωσιν. Eadem fere ratio est Herwerdeni *Mnem.* 1875 p. 135.

§ 25 p. 464: ἐγὼ μὲν γὰρ εὔχομαι τοῖς θεοῖς μάλιστα μὲν ἡμῖν καὶ χρήματα πολλὰ γενέσθαι, κτέ. L.: ἀεί.

§ 27 p. 465: δίδοτε ἐν τιμῆς μέρει ταῦτα ἃ καὶ μὴ λαβοῦσιν ἔστιν ἔχειν. Satis perspicua haec sunt et abundant verba quae sequuntur: τοῖς τοῦ τριηραρχεῖν ἄξια κεκτημένοις.

§ 53 p. 473: ὁρῶντες τῆς παρόδου κρατοῦντας Λακεδαιμονίους (ὅμως) οὐχὶ προὔδωκαν, κτέ. Inserui: ὅμως.

§ 53 p. 473: μᾶλλον εἵλοντο μεθ' ὑμῶν τῶν τότε στρατευσαμένων εἴ τι δέοι πάσχειν ἢ χωρὶς ὑμῶν ἀκινδύνως σεσῶσθαι. Necessarium duco: συστρατευσαμένων.

§ 53 p. 473. Continuo sequitur: καὶ εἰσέφρουν τὸ στράτευμα. Blassius nescio quomodo Cobeti suspicionem εἰσεφροῦντο ne dignam quidem habuit quam excerperet. Ipse Cobetus *Miscell.* p. 496 provocavit ad ea quae luculentis argumentis copiose demonstrarat a. 1873 in *Variis Lectionibus* p. 575 sqq. Itaque tacendo abiecisse videtur formam εἰσέφρεντο, quam propter analogiam commendarat undecim annis ante *Mnem.* 1862 p. 444.

§ 60 p. 475: εἶτα τοὺς δι' ὑμᾶς φεύγοντας καὶ δικαίως τι παρ' ὑμῶν εὑρομένους ἐάσωμεν ἀφαιρεθῆναι ταῦτα; Lege: εὑρημένους et vide perpetuum in hoc argumento perfecti usum § 67 p. 477, § 85 p. 483, § 88 p. 484, § 116 p. 492 et § 137 p. 498. Etiam § 159 p. 505: τῶν καιρῶν παρ' οὓς εὖ πεποιήκατε τοὺς εὑρομένους, perfectum restituendum est.

§ 70 p. 478. Cononis χαλκῆν εἰκόνα ὥσπερ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἔστησαν πρώτου. Esto verum post Harmodium et Aristogitonem Cononi omnium primo hunc honorem fuisse tributum, qua de re videsis Boeckhium *Oecon. Civil.* I p. 348, concedunt tamen interpretes rem incommode enunciatam esse et

corrupta operose corrigunt. Latet autem, nisi fallor, vitium sed perquam leve. Cononi statuam posuerunt, deinde multae aliae gentes hoc exemplum imitatae sunt; vide modo sequentem paragraphum: οὐ τοίνυν μόνων ὑφ' ὑμῶν τότ' ἐτιμήθη πράξας ἃ διεξῆλθον ἐγώ, ἀλλὰ καὶ ὑπ' ἄλλων πολλῶν. Hinc tuto rescribes: πρῶτοι. De statuis Cononis, Timothei, Iphicratis, Chabriae, aliorum, omnia nota; ipse Demosthenes tam immodicum honorem improbabat, cf. Aristocr. § 197 p. 686 itemque de hoc argumento adnotabo ad Aeschin. Ctes. § 104.

§ 76 p. 480: πολλή τ' αἰσχύνη ταῦτ' ἐλάττω φανῆναι τῆς ἐν ἑκάστῳ νῦν περὶ αὐτοῦ δόξης ὑπαρχούσης. Lege: ἐφ' ἑκάστῳ.

§ 89 p. 484: ὁ παλαιὸς νόμος οὕτω κελεύει νομοθετεῖν, γράφεσθαι μὲν ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρειν δὲ αὐτὸν ἄλλον ὃν ἂν τιθῇ λύων ἐκεῖνον. Aliquid excidit: coniicio: παρεισφέρειν δὲ (παρ') αὐτὸν ἄλλον.

§ 92 p. 485: ψηφισμάτων δ' οὐδ' ὁτιοῦν διαφέρουσιν οἱ νόμοι, ἀλλὰ νεώτεροι οἱ νόμοι — τῶν ψηφισμάτων αὐτῶν ὑμῖν εἰσίν. Manifesto mendosum est νεώτεροι, sed quid reponendum? Tacet Cobetus *Miscell.* p. 48, sed scribit p. 499 Bakium *Schol. Hyp.* IV p. 65 aliquando coniecisse κενώτεροι, sibi autem placere ἀκυρότεροι. Neutrum mihi admodum arridet; a facilitate correctionis commendo: εὐωνότεροι, quod imprimis huc quadrat, sed frustra idonea exempla quaesivi, quibus meam suspicionem stabilirem. Postea Bakius *Schol. Hypomn.* V p. 288 maluit: ἐναντιώτεροι.

§ 115 p. 491: Λυσιμάχῳ δωρεάν, ἑνὶ τῶν τότε χρησίμων, ἑκατὸν μὲν ἐν Εὐβοίᾳ πλέθρα γῆς πεφυτευμένης ἔδοσαν, ἑκατὸν δὲ ψιλῆς, ἔτι δ' ἀργυρίου μνᾶς ἑκατὸν καὶ τέτταρας τῆς ἡμέρας δραχμάς. Quanta maxima industria potui, conatus sum ostendere *Mnem.* 1899 p. 178 seqq. ter rescribendum esse ὀκτώ.

§ 118 p. 492. Supplendum: νῦν ὀμωμοκότες κατὰ τοὺς νόμους δικάσειν ἥκετε, οὐχὶ τοὺς Λακεδαιμονίων οὐδὲ (τοὺς) Θηβαίων.

§ 133 p. 497: *εἰ μὴ μόνον ἐξαρκέσειεν τὸν ἐκείνου δοῦλον* [*Λυκίδαν*] *πρόξενον ὑμέτερον πεποιηκέναι.* Proprium Lycidae nomen perperam ex superioribus intercalatum est..

§ 144 p. 501: *διὰ γὰρ τὸ τελευτῆσαι Βάθιππον τὸν τουτουὶ πατέρα Ἀφεψίωνος, ὃς αὐτὸν ἔτ' ὄνθ' ὑπεύθυνον ἐγράψατο, ἐξῆλθον οἱ χρόνοι καὶ νυνὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου πᾶς ἐςιν ὁ λόγος, τούτῳ δ' οὐδείς ἐςι κίνδυνος.* Est haec veteris lectoris cuiusdam haud inutilis adnotatio; modo e textu migret in marginem. Etiam hodie in Demosthenis Orationibus paucae huiusmodi interpolationes latitant; exemplum iam supra habuimus Halonn. § 25 p. 83 et infra alia offendemus.

ΚΑΤΑ ΜΕΙΔΙΟΥ.

§ 2 p. 515: populus *οὐδ' ἀπέβλεψεν εἰς τὰς οὐσίας τὰς τούτων οὐδὲ τὰς ὑποσχέσεις, ἀλλὰ μιᾷ γνώμῃ κατεχειροτόνησεν αὐτοῦ.* Aliquantulum hic miror *τῶν οὐσιῶν* et *τῶν ὑποσχέσεων* coniunctionem dicam an oppositionem; deinde non condemnatus fuit Midias *ἐν τῇ προβολῇ* quoniam populus nullam habuit rationem eius opum et facultatum; imo peior eius fuisset conditio, si Athenienses apud animos suos reputassent quam in lauta re Midias esset, cum satis noverimus tum in contione tum in iudiciis divites invidiae obnoxios fuisse tenuiorum civium. Incidi equidem in: *οὐδ' ἀπέβλεψεν εἰς τὰς ὑπωμοσίας τὰς τούτων οὐδὲ τὰς ὑποσχέσεις.* Quid sit *ὑπωμοσία* Harpocration aperiet: *τὸ ὑπερτίθεσθαι δίκην προφάσει χρώμενον ἀποδημίᾳ ἢ νόσῳ ἤ τινι τῶν παραπλησίων μεθ' ὅρκου οὕτως ἐλέγετο*, et conferri poterunt Meierus in *Processu Attico* p. 695 sqq. et Buttmannus in *Excursu* XIII. Exempla vide apud Demosth. Mid. § 84 p. 541, Euerg. § 39 p. 1151 et § 45 p. 1153, denique Theocr. § 43 p. 1336.

§ 3 p. 515: *χρήματ' ἐξόν μοι λαβεῖν* [*ὥςε μὴ κατηγορεῖν*] *οὐ λαβών.* Inutile emblema.

§ 11 p. 518: *τὴν παρασκευὴν ἣν* [*ἂν*] *ἐκ τῶν ἰδίων πορίσαιτό τις.* Hic particulam *ἂν* Blassius recte delevit, sed non recordatus

est idem iam Dobraeum suasisse p. 457. Minime aegre fero modo ne quis me acriter exagitet, si mihi imprudenti tale quid acciderit.

§ 13 p. 519: τὸν ἄρχοντα ἐπικληροῦν ὁ νόμος τοῖς χοροῖς τοὺς αὐλητὰς κελεύει. Nonne τοῖς χορηγοῖς? Vide mox et § 17 p. 520.

§ 17 p. 520: τὰ παρασκήνια [Φράττων] προσηλῶν ἰδιώτης ὢν τὰ δημόσια. Interpolatum est id quod uncinis indicavi. Res arguitur *Anecd. Bk.* p. 297. 20: προσηλῶν· καθηλῶν, Φράττων.

§ 19 p. 521: τὰ μὲν οὖν εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς Φυλέτας ἠσελγημένα καὶ περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικήματα τουτῳὶ πεπραγμένα. Legendum arbitror: ἀδικώτατα. Paulo aliter Herwerdenus *Mnem.* 1873 p. 307.

§ 20 p. 521: καταδείσαντες τοῦτον καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ἑταίρους καὶ πλοῦτον ..... ἡσυχίαν ἔσχον. Scholiasta ad Homer. Iliad. O 496 qui locum descripsit, habet τὸν πλοῦτον quod sane melius et ἔφυγον ἐκποδών pro ἡσυχίαν ἔσχον, quae valde notabilis lectionis varietas.

§ 27 p. 523: ταῦτ' εὖ οἶδ' ὅτι πάντ' ἂν ἔλεγεν. Imo: πάντως.

§ 32 p. 524. Hic paulo plura describenda erunt, ut plene intelligatur quid velim. Ἴστε δήπου τοῦθ' ὅτι τῶν θεσμοθετῶν τούτων οὐδενὶ θεσμοθέτης ἔστ' ὄνομα ἀλλ' ὁτιδήποθ' ἑκάστῳ. Puerilis observatio est quam apud summum oratorem patienter ferre debemus nec corruptelae umbra est. Ἂν μὲν τοίνυν ἰδιώτην ὄντα τιν' αὐτῶν ὑβρίσῃ τις ἢ κακῶς εἴπῃ, γραφὴν ὕβρεως καὶ δίκην κακηγορίας ἰδίαν φεύξεται, ἐὰν δὲ θεσμοθέτην, ἄτιμος ἔσται καθάπαξ. Itaque qui thesmothetam laeserit, dum munere fungitur, infamia notabitur et ἄτιμος fiet. Verum id ipsum quomodo Graece dicendum erit? Dabis enim mihi verborum sensum quem dixi, haud satis apte et perspicue enunciatum esse. Continuo autem sequitur: διὰ τί; ὅτι τοὺς νόμους ἤδη τοῦτο ποιῶν

προσυβρίζει καὶ τὸν ὑμέτερον κοινὸν ςέφανον καὶ τὸ τῆς πόλεως ὄνομα. Ita est; quod etiam aliunde satis novimus, sedent thesmothetae pro tribunali *coronati*, vide modo Theocr. § 27 p. 1330, indeque corrigendum: ἐὰν δὲ ἐςεφανωμένον, ἄτιμος ἔςαι καθάπαξ. De hoc loco alia vide apud Cobetum *Miscell.* p. 505 et apud Herwerdenum *Mnem.* 1873 p. 307, cui convenit cum Dobraeo p. 458.

§ 38 p. 526: ὁ Πολύζηλος ὀργῇ καὶ τρόπου προπετείᾳ φθάσας τὸν λογισμὸν ἁμαρτεῖν ἔφησεν. Ita Dindorfius edidit, cum Parisinus liber habeat ἁμαρτὼν ἔφησεν, alii autem ἔπεσεν vel ἔπαισεν. Blassius ut in desperata re ducem suum reliquit et cum Rhet. Walzii IV p. 250 edidit: φθάσας τὸν λογισμὸν ἔπαισεν, quod sane non fecisset si in tempore memor fuisset luculentae disputationis in *Variis Lectionibus*, in qua Cobetus αὐτὸς αὑτοῦ κράτιςος fuit. Equidem scribam: φθάσας τὸν λογισμὸν ἁμαρτὼν ἐφάνη, quae minime violenta mutatio est.

§ 42 p. 527: ἀλλὰ μὴν ὁπηνίκα καὶ πεποιηκὼς ἃ κατηγορῶ καὶ ὕβρει πεποιηκὼς φαίνεται. Mire hoc dictum; exspectabam: ἐπεὶ τηλικαῦτα.

§ 49 p. 530: εἰσὶν [Ἕλληνές] τινες ἄνθρωποι οὕτως ἥμεροι καὶ φιλάνθρωποι τοὺς τρόπους, κτέ. Eiiciendum id quod est Ἕλληνες, eadem de causa quapropter continuo post Cobetus δούλους eiecit, cf. *Miscell.* p. 506.

§ 50 p. 530: εἰ ταῦτ' ἀκούσειαν [καὶ συνεῖεν] οἱ βάρβαροι. Insipidum additamentum.

§ 65 p. 535: οὐδέ γ' ἐκεῖνο οὐδεὶς ὑμῶν οἶδ' ὅτι μνημονεύει πρότερον. Supplendum in fine: γεγενημένον.

§ 65 p. 535. Itaque, nam haec continuo post sequuntur, nemo meminit τῶν μὲν ἐχθρῶν ἀλλήλοις οὐδένα οὔτε καλουμένων τῶν κριτῶν παρεςηκότα, οὐθ' ὅταν ὀμνύωσιν ἐξορκοῦντα. Vere uti opinor Herwerdenus *Mnem.* 1873 p. 308 coniecit: κληρουμένων τῶν κριτῶν· sed quid tandem hic est ἐξορκοῦντα?

Tres viri deinceps, Taylorus, Reiskius, G. H. Schäferus, multa moliendo nihil quidquam promoverunt. Illud vere observatum fuit huc referendum esse quod legitur in altero Argumento: *καὶ δὴ καὶ, ὡς ὁ Δημοσθένης λέγει, ὀμνυόντων τῶν κριτῶν, τῷ καλῶς ᾄσαντι δοῦναι τὴν νίκην, νύττων αὐτοὺς ὁ Μειδίας ἔλεγε· πλὴν Δημοσθένους*. Ita est: si legeretur, non *ἐξορκοῦντα* sed *νύττοντα* ad loci integritatem nihil desideraremus. At violenta nimis mutatio est. Concedo; itaque conferamus § 81 p. 540: *τοσαύτας τέχνας καὶ σκήψεις οὗτος εὑρίσκων ἐκκρούει*. Ecce, illud ipsum verbum nunc quoque requiritur: *οὐδ' ὅταν ὀμνύωσιν ἐκκρούοντα*.

§ 67 p. 536: *μηδὲν ἀσελγὲς ἐξῆν ποιοῦντι Μειδίᾳ ..... κατὰ τοὺς νόμους αὐτῷ Φιλοτιμεῖσθαι πρὸς ὑμᾶς*. Quod correxeram *ἀντιΦιλοτιμεῖσθαι*, Herwerdenus me praevertit *Mnem.* 1873 p. 308. Memini me aliquando simillimum vitium eluere apud Euripidem Med. 532, uti sunt Iasonis ad Medeam verba:

ἀλλ' οὐκ ἀκριβῶς αὐτὸ θήσομαι λίαν,

quae verba cum nihil significent, proposui:

ἀλλ' οὐκ ἀκριβῶς ἀντερήσομαι λίαν.

§ 69 p. 536: *εἴτε τις βούλεται νομίσαι μανίᾳ — εἴτε καὶ Φιλοτιμίᾳ*. Plerique rhetores qui hoc loco usi sunt, *μανίαν* scribunt, nonnulli quoque *Φιλοτιμίαν* indeque suspicor fere legendum esse: *εἴτε τις βούλεται ὀνομάσαι μανίαν — εἴτε καὶ Φιλοτιμίαν*.

§ 72 p. 538. Aliquid excidit: *οὐδεὶς ἂν δύναιτο τὸ δεινὸν παραστῆσαι τοῖς ἀκούουσιν οὕτως, ὡς ἐπὶ τῆς ἀληθείας καὶ (αὐτοῦ) τοῦ πράγματος τῷ πάσχοντι Φαίνεται*. Item § 78 p. 539: *εἰσεπήδησαν ἀδελΦὸς ὁ τούτου καὶ (αὐτὸς) οὗτος εἰς τὴν οἰκίαν*.

§ 73 p. 538. Contra est aliquid interpolatum: *καὶ ταῦτ' εἰς οἰκίαν ἐλθὼν [ἐπὶ δεῖπνον] οἷ μὴ βαδίζειν ἐξῆν αὐτῷ*. Item § 74 p. 538: *καὶ ταῦτ' ἐν ἱερῷ [καὶ] οἷ πολλή μοι ἦν ἀνάγκη βαδίζειν [χορηγοῦντι]*.

§ 74 p. 538: *ἐμαυτὸν μέν γε σωΦρόνως, μᾶλλον δ' εὐτυχῶς οἶμαι βεβουλεῦσθαι, ἀνασχόμενον τότε καὶ οὐδὲν ἀνήκεστον ἐξαχ-*

θέντα πρᾶξαι. Ain tu, estne difficilius εὐτυχῶς βεβουλεῦσθαι quam σωφρόνως; Quasi τὰ εὐτυχῆ βουλεύματα nostra sint in potestate posita. Verum Demosthenes accepta iniuria non tantum modeste se gessit, sed dum reputabat illud: τέτλαθι δὴ κραδίη, fortiter animo suo imperavit semperque postea sibi visus est εὐψύχως βεβουλεῦσθαι. Bonum ac laudabile consilium fuit, sed minime fortunatum, ex quo per unum et alterum annum tantum molestiarum percepit. Sic saepe confusae literae Ψ et Τ et Cobetus conferri poterit, qui *Mnem.* 1853 p. 395 apud Dionysium correxit: εὐψύχως ἀγωνιζόμενοι, cum in libris manuscriptis milites qui in proelio occubuerant, essent εὐτυχῶς ἀγωνιζόμενοι. Unum praeterea adscribam exemplum ex Diodoro Siculo XIV 88: Διονύσιος τοὺς Σικελοὺς διὰ τὴν ὀχυρότητα καὶ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ τείχους ῥᾳθυμοῦντας περὶ τὴν κατὰ τὴν ἀκρόπολιν φυλακὴν εὑρών, κτέ., sed Madvigius *Advers.* I p. 497 eleganter correxit: τὴν ὑπερβολὴν τοῦ ψύχους. Alia nec minus luculenta vide apud Cobetum *Mnem.* 1855 p. 258 et 1862 p. 334, uti et ἐν τῷ Ἑρμῇ Λογίῳ p. 227.

§ 75 p. 539: θῶμεν τοίνυν οὑτωσί, τοὺς μὲν καταγνόντας αὐτοῦ μὴ ὅτι ἠμύνατο, διὰ τοῦτο καταψηφίσασθαι, ἀλλ' ὅτι τοῦτον τὸν τρόπον [ὥςε ἀποκτεῖναι]. Vides quid suadeam.

§ 81 p. 540: ὁ δ' ἀσελγῶς οὐ μόνον εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς ἐμοὺς ᾤετο δεῖν ὑβρίζειν, ἀλλὰ καὶ εἰς τοὺς φυλέτας δι' ἐμέ. Quis ita loquitur? Nemo sane. Excusabis fortasse? Quid facies § 143 p. 561 de Alcibiade: βδελυρὸς καὶ ὑβριςὴς ᾤετο δεῖν εἶναι. Significant haec secundum interpretem Latinum: *omnem grassandi licentiam sibi sumendam censuit.* Suaviter risissent, credo, Romani si balbutientis orationem potuissent cognoscere. Blassio, quod satis mirari non possum, haec tamen placuerunt; est § 71 p. 537, ubi Euthynus Sophilum interfecit ὅτι τύπτων αὐτὸν ὑβρίζειν ᾤετο, quod quum plane absurdum esset et omni sensu destitutum, Blassius qui tam sedulo sibi cavet ab incertis suspiciunculis, ad normam duorum locorum, quos supra indicavi, in textum intulit: ὅτι τύπτων αὐτὸν ὑβρίζειν (δεῖν) ᾤετο. Contra factum oportuit: illis locis male sedula manus δεῖν adscripsit, postquam verbum graviter corruptum erat, nec suffi-

ciebat ᾤετο ὑβρίζειν vel ᾤετο εἶναι. Nunc certe τὸ ζητούμενον ἁλωτόν, nam dixeris in tota Graecitate unum tantum vocabulum reperiri, quod sententiae satisfaciat, nec nimis recedat ab traditis literarum ductibus. Midias est qui ἀσελγῶς ὡμολογεῖτο ὑβρίζειν. Alcibiades βδελυρὸς καὶ ὑβριστὴς ὡμολογεῖτο εἶναι. Sophilus denique Euthynum ὑβρίζειν ὡμολογεῖτο. Sic *tres* parietes de eadem fidelia dealbavimus. Ceterum nihil huc pertinet Androt. § 25 p. 601, quem locum Cobetus tractavit *Miscell.* p. 522.

§ 85 p. 142. Blassius recte edidit Parisinum librum secutus: οἷος ἦν πείθειν, cum olim vulgo legeretur οἷός τ' ἦν. Sic solet orator; cf. Aristog. I § 2 p. 770: οἷος τοὺς πονηροὺς φιλεῖν, Aristog. I § 40 p. 782: οἷος λύκους μὴ δάκνειν, Leoch. § 19 p. 1086: οἷος ἦν ἐπεξιέναι τῷ Λεωκράτει. Dobraeus iam correxerat Aristocr. § 170 p. 677 et Leoch. § 36 p. 1091; accedit nunc quem locum Blassius correxit Spud. § 14 p. 1031. Superest Callip. § 10 p. 1239: οἷος οὖν εἰμὶ καὶ ἐγὼ τὰ ἐνθάδε αὐτὸς ἀξιοῦν λαμβάνειν, ubi libenter delebo id quod est ἀξιοῦν. Alia de ea locutione congessi *Mnem.* 1893 p. 15.

§ 88 p. 543: ὤφλε δίκην τοσαύτην ὥστ' ἀποστερεῖσθαι τῶν ὄντων. In fine supple: ἁπάντων.

§ 96 p. 545. Est diligenter animadvertendum Demosthenem in Midiana et in Timocratea, nec vero in aliis orationibus, plebi adulari idque interdum tam turpiter ut miraculo sit, quantum comperi, viros doctos ad eam rem nondum attendisse animum. Itaque exclamat eo loco quem supra indicabam: Strato ταῦτα πέπονθεν ὑπὸ Μειδίου καὶ τοῦ Μειδίου πλούτου καὶ τῆς ὑπερηφανίας παρὰ τὴν πενίαν καὶ τὴν ἐρημίαν καὶ τὸ τῶν πολλῶν εἷς εἶναι. — § 98 p. 546: τὸ γὰρ χρημάτων πολλῶν θρασὺν καὶ βδελυρὸν καὶ τοιοῦτον ἄνθρωπον ἐᾶν εἶναι κύριον, ἀφορμήν ἐστιν ἐφ' ὑμᾶς αὐτοὺς δεδωκέναι. — § 112 p. 551: οὐ μέτεστι τῶν ἴσων οὐδὲ τῶν ὁμοίων πρὸς τοὺς πλουσίους τοῖς λοιποῖς ἡμῖν. — § 123 p. 555. — § 124 p. 555. — § 143 p. 561 — § 159 p. 566. — § 183 p. 574. — § 204 p. 580. — § 209 p. 581; longum est omnes locos describere, sed vide

tamen § 211 p. 582: οὐδὲν δεινὸν οὐδ' ἐλεινὸν Μειδίας πείσεται, ἂν ἴσα κτήσηται τοῖς πολλοῖς ὑμῖν, οὓς νῦν ὑβρίζει καὶ πτωχοὺς ἀποκαλεῖ, ἃ δὲ νῦν περιόντ' αὐτὸν ὑβρίζειν ἐπαίρει, περιαιρεθῇ. In Timocratea vide ut in oratores invehatur § 147 p. 746 et § 157 p. 749: οὐ γὰρ ἁπλῶς οὐδ' ὅπως ἔτυχον ποιοῦσι κακῶς ὑμᾶς, ἀλλ' ἐσκεμμένως καὶ τοῦτ' αὐτὸ πράττοντες, οὐχ οὗτος μόνον, ἀλλὰ πολλοὶ τῶν πολιτευομένων, οἳ τούτῳ παριόντες αὐτίκα δὴ μάλα συναπολογήσονται. — § 193 p. 760: ἐκείνους μὲν τοίνυν τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῶν ἰδίων ἠπίως κεῖσθαι καὶ φιλανθρώπως ὑπὲρ τῶν πολλῶν ἐςί· τούςδε τοὺς περὶ τῶν πρὸς τὸ δημόσιον τοὐναντίον ἰσχυρῶς καὶ χαλεπῶς ὑπὲρ ὑμῶν ἐςί· οὕτω γὰρ ἂν ἥκισθ' οἱ πολιτευόμενοι τοὺς πολλοὺς ὑμᾶς ἀδικοῖεν. Adde § 198 p. 762. Praeterquam in hisce duabus orationibus tam letale odium opulentorum civium me non memini observasse, nisi forte Phaenipp. § 31 p. 1048: ποῖ γὰρ τραπέσθαι δεήσει διαμαρτόντα τῆς ὑμετέρας γνώμης, ὅταν οἱ πλούσιοι καὶ μηδὲν ὑμῖν πώποτε χρήσιμοι γεγενημένοι, πολὺν καὶ σῖτον καὶ οἶνον ποιοῦντες καὶ τοῦτον τριπλασίας τιμῆς ἢ πρότερον διατιθέμενοι πλεονεκτῶσι παρ' ὑμῖν;

§ 98 p. 546: τίνα ἕξετ' εἰπεῖν πρόφασιν δικαίαν ἢ καλήν; Immo legendum: ἱκανήν.

§ 105 p. 548: ὡς δέον τοῦτον ἐξόριςον ἀνῃρῆσθαι καὶ μηδαμῇ παρεθῆναι. Dicitur hoc magis ἀνηρπάσθαι, cf. § 120 p. 554, § 124 p. 555, § 125 p. 555.

§ 105 p. 548. Continuo post sequitur: ἀλλὰ καὶ λιποταξίου γραφὴν ἡλωκέναι καὶ ἐφ' αἵματι φεύγειν καὶ μόνον οὐ προσηλῶσθαι. Nemo novit hoc poenae genus apud Athenienses; quantillum est reponere πρὸς ἐςρεβλῶσθαι et agnoscent, uti spero, lectores propter frequentes confusiones literarum Π et ΣΤ, Ο et Σ, Η et Β mutationem lenissimam esse.

§ 112 p. 551. Hiatus osores qui hodie scribunt non τἀδικήματα ἕωλα, sed τἀδικήμαθ' ἕωλα, provocare potuerant ad Photium v. ἕωλον, ubi haec ipsa scriptura disertis verbis commendatur.

§ 117 p. 552: *ταῦτ' ἔλεγεν ἡ μιαρὰ καὶ ἀναιδὴς αὕτη κεφαλὴ ἐξεληλυθὼς τῇ προτεραίᾳ παρ' Ἀριστάρχου.* Tirones talia cum cura considerent; ridiculum foret *ἐξεληλυθυῖα.*

§ 118 p. 553: *τὸ δὲ τιμωρεῖσθαι καὶ ἐπεξιέναι τοῖς πεπονθόσι καὶ τοῖς ἐχθροῖς παραλείπεται.* Scripserim: *παραλειπτέον,* sed Blassius conferendus erit.

§ 123 p. 555: *θεωροῦσιν ὅτι τοῦ μὲν ῥᾳδίως κακῶς παθεῖν ἐγγύταθ' ὑμῶν εἰσιν οἱ πενέστατοι καὶ ἀσθενέστατοι, τοῦ δ' ὑβρίσαι καὶ τοῦ ποιήσαντας μὴ δοῦναι δίκην ..... οἱ βδελυροὶ καὶ χρήματ' ἔχοντές εἰσιν ἐγγυτάτω.* Duo postrema vocabula libenter expungam; sed prae ceteris me advertit accusativus *ποιήσαντας*, quem nescio quomodo tuear. Multos ad quaestionem solvendam utiles locos Dobraeus congessit p. 443, sed plures supersunt de quibus ambigas quid statuas. Veluti Fals. Leg. § 189 p. 400: *ἐγὼ δ' οὐδὲ συμπεπρεσβευκέναι φημί σοι, πρεσβεύειν μέντοι σὲ μὲν πολλὰ καὶ δεινά, ἐμαυτὸν δὲ ὑπὲρ τούτων τὰ βέλτιστα.* Reliquos locos quos collegi, alia occasione expromam.

§ 131 p. 557: *οὐ γὰρ ἡγεῖτο λαμπρὸν οὐδὲ νεανικὸν οὐδ' ἄξιον θανάτου ὅ τι ἂν τις πρὸς ἕνα εἷς διαπράττηται.* Hic primum Cobetus recte, uti arbitror, correxit: *ὅ τι ἂν εἷς πρὸς ἕνα διαπράττηται·* sed quid est *ἄξιον θανάτου*? Secundum Buttmannum sarcasmus est, nempe in eo gloriam quaerere Midiam, ut nihil nisi quod morte dignum esset, patraret nec tamen eam pateretur. Deinde scribit filius eius Augustus postea patrem mutavisse sententiam et scribendum proposuisse *ἄξιον αὐτοῦ.* Dobraeo hoc absurdum videtur nec Buttmanni filio fidem habet et retinet *ἄξιον θανάτου* recte ab eo explicatum. Contra Cobetus *Miscell.* p. 511, „Non credo", inquit, „absurdius vocabulum in huiuscemodi sententia reperiri posse quam *θανάτου.* Reperit veram lectionem Buttmannus *οὐδ' ἄξιον αὐτοῦ,* sed nemo utitur." Herwerdenus *Mnem.* 1873 p. 311 commendavit: *ἄξιον θαύματος·* Blassius autem tacet et vulgatam lectionem retinuit. Dissentientibus viris doctis, meam quoque sententiam interponere ausim: latere dixerim: *οὐδ' ἄξιον ἐπαίνου.* Non semper literarum

ductus anxie rimandi sunt et in describendo haud ita raro quidvis ponimus pro quovis. Exempla quaedam dedi in adnotationibus ad Longi Pastoralia *Mnem.* 1877 p. 215.

§ 133 p. 558: *τὸν θώρακα δὲ οὐδεπώποτ' ἐνδύς, ἐπ' ἀςράβης δ' ὀχούμενος ἀργυρᾶς τῆς ἐξ Εὐβοίας, χλανίδας δὲ καὶ κυμβία καὶ κάδους ἔχων.* Dixeris uniuscuiusque esse corrigere *τὸν θώρακα δ' οὐδὲ τότε ἐνδύς* et e textu eliminare adnotatiunculam: *Ἀργουρά ἐςι τῆς Εὐβοίας*, nam eius urbis fuit in hac oratione aliquando facta mentio. Quod grammaticorum loci declarant, antiquissimum vitium est; sed hoc ipsum criticos olim retinuit, quominus resecarent quod Ulpianus et Helladius apud Photium iam legissent. Quid autem facient Harpocrationis testimonio v. *ἀςράβη· ἡ ἡμίονος. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου. μήποτε δὲ καὶ πᾶν ὑποζύγιον, ἐφ' οὗ ἄνθρωποι ὀχοῦνται οὕτως ἐκαλεῖτο.* Hic certe in codice suo nihil invenit de iumento argenteo, quo nihil absurdius cogitari potest; sed parco verbis in re aperta.

§ 139 p. 560: *δεινοί τινές εἰσιν φθείρεσθαι πρὸς τοὺς πλουσίους [καὶ παρεῖναι] καὶ μαρτυρεῖν.* Manifesta interpolatio est.

§ 143 p. 561: *οὐδὲν οὔτ' ἔςιν οὔτ' ἔςαι ὅ τι τοῖς πολλοῖς ὑμῶν ἂν ὕβρις προσῇ προσήκει φέρειν.* Omnino recte coniecit Taylorus: *τοῖς πολλοῖς ὑμῖν* et quum iudices sint de plebe homines, orator eos compellat: *ὑμᾶς τοὺς πολλούς.* Sed non admodum mirandum est pronominis secundum casum saepe perperam fuisse suppositum. Ex magno locorum numero paucos quosdam delibabo. Nominativo casu bene scribitur Coron. § 308 p. 328: *ἡσυχία ἣν οἱ πολλοὶ τῶν πολιτῶν ὑμεῖς ἄγετε* et Timocr. § 37 p. 711: *τίς μόνη φυλακὴ τῶν νόμων; ὑμεῖς οἱ πολλοί.* Sed itidem se recte habet quod longe alio sensu dictum est Boeot. de dote § 9 p. 1010: *τὸν μὲν ἄλλον χρόνον οὗτοι διῆγον οὐκ ὄντες τοὐμοῦ πατρός, ὡς καὶ ὑμῶν οἱ πολλοὶ ἴσασιν.* De genetivo casu dubitatio oriri non potuit; enotavi tamen Timocr. § 169 p. 752: *τῶν μὲν πολλῶν ὑμῶν οὐδ' ἂν παρ' ἑνὸς λαβεῖν ἠθέλησεν ἐγγυητάς* et Mid. § 209 p. 581: *εἴ τις ὑμῶν τῶν πολλῶν καὶ δημοτικῶν εἰς δικαςήριον εἰσίοι*, ubi tamen vide an non male interpolata verba sint: *καὶ δημοτικῶν.* Dativus

semel fortasse sine labe evasit: Fals. Leg. § 341 p. 450: ὑμῖν τοῖς πολλοῖς καὶ πάντων κυρίοις τὰ λοιπὰ ποιεῖν βουλήσεται, sed sat multi loci cum vitio ambulant: Mid. § 183 p. 573: οὐδὲν ῥῆμα οὕτως ἐςὶ τοῖς πολλοῖς ὑμῶν χαλεπόν. Mid. § 211 p. 582: ἂν ἴσα κτήσηται τοῖς πολλοῖς ὑμῶν. Mid. § 159 p. 566: ἐν τούτοις ὧν μέτεςι τοῖς πολλοῖς ὑμῶν. Androt. § 30 p. 602: τοῖς πολλοῖς ὑμῶν ἐξὸν λέγειν οὐ λέγετε. Quod incurrit in oculos, accusativo casu recte legitur Cherson. § 1 p. 90: ὑμᾶς τοὺς πολλοὺς δεῖ ταῦτα ψηφίζεσθαι, sed corrigendum est Mid. § 159 p. 566: οὐκ οἶδ' ὅ τι τοὺς πολλοὺς ὑμῶν ὠφελεῖ. Alibi ad eam rationem quam existimare perfacile est, recte legitur veluti Fals. Leg. § 9 p. 343: μνημονεύοντας ὑμῶν τοὺς πολλούς vel Timocr. § 198 p. 762: διὰ ὑμᾶς τοὺς λέγοντας. Sed emendatio tam certa quam facilis est Timocr. § 7 p. 702: διὰ τοὺς δικάζοντας ὑμῶν, lege: ὑμᾶς, sicuti Mid. § 112 p. 551: οὐ μέτεςι τῶν ἴσων πρὸς τοὺς πλουσίους τοῖς λοιποῖς ἡμῶν, Taylorus cuius acumen equidem in dies pluris facere didici, optime correxit ἡμῖν. Aristog. I § 81 p. 794: ἃ κοινὰ πᾶσιν ὑπάρχει τοῖς ἀγωνιζομένοις παρὰ τῆς τῶν ἄλλων ὑμῶν φύσεως, malim τῶν πολλῶν ὑμῶν. Recte autem legitur, nam longe diversus sensus est, pr. Phorm. § 28 p. 953: οὐδ' αὐτὸν λέληθεν οὐδ' ὑμῶν πολλούς et § 57 p. 961: χρήσιμος γεγονὼς τῇ πόλει καὶ πολλοῖς ὑμῶν. Ad hanc lucem iuniores quam plurimos locos nullo negotio addere poterunt.

§ 145 p. 561. Quod de Andocide, de Aeschine, de Lycurgo omnes consentiunt, eos valde incuriosos fuisse historiae patriae, idem quoque de Demosthene valet, in quo cum ἐσθλὸς sit ἐν ἄλλοις, viri docti sponte praetervident quod tam animose exagitant in aliis. Facunde declamat de Marathone et de Salamine, bene novit Philippi regis et aequalium res gestas; sed sicubi agit de rebus ante se natum actis, supra indoctum vulgus nihil sapit et sentimus historica studia prorsus neglecta fuisse in rhetorum scholis, quas frequentavit. Exemplo mihi est Alcibiadis vita, quae in Midiana tam perplexe enarratur, temporum ordine incredibilem in modum neglecto, ut, nisi aliunde nobis plenior notitia suppeteret, non caput a pedibus possemus dignoscere. Totum locum describere longum est et lectoribus meis

Demosthenes ipse ad manus est, sed etiamsi tanquam filum in illo labyrintho tabulam chronographicam vel adhibeas, vel recte atque ordine omnia memoria complexus fueris — nec pleraque latent vel incerta sunt — tamen in singulis pudendi errores pertinaciter remanebunt. Veluti quod scribit: αὐτὸς ὑπὲρ τοῦ δήμου θέμενος τὰ ὅπλα, δὶς μὲν ἐν Σάμῳ, τρίτον δ' ἐν αὐτῇ τῇ πόλει, τῷ σώματι τὴν εὔνοιαν ἐνεδείξατο τῇ πατρίδι· hoc quorsum pertineat, nemo dicere poterit. Quod autem de Alcibiadis genere perhibet: λέγεται πρὸς πατρὸς μὲν Ἀλκμεωνιδῶν εἶναι, πρὸς δὲ μητρὸς Ἱππονίκου, quam falsum hoc esset Spaldingius docuit et post Spaldingium Buttmannus. In Leptinea § 115 p. 491 planissime ignorat orator quo genere natus sit Lysimachus εἶς τῶν τότε χρησίμων, de quo vide, si tanti est, quae disputavi *Mnem.* 1899 p. 478. Sed in paucis crassus error est Aristocr. § 205 p. 688, ubi Parium Miltiadis crimen ultro in filium transfertur: Κίμωνα, ὅτι τὴν πάτριον μετεκίνησε πολιτείαν ἐφ' αὐτοῦ, παρὰ τρεῖς μὲν ἀφεῖσαν ψήφους τὸ μὴ θανάτῳ ζημιῶσαι, πεντήκοντα τάλαντα δ' ἐξέπραξαν. Sed errorem excusabilem esse dices, quum haec olim facta sint ipseque scribat Demosthenes floruisse Alcibiadem κατὰ τὴν παλαιὰν ἐκείνην εὐδαιμονίαν. Ita est: ab Alcibiadis postremis temporibus usque ad Midiae accusationem spatium est annorum circiter sexaginta: quam multi sunt hodie, nec tantum de plebe homines, qui parum norunt quaenam res in nostra patria actae sint circa annum 1840! Verum misso Androt. § 15 p. 597, de quo loco infra agam, quid facies iis quae leguntur Leptin. § 41 p. 469? Epicerdes Cyrenaeus, ὡς τὸ ψήφισμα δηλοῖ τὸ τότ' αὐτῷ γραφέν (cf. Corp. Inscr. Attic. II 85), τοῖς ἁλοῦσιν ἐν Σικελίᾳ τῶν πολιτῶν ἐν τοιαύτῃ συμφορᾷ ἔδωκε μνᾶς ἑκατὸν καὶ τοῦ μὴ τῷ λιμῷ πάντας αὐτοὺς ἀποθανεῖν αἰτιώτατος γέγονεν. De hoc Epicerde igitur, Alcibiadis ipsius aequali, ubique loquitur tanquam superstite; nec cogitavit, si vere hoc beneficium ad Siculam expeditionem retulisset, Epicerdem tunc vix nonaginta annis esse posse minorem; sed ex inscriptionis quam indicavi literatura liquido apparet aliquot annis post floruisse Epicerdem illum. Locum etiam ex Timocratea addam. Tres viri fuerunt, Androtion, Glaucetas et Melanopus qui legati missi in Cariam πλέοντες ἐν τριήρει, περιπεσόντες Ναυκρατίταις ἀνθρώποις ἐμπόροις,

ἀφείλοντο αὐτῶν τὰ χρήματα, ut legimus in Libanii Argumento. In hunc igitur Glaucetam orator § 128 p. 740 hoc maxime modo invehitur: οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτον μὲν εἰς Δεκέλειαν αὐτομολήσας κἀκεῖθεν ὁρμώμενος καταθέων καὶ φέρων καὶ ἄγων ὑμᾶς; ἀλλὰ πάντες ἴστε ταῦτα, deinde pergit alia crimina cumulare, nec videtur reputasse haec si vera forent, Glaucetam aetate exacta et extrema senectute ex legato repente factum fuisse praedonem, quod sentimus quam parum verisimile sit. Fortasse Demosthenes imprudens sibi persuaserat retinuisse Spartanos Deceleam usque ad pugnam apud Cnidum, sed nihil prodest ἧλον ἥλῳ ἐκκρούειν et incuriam incuria. Veluti quam negligenter scripsit Aristocr. § 199 p. 687 de Perdicca qui scilicet τοὺς ἀναχωροῦντας ἐκ Πλαταιῶν τῶν βαρβάρων διαφθεῖραι dicitur, quo tempore vix potuit in cunis vagire. Fierine potest ut Demosthenes ipse fecerit, quod certis indiciis Aeschinem fecisse novimus, et ex vetere oratione viginti fortasse annis ante habita, quaedam in suam orationem derivaverit? Sed antequam hoc probes, validiora argumenta accedant oportet. Ceterum ad eandem quaestionem redituri sumus ad Timocr. § 134 p. 742.

§ 147 p. 562. Recensentur Alcibiadis crimina, inter quae et illud refertur: εἶρξ' Ἀγάθαρχον τὸν γραφέα· καὶ γὰρ ταῦτα λέγουσιν· λαβών γέ τι πλημμελοῦνθ' ὥς φασιν, ὅπερ οὐδ' ὀνειδίζειν ἄξιον. Est haec in paucis insulsa lectio; sed emendatio perfacilis est. Alcibiades Agatharchum pictorem domi suae invitum retinuerat, credo, ut parietes pingeret: rem excusat orator: λαβών γέ τι πλημμελοῦνθ' ὥς φασιν. Deinde pergit: Ὅπερ οὖν ὀνειδίζειν ἄξιον, (ὅτι) τοὺς Ἑρμᾶς περιέκοπτεν, ἅπαντα μὲν οἶμαι τἀσεβήματα τῆς αὐτῆς ὀργῆς δίκαιον ἀξιοῦν· τὸ δ' ὅλως ἀφανίζειν ἱέρ' ἔσθ' ὅ τι τοῦ κόπτειν διαφέρει; Hoc certe facile intellectu est.

§ 157 p. 565: ἡγεμὼν συμμορίας ὑμῖν ἐγενόμην ἐγὼ ἔτη δέκα, ἴσον Φορμίωνι καὶ Λυσιθείδῃ καὶ Καλλαίσχρῳ καὶ τοῖς πλουσιωτάτοις. In fine supplebo: οἴκοις.

§ 161 p. 566: ἐγένοντο εἰς Εὔβοιαν ἐπιδόσεις παρ' ὑμῖν

πρῶται· τούτων οὐκ ἦν Μειδίας, ἀλλ' ἐγὼ καὶ συντριήραρχος ἦν μοι Φιλῖνος. ἕτεραι δεύτεραι μετὰ ταῦτ' εἰς Ὄλυνθον· οὐδὲ τούτων ἦν Μειδίας — τρίται νῦν αὗται γεγόνασιν ἐπιδόσεις· ἐνταῦθ' ἐπέδωκε. Permire illud dictum est παρ' ὑμῖν nec minus mirum inter primas et alteras ἐπιδόσεις, sicuti temporum rationes Arnoldus Schäferus acutissime constituit, spatium intercessisse septem annorum. Libenter reposuerim: ἐγένοντο εἰς Εὔβοιαν ἐπιδόσεις πέρυσιν πρῶται, sed stare ea suspicio nullo modo poterit, nisi sumere liceat Demosthenem et Philinum bis συντριηράρχους fuisse, non tantum illo anno 357, sed etiam septennio post anno 350. Sed alii videant, equidem perplexam quaestionem non audeo attingere. Illud certe ad rem pertinet, anno 357 non tantum Demosthenem et Philinum, sed ipsum quoque Midiam τριήραρχον fuisse, cf. Corp. Inscr. Att. II p. 794 d. 30; valet hoc ad meam suspicionem confirmandam, nam aliter Demosthenes, uti arbitror, locutus fuisset, si tempore primarum illarum ἐπιδόσεων ipse quoque Midias τριήραρχος fuisset. — Similem corruptelam mihi videor deprehendisse Conon. § 39 p. 1269, de quo loco infra agam. Rem pertractavit Bakius *Schol. Hyp.* III p. 153.

§ 174 p. 570: ἡττᾶτο πλέων τῶν ἰδιωτικῶν τριήρων μιᾶς. Stulte ita editur, quamquam Reiskius verum iam viderat: „Malim (πλὴν) μιᾶς, h. e. *praeter unam*: penultimus cum navi sua veniebat; ceterae naves omnes navem eius praeveniebant. Multo maius hoc est dedecus quam quod vulgata Midiae exprobrat, quae eum cum navi sua secundum a primo venisse ait." Verum hoc quidem est, sed non est satis; emenda: ἡττᾶτο πασῶν τῶν ἰδιωτικῶν τριήρων πλὴν μιᾶς (ΠΛΕΩΝ — ΠΑCΩΝ).

§ 186 p. 575: πάλιν αὐτὸς ἐκεῖνος ὃν ὑμεῖς ἴστε γενήσεται. Corrigo: πάλιν αὖ ἐκεῖνος. Aliam rationem Cobetus sequitur *Miscell.* p. 515.

§ 189 p. 577: εἰ τούτων ἦν πονηρότατος. Lege: πάντων.

§ 195 p. 577: σὺ μόνος τῶν ὄντων ἀνθρώπων ἐπὶ μὲν [τοῦ βίου] τοσαύτης ὑπερηφανίας [πλήρης] ὢν [πάντων ἀνθρώ-

πων] ἔσει Φανερώτατος. Collato Blassio satis apud me constat interpolata esse quae uncinis circumdedi, cf. § 199 p. 578: τὸν οὖν ἐπὶ ταύτης τῆς ὑπερηΦανίας ὄντα νῦν, de quo loco vide Cobet. *Miscell.* p. 516.

§ 196 p. 577: μεγάλην μέντἂν ἀρχὴν, μᾶλλον δὲ τέχνην εἴης ἂν εὑρηκώς, εἰ δύο ἐναντιώτατα ἑαυτοῖς περὶ σαυτὸν δύναιο ποιεῖσθαι. Arridet: εὐπορηκώς.

§ 196 p. 578: οὗτος τῶν μεθ' ἑαυτοῦ ςρατευσαμένων ἱππέων [ὅτε εἰς Ὄλυνθον διέβησαν] ..... κατηγόρει.

§ 198 p. 578: τῶν πάνυ τούτῳ λαλούντων ἡδέως. Hic usus verbi λαλεῖν in Attica dialecto valde notabilis et conferam § 118 p. 553: εἰ δὲ λαλῶν μὲν καὶ ὁμωρόΦιος γιγνόμενος Φανήσεται. Commode nunc memini Aesch. Ctes. § 87, ubi Taurosthenes memoratur ὁ νυνὶ πάντας δεξιούμενος καὶ προσγελῶν, sed longe malim: προσλαλῶν. Dixeris Bakium *Schol. Hyp.* III p. 145 in eandem suspicionem incidisse, sed prudenti consilio non promsisse quod sibi nimis incertum videretur. Hoc exemplum sequi fortasse debueram.

§ 204 p. 580: τοιοῦτος γὰρ εἶ, Μειδία, [ὑβριςὴς γὰρ εἶ] οὐκ ἐθέλεις ἔχειν παρὰ σαυτῷ τὼ χεῖρε. Notavi dittographiam.

§ 210 p. 582: μὴ τοίνυν τούτοις τοῖς οὕτω χρησαμένοις ἂν ὑμῖν ἄλλως πως ἔχεθ' ὑμεῖς. Mire dictum: quomodo loqui moris sit, vide v. c. Aristocr. § 13 p. 624: ὡς Φιλανθρώπως ἔχουσι πρὸς ὑμᾶς.

§ 222 p. 585: εἶτ' ἐΦ' ἧς ἀδείας αὐτοὶ πορεύεσθε, ταύτην οὐ βεβαιώσαντες ἐμοὶ βαδιεῖσθε; Praestare dixerim: πορεύσεσθε.

§ 223 p. 586: τῷ τὴν ἡλικίαν εἶναι νεώτατοι. Praeter loci sententiam ita legitur; de iudicibus sermo fit; non sunt κύριοι τῶν ἐν τῇ πόλει πάντων quoniam νεανικώτατοι sunt. Cf. § 201 p. 579: μηδὲν Φροντίζειν νεανικόν.

§ 227 p. 586: πάντ' ἐςὶν ἐν ὑμῖν μιᾷ ψήφῳ διαπράξασθαι. Malo: ἐφ' ὑμῖν.

ΚΑΤ' ΑΝΔΡΟΤΙΩΝΟΣ.

§ 13 p. 597: οἱ τὰ προπύλαια καὶ τὸν παρθενῶν' οἰκοδομήσαντες ἐκεῖνοι. Collata § 76 p. 617: (τὰ) προπύλαια ταῦτα, ὁ παρθενών, ςοαί, νεώσοικοι, unde Syntax. § 28 p. 174: (τὰ) προπύλαια ταῦτα, νεώσοικοι, ςοαί, malim fere: οἱ τὰ προπύλαια (ταῦτα) καὶ τὸν παρθενῶν' οἰκοδομήσαντες ἐκεῖνον.

§ 13 p. 597: τὴν πόλιν τῇ ναυμαχίᾳ νικήσαντες ἔσωσαν. Hoc quidem verum non est, sed ἀνέσωσαν.

§ 15 p. 597: ἀλλ' ἐπὶ τοῦ Δεκελεικοῦ πολέμου (τῶν γὰρ ἀρχαίων ἕν, ὃ πάντες ἐμοῦ μᾶλλον ἐπίςασθ' ὑπομνήσω) ..... οὐ πρότερον τῷ πολέμῳ παρέςησαν πρὶν τὸ ναυτικὸν ἀπώλετο. Ain tu? Quinquaginta annis ante urbe capta, deleta fuerat Atheniensium classis: hoccine ex civibus quivis melius norat quam orator ipse? Fuerit imperitus historiae patriae, quod supra exsecutus sum, sed plebs nihilo erat peritior. Si quis hodie triginta ferme annos natus — tot enim annos habebat Demosthenes quo tempore haec verba scripsit in Diodori gratiam, qui certe aetatis non fuit multo minoris — si quis hodie triginta ferme annos natus — sed verum si quaeris, non multum refert quae oratoris aetas fuerit — si quis igitur sive senex sive adulescens hodie prodiret in plebeculae concilium et contenderet omnes verbi causa nosse quomodo quinquaginta circiter annis ante adversus Russos gestum esset bellum in Taurica Chersoneso, se solum vix fando aliquid de ea re inaudivisse, nonne suaviter omnes riderent? Est tamen longe magis ineptum, quod Demosthenes perhibet: pugnam navalem, inquit, in Hellesponto factam πάντες ἐμοῦ μᾶλλον ἐπίςασθε. Ecquid latet? Inspice Photium v. ὁμοῦ· Δημοσθένης τῷ ὁμοῦ κέχρηται ἐν τῷ κατ' Ἀριςογείτονος (§ 51 p. 785) ἐπὶ τοῦ ἐγγύς· Φησὶ γὰρ οὕτως· εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι· ἐνθάδε γὰρ βούλεται δηλοῦν ὅτι ἐγγὺς τῶν δισμυρίων εἰσίν· ἐπεὶ ὅτι γ' οὐκ ἦσαν δισμύριοι φανερόν. Itidem luculentum testimonium est Menandri in Schol. Plat. Phaed. p. 72 A:

πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς, δαιμονῶς γεγονὼς ἔτη
τοσαῦθ'· ὁμοῦ γάρ ἐςιν ἑξήκοντά σοι.

Hinc emergit vera lectio: τῶν ἀρχαίων ἓν ὃ πάντες ὁμοῦ ἐπίςασθε, nam postquam ὁμοῦ rescripseris, id quod est μᾶλλον ultro excidet. Hodie coram Hollandis orator recte dicet: πάντες ὁμοῦ ἐπίςασθε quomodo Franci arcem Antwerpianam expugnaverint: interest tamen spatium aliquanto longius, annorum scilicet septuaginta. — Uti aequum est, orator adv. Eubulid. § 18 p. 1304 bene novit τὸν Δεκελεικὸν πόλεμον patrum memoria fuisse gestum.

§ 16 p. 598: εἰ γὰρ ταύτας μὴ ποιήσαιτο, οὐδὲν ἐκείνων ὄφελος. Longior sententia est quam quae describatur, sed legam: οὐδὲν (οὐδ') ἐκείνων ὄφελος.

§ 36 p. 604: ὡς δ' οὐδ' ἔςιν ἁπάσης τὸ πρᾶγμα τῆς βουλῆς, ἀλλὰ τινῶν ..... ἔχω λέγειν. Imo ἐῶ λέγειν.

§ 37 p. 605. In tribus orationibus, adversus Androtionem, Aristocratem et Timocratem, in quibus ipse Demosthenes pone scenam latitat, operae pretium est videre quam acerbis conviciis oratores proscindantur. Veluti eo loco quem indicavi: ἑορακότες γὰρ οἱ πολλοὶ διὰ τὴν τῶν λεγόντων πονηρίαν τήνδε ἀφῃρημένην τὴν βουλὴν τὸν ςέφανον et cf. § 67 p. 614. Deinde vide Aristocr. § 147 p. 668: οὓς γὰρ αὖ πονηροτάτους νομίζετε πάντων, τούτοις περὶ τοῦ ποῖόν τιν' ἕκαςον χρὴ νομίζειν πεπιςεύκατε· οἱ δ' ὃν ἂν αὐτοῖς λυσιτελῇ, καὶ πονηρὸν καὶ χρηςὸν εἶναί φασιν, οὐχ ὃν ἂν ᾖ δίκαιον καὶ ἀληθές. Item § 201 p. 687: οὐ μόνον δ' αὕτη τῆς πόλεως ἡ δωρεὰ προπεπηλάκιςαι καὶ φαύλη γέγονεν, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι διὰ τὴν τῶν καταράτων καὶ θεοῖς ἐχθρῶν ῥητόρων, τῶν τὰ τοιαῦτα γραφόντων ἑτοίμως, πονηρίαν. Timocr. § 123 p. 739: ἄξιον τοίνυν καὶ τοῦτ' εἰπεῖν, ὅσον ὑμεῖς διαφέρετε, ὦ ἄνδρες δικαςαί, μεγαλοφροσύνῃ τῶν ῥητόρων, cet. cet. Ibid. § 142 p. 744: οἱ δὲ παρ' ὑμῖν ῥήτορες πρῶτον μὲν ὅσοι μῆνες μικροῦ δέουσι νομοθετεῖν τὰ αὑτοῖς συμφέροντα, ἔπειτ' αὐτοὶ μὲν τοὺς ἰδιώτας εἰς τὸ δεσμωτήριον ἄγουσιν ὅταν ἄρχωσιν, ἐφ' ἑαυτοῖς δ' οὐκ οἴονται δεῖν ταὐτὸ δίκαιον τοῦτ' εἶναι. Adde § 147 p. 746 et alios locos.

§ 38 p. 605: *ἄλλοι οἵπερ ἐκεῖ δι' ἑαυτῶν εἶχον μετὰ τούτου τὸ βουλευτήριον.* Itane *ἐκεῖ*? Nonne *ἀεί*?

§ 39 p. 605: *ἂν μὲν ἀπογνῶτε τὴν γραφὴν ταύτην, ἅπαντές εἰσιν ἀπηλλαγμένοι καὶ δίκην οὐδεὶς οὐδεμίαν μὴ δῷ.* Lege: *ἔσονται*, uti mox *ἔσεσθε ἐψηφισμένοι, κολάσετε, ἀφήσετε.*

§ 52 p. 608: *ὅτι μὲν τοίνυν τῆς ὅπου βούλεσθε ὀλιγαρχίας οὗτος ἀσελγέστατος γέγονε παραλείψω.* Convenit fere Timocr. § 163 p. 751, sed utrobique scribam: *ὅτου.*

§ 62 p. 612: *εἴτε μὴ προσηκούσας κατεσκεύαζες, πῶς οὐχ ὁτιοῦν ἂν πάθοις δικαίως;* Longe malim: *προσούσας.*

§ 64 p. 613: *ὁποίους τινὰς ἂν φαίνεσθε ἀγαπῶντες καὶ σώζοντες, τούτοις ὅμοιοι δόξετ' εἶναι.* Requiro: *τοιούτοις.*

§ 72 p. 616. In inscriptione: *Εὐβοεῖς ἐλευθερωθέντες ἐστεφάνωσαν τὸν δῆμον,* verbum, uti opinor, eliminandum est, sicuti § 73 Cobetus *Miscell.* p. 527 eliminavit *ἐποιήθησαν*, coll. Timocr. § 180 p. 756.

§ 76 p. 617: *οὐδ' ἐκεῖν' εἶδεν ὅτι πρὸς μὲν χρημάτων κτῆσιν οὐδεπώποτε ὁ δῆμος ἐσπούδασε.* Praefero: *οἶδεν*, sicuti legitur Timocr. § 183 p. 757: *ὥστ' οὐκ οἶδεν ἐκεῖνο ὅτι στέφανοι μέν εἰσιν ἀρετῆς σημεῖον;* sed vitium redit Timocr. § 184 p. 757.

§ 76 p. 617: *τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐπ' ἐκείνοις σταθέντων τὸ κάλλος* = Timocr. § 184 p. 757. Dele participium.

ΚΑΤ' ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΟΥΣ.

§ 4 p. 622: *τοῦτό [τε] σώσετε [καὶ ποιήσετε] μὴ κατοκνεῖν, ἐάν τίς τι καὶ ὑμῶν οἴηται δύνασθαι ποιῆσαι τὴν πόλιν ἀγαθόν.* Uncinis inclusa egregie displicent.

§ 5 p. 622: *ὅτ' ἔπλευσα τριηραρχῶν εἰς Ἑλλήσποντον.*

Lego: ἐξέπλευσα. Cf. § 104 p. 655: μέλλοντος δ' Αὐτοκλέους ἐκπλεῖν et § 171 p. 677 et Pantaen. § 6 p. 968 et ubi non?

§ 6 p. 622: οἴομαι δείξειν οὐ μόνον οὐκ εὐεργέτην ἀλλὰ καὶ κακονούςατον (ὄντ') ἀνθρώπων ἁπάντων. Supplendum participium sicuti mox § 7 recte legitur: οἷον ἐγώ φημι δείξειν τὸν Ἑλλήσποντον ὄντα. Item corrige § 179 p. 680: εἶδε τὸν Ἑλλήσποντον ἔρημον (ὄντα) δυνάμεως et § 27 p. 629, cf. Cobet. *Miscell.* p. 533.

§ 9 p. 623: τῷ μὲν ἀκοῦσαι κεχωρισμένον τοῦ τι τοιοῦτον δοκεῖν διαπράξασθαι. Nonne hoc dicitur: τῷ μὲν (οὑτωσὶ) ἀκοῦσαι.

§ 11 p. 624: ἐρήμων δ' ὄντων. Supple βοηθῶν, quod sequenti paragrapho recte additum est.

§ 15 p. 625: διδόντες ἐξουσίαν τοῦ ταῦτ' ἀδεῶς πράττειν. Legendum: τοῦ πάντ' ἀδεῶς πράττειν. De loci sententia Cobetus egit *Miscell.* p. 533.

§ 19 p. 626: τοῦ διδάξαι περὶ πάντων ὑμᾶς ὡς βούλομαι. Collata § 21 p. 627: ἐγὼ ῥᾷςα ἃ βούλομαι δυνήσομαι διδάξαι, fortasse praestare videbitur: ὧν βούλομαι.

§ 19 p. 626: σκοπεῖσθε ὡς δίκαια ἐρῶ. Lege: εἰ.

§ 24 p. 628: δικάζειν φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας ..... καὶ φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς. Malo: φάρμακα.

§ 28 p. 629: πάντα ταῦτ' ἀπείρηκεν ὁ νόμος μηδὲ τοὺς ἑαλωκότας καὶ δεδογμένους ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ποιεῖν. Nonnulli codices repraesentant: δεδειγμένους, quod manu ducit ad ἐξεληλεγμένους, coll. § 30 p. 630: πρὶν ἂν ἐξελεγχθεὶς ἁλῷ et § 36 p. 361: τὴν τιμωρίαν ἣν οὐδὲ κατὰ τῶν ἐξεληλεγμένων διδόασιν οἱ νόμοι.

§ 29 p. 629: εὐσεβῶς ἔθηκεν ὁ τιθεὶς τὸν νόμον. Lege: ὁ

θεὶς τὸν νόμον, vide modo § 25 p. 628; § 37 p. 632; § 62 p. 640 et § 86 p. 649.

§ 39 p. 632: ὅθεν ὠνόμακεν ἀγορὰν ἐφορίαν. Miror perfectum pro aoristo, qui recte invenitur § 41 p. 633.

§ 41 p. 633: τὸν γὰρ φυγάδα τὸ τῆς πόλεως οὐ προσεῖπεν ὄνομα, ἧς οὐκ ἔστι μετουσία αὐτῷ. Facile vincam verum esse: ἧς οὐκέτι μετουσία αὐτῷ.

§ 43 p. 634: ἔσει δ' αἴτιος (σὺ) τὴν διὰ τοῦ ψηφίσματος ἐξουσίαν δεδωκώς. Necessario supplendum quod vides.

§ 46 p. 635: τὴν αὐτὴν ἔδωκεν ὑπὲρ αὐτοῦ δίκην ἥνπερ ἂν εἰ μένοντα ἠδίκει οἴκοι. Itidem vide aoristum § 54 p. 637: τιμωρίαν οὐκ ἔδωκεν ὑπὲρ αὐτοῦ et § 56 p. 638: ἔδωκεν ἀποκτεῖναι, sed rectius perfectum legitur § 41 p. 633: δίκην δέδωκεν, § 52 p. 636: ἔνδειξιν δέδωκεν, § 60 p. 639: δέδωκεν ἀποκτιννύναι, § 67 p. 642: ἐξουσίαν γέγραφε et συκοφαντίαν δέδωκεν, item § 72 p. 644 δέδωκεν et διείρηκεν, alibi.

§ 53 p. 637: ἢ ἐν ὁδῷ καθελών. Hic Blassius quantumvis parcus verborum Bergkium debebat laudare qui in lege Corp. Inscr. Att. I n. 61, *Philolog*. XXXII p. 669, acutissime supplevit: ἐάν τις ἀδίκων ἄρχοντα χειρῶν ἐν ὁδῷ καθελών κτἑ. Haud una de causa hic locus valde memorabilis est.

§ 54 p. 637: εἰ δ' ἐκεῖνος ἀσθενέστερος ἦν τὸν ὑπὲρ τῆς νίκης ἐνεγκεῖν πόνον, (αὐτὸν) ἑαυτῷ τοῦ πάθους αἴτιον ἡγήσατο. Necessario supplendum est id quod vides.

§ 65 p. 641: ὑπὲρ οὗ τοσαῦτ' ἔστιν εἰπεῖν, ὅσα περὶ οὐδενὸς ἄλλου δικαστηρίου. Ultimum vocabulum inutiliter adhaeret.

§ 74 p. 644: λογιζόμενοι δ' ὅτι μητέρα 'Ορέστης ἀπεκτονὼς ὁμολογῶν θεῶν δικαστῶν τυχὼν ἀποφυγγάνει. Apud Marcellinum IV p. 829 Walz. ὁμολογῶν deest; recte, nisi fallor. Deinde cum Seagero malo: ἀποφυγγάνοι.

§ 75 p. 645: *γράφουσιν ἤδη καὶ διορίζουσι σαφῶς ἐφ' οἷς ἐξεῖναι ἀποκτιννύναι. ἀλλ' οὐχ οὗτος οὐδὲν ἀφεῖλεν.* Requiritur: *διεῖλεν.* Vide quid intersit inter *διελεῖν* et *διειπεῖν* ap. Cobetum *Miscell.* p. 495.

§ 81 p. 647: *καὶ οὐδὲ τούτῳ λόγον οὐδὲ κρίσιν πεποίηκεν·* parum eleganter, cum praesertim continuo sequatur: *ἀλλὰ καὶ τοῦτον εὐθὺς ἄνευ κρίσεως κολάζει.* Corrigam: *οὐδ' ἐνταῦθα.* Mox supplebo: (*εἶτα*) *πῶς ἂν δεινότερον γένοιτο ἢ παρανομώτερον τούτου ψήφισμα;*

§ 85 p. 648: *οὐκοῦν τῷ μὴ προσθεῖναι πῶς [ἐὰν ἀποκτείνῃ] ..... φανερῶς καὶ παρὰ τοῦτον εἴρηκε τὸν νόμον.* Vides interpolationem.

§ 104 p. 654: *ἵνα δὲ μὴ πάνυ θαυμάζητε, εἰ τὰ παρ' ὑμῶν ψηφίσματα τηλικαύτην ἔχει δύναμιν, γεγονὸς καὶ ὃ πάντες ἐπίςασθε πρᾶγμα ὑμᾶς ἀναμνήσω.* Hic quum apertissime aliquid desit — quid enim significat *πρᾶγμα γεγονός*? — Cobetus *Miscell.* p. 536 supplevit: (*ἄρτι*) *γεγονός·* recte ad sententiam, sed minime apparet unde vitium natum sit, nec sane parum notum est adverbium *ἄρτι.* Etenim Cobetus immemor fuisse videtur eorum quae scripserat ipse *Mnem.* 1855, p. 280. Tractatur illic Dinarchi locus ex oratione *κατὰ Δημοσθένους* § 34: *οὐδὲν οὗτος χρήσιμος ἀλλ' ἢ τοῖς ἐχθροῖς κατὰ τῆς πόλεως συςῆσαι κατασκευὴν ἑτέραν, οἷα ἐπ' αἰγὸς ἐγένετο ὅτε Λακεδαιμόνιοι μὲν ἅπαντες ἐξεςράτευσαν, Ἀχαιοὶ δὲ καὶ Ἠλεῖοι τῶν πραγμάτων ἐκοινώνουν, κτἑ.* Reiecta Wesselingii suspicione *ἐπ' Ἄγιδος,* „Equidem", Cobetus ait, „in ΕΠΑΙΓΟΣ latere suspicor ΕΝΑΓΧΟΣ *ἔναγχος* et erat utique recentissima huius rei memoria, quum in Demosthenem adversarii undique impetum fecerunt. — Quoniam *ἔναγχος* in desuetudinem abierat et *τοῖς ἰδιώταις* erat incognitum, facile fieri potuit ut depravaretur." Similiter etiam in Aristocratea commendabo: (*ἔναγχος*) *γεγονὸς ὃ πάντες ἐπίςασθε πρᾶγμα ὑπομνήσω.* Simillimum vitium etiam obtinet § 141 p. 666: *καὶ μὴν καὶ γεγονός τι πρᾶγμα φράσαι πρὸς ὑμᾶς βούλομαι,* ubi quum sermo fiat de re aliquamdiu ante acta, cf. Rhod. libert. § 9 p. 192, Cobetus *Miscell.* p. 539

supplevit (*πάλαι*) *γεγονός*. De adverbio *ἔναγχος* cum alii egerunt, tum Ruhnkenius ad Timaeum p. 100. Opponuntur inter se *πάλαι* et *ἔναγχος*. Isocr. Aegin. § 43: *ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι μὲν οὐ περὶ τῶν πάλαι τεθνεώτων, ἀλλὰ περὶ τῶν ἔναγχος τὸν κλῆρον καταλιπόντων προσήκειν ὑμῖν τοὺς λόγους ποιεῖσθαι*, ubi neutrum adverbium de certo ac definito tempore usurpatur. Itaque Dem. Fals. Leg. § 111 p. 375: *ἧκον ὡς ὑμᾶς ἔναγχος Θετταλοὶ καὶ Φιλίππου πρέσβεις*, nihil est cur cum Blassio offendaris adverbio de re tribus annis ante acta usurpato. Poteris hoc efficere ex Dem. Fals. Leg. § 200 p. 403, ubi orator Aeschinem exagitat *ἔναγχος ἐν χορηγίοις ἀλλοτρίοις ἐπὶ τῷ τριταγωνιστεῖν ἀγαπητῶς παρατρεφόμενον*. Observavi praeterea Dem. Fals. Leg. § 65 p. 361: *ὅτε γὰρ νῦν ἐπορευόμεθα εἰς Δελφοὺς ἐξ ἀνάγκης ἦν ὁρᾶν οἰκίας κατεσκαμμένας*, cet. Cobetus *Var. Lect.* p. 508 correxit: *ὅτε γὰρ νυνδὴ ἐπορευόμεθα*, quod vix cuiquam placere poterit ipseque postea *Miscell.* p. 78 ostendit *νῦν* interdum male fuisse interpolatum; sed etiamsi probes quod Blassius edidit: *ὅτε γοῦν ἐπορευόμεθα*, manebit tamen illud mire dictum Demosthenem in eo itinere *ἐξ ἀνάγκης* vidisse totam regionem devastatam. Scripserim equidem: *ὅτε γοῦν ἐπορευόμεθα εἰς Δελφοὺς ἔναγχος, ἦν ὁρᾶν κτέ.* Itidem conferre poterimus Conon. § 39 p. 1269: *τὴν δὲ τούτου πρὸς τὰ τοιαῦτ' ὀλιγωρίαν ἐγὼ πρὸς ὑμᾶς ἐρῶ· πέπυσμαι γὰρ ἐξ ἀνάγκης·* sine sensu, uti arbitror; nam quod legitur § 17 p. 1262: *ἀνάγκη γάρ μοι ταῦτα ζητεῖν καὶ πυνθάνεσθαι*, etiamsi ei qui hic perorat fuerit *ἀνάγκη ζητεῖν*, stricto sensu non fuit *ἀνάγκη πυνθάνεσθαι* et etiamsi tulerimus: *ἀνάγκη ζητεῖν καὶ πυνθάνεσθαι*, non tamen continuo feremus: *πέπυσμαι ἐξ ἀνάγκης·* verum quidni scribimus: *πέπυσμαι γὰρ ἔναγχος*? Eodem modo fortasse erratum fuit Eubul. § 26 p. 1306, sed nihil definire ausim.

§ 104 p. 655: *οἱ δὲ χρόνοι [κατὰ τοῦ τὸ ψήφισμα εἰπόντος] τῆς γραφῆς ἐξεληλύθεσαν*. Delenda sunt, quae vides.

§ 107 p. 656: *ἦν ἰδεῖν παράδειγμα Ὀλυνθίους τουτουσί, οἵ τι πεποιηκότος αὐτοῖς Φιλίππου, πῶς αὐτῷ χρῶνται*; Philippus multis atque egregiis beneficiis Olynthios ornarat et diffisi regi nimium potenti cum Atheniensibus societatem inierunt. Itaque

emendandum: τί (οὐ) πεποιηκότος. Saepe negandi particula periit, sed raro tam evidenter restitui poterit.

§ 110 p. 657: ὥςε τί βουλόμενος μικρὰ λαμβάνειν καὶ πολεμεῖν ἂν ἕλοιτο, ἐξὸν τὰ πλείω καὶ φίλος εἶναι [θαυμάζειν φήσουσιν]. Duo postrema vocabula ineleganter abundant.

§ 111 p. 657: [Φίλιππον] τουτονὶ τὸν Μακεδόνα, ipsum Philippi nomen libenter expungam, sicuti recte legitur: § 117 p. 659: φυλάξετε τὴν πίςιν πρὸς τοῦτον τὸν Θρᾷκα. Item § 138 p. 665: Θρᾳκὶ δ' ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, Cobetus *Miscell.* p. 538 ultimum vocabulum recte delevit. Eodem remedio utar § 189 p. 684: τοὺς Θρᾷκας τοὺς δύο [τοὺς βασιλέας]. Simpliciter dicuntur οἱ δύο § 179 p. 680: ἀπαλλάξας τοὺς δύο τῆς ἀρχῆς, unde fortasse scribendum § 180 p. 680: οἱ δύο [τῶν βασιλέων]. Alibi, § 172 p. 678 editur: παρὰ μὲν τοῖν δυοῖν βασιλέοιν, itemque § 175 p. 678 et ad eam normam fortasse refingenda erunt ea quae leguntur § 173 p. 678 et § 178 p. 680.

§ 117 p. 659: φυλάξετε τὴν πίςιν πρὸς τοῦτον τὸν Θρᾷκα καὶ μὴ βουλήσεσθε εἰδέναι τίν' ἂν πρὸς ὑμᾶς σχοίη γνώμην. Secundum G. H. Schäferum est hic *charientismus locutionis*: μὴ βουλήσεσθε pro οὐ βουλήσεσθε. Spreta illa barbara elegantia scribam equidem: φυλάξατε .... καὶ μὴ βούλεσθε. Uniuscuiusque esse dixeris talia corrigere.

§ 124 p. 661: καὶ τί φήσομεν [καλόν], εἰ ..... τοὺς ἰδίᾳ δυνάμεις ἐπὶ τοῖς πλήθεσιν κεκτημένους δορυφοροῦντες φανούμεθα; Cobetus *Miscell.* p. 537 ex textu eiecit id quod est καλόν· recte hoc quidem, sed observandum tamen est voculam itidem additam reperiri *Anecd. Bk.* 133. 4 et 164. 4.

§ 125 p. 661: ὅςις ἅπασιν ἀνθρώποις ἔςαι φανερὸς ὑπὲρ τοῦ μή τι παθεῖν (αὐτὸς) ταῦτα εὑρισκόμενος. Vides quid exciderit.

§ 133 p. 664: ἂν οὖν Κερσοβλέπτης ὀλιγωρῇ μὲν ἐκείνου, νεωτερίζῃ δέ τι καὶ κινῇ πρὸς ὑμᾶς, ἐξαρκεῖ τοῦθ' ὑμῖν τὸν Θρᾷκα ἰσχυρὸν κατεσκευακέναι; omnino necessarium est: ἐξαρκεῖ τόθ' ὑμῖν.

§ 143 p. 667: *μὴ γὰρ ὡρισμένου μηδενὸς ἀλλ' ἁπλῶς „ἄν τις ἀποκτείνῃ Χαρίδημον" γεγραμμένου, τάχ' ἂν εἰ τύχοι καὶ τοιοῦτό τι συμβαίνοι.* Adnotatio est lectoris ac proinde in marginem releganda.

§ 146 p. 668: *οὔτε τοὺς γεωργοὺς οὔτε τοὺς ἐμπόρους οὔτε τοὺς ἐκ τῶν ἀργυρείων οὐδὲ τῶν τοιούτων οὐδὲν ἂν εἴποιτε.* Imo vero *οὐδένας.* Cum alii multi hic conferri possunt tum Cobetus *Miscell.* p. 485.

§ 148 p. 669: *ξεναγῶν ἤδη [καί τινων ἀρχων ϛρατιωτῶν].* Est, uti opinor, lectoris interpretatio.

§ 149 p. 669. Aliquid supplendum: *τοῦ μὴ λαβεῖν Ἀμφίπολιν τοῦτ' ἐμποδὼν (μάλιϛα) κατέϛη,* sicuti superlativum habemus § 152: *τοῦ μὴ λαβεῖν Ἀμφίπολιν οὗτος αἰτιώτατός ἐϛιν.*

§ 149 p. 669: *δεύτερον δὲ, μισθουμένου Τιμοθέου πάλιν αὐτὸν καὶ τὸ ϛράτευμα, τούτῳ μὲν οὐ μισθοῖ, πρὸς δὲ Κότυν πλέων ᾤχετ' ἔχων τὰς ὑμετέρους τριακοντόρους.* Sunt haec sensu vacua et quid legendum sit, satis ostendent loci qui sequuntur: § 150 p. 669: *μισθοῖ πάλιν αὐτὸν Ὀλυνθίοις·* § 152 p. 670: *οὔ πολεμήσειν ὑμῖν ᾤετο, ἐκεῖσε ἐμίσθωσεν αὐτόν,* § 154 p. 671: *μισθοῖ τὸ ϛράτευμα καὶ αὐτὸν τοῖς Ἀρταβάζου κηδεϛαῖς.* Itaque repone: *τούτῳ μὲν αὖ αὐτὸν μισθοῖ.*

§ 154 p. 671: *καταλαμβάνει Σκῆψιν καὶ Κεβρῆνα καὶ Ἴλιον αὐτῶν.* Lege: *αὐτό.* Capit ipsam adeo Iliensium urbem.

§ 160 p. 673: *ἐνθυμεῖσθε ὅθεν οἷ διέβη.* Credesne serio ipsum oratorem addidisse: *ἐξ Ἀβύδου εἰς Σηϛόν?*

§ 163 p. 674. Est longior sed elumbis periodus, quae una vocula inserta apte decurret: *τὸν μὲν γὰρ Κότυν, εὖ ποιῶν, ὄντα γ' ἐχθρὸν ὑμῖν καὶ πονηρόν, (ἐπεὶ) ἀποκτίννυσιν ὁ Πύθων, ... τί δὴ προσῆκε ποιῆσαι τὸν ὡς ἀληθῶς ἁπλοῦν καὶ φίλον;* Est hoc bene dictum et facile intellectu. Prorsus eodem remedio utar

Timocr. § 11 p. 703: *μετὰ ταῦτα γενομένης ἐκκλησίας* (*ἐπεὶ*) *προὐχειροτόνησεν ὁ δῆμος, ἀναςὰς Εὐκτήμων ἔλεγε ἄλλα τε πολλά κτέ.*

§ 175 p. 679: *ἠξίωσε λαβὼν τοῖς ὑμετέροις ἐχθροῖς* [*Καρδιανοῖς*] *ἐγχειρίσαι.* Dele nomen proprium adscriptum ex § 169 p. 677 et indicio est verborum ordo.

§ 181 p. 679: *ἁπλῶς εὐνοεῖν ἡμῖν ἠρημένοις.* Ex constanti more hoc *προῃρημένοις* dictum oportuit.

§ 182 p. 681: *ὥσπερ γὰρ Χαλκὶς* [*τῷ τόπῳ*] *τῆς Εὐβοίας πρὸς τῆς Βοιωτίας κεῖται.* Quam sit otiosum addere *τῷ τόπῳ*, monstrabunt verba quae statim sequuntur: *οὕτω Χερρονήσου κεῖται πρὸς τῆς Θρᾴκης ἡ Καρδιανῶν πόλις.*

§ 185 p. 682: *εἷς ἁπάντων τῶν ἄλλων.* Abunde satis hoc est, neque addendum in fine languidum *μόνος.*

§ 191 p. 684: *ἔςι τοίνυν τις αὐτοῖς τοιοῦτος λόγος, ὡς ὁ Κερσοβλέπτης καὶ Χαρίδημος ἴσως ἐναντί' ἔπραττον τῇ πόλει τόθ' ὅτ' ἦσαν ἐχθροί, νῦν δέ γ' εἰσὶ φίλοι καὶ χρησίμους παρέχουσιν αὐτους· οὐ δὴ δεῖ μνησικακεῖν.* Est quidem verum in optimis codicibus non comparere verba *γ' εἰσί* et tamen ea retinenda duco: illud autem prorsus certum est requiri: *οὐ δὴ δεῖν μνησικακεῖν.*

§ 196 p. 686: *ὅσοι πολῖται τύχοιεν ὄντες καὶ ὅσοι ξένοι.* Bis lege: *οἷοι.*

§ 199 p. 687. Disputat orator in eam sententiam, honores ab Atheniensibus tributos quondam fuisse raros et tenues ob eamque causam gloriosos, nunc autem effusos atque obsoletos; quidni enim Nepotis verba in meum usum convertam? Veluti maiores Menoni Pharsalio *δώδεκα μὲν τάλαντ' ἀργυρίου δόντι πρὸς τὸν ἐπ' Ἠιόνι τῇ πρὸς Ἀμφιπόλει πόλεμον, τριακοσίοις δ' ἱππεῦσι πενέςαις ἰδίοις βοηθήσαντι, οὐκ ἐψηφίσαντο αὐτὸν ἄν τις ἀποκτείνῃ ἀγώγιμον εἶναι, ἀλλὰ πολιτείαν ἔδωκαν καὶ ταύτην*

ἱκανὴν ὑπελάμβανον εἶναι τὴν τιμήν. Et sane ἱκανὴ τιμὴ ea fuit, nam prorsus non video, quem maiorem honorem peregrino homini cives tribuere possint quam ipsam civitatem. Dederunt quo maius habebant nihil et tamen honores illa aetate rari et tenues erant? Absurdum hoc quidem. Sed quod de Perdicca legimus, si fieri potest, est etiam absurdius: οὐκ ἐψηφίσαντο ἀγώγιμον ἄν τις ἀποκτείνῃ Περδίκκαν, ἀλλὰ πολιτείαν ἔδωκαν ΜΟΝΟΝ. Itane vero? Num Athenienses regi Macedonum *tantummodo* civitatem obtulerunt? Vix haberemus quomodo hinc possemus in lucem emergere, nisi fuisset qui declamationem περὶ συντάξεως ex laciniis quibusdam Demosthenicis componeret; hic autem, § 23 p. 173, meliorem Codicem nactus quam nos habemus, tum de Menone, tum de Perdicca iisdem verbis usus ita scribit: οὐκ ἐψηφίσαντο πολιτείαν, ἀλλ' ἀ τ έ λ ε ι α ν ἔδωκαν μόνον, nec mihi dubium est quin ad hanc lucem locus in Aristocratea corrigendus sit. Vide quomodo Cobetus *Miscell.* p. 21 et 42 aliis locis ex spuriis Orationibus petitis sollerter usus sit ad genuinos locos emendandos. Περὶ τῆς ἀτελείας qui plura cupit, eum ablegare satis est ad Wolfium ad Lept. p. 71, Boeckhium *Oec. Civ.* I p. 120, Schömannum *de Comitiis* p. 335, alios. Habuerunt eam civitatem Sitalces, Leuco, Cotys, Cersobleptes, Teres, Evagoras, Dionysius Syracusanus, Clearchus Heracleota; non fuit tributa Stratoni Sidonio, cf. Inscr. Att. II n. 86; quin et indignis donum forte datum interdum revocabatur, cf. Neaer. § 91 p. 1376: ἃ δὲ πάντες μνημονεύετε Πειθόλαν τε τὸν Θετταλὸν καὶ 'Απολλωνίδην τὸν 'Ολύνθιον πολίτας ὑπὸ τοῦ δήμου γενομένους ἀφείλετο τὸ δημόσιον. Nisi Xenophon mortalium maledicentissimus fuit, nihil erat cur tam insignis honos Menoni haberetur et, quod ad Perdiccam attinet, huius quidem perfidia non latebat, cf. Hermippus ap. Athen. I p. 27 D:

καὶ παρὰ Περδίκκου ψεύδη ναυσὶν πάνυ πολλαῖς.

§ 204 p. 688: οὐδὲ γὰρ δίκην ἔτι λαμβάνειν ἐθέλετε παρὰ τῶν ἀδικούντων, ἀλλὰ καὶ τοῦτ' ἐ ξ ε λ ή λ υ θ ε ν ἐκ τῆς πόλεως. Haud facile quisquam ita locutus est. Conieci: ἐ ξ α λ ή λ ι π τ α ι. Cf. Pantaen. § 34 p. 976: οὐ γὰρ τὸ γιγνώσκειν καὶ συνιέναι τὰ δίκαια ὑμῶν ἐξαλεῖψαι δυνήσεται.

§ 213 p. 691. Unum vocabulum supplendum *πατὴρ δ' οὐκ ἐρῶ τίς (ἦν) ἢ πόθεν.*

§ 213 p. 691. Charidemus apud Oritas *εἰς τοὺς νόθους ἐκεῖ συντελεῖ καθάπερ ποτ' ἐνθάδ' οἱ νόθοι.* Quam est hoc parum eleganter enunciatum! Scripsissem equidem: *ἀλλ' ἐκεῖ καθάπερ ποτ' ἐνθάδε εἰς Κυνόσαργες συντελεῖ.* Sed alii videant.

§ 216 p. 692: *οὐκ ἐᾷ ὁ νόμος οὐδὲ τὸν ἑαλωκότα ἀνδροφόνον λυμαίνεσθαι οὐδὲ χρήματα πράττεσθαι.* Qui hoc posuit priscum ac legitimum verbum *λυμαίνεσθαι*, non *κακοῦν*, is etiam in altera sententiae parte, credo, appellavit *ἀποινᾶν*, non *χρήματα πράττεσθαι*, cf. § 33 p. 630.

ΚΑΤΑ ΤΙΜΟΚΡΑΤΟΥΣ.

§ 2 p. 700: *ἵνα μηδ' ἃ κλέπτοντες φανερῶς ἐλήφθησαν καταθῶσι.* Non deterius est quod *Anecd. Bk.* p. 149. 17 habent: *ἠλέγχθησαν.*

§ 3 p. 700: *τοσούτῳ ῥᾷόν ἐστιν ἰδίᾳ τινὰς θεραπεύειν ἢ τῶν ὑμετέρων δικαίων προΐστασθαι.* Commendo: *δικαίως.*

§ 4 p. 701: *εἰώθασι λέγειν ὡς ταῦθ' ὑμῖν σπουδαιότατ' ἐστί, ... ὑπὲρ ὧν ἂν αὐτοὶ τυγχάνωσι ποιούμενοι τοὺς λόγους.* Imo: *ὑπὲρ ὧν ἂν ἀεὶ τυγχάνωσι.*

§ 5 p. 701: *περὶ τοίνυν αὐτοῦ τούτου νῦν ὑμῖν ἐστι (σκεπτέον), πότερον δεῖ, κτἑ.* Supplendum quod indicavi.

§ 12 p. 703. Miror aliquantulum legatos hic *πρεσβευτάς* dici.

§ 13 p. 704: *ἀναπηδήσας (οὖν) Ἀνδροτίων καὶ Γλαυκέτης καὶ Μελάνωπος ἐβόων, ἠγανάκτουν.* Inserenda est, uti vides, particula; sed maximo opere me advertit usus singularis numeri *ἀναπηδήσας*, quem tamen noli sollicitare, nam similia exempla ubique prostant. Zenoth. § 4 p. 883: *ἐδανείζετο*

οὗτος καὶ ἐκεῖνος. Steph. I § 54 p. 1117: ἔϛι γὰρ ἡ τούτου μήτηρ καὶ ὁ τῆς ἐμῆς γυναικὸς πατὴρ ἀδελφοί. Callipp. § 7 p. 1237: παρόντος Ἀρχεβιάδου καὶ τοῦ Φρασίου. Fals. Leg. § 237 p. 415: ἀδελφὸς αὐτῷ συνερεῖ Φιλοχάρης καὶ Ἀφόβητος. Aesch. Fals. Leg. § 184: τὸ δὲ σῶμα ἤδη τουτὶ παραδίδωσιν ὑμῖν καὶ ἐγὼ καὶ ὁ νόμος. Lys. Eratosth. 12: ἐξιοῦσι δ' ἐμοὶ καὶ Πείσωνι ἐπιτυγχάνει Μηλόβιός τε καὶ Μνησιθείδης. Hyperid. Euxenipp. p. 76. 5 commendavit Cobetus: ἔλαχον Ἀκαμαντὶς καὶ Ἱπποθοωντίς, cum in papyro sit ἔλαχεν, eadem opera Plat. Apol. p. 36 A corrigens: ἀνέβησαν Ἄνυτος καὶ Μέλητος κατηγορήσοντες ἐμοῦ, quamquam in libris est ἀνέβη. Itaque iam sentis haud sine causa Cobeto iam statim oblocutum fuisse Schneidewinum Philolog. VIII. 1853 p. 347.

§ 19 p. 706. Supplendum: παρὰ πάντας τοὺς (κειμένους) νόμους.

§ 32 p. 710: τὸν νόμον ὃς οὐκ ἐᾷ ..... ἐὰν δέ τις εἰσφέρῃ γράφεσθαι [κελεύει]. Postremum vocabulum inducendum; eadem medicina Cobetus *Miscell.* p. 548 sanavit § 18 p. 705.

§ 37 p. 711: ἂν ἀπαλλάξῃ τις τὸν ἐπιϛάντα, ἡ πόλις παρακέκρουϛαι. Mox hoc verbum ἀπαλλάττειν ipse orator interpretatur: οὔτε γὰρ τὸ γνῶναι καὶ δοκιμάσαι τὸ βέλτιϛον ἐξελέσθαι δύναιτ' ἂν ὑμῶν οὐδὲ εἷς, οὔτε ἀπαλλάξας καὶ διαφθείρας πεῖσαι τὸν χείρω θέσθαι νόμον ἀντὶ τοῦ κρείττονος. Similis est ratio verbi λυμαίνεσθαι, § 92 p. 729: λυμαίνεται ταῦτα καὶ διαφθείρει, § 210 p. 765: τοὺς λυμαινομένους καὶ διαϛρέφοντας, sed § 102 p. 732: τὰς ὑπὲρ τῆς πόλεως ϛρατείας λυμαίνεται. Denique § 107 p. 733: τοὺς τῷ γήρᾳ βοηθοὺς λυμαίνει, correxerim: βοηθοῦντας (νόμους).

§ 43 p. 714: ἀπὸ τοῦ μετὰ τὸν νῦν ἄρχοντα. Immo legendum est ἄρχοντος.

§ 46 p. 715: οὐ προτεθέντος οὐδενὸς περὶ τούτων. Recte Wolfius coniecit: προθέντος. Idem vitium sublatum fuit § 77 p. 725.

29

§ 55 p. 717: εἴ τινι προστετίμηται κατὰ νόμον ἢ κατὰ ψήφισμα. Supple: δεσμοῦ, sicuti recte legitur v. c. § 87 p. 728.

§ 64 p. 721. Quid intersit inter δίδεσθαι et δεδέσθαι constituere sum conatus ad Xenoph. Oecon. *Mnem.* 1897 p. 434.

§ 65 p. 721: τῶν περὶ τἄλλα κακούργων τοὺς ὁμολογοῦντας ἄνευ κρίσεως κολάζειν. Coll. § 204 p. 763 malim: κακουργούντων. Etiam Reiskio ea correctio placuit.

§ 67 p. 622: πλὴν εἰ συγγενεῖς ὑπολαμβάνειν φησὶ τοὺς μισθουμένους αὐτόν. Malo futurum φήσει, coll. § 111 p. 735 et § 122 p. 738.

§ 68 p. 722: οἶμαι ἅπαντας ἂν ὑμᾶς ὁμολογῆσαι δεῖν τὸν ὀρθῶς ἔχοντα νόμον καὶ συνοίσειν μέλλοντα τῷ πλήθει γνωρίμως γεγράφθαι. Lege: ἕξοντα.

§ 80 p. 726: ἐνθυμεῖσθε οἷ διεπήδησεν [ἐπὶ τὸν δῆμον]. Sed Bakius hoc iam vidit *Mnem.* 1856 p. 230.

§ 127 p. 740: τοσούτῳ μᾶλλον αὐτὸν ἔδει δεδέσθαι [εἰ χρηστοῦ πατρὸς ὢν τοιοῦτος ἦν]. Inclusa ex proxime praecedentibus perperam iterata sunt.

§ 133 p. 742: κατὰ τοὺς χρόνους (καθ') οὓς ἕκαστοι αὐτῶν ἦσαν. Supplevi praepositionem.

§ 134 p. 742. Nunc persequar id quod institi dicere ad Mid. § 145 p. 561 de ignoratione historiae quam in Demosthene deprehendimus. Non urgeo quod de Glauceta legimus Timocr. § 129 p. 741 eum surripuisse τὸν ἀκινάκην τὸν Μαρδονίου, nam qui postea in aede Minervae Poliadis monstrabatur, Pausan. I. 27. 1, fortasse non erat genuinus diciturque ὁ Μαρδονίου λεγόμενος εἶναι. Quid autem de Thrasybulo? ἀλλὰ μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα πρῶτον μὲν Θρασύβουλον τὸν Κολλυτέα πάντες μέμνησθε δὶς δεθέντα καὶ κριθέντα ἀμφοτέρας τὰς κρίσεις ἐν τῷ δήμῳ, καίτοι τῶν ἐκ Πειραιῶς κἀπὸ Φυλῆς οὗτος ἦν. Hunc

Thrasybulum satis bene cognovimus et conferri poterit Arnoldus Schäferus in *Demosthenis Vita* I p. 145; itaque quum necessario triginta ferme annis ante Thrasybuli illae causae in iudicium venerint, quomodo *omnes recordari* poterant? Verius certe de Chabriae rebus gestis Leptin. § 77 p. 480: *τούτων πάντων ὑμῶν τινὲς οἱ πρεσβύτατοι μάρτυρές εἰσι μοι.* Sed sequuntur in Timocratea Agyrrhii laudes, quem orator *ἄνδρα χρηστὸν* appellat *καὶ δημοτικὸν καὶ περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον πολλὰ σπουδάσαντα,* nec cogitavit hunc hominem effusis largitionibus forum et campum corrupisse. Audi modo Harpocrationem v. *θεωρικά· θεωρικὰ ἦν τινα ἐν κοινῷ χρήματα ἀπὸ τῶν τῆς πόλεως προσόδων συναγόμενα. ταῦτα δὲ πρότερον μὲν εἰς τὰς τοῦ πολέμου χρείας ἐφυλάττετο καὶ ἐκαλεῖτο στρατιωτικά, ὕστερον δὲ κατετίθετο εἴς τε τὰς δημοσίας κατασκευὰς καὶ διανομάς, ὧν πρῶτος ἦρξατο Ἀγύρριος ὁ δημαγωγός.* Haec aliunde facile confirmari possunt itaque nunc Demosthenem videmus, qui imprudens hominem laudibus effert, nihil reputans hunc principalem auctorem esse illorum *θεωρικῶν*, adversus quae frustra bellum gereret. Brevi § 138 p. 743 sequitur de Eudemo locus: *Εὔδημον τὸν Κυδαθηναῖα, νόμον δόξαντα θεῖναι οὐκ ἐπιτήδειον, οὐ πάλαι ἀλλ' ἐπ' Εὐάνδρου ἄρχοντος ἀπεκτείνατε.* Itane *οὐ πάλαι*? At Evander archon fuit tricesimo anno ante quam Timocrati dies dictus fuit, circa ipsum Demosthenis diem natalem. Sed fuit haec, credo, omnium incuria. Notum est quod de Socrate scribit Aeschines Timarch. § 173: *Σωκράτην τὸν σοφιστὴν ἀπεκτείνατε, ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκώς* et sunt alii apud hunc eiusdemmodi mirifici errores. Oratio est adversus Boeotum de dote, ubi orator, quisquis ille fuit, § 25 p. 1016, de Cleone ita scribit: *φασὶ Κλέωνα τῶν ὑμετέρων προγόνων στρατηγοῦντα Λακεδαιμονίων πολλοὺς ἐν Πύλῳ ζῶντας λαβόντα μάλιστα πάντων ἐν τῇ πόλει εὐδοκιμῆσαι.* Hoc *perhibent* scilicet homines, quasi de bello Troiano sermo foret et de re multis saeculis ante acta. — Illud quoque: non magis quam patriam historiam in rhetorum scholis Demosthenes ius civile didicerat. Ad latus, credo, perpetuo *πραγματικὸν* aliquem habebat, de quo hominum genere Cicero scribit Orat. I 45. 198: „Apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii qui apud eos *πραγματικοί* vocantur." Hac sola fortasse in re superior erat Aeschines, qui

quum ipse scriba fuisset, *πραγματικοῦ τινος* opera non indigebat. Hinc quoque factum est ut Demosthenes, qui tam facunde disserebat de rebus externis, Aeschinis cavillationes refutare non potuerit, qui in causa Ctesiphontea contenderat coronam in theatro non licere renunciare.

§ 145 p. 745: *ἀλλ' ἐφ' οἷς κεῖται ὁ νόμος οὗτος, διδάξω ὑμᾶς. οὗτος γὰρ οὐκ ἐπὶ τοῖς κεκριμένοις καὶ ἠγωνισμένοις κεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς ἀκρίτοις.* Parum eleganter hoc enunciatum est itaque Blassius delere voluit *ὁ νόμος οὗτος*· equidem scribam: *οὐ γὰρ ἐπὶ τοῖς κεκριμένοις, κτέ.*

§ 148 p. 746: *ἁπάντων γὰρ κυριώτατον ᾤετο δεῖν εἶναι τὸ δικαστήριον.* Longe malo positivum: *κύριον.* Hoc modo saepe erratur, veluti § 153 p. 748: *ἄλλο τι τῶν τῆς πόλεως ἰσχυροτάτων καταλύοντα*, praestat: *ἰσχυρῶν.*

§ 162 p. 751: *πέντε ταλάντων ὑμῖν τεθέντων.* Moris est dicere: *κατατεθέντων*, vide v. c. § 195 p. 761 et § 197 p. 761.

§ 173 p. 754: *ἐτῶν ὄντων πλειόνων ἢ τριάκοντα, ἀφ' οὗ ὅ γ' ἕτερος ὑμῶν πεπολίτευται καὶ ἐν τούτῳ χρόνῳ πολλῶν μὲν στρατηγῶν ἠδικηκότων τὴν πόλιν, πολλῶν δὲ ῥητόρων ..... οὐδενὸς πώποτ' ἐξητάσθη κατήγορος ὑμῶν οὐδέτερος.* Non multum proficitur Blassii coniectura: *ἅτερός γ' ὑμῶν*, nec praeterea cum Arnoldo Schaefero crediderim Timocratem Androtione multo fuisse iuniorem; totus locus, imprimis si quis attendit ad pronomen *οὐδέτερος*, suadere videtur ut credamus satis diu eos vel *ἀντιπολιτεύσασθαι* vel certe *διαπολιτεύσασθαι* et nunc demum vires coniunxisse. Hinc coniicio: *ἀφ' οὗ ἑκάτερος ὑμῶν πεπολίτευται* et praeierat iam Bakius *Mnem.* 1856 p. 230, cf. praeterea Cobetus *Miscell.* p. 529.

§ 177 p. 755 = Androt. § 70 p. 615: *Φήσας σαπροὺς εἶναι διὰ τὸν χρόνον ὥσπερ ἴων ἢ ῥόδων ὄντας.* Prorsus inutiliter adhaeret: *ἀλλ' οὐ χρυσίου.*

§ 180 p. 756: σκέψασθε ὡς καλὰ καὶ ζηλώτ' ἐπιγράμματα τῆς πόλεως ἀνελών, ὡς ἀσεβῆ καὶ δεινὰ ἀντεπέγραψεν. Androt. § 72 p. 615 legitur: ἀντεπιγέγραφεν, quod equidem longe praefero, etiamsi Blassius aliter sentiat.

§ 181 p. 756 = Androt. § 73 p. 616: οὗ τὸ σῶμα ἡταιρηκότος οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι εἰς τὰ ἱερὰ εἰσιέναι, τούτου τοὔνομα [ἐν τοῖς ἱεροῖς] ἐπὶ τῶν φιαλῶν γεγραμμένον ἐςίν. Quod Blassius eiicere voluit vocabula εἰς τὰ ἱερὰ εἰσιέναι, id neutiquam possum probare; multo simplicius est eiicere: ἐν τοῖς ἱεροῖς. Similis est argumentatio Aristog. I § 99 p. 800, de quo loco Cobetus egit *Miscell.* p. 573.

§ 182 p. 757: εἰς τοῦτ' ἀναισθησίας καὶ τόλμης προεληλύθασιν. Longe praestat quod legitur Androt. § 74 p. 616: εἰς τοῦθ' ἅμ' ἀναισθησίας.

§ 191 p. 759: ὅταν μὲν γὰρ λέγῃ ὅπως μηδεὶς δεθήσεται Ἀθηναίων. Simplicissimum erit supplere: (γράψαι) λέγῃ. Lepidum est interpretes videre Reiskio obloquentes.

§ 191 p. 760: ὅλον δεικνύτω τὸν νόμον ἑξῆς καὶ τὰ συμβαίνοντ' ἐξ αὐτοῦ σκοπεῖν ἐάτω. Praestat fortasse ἐάσω, sed nihil fidenter affirmo.

§ 193 p. 760; τούςδε τοὺς περὶ τῶν πρὸς τὸ δημόσιον προσιόντων τοὐναντίον. In solo fere Marciano codice additum reperies participium προσιόντων et plane non video quomodo eo possimus carere. Bekkerus tamen et post eum omnes editores omiserunt.

§ 196 p. 761: οὔτε γὰρ .... τοῦθ' ἡγήσω δεινὰ παθεῖν εἶναι· ποιεῖν γὰρ τοῦτό γε. Haec vera lectio codicis Marciani est; in aliis perperam legitur τοῦτό γε δεινά, cui vocabulo editores mirabile dictu pepercerunt. Aliud vitium Cobetus sustulit *Miscell.* p. 556 et ante Cobetum Bakius *Mnem.* 1856 p. 231.

§ 202 p. 763: ἀλλὰ νὴ Δία τὴν ἀδελφὴν καλῶς διῴκηκεν.

Non concoquo eam locutionem; satis lenis correctio est *ἐξέδωκεν.*

§ 210 p. 765. Haud ita pauca sunt in hac oratione, quae lectoribus hodie non possunt placere. Eo libentius attendimus ad ea quae notatu digna sunt; veluti hic: *πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων πολλάκις εἰσὶν ἐψηφισμένοι τοῖς νόμοις χρῆσθαι τοῖς ὑμετέροις, ἐφ' ᾧ φιλοτιμεῖσθ' ὑμεῖς εἰκότως.* Cf. Erot. § 50 p. 1416.

§ 214 p. 766. Etiam hoc est de genere eodem: *ἀργυρίῳ μὲν πολλαὶ τῶν πόλεων καὶ φανερῶς πρὸς χαλκὸν καὶ μόλυβδον κεκραμένῳ χρώμεναι, σώζονται καὶ οὐδ' ὁτιοῦν παρὰ τοῦτο πάσχουσι.* Est haec stupenda doctrina; ceterum *φανεραί* reponam et Reiskius iam suaserat: *καὶ μάλα φανερῶν*, de qua coniectura est prorsus mirificum Schäferi iudicium: „Quin *φανερῶς* auget vim argumentationis quamvis sophisticae: *ἀργύριον φανερῶς πρὸς χαλκὸν καὶ μόλιβδον κεκραμένον, argentum aeri plumboque ita mixtum, ut neminem fallat.* Sophisticam dixi argumentationem, quod mixtio tam manifesta eaque publice facta non potest vere dici pecuniae corruptio." Di meliora!

ΚΑΤ' ΑΡΙΣΤΟΓΕΙΤΟΝΟΣ Α.

§ 3 p. 770: *οὐκ ὀκνήσω πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν ἅ γ' ἐμοὶ φαίνεται.* Ut vidi, ut correxi *ἅττ' ἐμοὶ φαίνεται*, sed post Cobetum *Mnem.* 1857 p. 15 itaque locum silentio praeteriissem, nisi vidissem tot annis post in *Miscellaneis* correctionis eum immemorem fuisse.

§ 32 p. 779: *τίς δ' ἂν ἄλλοις μᾶλλον ἀνατρέψειε τὴν πόλιν, εἰ λάβοιτ' ἐξουσίας;* Non intelligo quominus plus minusve urbem possimus *ἀνατρέπειν*, ac proinde malo: *θᾶττον.*

§ 34 p. 780: *εἰσὶ ταῖς πόλεσι πάσαις βωμοὶ καὶ νεῴ πάντων τῶν θεῶν, ἐν δὲ τούτοις προνοίας Ἀθηνᾶς — ἀλλ' οὐκ ἀπονοίας οὐδὲ ἀναιδείας.* Malo *παντοίων θεῶν*, deinde quod orator aedem *προνοίας Ἀθηνᾶς* appellat, quam *προναίαν* debuerat appellare, de eo errore Cobetus dixit *Miscell.* p. 570. Sed superest

alius praeterea error, quod negat esse aedem Ἀναιδείας· etenim cf. Phot. v. Θεὸς ἡ Ἀναίδεια· λέγεται ἐπὶ τῶν δι' ἀναισχυντίαν ὠφελουμένων· ἐτιμᾶτο δὲ καὶ Ἀθήνησιν ἡ Ἀναίδεια· καὶ ἱερὸν ἦν αὐτῆς ὡς Ἴςρος ἐν ιδ'. Adde Zenobium 336: Θεὸς ἡ Ἀναίδεια· αὕτη τέτακται ἐπὶ τῶν δι' ἀναισχυντίαν τινὰ ὠφελουμένων. Φησὶ Θεόφραςος ἐν τῷ περὶ νόμων Ὕβρεως καὶ Ἀναιδείας παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις εἶναι βωμούς.

§ 42 p. 782: ταῦτα μὲν οὕτως ἔχειν ὁμολογήσετε, χρήσιμον δ' ἄνθρωπον τῇ πόλει κρίνειν. Impedita oratio: facile intellectu est κρινεῖτε. Itidem Dionysod. § 48 p. 1297: θεωροῦντες πῶς τὸ πρᾶγμα τουτὶ κρίνετε, lege: κρινεῖτε.

§ 42 p. 783: τί δ', ἀφ' οὗ νῦν (πάλιν) λέγει, βέλτιον γεγονός; Excidit quod inserui.

§ 52 p. 786: οὐδὲ προσφοιτᾷ [πρός τι] τούτων τῶν ἐν τῇ πόλει κουρείων ἢ μυροπωλίων ..... οὐδὲ πρὸς ἕν. Duae voculae, uti vides, abundant.

§ 61 p. 788: περιῆν αὐτοῦ τεταριχευμένου καὶ πολὺν χρόνον ἐμπεπτωκότος. Quid hic requiram, ostendere poterit Plat. Phaed. p. 80 C, ubi legimus cadaver συμπεσὸν καὶ ταριχευθέν, sicuti apud Aegyptios mos est, diutissime permanere. Quid συμπίπτειν sit, non est obscurum, cum nos prorsus eodem modo soleamus loqui. Uva arefacta συμπεπτωκυῖα dicitur. Erasistratus apud Gellium Noct. Att. XVI. 3: ἐλογιζόμεθα οὖν παρὰ τὴν ἰσχυρὰν σύμπτωσιν τῆς κοιλίας εἶναι τὴν σφόδρα ἀσιτίαν, tum, paucis verbis interiectis: ὅταν δὲ σφόδρα συμπεπτωκυῖα ᾖ, κένωμα οὐκ ἔχει. Eodem sensu in Sacra Scriptura Genes. IV 6: ἵνα τί περίλυπος ἐγένου καὶ ἵνα τί συνέπεσε τὸ πρόσωπόν σου; eandem locutionem reperies I Regg. I 18, cf. I Maccab. VI 16. Metaphora usus est Euripides in Hecuba vs. 846: δεινόν γε θνητοῖς ὡς ἅπαντα συμπίτνει, quod quid sit optime patere poterit ex Plat. Legg. VII p. 793 C: τεκτόνων ἐν οἰκοδομήμασιν ἐρείσματα ἐκ μέσου ὑπορρέοντα συμπίπτειν εἰς ταὐτὸν ποιεῖ τὰ ξύμπαντα. Apud Herodotum III 52 legimus: ἰδών μιν ὁ Περίανδρος ἀλουσίῃσι τε καὶ ἀσιτίῃσι συμπεπτωκότα οἴκτιρε. Denique conferemus Plu-

tarchum de Curios. p. 516 C: *μίκρ' ἄττα τῶν λόγων αὐτοῦ σπέρματα καὶ δείγματα λαβών, οὕτως ἐμπαθῶς ἔσχεν, ὥϛε τῷ σώματι συμπεσεῖν καὶ γενέσθαι παντάπασιν ὠχρὸς καὶ ἰσχνός.* Iam apud Demosthenem, vel quicumque tandem hanc orationem scripsit, *νεαλὴς δὲ καὶ πρόσφατος ὢν ἐκεῖνος περιῆν αὐτοῦ τεταριχευμένου καὶ πολὺν χρόνον ἐμπεπτωκότος*, non opinor eum qui diu in carcere vinctus fuerit, recte dici *πολὺν χρόνον ἐμπεπτωκέναι*, sed etiamsi hoc concedam, requiro tamen ne orator metaphoram deserat quam instituit, quum *νεαλῆ* et *πρόσφατον* appellaret, cui *τεταριχευμένον* opponeret. Sicuti apud Platonem coniunguntur *ταριχεύεσθαι καὶ συμπίπτειν*, sic orator quoque dedit: *τεταριχευμένου καὶ συμπεπτωκότος*, quo corrupto et mutato in *ἐμπεπτωκότος*, fuit qui adderet: *πολὺν χρόνον*, quod nunc sponte excidit. Vide praeterea Wyttenb. *Epist. Crit. sup. Iulian.* ad calcem.

§ 62 p. 782: *οὐ τὴν ῥῖνα ὁ μιαρὸς οὗτος ἐσθίων κατέφαγεν.* Mire dictum quod omnes elicere debet ut ingenium experiantur. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 258 abiecto *ἐσθίων* suasit *ἀπέφαγεν*, cum proxime praecedat: *ἀπεσθίει τὴν ῥῖνα τἀνθρώπου.* Blassius Hermogenem laudat, qui exempla *σκληρῶν λέξεων* recenset cum alia tum: *κατεσθίων κατέφαγεν*, ut revera *κατεσθίων* in suo libro videatur invenisse. Equidem concedo; verum si *κατεσθίων* arripuero, stare non poterit *κατέφαγεν*· non enim *σκληρὰ* ea *λέξις* est, sed plane absurda. Quid si verum est: *κατεσθίων ἀπέδακεν*?

§ 67 p. 790: *ἀλλ' ὅτι δὶς εἰς τὸ δεσμωτήριον κατέθεσθε καὶ αὐτὸν καὶ τὸν ἀδελφόν*; Haec quidem recte, sed parum eleganter abundant verba: *διὰ ταῦθ' ὑμῖν εὔνους ἐϛίν*;

§ 71 p. 791: *δεινά γ' ἂν πάθοιεν οἱ δραχμὴν ἐγγεγραμμένοι μόνην.* An praestat *μίαν*? Equidem nil definio.

§ 73 p. 792: *ὁδὶ μὲν ὀφειλήσει τῷ δημοσίῳ* [*ὁ ἐξαλειφθείς*], *ἐκεῖνος δὲ ἐπίτιμος ἔϛαι* [*ὁ ἐγγραφείς*]. Verbum non addam.

ΚΑΤ' ΑΡΙΣΤΟΓΕΙΤΟΝΟΣ Β.

§ 3 p. 810: *ὥσπερ γὰρ* (*ἐπὶ* inser. Cob.) *τῶν* [*ἐν ταῖς ναυσὶν*] *ἁμαρτημάτων ἃ συμβαίνει περὶ τοὺς πλοῦς.* Quam est mirum neminem attendisse animum ad manifestam interpolationem.

§ 3 p. 801: *ὅταν μὲν τῶν ναυτῶν τις ἁμάρτῃ βραχεῖαν τὴν βλάβην ἤνεγκεν, ὅταν δ' ὁ κυβερνήτης ἀποσφαλῇ, κοινῇ τὴν ἀτυχίαν παρεσκεύασεν.* Ex Apsine Blassius assumsit simplex verbum *σφαλῇ·* latet autem: *ὅταν ὁ κυβερνήτης αὐτὸς σφαλῇ.*

§ 20 p. 806: *οὐ μὴν ἀλλ' ἴσως γ' εὐλογώτερον ἦν τὸ πιςεῦσαι.* Nullus hic locus comparativo: legam: *εὔλογόν τι.*

§ 22 p. 807: *προσποιούμενοι μηνύειν.* Imo lege: *μηνύσειν.*

ΚΑΤ' ΑΦΟΒΟΥ Α.

§ 1 p. 813: *εἰς δ' ὑμᾶς τοὺς οὐδὲν τῶν ἡμετέρων ἀκριβῶς ἐπιςαμένους ἐλήλυθεν.* De constanti more scr.: *εἰσελήλυθεν.*

§ 2 p. 813: *πολλὰς ἐλπίδας ἔχω καὶ παρ' ὑμῖν τεύξεσθαι τῶν δικαίων.* Legendum est *παρ' ὑμῶν*, sicuti legitur § 1 *παρ' αὐτοῦ πειρᾶσθαι τυγχάνειν*, § 45 p. 827: *συγγνώμης παρ' ὑμῶν τυγχάνειν*, Onetor. I § 3 p. 864: *πειρᾶσθαι παρ' αὐτοῦ τῶν δικαίων τυγχάνειν*, Is. Ciron. hered. § 5 et ubi non? Corrige praeterea Aphob. II § 21 p. 842: *οἴεται τυχόντα με τῶν δικαίων παρ' ὑμῖν ὑποδέξεσθαι.* Vide quoque Plat. Phileb. init.: *ὅρα δή, τίνα λόγον μέλλεις παρὰ Φιλήβου δέχεσθαι νυνὶ καὶ πρὸς τίνα τὸν παρ' ἡμῖν ἀμφισβητεῖν.* Interest aliquantulum; veluti Plat. Legg. VII p. 817 C: *ἡ παρ' ἡμῶν ἐλπίς*, quis non sentit quam nihili foret tertius casus?

§ 4 p. 814: *τὴν ἡμετέραν μητέρα πεντήκοντα μνᾶς εἰς τὸν οἶκον εἰσενηνεγμένην.* Perpetuo de dote dicitur: *ἐπενηνεγμένην.* Itidem bis eodem modo corrige Boeot. de dote § 26 p. 1016: *εἴπερ ἡ μὲν ἐμὴ μήτηρ μὴ ἦν ἐγγυητή, μηδ' ἠνέγκατο*

προῖκα, ἡ δὲ τούτων ἠνέγκατο, vide v. c. § 19 p. 1014, § 22 p. 1015, sed non opus est cumulare exempla.

§ 9 p. 816. Relege locum et fortasse mihi dabis supervacaneum esse: *ταύτην ἠξίουν εἰσφέρειν τὴν εἰσφοράν.*

§ 9 p. 816: *ἐλάμβανε τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν πρόσοδον*. Solet tamen addi *ἑκάστου*, vide § 9, § 10, 19 p. 819: *καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν*, § 24 p. 821, § 29 p. 822, pr. Phorm. § 37 p. 956 cet.

§ 19 p. 819: *ὁ δ' ἐπίτροπος διῴκησεν αὐτὰ καὶ ἐκείνου μοι προσήκει λόγον λαβεῖν*. Perpetuus in hac oratione usus perfecti temporis: § 22 p. 820; § 48 p. 828; § 50 p. 829; § 64 p. 834.

§ 24 p. 821: *τούτους γὰρ καταλειφθῆναι ..... ὁμολογοῦσι καὶ τὰς δώδεκα μνᾶς ἑκάστου τοῦ ἐνιαυτοῦ τῷ πατρὶ γίγνεσθαι*. In fine sententiae adhaeret inutile pondus: *φασίν*.

§ 26 p. 821: *τῆς ἐκείνου πονηρίας ἧς οὐδέν μοι προσήκει*. Hic quoque in fine inutiliter adscriptum est: *φροντίζειν*.

§ 29 p. 822: *τρία τάλαντα ταῦτα ἀνηρπάκασιν, ὧν κοινῇ διαπεφορημένων τὸ τρίτον δήπου μέρος παρὰ τούτου μοι προσήκει κεκομίσθαι*. Requiritur: *διηρπάκασιν*· vide modo § 7 p. 815, § 23 p. 820, § 41 p. 826, § 47 p. 828, Aphob. II § 9 p. 838 et Herwerdenum *Mnem.* 1875 p. 258.

§ 30 p. 823: *κεκτημένον μὲν τοσούτους κλινοποιούς, κεκτημένον δὲ μαχαιροποιούς*· in fine supplebo: *τοσούτους*. De rationibus quibus fretus Demosthenes ab tutoribus bona paterna repetiit, confectis tabulis dixi post Voemelium, sed ante Buermannum, *Mnem.* 1852 p. 186, sed mea commentatio, credo, in paucorum manus pervenit, quoniam Mnemosyne tunc primum coepit loquier Batava lingua.

§ 31 p. 823: *θάτερον ἐργαστήριον [εἰς τὰς κλίνας] ῥᾳδίως δύο μνᾶς τοῦ μηνὸς ἀνήλισκεν ἐλέφαντος*. Facile vincam insiticia esse verba quae notavi.

§ 36 p. 825: *τούτων πλείω εἰμὶ τεθεικώς*. Malo: *τοσούτῳ* et Reiskium confer.

§ 38 p. 825: *τί οὖν ποτ' ἐςὶ τὸ δεινόν, εἰ μὴ ταῦτα δόξει.* Scribe: *ἐςαι.*

§ 42 p. 826. *Ἐν τοῖς λόγοις τοῖς τῆς ἐπιτροπῆς* tutores inter se dissenserant; quisque pro se splendide mentitus erat, sed duobus collegis suis minime pepercerat et testatus fuerat id quod res erat. Demostheni exoptatissima fuerunt illa inter se repugnantia testimonia saepeque iis utitur ut hominum scelestorum perfidiam coarguat, veluti Aphob. II § 3 p. 836: *αὐτὸς ὁ πατὴρ τήν τ' ἄλλην οὐσίαν καὶ τέτταρα τάλαντα καὶ τρισχιλίας φανερὰς ἐποίησεν, ἃς οὗτοι γραφῆναί τ' ἐν ταῖς διαθήκαις καὶ λαβεῖν σφᾶς αὐτοὺς κατ' ἀλλήλων καταμαρτυροῦσιν·* § 2 p. 838: *τότε μὲν εἰς ἀλλήλους ἀναφέρετε, πάλιν δ' εἰληφέναι κατ' ἀλλήλων μαρτυρεῖτε*, § 14 p. 839: *ταῦθ' οὗτοι γραφῆναί τ' ἐν ταῖς διαθήκαις καὶ λαβεῖν σφᾶς αὐτοὺς κατ' ἀλλήλων μαρτυροῦσιν.* Itaque Aphob. I § 39 p. 826 recitari iussit Demophontis testimonium, § 42 p. 826 Therippidis, § 43 p. 827 ipsius Aphobi. Deinde pergit suis verbis exponere quid Aphobus testatus fuerit: *οὗτος αὖ*, inquit, *τὴν μὲν διαθήκην γενέσθαι φησί, κτἑ.* nec addit proprium Aphobi nomen, quod minime necesse erat. Quid praec. paragrapho de Therippide? *Οὗτος διαθήκην μὲν γενέσθαι φησί, καὶ τὰ δύο τάλαντα Δημοφῶντι καὶ τὰς ὀγδοήκοντα μνᾶς τουτῳὶ* (Aphobo, uti vides) *δοθῆναι μαρτυρεῖ· τὰς δὲ ἑβδομήκοντα μνᾶς, ἃς Θηριππίδης ἔλαβεν, οὐ προσγραφῆναί φησιν.* Iamdudum Therippidis nomen volueram expungere et nunc Blassius me docet ante me Voemelium idem suasisse; est sane aperta res, nam si Demosthenes lectorum in gratiam — sibi enim id minime necesse erat — propria nomina voluisset interpolare, etiam Aphobi nomen adscripsisset, nec Therippidis nomen tam incommodo loco compareret. Si quis hodie clara voce recitare vellet — sed vix quisquam id umquam faciet — orationes contra Macartatum et contra Olympiodorum, intelligeret, uti auguror, neutiquam posse fieri, ut inepta ac plane intolerabilis nominum propriorum repetitio ipsi oratori deberetur. Quam nihil necesse fuerit, ea

nomina identidem ingerere, nusquam luculentius poterit apparere quam pr. Phorm. § 42 p. 957 qui locus, nisi animum attendas, etiam obscurus est: *οἶμαι μέντοι κἂν εἰ πάντ' ἀληθῆ λέγοι* — Apollodorus — *κάλλιον εἶναι καὶ δικαιότερον τόνδε* — Phormionem — *ἀπὸ τῶν αὐτοῦ λῃτουργεῖν ὑμῖν ἢ τούτῳ* — Apollodoro — *δόντας τὰ τοῦδε* — Phormionis — *μικρὰ τῶν πάντων αὐτοὺς μετασχόντας, τόνδε μὲν* — Phormionem — *ἐν ταῖς ἐσχάταις ἐνδείαις ὁρᾶν, τοῦτον δὲ* — Apollodorum — *ὑβρίζοντα καὶ εἰς ἅπερ εἴωθεν ἀναλίσκοντα.* Tam parum perspicua haec pericope est, ut G. H. Schäferus se inde expedire non potuerit; itaque apparet quid de inutilibus propriorum nominum repetitionibus iudicandum sit, etiamsi singulis locis saepe anceps iudicium sit.

§ 44 p. 827: *δῆλον τοίνυν ἐςὶν οὐδὲν ἧττον τὸ πλῆθος τῶν καταλειφθέντων, καίπερ ἀφανιζόντων τούτων τὴν οὐσίαν [ἐκ τῶν διαθηκῶν], ἐξ ὧν τοσαῦτα χρήματ' ἀλλήλοις φασὶ δοθῆναι.* Moleste interposita sunt illa *ἐκ τῶν διαθηκῶν*, quibus loci sententia obscuratur.

§ 47 p. 828: *τὴν μὲν προῖκα λαβεῖν ὁμολογήσαντα καὶ ἔχειν αὐτὸν πρὸς τοὺς ἐπιτρόπους* (*συνεπιτρόπους* Rsk.) *ἀπογράψαντα,* (*τὴν δὲ μητέρα οὐ γήμαντα*). Supplevit Reiskius.

§ 50 p. 829: *ἐρωτηθεὶς πότερον οὕτως ἐπιτροπευθεὶς ἀπεδέξατ' ἂν τοῦτον τὸν λόγον.* Lege: *αὐτός.*

§ 50 p. 829: *προὐκαλεῖτο δ' ἐθέλειν ἐπιδεῖξαί μοι τὴν οὐσίαν δέκα ταλάντων οὖσαν.* Praestat: *δεκατάλαντον.* Cf. § 62: *πεντεταλάντου δὲ μόνον τῆς οὐσίας οὔσης.* Aphob. II § 11 p. 838: *πρὸς πεντεκαιδεκαταλάντους οἴκους.* Is. Apollodor. § 19: *οὐσίας καὶ πεντεταλάντου καταλειφθείσης,* § 42: *οἶκον πεντετάλαντον ἀνῃρηκότων.* Pyrrh. § 8: *τῷ τὸν τριτάλαντον οἶκον κεκτημένῳ.* Sed cf. Hagn. § 42.

§ 55 p. 831: *οὐδ' ἂν αὐτὴν ἐκείνην ἑνὶ τῶν ἐπιτρόπων [τούτῳ] γυναῖκ' ἔδωκεν.* Res apparet.

ΚΑΤ' ΑΦΟΒΟΥ Β.

§ 2 p. 836: *εἰ μὲν οὖν τότ' ἐξεγένετο καὶ μὴ τῷ χρόνῳ τοῦτ' ἐνηδρεύθημεν.* Locum permutanto *τότε* et *τοῦτο.*

§ 2 p. 836: *εὑρήσετε γὰρ οὐχ ὡς ὀφείλει μεμαρτυρημένον ἀλλ' ὡς ὦφλεν.* Hic usus expendendus ad facem quam Cobetus accendit *Mnem.* 1862 p. 247.

§ 10 p. 838: *πάντες δὲ κοινῇ με ἐπιτροπεύσαντες ἰδίᾳ μετὰ ταῦθ' ἕκαστοι μηχανᾶσθε.* Imo: *ἕκαστος.*

§ 14 p. 840: *οὗτος δ' εἰσελθεῖν μὲν οὔ φησιν, Δημοφῶντος δ' ἀκοῦσαι ..... καὶ προεισεληλυθὼς καὶ ἅπαντα διωμολογημένος.* Melius intelligam: *καί(περ) προεισεληλυθώς.*

§ 17 p. 841: *ᾧ τούτων οὐδὲν ἐνθυμηθεὶς ἀντέδωκα μὲν, ἀπέκλεισα δὲ ὡς διαδικασίας τευξόμενος.* Quomodo egerit Demosthenes cum Midiae fratre Thrasylocho, optime novimus ex Mid. § 79 p. 540; sed de huius loci sententia interpretes in diversas partes abeunt nihilque proferunt, quantum comperi, quod possit comprobari. Equidem mihi videor intelligere: *ἀπέκλεισα δὲ (τέως) ὡς διαδικασίας τευξόμενος.* Deinde Thrasylochus *ἀποκλεισθεὶς κατέσχισε τὰς θύρας τῶν οἰκημάτων.* Quod attinet ad adverbium *τέως* iam Homerus cecinit:

αὐτὰρ ὁ τέως μὲν ἐτόλμα ἐνὶ μεγάροισι ἑοῖσι
βαλλόμενος καὶ ἐνισσόμενος τετληότι θυμῷ,

et quis non hoc modo locutus est?

ΠΡΟΣ ΑΦΟΒΟΝ.

§ 3 p. 845: *μόνον οὐκ αὐτὴν [τὴν οἰκίαν] ἐμπρήσας.* Dele nomen quod ex praecedentibus cogitando supplendum est.

§ 7 p. 846: *μαρτυριῶν γὰρ πλέον ἢ πάνυ πολλῶν [τῶν ἁπασῶν] ἀναγνωσθεισῶν.* Dindorfius apte comparavit Arist. Nub. 1065: *πλεῖν ἢ τάλαντα πολλά·* sed illinc sequitur, uti opinor, delendum esse *τῶν ἁπασῶν.*

§ 15 p. 849: ὁρῶν μὲν Ἀφόβῳ χρώμενον μάλις' ἀνθρώπων [ἁπάντων]. Ultimum vocabulum delendum.

§ 40 p. 856: τοὺς γὰρ εἰδότας [καὶ διδόντας] καὶ παρόντας μάρτυρας παρεσχόμην ἐγώ. Molestum illud καὶ διδόντας accessit ex solo Parisino Codice et abiiciendum est; Dindorfius certe frustra καὶ δόντας coniecit et Blassius frustra provocavit ad § 7 p. 837.

§ 55 p. 860: ἐπιδεικνὺς οἰκέτην τὸν τὴν μαρτυρίαν γράφοντα οὐκ ἐθελήσαντα τοῦτον βασανίζειν. Commendo: γεγραφότα.

ΠΡΟΣ ΟΝΗΤΟΡΑ Α.

§ 7 p. 865: ὁρῶν τῆς τε αὐτοῦ πατρῴας οὐσίας καὶ τῆς ἐμῆς οὐκ ὀλίγης κύριον γεγενημένον. Supplebo: οὐκ ὀλίγης (οὔσης).

§ 10 p. 866: καταμῖξαι τὴν προῖκα εἰς τὴν οὐσίαν τὴν οὕτω κινδυνευθήσεσθαι μέλλουσαν. Placet αὐτίκα κινδ.

§ 13 p. 867: τούτων οὐδὲ καθ' ἓν ὧν εἶπον ὀφείλειν ἀναγκασθέντων. Praestat: ὡς εἶπον.

§ 33 p. 873: νῦν δ' ἐν τρισὶν ἔτεσιν ἄλλῳ συνοικοῦσ' οὐδενὶ φαίνεται. Supplebo: ἐν (ὅλοις) τρισὶν ἔτεσι, sicuti legitur Onetor. II § 14 p. 880: ὅλοις ἔτεσι δέκα.

ΠΡΟΣ ΖΗΝΟΘΕΜΙΝ.

§ 1 p. 882: οἱ νόμοι κελεύουσιν τὰς δίκας εἶναι τοῖς ναυκλήροις. Particula opus est ut haec cum superioribus coniungantur: οἱ (γὰρ) νόμοι.

§ 2 p. 882. Supplendum: δανεῖσαι δ' Ἡγεςράτῳ (τῷ) ναυκλήρῳ, sicuti mox bene legitur.

§ 7 p. 884: τὸ μὲν πρῶτον εὐθὺς [ἐν τῷ πλοίῳ] παρὰ τἀδικήματα. Adnotat Blassius Herwerdenum *Mnem.* 1875 p. 258 coniecisse παρ' (αὐτὰ) τἀδικήματα, sed neglexit addere Herwerdeno spuria esse visa vocabula ἐν τῷ πλοίῳ. Cur tandem? Est enim aperta res.

§ 9 p. 884: τοιαῦτά γε ἐσκευωρημένον καὶ πεποιηκότα. Quam languet postremum vocabulum! Contuli equidem Steph. I § 30 p. 1111: κακουργῆσαι καὶ διορύξαι et coepi cogitare de: ἐσκευωρημένον καὶ τετοιχωρυχηκότα, cum praesertim Hegestratus voluerit διακόπτειν τοῦ πλοίου τὸ ἔδαφος, § 5 p. 883. Vide verbum τοιχωρυχεῖν translato sensu Lacrit. § 9 p. 925.

§ 9 p. 884: ὥςτε οὐκ ἐλήλυθεν μόνον. Legam: οὐ κατελήλυθεν, quemadmodum recte legitur § 10: τῷ ποτ' ἐπηρμένος οὗτος κατελήλυθε καὶ τὴν δίκην εἴληχεν; nam est haec lectio Parisini Codicis, quam Blassius inconsulto sprevit.

§ 11 p. 885: ἀτύχημα οὐδὲν ἔλαττον, εἰ οἷόν τ' εἰπεῖν, ἀτυχήσαντες ἢ τὸ ἐξ ἀρχῆς πονηροῖς ἀνθρώποις συμμῖξαι. Quod Dobraeus p. 495 correxit: ἀτύχημα οὐδενὸς ἔλαττον ἀτυχήσαντες [ἢ] τὸ ἐξ ἀρχῆς, id Blassius ne operae quidem pretium habuit quod excerperet.

ΠΡΟΣ ΑΠΑΤΟΥΡΙΟΝ.

§ 6 p. 894: προσιόντες δέ μοι ἐν τῷ ἐμπορίῳ [οὗτος καὶ Παρμένων]. Est interpolatio in paucis manifesta.

§ 18 p. 898: προὐφασίζετο ὡς ὁ παῖς περιμένων αὐτὸν ἀπολωλεκὼς εἴη τὸ γραμματεῖον καθεύδων. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 259 adnotavit: „Dormientisne manibus libellus exciderat, expergefactus autem delapsum tollere neglexerat? An genuina lectio fuit καθ' ὁδόν?" Est hoc acutissime excogitatum et tamen fere malim: μεθύων. Non tam violenta mutatio est quam palaeographiae imperitis poterit videri.

§ 24 p. 900: αὐτὸς γὰρ εἰσεπέπρακτο ὑπ' ἐμοῦ [πρὸς ἔχθραν] τὰς χιλίας δραχμάς. Imperite hic interpolatum fuit πρὸς ἔχθραν, nam repugnat § 28 p. 901.

(*Continuabuntur*).

AD ARISTOPHANIS EQUITUM VS. 526.

Quod apud nostrates in proverbio est de homine, qui illum ipsum, quo vehitur, equum quaerat, id in arte critica rarum quidem est, non tamen inauditum. Uno certe loco evenit, quo nullus magis doctorum exercuit acumen. Versus, quem volo, sic traditur:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ.

Iucundissima res est videre quibus modis critici desudarint ut perversum istud ῥεύσας corrigerent. Neque difficile est coniecturarum augere numerum. Emendatio enim ubi *quaeritur*, ῥᾴδιόν ἐστιν ἑλέσθαι τὴν κακότητα. Omnia autem ista conamina prudentissime verissimeque redarguit Leeuwenius, sed cum scribebat:

„infeliciter omnes, *praesentis* enim, non aoristi, sic flagitatur participium, et πλήθων legitur locis epicis, quos noster in mente habuisse videtur"

non sensit vir acutissimus manibus se tenere ipsum illud quo opus esset. Scripsit enim Aristophanes:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος ὃς πολλῷ πλήθων ποτ' ἐπαίνῳ.

At librarius errorem commisit, quem ne diligentissimus quidem homo facile vitaverit, ut trium vocabulorum a litera π incipientium et continua positorum serie unum omitteret. Postea semidoctus quidam lacunam implevit participio parum Attico, certe hinc alieno, sed quod apud scriptores sequiores esset usitatissimum et speciem quandam haberet veritatis.

J. J. HARTMAN.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.



EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO ANTEHAC E. J. BRILL.

INDEX

OBSERVATIONES CRITICAE
AD
DEMOSTHENEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e Vol. XXXI pag.* 452.)

ΠΡΟΣ ΦΟΡΜΙΩΝΑ.

§ 9 p. 909: *τοῦ ναυκλήρου κελεύοντος αὐτὸν κατὰ τὴν συγγραφὴν ἐντίθεσθαι τὰ ἀγοράσματα τῶν ἐμῶν χρημάτων*. Recte sane legitur § 33 p. 915: *καὶ γὰρ ἐνθέσθαι τἀγοράσματα εἰς τὴν ναῦν κελεύει σε*, sed propter Lacrit. § 24 p. 931: *ἀνταγοράζειν χρήματα καὶ ἀντιφορτίζειν καὶ ἀπάγειν Ἀθήναζε τὰ ἀντιφορτισθέντα*, illic malo: *τἀνταγοράσματα τῶν ἐμῶν χρημάτων*.

§ 9 p. 909: *αὐτὸς δὲ ἐφ' ἑτέρας νεὼς ἔφη ἐκπλεύσεσθαι*. Immo: *καταπλεύσεσθαι*, vide v. c. Zenoth. § 11 p. 885: *ἔπραττεν ὅπως ἡ ναῦς μὴ καταπλεύσεται δεῦρο* et § 14 p. 886: *γνόντων Κεφαλλήνων ὅθεν ἐξέπλευσε τὸ πλοῖον, ἐνταῦθα καὶ καταπλεῖν αὐτό*.

§ 10 p. 910: *ἀπώλεσε δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα ἐλεύθερα χωρὶς τῶν ἄλλων*. Sic Blassius locum edidit, de quo multiplices virorum doctorum dubitationes fuerunt. Ac primum omnium sciendum est, *τριάκοντα* fluxisse ex margine Ed. Paris. a. 1570, cum vulgata lectio *τριακόσια* sit, Codex Augustanus

solus habeat διακόσια· accessit autem ἐλεύθερα ex codice Augustano et libro Paris. 2936. Hic Reiskium audiamus: „Addidi", inquit, „ἐλεύθερα. Quod si probatur, referetur τῶν ἄλλων ad σωμάτων tacite subaudiendum: sin minus, necesse erit non σωμάτων, sed φορτίων subaudiri. Etiam in numero corporum variatur. Alii διακόσια dant, alii τριάκοντα, cum quibus facio. Nam incredibile est tercentos vel et ducentos modo liberos homines in una nave mercatoria conclusos fuisse. Qui si tot fuere, consentaneum duplo aut triplo plura fuisse mancipia. Ecquae autem navis mercatoria tot homines capiat, cum maximae quaeque naves bellicae non legantur ultra centum viginti homines cepisse?" Festinanter haec scripsit Reiskius; etenim longae naves plures mortales capiebant quam centum viginti et, quod ad onerarias naves attinet, navis qua vehebatur Paulus Apostolus, Act. Apost. XXVII 37, vehebat homines 276, nec quidquam est cur corruptum numerum esse putemus, etiamsi alii codices capita tantum 76 repraesentent, nam navis qua Flavius Iosephus in Italiam profectus est, Vit. § 15, continebat homines circiter sexcentos. Sed pergit Reiskius sua sibi vineta caedere sibique quodammodo obloquitur: „Mancipia e Ponto magno numero quotannis exportata et quaquaversum divendita olim fuisse, quod idem hodie quoque fit, notum et pervulgatum est." Sed quantum video, Reiskius ante Blassium nemini persuasit et tum Bekkerus, tum G. H. Schäferus vocabulum dubiae fidei ἐλεύθερα ex textu expulerunt. Recte, credo. Quid enim? Erat Λάμπις, § 5 p. 908: Δίωνος οἰκέτης· iam legimus de hoc homine qui ne ingenuus quidem erat ac fortasse libertinus: ἀπώλεσε δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα. Verum de liberis hominibus non usurpavisset orator activam formam, sed neutram: ἀπώλετο δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα. Ipse Lampis ἀπεσώθη ἐν τῷ λέμβῳ μετὰ τῶν ἄλλων παίδων τοῦ Δίωνος· reliqui omnes, pauci credo, ingenui cum mancipiis quae Lampis in Graeciam adducebat, una periere. De ipso numero nil definire ausim, sed placet *maior* numerus hominum ducentum vel tercentum, quum mox legamus πένθος ἐν τῷ Βοσπόρῳ fuisse, ὡς ἐπύθοντο τὴν διαφθορὰν τῆς νεώς. — Restat illud χωρὶς τῶν ἄλλων, quod libenter refinxerim: χωρὶς τῶν ἀγομένων· *praeter mercimonia.*

§ 12 p. 911: *ἀνεκοινώσατο τοῖς νῦν παροῦσιν αὐτῷ καὶ συνδικοῦσιν*. Nonne coll. § 28 p. 915 et § 46 p. 920 praestat *συναδικοῦσιν*?

§ 18 p. 912: *νομίσας αὐτῷ ἀσφαλὲς ἤδη εἶναι [πρὸς διαιτητῇ] μαρτυρεῖν ὅ τι βούλοιτο*. Spurium est quod indicavi; relege totum locum et imprimis § 19: *πρὸς δὲ τῷ διαιτητῇ ἀκινδύνως καὶ ἀναισχύντως μαρτυροῦσιν ὅ τι ἂν βούλωνται*.

§ 35 p. 917: *ἐπειδὴ δὲ τὸ χρυσίον τοὐμὸν ἐμερίσατο, τότ' ἐντὸς εἶναί φησιν αὐτοῦ καὶ πάντ' ἀκριβῶς μνημονεύειν*. Multum praefero: *ἐμερίσαντο*.

ΠΡΟΣ ΛΑΚΡΙΤΟΝ.

§ 2 p. 924: *τεκμήριον δὲ [τούτου]· πολλῶν γὰρ ἀφικνουμένων κτέ*. Nota observatio est, cf. Buttm. ad Mid. § 35, p. 525, al.

§ 8 p. 925: *οὐδὲν ᾔδει οἵοις θηρίοις ἐπλησίαζε [τοῖς ἀνθρώποις τούτοις]*. Ne dubites interpolata delere, cf. c. Phorm. § 52 p. 922: *ἀδικεῖσθαι ὑπὸ τῶν τοιούτων θηρίων*, Macart. § 83 p. 1053, Theocr. § 49 p. 1338, Arist. Lys. 468, Eccl. 1104; nihil attinet cumulare exempla.

§ 19 p. 929: *τὰ δὲ κεράμια τὰ τρισχίλια οὐδ' ἐμέλλησαν [οὐδὲ διενοήθησαν] ἐνθέσθαι εἰς τὸ πλοῖον*. Notabilis hic locus est. Cf. Epistol. IV § 6 p. 1487: immortalibus diis datum est *μηδὲν μηδέποτ' ἐν παντὶ τῷ αἰῶνι μήτε παθεῖν μήτε μελλῆσαι*.

§ 27 p. 932: *ἀλλ' εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς [ἀρξάμενοι] ἐκακοτέχνουν*. Participium abundat, cf. § 39 p. 937.

§ 28 p. 932: *εἰς Φωρῶν δὲ λιμένα ὁρμίζονται, ὅς ἐστιν ἔξω τῶν σημείων τοῦ ὑμετέρου ἐμπορίου· ἔξεστι γὰρ ἀποπλεῖν ἐκ τοῦ λιμένος τούτου ὅποι τις ἂν βούληται καὶ ὁπηνίκ' ἂν δοκῇ αὐτῷ*. Satis haec sunt, sed post *ἐμπορίου* leguntur verba inutiliter interpolata: *καὶ ἔστιν ὅμοιον εἰς Φωρῶν λιμένα ὁρμίσασθαι, ὥσπερ ἂν εἴ τις εἰς Αἴγιναν ἢ εἰς Μέγαρα ὁρμίσαιτο*.

§ 34 p. 934: *οἴνου Κῷα κεράμια περὶ ὀγδοήκοντα.* Dixerim praestare: *οἴνου Κῴου.* Item § 10 p. 926: *ἐπὶ οἴνου κεραμίοις Μενδαίοις τρισχιλίοις* eodem modo corrigendum. Legitur tamen, fateor, Aristoph. Lysistr. 196: *Θάσιον οἴνου σαμνίον.*

§ 34 p. 934: *ἐνθέσθαι Ἀπολλόδωρον εἰς τὴν ναῦν ἐρίων ἀγγεῖον ἓν ἢ δύο.* De lana in superioribus nullus sermo fuit, sed contuli § 32 p. 933: *τό τ' οἰνάριον τὸ Κῷον ὀγδοήκοντα στάμνοι ἐξεστηκότος οἴνου* et suspicatus sum *οἰναρίων* latere. Quarum mercium permutatio fieret in Ponto, si quis forte ignorat, dicet Arnoldus Schäferus *Vit. Dem.* I p. 265.

§ 35 p. 935: *ἐνθυμεῖσθε πρὸς ὑμᾶς αὐτούς, εἴ τινας πώποτ' ἴστε ἢ ἠκούσατε οἶνον Ἀθήναζε ἐκ τοῦ Πόντου κατ' ἐμπορίαν εἰσαγαγόντας, ἄλλως τε καὶ Κῷον.* Hoc quidem recte et perspicue dictum est; sed quam languent ea quae proxime sequuntur: *πᾶς γὰρ δήπου τοὐναντίον εἰς τὸν Πόντον ὁ οἶνος εἰσάγεται ἐκ τῶν τόπων τῶν περὶ ἡμᾶς, ἐκ Πεπαρήθου καὶ Κῶ καὶ Θάσιος καὶ Μενδαῖος καὶ ἐξ ἄλλων πόλεων παντοδαπός· ἐκ δὲ τοῦ Πόντου ἕτερά ἐστιν ἃ εἰσάγεται δεῦρο.* Quasi hoc quisquam Athenis ignorare potuerit. Quid si quis Roterodamenses vel quemvis alium de nostro populo docere vellet ex hisce regionibus caseum quoquoversus exportari, vinum autem importari, non contra.

§ 36 p. 936: *ναυκλήρῳ τινὶ [Φασηλίτῃ] πολίτῃ καὶ ἐπιτηδείῳ ἑαυτοῦ.* Res incurrit in oculos. Item § 55 p. 942: *τὸν ναύκληρον ἐκεῖνον [τὸν Φασηλίτην].*

§ 40 p. 937: *οὐδενὶ πώποτ' ἐφθόνησα [οὐδ' ἐπετίμησα] εἴ τις βούλεται σοφιστὴς εἶναι.* Qui interpretationem adscripsit, locum non rectissime intellexit. Qui hic loquitur foenerator, *nihil curat* si quis velit Isocrati pecuniam pendere: *μαινοίμην γὰρ ἄν,* inquit, *εἴ τι μοι τούτων ἐπιμελὲς εἴη*, nec reprehendit quod toto animo contemnit. Hic mihi Euripidis venit in mentem, cuius fragmentum est paene decantatum:

ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ,
οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι
τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Quaerunt viri docti quid tandem significet ἠρώτησα· Herwerdenus coniecit ἱςόρησα, F. G. Schmidtius ἠπόρησα. Mihi plurimum arridet ἐφθόνησα.

§ 41 p. 938: ἐπαγγελλόμενος παιδεύειν. Lege: παιδεύσειν.

§ 42 p. 938: ἐπαίδευσε τὴν παιδείαν ταύτην ἣν ὑμεῖς αἰσθάνεσθε [πονηρὰν καὶ ἄδικον]. Interpolator pessumdedit loci elegantiam.

§ 42 p. 938: πῶς (γὰρ) ἂν γένοιντο πονηρότεροι ἄνθρωποι. Apertum est excidisse quod supplevi.

§ 43 p. 938: τούτων ὅ τι βούλεται πεισάτω ὑμᾶς καὶ ἔγωγε καὶ αὐτὸς συγχωρῶ σοφώτατον εἶναι τοῦτον. Requiritur futurum: συγχωρήσω.

§ 49 p. 940: ἐγὼ δ' εἰμὶ ἔμπορος καὶ σὺ ἀδελφὸς καὶ κληρονόμος [ἑνὸς τῶν ἐμπόρων] τοῦ λαβόντος παρ' ἡμῶν τὰ ἐμπορικὰ χρήματα. Interpolatio arguitur varia lectione τοῦ ἐμπόρου in codice Augustano.

§ 56 p. 942: τοὺς κακοτεχνοῦντας καὶ σοφιζομένους ὥσπερ οὗτοι [σοφίζονται]. Verbum non addam.

ΥΠΕΡ ΦΟΡΜΙΩΝΟΣ.

§ 3 p. 945: ἐξ ὧν εὖ οἶδ' ὅτι ἥ τε τούτου συκοφαντία φανερὰ γενήσεται καὶ ὡς οὐκ εἰσαγώγιμος ἡ δίκη γνώσεσθε ἅμα ταῦτ' ἀκούσαντες. Haud parum melius intelligam: ὁμοῦ πάντες ἀκούσαντες. Cf. supra ad Androt. § 15 p. 397.

§ 25 p. 952: ἔγραψεν ὁ τὸν νόμον θεὶς ὧν μὴ εἶναι δίκας ὅσα τις ἀφῆκεν ἢ ἀπήλλαξεν, ἃ τῳδὶ γέγονεν ἀμφότερα. Hoc satis est et facile carebimus verbis quae sequuntur: καὶ γὰρ ἀφῆκεν ἢ ἀπήλλαξεν. Legitima verba sunt ἀφιέναι καὶ ἀπαλλάττειν, cf. Pantaenet. § 1 p. 966 et Nausimach. § 5 p. 986.

§ 30 p. 953: ὑμῖν μὲν γὰρ τοῖς γένει πολίταις οὐδὲ ἓν πλῆθος χρημάτων ἀντὶ τοῦ γένους καλόν ἐςιν ἑλέσθαι. Qui hic pro Phormione loquitur, ipse est γένει πολίτης et ἡμῖν longe praeferendum est; deinde convenientius iudicio δέχεσθαι, nam si quid αἱρούμεθα, est libera optio, δεχόμεθα interdum quod nobis invitis obtruditur. Audi quomodo δημοποίητος civis loquatur c. Steph. I § 78 p. 1125.

§ 32 p. 954: ὡμολόγεις κυρίως δόντος τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ κατὰ τοὺς νόμους αὐτὴν γεγαμῆσθαι. Duo vocabula ita coalescant ut oriatur: ὡμολόγηκας. Adverbium κυρίως plane abundat.

§ 34 p. 955: ἐκ τίνος τρόπου πρεσβεῖα λαβὼν τὴν συνοικίαν [κατὰ τὴν διαθήκην] ἔχει, τοῦτ' ἐρωτᾶτ' αὐτόν. Omittendum est quod recte additum invenies § 35: πρεσβεῖα συνοικίαν ἔλαβε κατὰ τὴν διαθήκην.

§ 42 p. 957: τόνδε μὲν ἐν ταῖς ἐσχάταις ἐνδείαις ὁρᾶν. Scripserim equidem: περιορᾶν.

§ 43 p. 957: ἀλλὰ μὴν περί γε τῆς εὐπορίας [ὡς ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ κέκτηται] καὶ ὧν ἐρωτήσειν ἔφησθα, πόθεν τὰ ὄντα κέκτηται Φορμίων, μόνῳ τῶν ὄντων ἀνθρώπων σοὶ τοῦτον οὐκ ἔνες' εἰπεῖν τὸν λόγον. Interpolatis verbis abiectis scribe praeterea: ἔξες' εἰπεῖν.

§ 45 p. 958: σὺ μὲν χλανίδα φορεῖς καὶ τὴν μὲν λέλυσαι, τὴν δ' ἐκδέδωκας ἑταίραν καὶ ταῦτα γυναῖκ' ἔχων [ποιεῖς] καὶ τρεῖς παῖδας ἀκολούθους περιάγεις. Cobetus *Mnem.* 1858 p. 193 luculenter ostendit reponendum esse medium verbum περιάγει idque etiam Blassio probavit. Restat ut inutile illud ποιεῖς eliminemus. Quod ad pedissequos attinet, Midiam conferemus, qui § 158 p. 565 τρεῖς ἀκολούθους ἢ τέτταρας ἔχων διὰ τῆς ἀγορᾶς σοβεῖ. Alios multos locos de eo more attuli ad Isaeum *Mnem.* 1877 p. 404, quibus nunc vix quidquam habeo quod addam. Antiphanis fragmentum est apud Pollucem X 62:

Χλαμύδα καὶ λόγχην ἔχων
ἀξυνακόλουθος, ξηρός, αὐτολήκυθος.

Itaque Cephisodotus ille Dicaeogenis pupillus apud Isaeum non erat profectus ad bellum ἀντ' ἀκολούθου, sed ἄνευ ἀκολούθου.

§ 46 p. 958. Quum de multis privatis orationibus dubitatum sit essentne genuini Demosthenis ingenii foetus nec ne, consenserunt tamen omnes elegantissimam orationem pro Phormione non debere ei eripi; sed quo est ea oratio praestantior, eo minus fero inutile sententiae pondus: ὁ γὰρ αὖ σὸς πατὴρ ἐκείνων ἐγένετο, ὥςε καὶ σὺ καὶ οὗτος ἐκείνου γίγνεσθ' ἐκ τούτου τοῦ λόγου. Iam satis hoc argumentum expositum fuerat in superioribus.

§ 48 p. 959: ἀπηλλάγη τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ οὗτος ἀφ' ὑμῶν. Immo lege: ὑφ' ὑμῶν.

ΠΡΟΣ ΠΑΝΤΑΙΝΕΤΟΝ.

§ 12 p. 970: αἰτιώμενοι πολλῷ πλείονος ἄξια ἔχειν ὧν ἐδεδώκειμεν χρημάτων. Est locus mire impeditus; incidi equidem in ἐδεδανείκειμεν.

§ 18 p. 971: οὐ γὰρ ἂν δήπου τῶν αὐτῶν ἀδικημάτων παρόντων ἀμφοῖν ὁμοίως ἐγκαλῶν, τὸν μὲν εἴασε, τῷδ' ἐδικάζετο. Nec Reiskius nec G. H. Schäferus hunc locum potuerunt expedire et quod Blassius in textum intulit, est ea infelix admodum suspicio. Legendum: παρὸν ἀμφοῖν ὁμοίως ἐγκαλεῖν.

§ 48 p. 980: πεπιςευκότα εἰσιέναι τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' οὐ τοῖς λόγοις καὶ τοῖς συνεςῶσι μεθ' αὐτοῦ [μάρτυσι]. Expunge ultimum vocabulum, coll. § 39 p. 978: περιςήσας [τοὺς μεθ' ἑαυτοῦ] τὸ ἐργαςήριον τῶν συνεςώτων, ubi supervacanea verba iam delevit Dobraeus p. 499.

§ 55 p. 982: οὐ τῶν εὖ πεφυκότων κατὰ ταῦτ' ὧν ἀνθρώπων, οὐδὲ τῶν λυσιτελούντων ἑαυτοῖς. Hic longe melius intelligam: λυσιτελούντως et praeterea scripserim: τῶν εὖ πεφυκότων πρὸς ταῦτα. Nota est harum praepositionum confusio.

§ 56 p. 983: *φύσει μάχεσθαι μὲν ἔχοντ' οὐκ εὔπορόν ἐςι, γνῶναι δ' ἰδόνθ' ἕτερον κἀπιπλῆξαι ῥᾴδιον.* Sine sensu ita editur; sed Athenis homo ingenuus reprehendebatur si forte servuli instar citato gradu per plateas curreret indeque requiro: *φύσει μάχεσθαι μὲν τρέχοντ' οὐκ εὔπορον,* qui forte fortuna senarius est. Habebat hoc Nicobulus: vide § 52 p. 981: *Νικόβουλος ταχέως βαδίζει καὶ μέγα φθέγγεται καὶ βακτηρίαν φορεῖ* et nota reprehensum hoc fuisse etiam in homine quem libertinum fuisse crediderim. Item § 55 p. 982, Evergi verba sunt: *τοιοῦτος ὦ Πανταίνετ' ἐγώ, ὁ ταχὺ βαδίζων καὶ τοιοῦτος σὺ ὁ ἀτρέμας.* Adde c. Steph. I § 77 p. 1124: *ἐγὼ δὲ τῆς μὲν ὄψεως τῇ φύσει καὶ τῷ ταχέως βαδίζειν καὶ λαλεῖν μέγα οὐ τῶν εὐτυχῶς πεφυκότων ἐμαυτὸν κρίνω.* Appellabant hoc quemadmodum nos proprio nomine *πέτεσθαι.* Athen. VI p. 244 D: *Ἄλεξις δ' ἐν Πυραύνῳ Στράτιον τὸν παράσιτον εἰσάγει δυσχεραίνοντα τῷ τρέφοντι καὶ λέγοντα τάδε·*

Ἐμοὶ παρασιτεῖν κρεῖττον ἦν τῷ Πηγάσῳ
ἢ τοῖς Βορεάδαις ἢ εἴ τι θᾶττον ἔτι τρέχει,
ἢ Δημέᾳ Λάχητος Ἐτεοβουτάδῃ·
πέτεται γὰρ οὗτος· οὐ βαδίζει τὰς ὁδούς.

ΠΡΟΣ ΝΑΥΣΙΜΑΧΟΝ.

§ 5 p. 986: *οὕτω τοίνυν (πάλαι) καὶ μετὰ πολλῶν μαρτύρων τῆς ἀφέσεως γεγονυίας.* Vides quid exciderit.

§ 6 p. 986: *καὶ πάντων τῶν πλείςων,* scil. *τετελευτηκότων.* Sunt G. H. Schäfero *plerique omnes* et lectores conferre iubet Xen. Cyrop. VI. 2. 28: *καὶ τὰ ἑφθὰ δὲ πάντα μεθ' ὕδατος τὰ πλεῖςα ἐσκευάςαι,* nec tamen hoc Dobraeo probare potuit qui p. 500 delendum statuit id quod est: *τῶν πλείςων.* Equidem corrigam: *μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον .... καὶ τῆς ἑαυτῶν μητρός .... καὶ διαιτητῶν καὶ μαρτύρων καὶ δικαςῶν τῶν πλείςων, κτέ.*

§ 10 p. 987: *καὶ γὰρ τοῦτον ἔγραψαν εἰς τὸ ἔγκλημα.* Requiro: *προσέγραψαν.*

§ 11 p. 987. Supplendum: *μέγιςοι μὲν οὖν ἡμῖν εἰσιν (αὐτοὶ) οὗτοι μάρτυρες.*

§ 20 p. 990: ταῦτα δὲ πάντες φασὶν μεγάλων δικαίων ἰσχύειν πλέον παρ' ὑμῖν. Scribam: πάντες ἴσασιν, sicuti legitur § 23 p. 991.

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΟΝΟΜΑΤΟΣ.

§ 5 p. 995: πρὶν τὰς εἰς τοὺς δήμους ἐγγραφὰς γενέσθαι ἐλθὼν [εἰς τοὺς δημότας] οὑτοσὶ ἐνέγραψεν ἑαυτόν. Aperta res est; verbum non addam.

§ 17 p. 999: ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν στρατιωτῶν. Lege: κατελθόντων.

§ 23 p. 1001: πολὺ γὰρ (δήπου) μᾶλλον εἰώθασιν. Particula accessit ex Boeot. de dote § 29 p. 1017.

§ 23 p. 1001: οὐ μόνον ἐκ τούτων ἔστιν ἰδεῖν ὅτι ψεύσεται. Malo: ψεύδεται, propter Boeot. de dote § 22 p. 1015. Eadem correctione fortasse utendum Spud. § 25 p. 1035.

§ 26 p. 1002: γάμῳ γεγαμηκὼς τὴν ἐμὴν μητέρα. Nonne νόμῳ?

§ 26 p. 1002: πῶς ἂν ἀργύριον (τοσοῦτον) τοιοῦτος ὢν κατέλιπεν, quae correctio satis se ipsam tuebitur.

§ 29 p. 1003: τὸν δὲ τοῦ δικαίου λόγον ἅπαντες ἐπίστασθε· ἔστι δὲ οὗτος τίς; ἀφ' οὗ παῖδας ἐποιήσατο τούτους ὁ πατήρ, ἀπὸ τούτου καὶ νομίζεσθαι. Dixerim scribendum esse ὀνομάζεσθαι. Crebra est horum verborum confusio.

§ 39 p. 1006: τούτῳ μὲν Βοιωτὸν, ἐμοὶ δὲ Μαντίθεον θέμενον. Inseram quod facile excidere potuit (ὄνομα) θέμενον.

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΠΡΟΙΚΟΣ.

§ 9 p. 1010: καὶ οὕτως οὐ πάντα γε ἦν ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας κεκρατημένος. Nemo sanus ita loquitur; requiro: ἀλλ' ὅμως οὐ πάνυ γέ τι ἦν vel simile quid.

§ 16 p. 1013: *παραγραψάμενοι Σόλωνα Ἐρχιέα διαιτητὴν τούτῳ ἐπετρέψαμεν δικάσαι περὶ ὧν ἐνεκαλοῦμεν ἀλλήλοις.* Improprie verbum *δικάσαι* de arbitro hic usurpatur et § 43 p. 1021 habemus locutionem *δίαιταν ἐπιτρέπειν·* hinc coniicio: *Σόλωνα Ἐρχιέα παραγραψάμενοι δίαιταν τούτῳ ἐπετρέψαμεν,* expuncto verbo *δικάσαι.*

§ 28 p. 1017: *περὶ τούτου μόνον Τιμοκράτους καὶ Προμάχου ἐμβέβληται μαρτυρίας, κτέ.* Solemnis est corruptela pro: *περὶ τούτου μέν,* ut deinde recte sequatur: *οὕτω δὲ Φανερῶς, κτέ.*

§ 35 p. 1019: *κακά μοι (μυρία) παρέχων ἠνάγκασέ με λαχεῖν αὐτῷ δίκην.* Palam est quid exciderit.

§ 48 p. 1022: *ὅμως ὑμᾶς αἰσχύνομαι λέγειν περὶ ἐκείνης τι Φλαῦρον,* Dobraeus commendavit (*πρὸς*) *ὑμᾶς*, equidem post *ὅμως* pronomen delere malim. Contra Mid. § 167 p. 568: *σύνιςε μὲν τὰ πολλὰ τούτων, ὅμως δὲ καὶ μάρτυρας ὑμῖν καλῶ,* Blassius recte intellexit, quam facile ante *ὅμως* excidere potuerit pronomen *ὑμεῖς*. Haud dissimili de causa Olynth. III § 3 14 p. 32: *ἂν μὴ προσγένηται τὸ ποιεῖν ἐθέλειν τὰ δόξαντα προθύμως [ὑμᾶς],* Cobetus et Blassius viderunt post adverbium *προθύμως* expungendum esse *ὑμᾶς*. Vide quoque Olynth. I § 1 p. 9.

§ 54 p. 1024: *ὑμῶν εἰδότων ὃν τρόπον [ἀναγκασθεὶς] ὁ πατήρ μου ἐποιήσατο τούτους.* Molestum participium est.

§ 58 p. 1025: *πρῶτον μὲν οὐχ οὕτω [μετρίως] ζῇ Κρίτων ὥςε παρ' ἑτέρου οἰκίαν ὠνεῖσθαι.* Adverbium turpiter abundat.

§ 59 p. 1026: *ἄλλος μὲν οὐδεὶς αὐτῷ παραγενέσθαι μεμαρτύρηκε, Τιμοκράτης δὲ μόνος (ὃς) ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς μαρτυρεῖ μὲν δεκάτην ἑςιᾶσαι τούτῳ τὸν ἐμὸν πατέρα, κτέ.* Inserto pronomine relativo sententia aptius decurret.

ΠΡΟΣ ΣΠΟΥΔΙΑΝ.

§ 4 p. 1029: *διαφορᾶς γενομένης τῷ Πολυεύκτῳ πρὸς τὸν Λεωκράτη περὶ ἧς οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν.* Scribam: *εἴ τι δεῖ*

λέγειν. Rem novit quidem, sed mavult tacere de dissensionibus, quae ad praesentem causam nihil pertinent.

§ 11 p. 1031: σκηνὴν δ' ἣν ἔχουσι, οὐδέ γε ταύτην λαβόντες ἀναφέρουσιν. Ex contextu satis apparet de mundo muliebri hic sermonem fieri, sed quid tandem σκηνή proprie est? Audiamus Harpocrationem: ἔοικε δὲ σκεῦός τι εἶναι, ὅπερ οἱ μὲν κόσμον τινὰ γυναικεῖον εἶναί φασιν, οἱ δὲ σκιάδειον. Mihi crede: Harpocration non magis norat quid esset σκηνή, quam tu vel ego: invenerat sane in suo codice eam ipsam lectionem σκηνήν· verum quid hoc ad rem? Si id forte nescias, Cobetus tibi in *Collectaneis* demonstrare poterit quam frequenter lexicographus se decipi passus sit vitiosis et malesanis lectionibus. Ille est verbi causa grammaticus, qui quum apud Dinarchum offendisset: ἐμπεπηδηκότων τῶν ῥητόρων ὥσπερ ἀπρότων εἰς τὸ ἐμπόριον, ridiculam coniecturam periclitatus est neque agnovit verissimum esse παρνόπων, quod in aliis libris invenisset. Sed quid cesso veram scripturam expromere quam vix assequor quomodo ad hunc diem latere potuerit. Inter mundum muliebrem vestis primum locum obtinet. Hanc quomodo generali nomine Graeci appellant? Σκευήν, opinor, et id ipsum Demostheni reddendum. Οὐκ ἀνενήνοχε Spudias φιάλην, χρυσία, σκευήν denique; rem confirmabit argumenti auctor; etenim actor ἐπιδείκνυσιν ὡς Σπουδίας ψεύδεται· τὰς μὲν γὰρ τριάκοντα μνᾶς αὐτὸν ἐν ἀργύρῳ φησὶ λαβεῖν· τὰς δὲ δέκα ἐν ἱματίοις καὶ χρυσίοις, ἃ καὶ πλείονος ἢ δέκα μνῶν εἶναι ἄξια. Nempe haec sunt petita ex § 27 p. 1036. Itidem conferre poteris Olympiod. § 55 p. 1182 et Neaer. § 35 p. 1356 et § 46 p. 1360.

§ 12 p. 1031: πρὸς μὲν ταῦτ' οὐδὲν ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲ γὰρ ἕξει. Duo vocabula sedem permutanto: οὐδ' ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲν γὰρ ἕξει.

ΠΡΟΣ ΦΑΙΝΙΠΠΟΝ.

§ 4 p. 1040: τὸ διευτυχεῖν συνεχῶς τῇ οὐσίᾳ οὐ πολλοῖς τῶν πολιτῶν [διαμένειν] εἴθισται. Decantata sententia est, sed qui tuentur illud διαμένειν non videntur reputasse quid inter εὐτυ-

χεῖν et διευτυχεῖν intersit. Reiskius malebat παραμένειν, sed etiamsi G. H. Schäfero haec crisis „fastidiosior" videatur, non satis est corrigere quod una litura sanandum.

§ 28 p. 1047: Παμφίλῳ φησὶ τάλαντον ἐνοφείλειν. Restituendum est quod ante Bekkerum edebatur ἐν ὀφείλειν. Quid sit ἐνοφείλειν et per se apparet et effici poterit ex Nicostr. § 10 p. 1249.

ΠΡΟΣ ΜΑΚΑΡΤΑΤΟΝ.

Summa est in hac oratione verbositas et sunt quae sine fine identidem repetantur, imprimis de gradibus quibus diversae in hoc dramate personae inter se cognatae sint. Iam Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 349 complura exempla attulit et nimium facile foret locorum numerum augere omniaque inutilia supplementa ex textu expungere; verum quid prodest? cum praesertim non intelligamus cur stulta interpolatoris manus hic potissimum grassata sit.

§ 8 p. 1052: ἐπειδὴ ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον. Usus postulat εἰσῆγεν.

§ 10 p. 1052: αἱ ψῆφοι ὀλίγαις πάνυ ἐγένοντο πλείους, ἢ τρισὶν ἢ τέτταρσιν, ἐν τῷ Θεοπόμπου καδίσκῳ. Expungendum est prius ἤ· omnino satis τρισὶν ἢ τέτταρσιν. Contra eadem vocula inserenda est Prooem. 50 p. 1457: ὅπως μὴ (ἢ) τὰ ἢ τὰ γενήσεται ἀλλ' ὅπως τά. — Obiter illic observa articuli usum et confer Mid. § 141 p. 560: τὰ καὶ τὰ πεπονθώς, Philipp. III § 68 p. 128: ἔδει γὰρ τὸ καὶ τὸ ποιῆσαι. Coron. § 243 p. 308: εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν. Fals. Leg. § 74 p. 364: διὰ τὸ καὶ τὸ ἐσώθησαν ἂν οἱ Φωκεῖς. Eubulid. § 29 p. 1307: βιοὺς ἔτη τόσα καὶ τόσα.

§ 14 p. 1054. Hic facere non possum quin locum paulo longiorem fere integrum describam: οἱ φράτερες οἱ τουτουὶ Μακαρτάτου οἱ ἄριστα εἰδότες περὶ τοῦ γένους, ὁρῶντες αὐτὸν μὲν τοῦτον οὐ θέλοντα κινδυνεύειν οὐδ' ἀπάγοντα τὸ ἱερεῖον ἀπὸ τοῦ

βωμοῦ, εἰ μὴ προσηκόντως εἰσήγετο ὁ παῖς οὑτοσί, αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν, λαβόντες τὴν ψῆφον, καομένων τῶν ἱερείων, ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέροντες τοῦ Διὸς τοῦ Φρατρίου, παρόντος τουτουὶ Μακαρτάτου, ἐψηφίσαντο τὰ δίκαια ὀρθῶς καὶ προσηκόντως τὸν παῖδα τουτονὶ εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱόν. Primum leve est corrigere: *οἱ ἄριστ' ἂν εἰδότες·* sed quid est hoc quod Macartatus dicitur egisse ut *οἱ φράτερες* peierarent. Quantum novi, nemo hucusque expedire potuit illa: *αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν.* Audiamus G. H. Schäferum: „Amarus sarcasmus. Periurii terriculamento Macartatus volebat pervincere ut phratores puero ne suffragarentur." Speciem hoc haberet, nisi Macartatus ipse periurium nihil veritus, suffragio suo confirmasset idem quod reliqui omnes: diserta verba sunt § 82 p. 1078: *οὑτοσὶ δὲ Μακάρτατος φανερᾷ τῇ ψήφῳ ἐψηφίσατο ὀρθῶς εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱὸν τὸν παῖδα.* Commendare ausim: *οἱ φράτερες .... ὁρῶντες αὐτὸν .... οὐ θέλοντα κινδυνεύειν, ... οὐδ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν,* Macartati exemplum secuti sunt.

§ 28 p. 1058. Aliquid excidit: *τοῦτο γάρ ἐστιν ᾧ (πρότερον) παρεκρούσατο ὁ τουτουὶ πατήρ.*

§ 67 p. 1073. Notabilis est constructio: *πολὺν χρόνον ἐχόντων ἑαυτῶν τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται.* Hic equidem quid statuam omnino non habeo.

§ 69 p. 1073: *ὃ γὰρ ἦν πλείστου ἄξιον ἐν τοῖς χωρίοις τοῖς Ἁγνίου, ... αἱ ἐλᾶαι, ταύτας ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον, πλεῖν ἢ χίλια στελέχη, ὅθεν ἔλαιον πολὺ ἐγίγνετο, ταύτας οὗτοι ἀπέδοντο ἐκπρεμνίσαντες καὶ ἀργύριον ὑπέρπολυ ἔλαβον.* Elumbis oratio est et verbum *ἐκπρεμνίζειν* nimis brevi intervallo inutiliter iteratur. Est locus in *Anecd. Bk.* p. 293. 21: *πρεμνίζειν τὸ καταβάλλειν τὰ πρέμνα, τουτέστι τὰ στελέχη καὶ τὰ μεγάλα ξύλα,* cuius ope poterimus Photium corrigere apud quem in v. minus bene legitur: *τουτέστι τὰ παχέα καὶ μεγάλα ξύλα.* Sed magis ad rem pertinet Harpocrationis glossa: *ἐξεπρέμνιζον· ἀντὶ τοῦ κατέβαλλον τὰ πρέμνα, τουτέστι μέχρι ῥιζῶν τὰ στελέχη.* Consequitur Harpocrationem eandem in suo codice habuisse lectionem quam nos quoque habemus, nec tamen quid-

quam impedit, quominus spuria credamus esse verba: *ταύτας ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον*· sententia sic multo aptius decurret.

§ 72 p. 1074: *ὑμῶν, πόλεως τηλικαυτησί, κατεφρόνησαν.* Supplendum: (*οὑτωσὶ*) *κατεφρόνησαν*, uti mox et § 78 p. 1077.

§ 72 p. 1075. Itidem aliquid excidit: *ὁ δὲ νόμος ἀπαγορεύει μηδὲν τούτων ποιεῖν,* (*ἀλλὰ*) *πολύ γε αὐτοῖς μέλει.*

§ 73 p. 1075: *ἐπιμέλειαν ἐποιησάμην τοῦ οἴκου τοῦ Ἁγνίου* [*ὅπως μὴ ἐξερημωθήσεται*]. Uncinis inclusi, quae ex proxime praecedentibus perperam iterata sunt.

§ 78 p. 1077: *πῶς ἂν* (*οὖν*) *γένοιντο τούτων ἄνθρωποι παρανομώτεροι;* Reiskius particulam rectissime inseruit; esse miror qui dubitent.

ΠΡΟΣ ΛΕΩΧΑΡΗ.

§ 4 p. 1081. Leocharis pater praeco est: *διατελεῖ γὰρ ἐν Πειραιεῖ κηρύττων· τοῦτο δ' ἐςὶν οὐ μόνον ἀπορίας ἀνθρωπίνης τεκμήριον, ἀλλὰ καὶ ἀσχολίας τῆς εἰς τὸ πραγματεύεσθαι.* Deinde additur: *ἀνάγκη γὰρ ἡμερεύειν ἐν τἀγορᾷ τὸν τοιοῦτον.* Est haec fortasse lectoris inutilis adnotatiuncula, sed, utut hoc est, praestare dixerim: *διημερεύειν,* quod a codicibus aliquid commendationis videtur habere.

§ 6 p. 1082: *κατὰ τὴν ἀγχιςείαν γνήσιοι ὄντες δικαίως ἂν οὐσίας κληρονομοῖεν.* Sine sensu ita editur: scripserim: *γένει προσήκοντες* vel simile quid.

§ 21 p. 1087: *οὐδ' ἐνταῦθ' οὐδέπω ἡμεῖς οὐδὲν τῶν πραγμάτων περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν.* Reiskius requirebat: *τῶν πραγμάτων* (*τῶν*) *περί,* Blassius autem deletum mavult id quod est *πραγμάτων.* Equidem scribam: *οὐδὲν τὸ παράπαν περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν.*

§ 27 p. 1089: *τί σὺ ἐλαττοῖ τοῦ μηδενὸς ἡμῶν κληρονομησάντων.* Praefero: *κληρονομησόντων.* Similiter Timoth. § 46 p. 1198: *ὁπότε παρὰ τούτου κομιεῖσθαι ἔμελλεν εὐπορήσαντος* et § 64 p. 1203: *ἡγεῖτο παρὰ σοῦ λήψεσθαι εὐπορήσαντος,* futurum placet.

§ 29 p. 1089: *τοῦ τελευταίου ἐγκαταλειφθέντος τούτου ἄπαιδος τετελευτηκότος.* Immo *τρίτου* legendum est et cf. § 61 p. 1098.

§ 31 p. 1090: *τὸ ἁπλοῦν* (*καὶ*) *δίκαιον περὶ τῆς κληρονομίας οὕτως ἔχει.* Coniunctionem inserui coll. Steph. I § 45 p. 1115.

§ 38 p. 1092: *τοῦτον οὐκ* (*ἂν*) *οἴεσθε τοῦ κλήρου παρὰ τοὺς νόμους ἀμφισβητεῖν;* In vulgata particula deest, quam addidi. Similiter Steph. I § 13 p. 1105: *ἐθελήσαντος μὲν γὰρ ὑπεύθυνον* (*ἂν*) *ἐλάμβανον, εἰ δ' ἔφευγε, πάλιν* (*ἂν*) *αὐτὸ τοῦθ' ἱκανὸν τεκμήριον ἦν.*

§ 66 p. 1100: *δικαίως γὰρ ὁ νομοθέτης ὥσπερ καὶ τὰς ἀτυχίας τῶν οἰκείων καὶ ἐκδόσεις τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγυτάτω γένους προσέταττε ποιεῖσθαι, οὕτως καὶ τὰς κληρονομίας καὶ τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν τοῖς αὐτοῖς ἀποδέδωκεν.* Haec atra nocte premuntur, sed clara lux oborietur, si mecum correxeris: *πρὸς τὰς ἀτυχίας* et notum *καὶ* et *πρός* sexcenties confundi. Minime mihi persuasit Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 350.

ΚΑΤΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ Α.

§ 4 p. 1102: *οὐ γὰρ ἦσαν ἐν τῷ τότε καιρῷ δίκαι, ἀλλ'* (*ἀεὶ*) *ἀνεβάλλεσθε ὑμεῖς διὰ τὸν κίνδυνον.* Vides quid exciderit.

§ 8 p. 1103: *λαβὲ δ' αὐτὴν τὴν μαρτυρίαν καὶ ἀνάγνωθί μοι, ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω. λέγε· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ.* Hoc quidem vitiose dictum est; corrige: *ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω ἃ λέγω· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ.*

§ 21 p. 1107: *κληρονόμος ὢν καὶ ταύτης* (scil. *τῆς διαθήκης*), *εἴπερ ἦν τοὐμοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων πατρῴων ὁμοίως*. Incommode hoc dictum est; coniicio: *ὡς τῶν ἄλλων πατρῴων* et sic *ὁμοίως* sponte excidet.

§ 61 p. 1119: *οὐκ ἄδηλον ἦν ὅτι τοῦτ' ἔμελλον ποιήσειν προθύμως* [*ἑξομεῖσθαι*]. Est in paucis manifesta interpolatio.

§ 74 p. 1124: *ἢ τὰ καταχύσματα αὐτοῦ κατέχεε* [*τόθ' ἡνίκ' ἐωνήθη*]. De eo more haud pauca Valckenaerius congessit ad Ammonium p. 124; sed quo ille mos notior est, eo evidentius inutile emblema poterimus eiicere.

§ 74 p. 1124: *χωρὶς ὧν οὗτος ἐγκρατὴς γέγονε* [*πολλῶν χρημάτων*]. Sed totus locus considerandus est.

§ 78 p. 1125: *λῃτουργεῖν ὡς οἱ νόμοι προστάττουσι*. L.: *ὅσ' οἱ νόμοι*.

§ 79 p. 115: *οὐχὶ τοῦ τάφου μνημεῖον ἔςαι τὸ οἰκοδόμημα τοιοῦτον ὄν*. Insane magnum erat monumentum, cui Phormio duo talenta impenderat; itaque malo: *τοσοῦτον*.

§ 83 p. 1126: *τάχα τοίνυν ἂν ἴσως καὶ τοῦτό τις αὐτῶν εἴποι*. Abundat *αὐτῶν*· latet *ἀντείποι*.

§ 84 p. 1127: *ἐγὼ γὰρ ὁμομήτριον μὲν ἀδελφὸν ἐμαυτοῦ Πασικλέα νομίζω, ὁμοπάτριον δ' οὐκ* [*οἶδα*]. Ultimum vocabulum valde molestum est.

ΚΑΤΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ Β.

§ 6 p. 1130: *οἱ δὲ νόμοι οὐ ταῦτα λέγουσιν ἀλλὰ ... ταῦτα μαρτυρεῖν* [*κελεύουσιν*] *ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα*. Est hoc solemne vitium.

§ 16 p. 1133. Hic locus mire me torsit et dubitationes meas exscribam non ut doceam, sed ut lectorum iudicia eliciam. Sermo est de iure testamentum faciendi: *οὐδ' ἂν ἄπαις τις ᾖ*,

κύριός ἐςι τὰ αὑτοῦ διαθέσθαι, ἐὰν μὴ εὖ Φρονῇ· νοσοῦντα δὲ ἢ Φαρμακῶντα ἢ γυναικὶ πειθόμενον ἢ ὑπὸ γήρως ἢ ὑπὸ μανιῶν ἢ ὑπ' ἀνάγκης τινὸς καταληΦθέντα ἄκυρον κελεύουσιν εἶναι οἱ νόμοι. Hic primum coepi mirari pluralem numerum eius quod est *μανία*, nam quamvis crebro inveniatur apud poetas, de quo usu Leeuwenius dixit ad Arist. Nub. 832, dixerim in soluta oratione unice locum esse numero singulari. Deinde contuli ipsa verba legis quae § 14 afferuntur, quibus conceditur testamenti factio quomodo quisque voluerit, *ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρως ἢ Φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκα ἢ γυναικὶ πειθόμενος, ὑπὸ τούτων του παρανοῶν ἢ ὑπ' ἀνάγκης ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληΦθείς.* Hic quum in ipsa oratione habeamus participium *Φαρμακῶντα*, dixeris itidem in lege mutato accentu scribendum esse *Φαρμακῶν*. Grammatici verbum interpretantur et ante omnes Harpocration: *Φαρμακῶντα· Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ ΣτεΦάνου· ἐςι δὲ Φαρμακῶν ὁ ὑπὸ Φαρμάκων βεβλαμμένος, ὡς καὶ ΘεόΦραςος ἐν ιε'* Νόμων *ὑποσημαίνει.* Usurpavit Lucianus Lexiphan. 4: *τὰ ὄμματά μου Φαρμακᾷ* et Plutarchus Moral. p. 1016 E: *τοιαῦτα γὰρ ἄντικρυς Φαρμακῶντός ἐςιν* et p. 1123 F: *οὐ κραιπαλῶντες οὐδὲ Φαρμακῶντες ἄνθρωποι καὶ παρακόπτοντες.* Etiam Reiskius in lege malebat *Φαρμακῶν* scribere. Verum hoc neutiquam probare poterimus, nisi itidem corrigamus *γηρῶν* vel fortasse formam *γηράς* pro *γήρως*. Satis raro invenitur verbum *γηρᾶν*, sed certum usum habet, veluti Xen. Cyrop. IV. 1. § 15 et quod ad priscam ac poeticam formam *γηράναι* attinet, satis est ad Cobetum provocare in *Mnem.* 1862 p. 124. Verum pergamus considerare ipsius legis verba: *ἂν μὴ μανιῶν ἢ γηρῶν ἢ Φαρμακῶν*, nunc necessario *μανιῶν* participium factum est. Exstatne autem verbum *μανιᾶν*? Exstat; vide modo Ioseph. Bell. Iudaic. I § 150: *τὰ περὶ τὸ τεῖχος ἔνιοι μανιῶντες ἐν ταῖς ἀμηχανίαις ὑπέπρησαν.* Iam Aristotelem conferamus *ἐν τῇ 'Αθηναίων πολιτείᾳ* col. XVI: *περὶ τοῦ δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ ᾧ ἂν ἐθέλῃ κύριον ποιήσαντες καθάπαξ, τὰς δὲ προσούσας δυσκολίας εαν μη μανιων η γηρων η γυναικι πιθομενος ἀΦεῖλον.* Sit hic locus lacunosus et vitiosus, quemadmum Batavi editores cum multis aliis asseverant; equidem hoc nunc mitto quaerere; illud tantum notabimus in vetusta papyro *γηρων* legi non *γηρως* et vix poterimus dubitare quin

secundum Aristotelem legitima verba fuerint: *ἐὰν μὴ μανιῶν ἢ γηρῶν ἢ γυναικὶ πιθόμενος*, nam non opus habuit integra verba praestare, quae partim certe nobis servata sunt in lege apud Demosthenem. Ipsius oratoris verba graviter corrupta sunt et fieri sane potest ut ipse in interpretando erraverit, sicuti etiam Hyperidem suspicor erravisse Athenog. 17.

ΚΑΤ' ΕΥΕΡΓΟΥ ΚΑΙ ΜΝΗΣΙΒΟΥΛΟΥ.

§ 1 p. 1139: *ἐπισκηψάμενος ταῖς μαρτυρίαις ὁ ἀδικηθεὶς [καὶ] εἰσελθών*. Vulgaris hic error est.

§ 4 p. 1140: *μάλιςα μὲν οὖν ἂν ἠβουλόμην μὴ ἔχειν πράγματα·* hoc recte, deinde sequitur: *εἰ δ' οὖν ἀναγκάζοι τις, πρὸς τοιούτους ἡδύ ἐςιν εἰσιέναι*. Nullus hic locus particulae *οὖν·* dicendum fuit: *εἰ δ' ἄρα ἀναγκάζοι*, cf. v. c. Olympiod. § 30 p. 1175: *ἐὰν δ' ἄρα ἀποτύχῃ*, § 58 p. 1183: *ἐὰν δ' ἄρα μὴ θέλῃ πείθεσθαι*, Callipp. § 10 p. 1239: *εἰ δ' ἄρα ἀπείληφε*, alibi. Videor meminisse me etiam alibi eandem videre illarum particularum confusionem.

§ 5 p. 1140: *οὐκ ἠθελήκασι παραδιδόναι τὴν ἄνθρωπον, ἣν μεμαρτυρήκασι προσκαλέσασθαι πρὸς τῷ διαιτητῇ παραδιδόναι [ἕτοιμον εἶναι] Θεόφημον*. Duo vocabula supervacanea esse, multi loci ostendere poterunt, v. c. § 6 p. 1140: *Θεόφημος δὲ προυκαλέσατο παραδοῦναι* vel § 35 p. 1149: *ταύτην ἣν μεμαρτυρήκασιν οὗτοι προκαλέσασθαι Θεόφημον παραδοῦναι*. Infinitae sunt in hac oratione repetitiones idemque alio modo dictum est § 47 p. 1153: *ἐμαρτύρησαν ἐθέλειν παραδιδόναι τὸν Θεόφημον τὴν ἄνθρωπον* et § 78 p. 1163: *ἐμαρτύρησαν ὡς οὗτος ἤθελε παραδιδόναι*. Item § 17 p. 1144: *ἔδει αὐτὸν μάρτυρας ποιεῖσθαι ὡς ἕτοιμός ἐςι παραδιδόναι*. Hinc § 11 p. 1142: *προκαλεσαμένῳ [καὶ ἀξιοῦντι] παραλαβεῖν τὴν ἄνθρωπον οὐδεὶς παρεδίδου*, expungenda sunt verba quae notavi. et in iis quae brevi post sequuntur molesta coniunctio abundat: *εἴπερ ἀληθῆ ἦν ἅ φασι προκαλέσασθαι τὸν Θεόφημον [καὶ] παραδιδόναι τὸ σῶμα τῆς ἀνθρώπου*. Contuli quoque Zenothem. § 18 p. 887: *προυκαλεῖτο ὁ Πρῶτος αὐτὸν καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τὴν τῶν Συρακοσίων, κἂν μὲν ἐωνημένος τὸν σῖτον ἐκεῖνος φαίνηται, ... τοῦτον πονηρὸν ὄντα [ἠξιοῦμεν] ζημιοῦσθαι, εἰ*

δὲ μὴ καὶ τὰ διάφορα ἀπολαβεῖν, ubi vides quid suadeam. Deinde Nicostr. § 22 p. 1253: οὗτοι μὲν γάρ με προὐκαλέσαντο [φάσκοντες ἕτοιμοι εἶναι] παραδιδόναι ἐμοὶ αὐτῷ τἀνδράποδα βασανίσαι, dele insiticia verba et praeterea corrige: αὐτὰ τἀνδράποδα.

§ 16 p. 1144: ἔστιν ὅπου τὴν ἄνθρωπον εἰσήγαγες πρὸς τὸ δικαστήριον; Immo restituenda est praepositio εἰς.

§ 20 p. 1145: ἔτυχεν ἐκπλεουσῶν τριήρων καὶ βοήθεια ἀποστελλομένη διὰ τάχους. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 352 coniunctionem delere voluit; equidem malo: προσβοήθεια. Alia de hoc loco Cobetus observavit *Mnem.* 1856 p. 383.

§ 28 p. 1147: οὐδ' ἀπεγράψατο διαδικασίαν πρὸς οὐδένα [εἴ (τίς) τινά φησιν ἕτερον ἔχειν τὰ σκεύη καὶ μὴ προσήκειν αὐτῷ ἀποδοῦναι]. Insere τις et dele lectoris inutilem adnotatiunculam.

§ 31 p. 1148: δεινὴ γὰρ ἡ πλεονεξία τοῦ τρόπου. In fine supplendum αὐτοῦ. Item § 33 p. 1149: ἀκούων τὸν Θεόφημον τῶν πεπλησιακότων (αὐτῷ) οἷος εἴη.

§ 43 p. 1152: δεομένων τούτων ἁπάντων καὶ ἱκετευόντων καὶ τίν' οὐ προσπεμπόντων. Lege: εἰσπεμπόντων.

§ 73 p. 1161: εἰ εὖ ᾔδειν ὅτι αἱρήσομαι αὐτούς. Iam Reiskius et post Reiskium Cobetus *Mnem.* 1856 p. 414 correxerunt αἱρήσοιμι. Nondum correctum fuit Boeot. de nom. § 1 p. 995: ἀναγκαῖον ἦν ἐκ τῶν συμβησομένων εἰ μὴ τοῦτο διορθώσομαι, ubi necessarium est διορθώσοιμι.

ΚΑΤ' ΟΛΥΜΠΙΟΔΩΡΟΥ.

§ 1 p. 1167: ἄλλως τε καὶ ὑφ' ὧν ἥκιστα προσήκει [ἀδικεῖσθαι]. Vide modo Cobetum *Mnem.* 1858 p. 45.

§ 4 p. 1168. Incredibile dictu quoties in hac oratione Olympiodori nomen prorsus inutiliter adscriptum sit. Recte, omisso

proprio nomine, semel tantum editur § 24 p. 1174: *αὕτη καλλίστη ἀναβολὴ δημοσίᾳ τούτου ἀποδημοῦντος στρατευομένου·* deleas modo postremum vocabulum.

§ 10 p. 1170: *εἰ δή τις ἄλλος ἠβούλετ' ἀμφισβητεῖν (ὃ ν) οὐκ ἐνῆν ἡμῖν κωλύειν.* Relege totum locum et senties quam sit necessarium intercalare pronomen relativum.

§ 12 p. 1170. Memorantur *ἀνδράποδα οἱ σακχυφάνται* et seq. § 13: *οὗτος εἵλετο τοὺς φαρμακοτρίβας καὶ τὴν οἰκίσκην· ἐγὼ δ' ἔλαβον τοὺς σακχυφάντας καὶ τὴν οἰκίαν.* Hic primum quaeritur quinam illi sint et Photius respondebit v. *Σακυφάνται* (sed codex habet *σακηφάνται*)· *οἱ πλέκοντες τοὺς γυργάθους καὶ τῶν λινοῦφων οἱ τοὺς σάκους ὑφαίνοντες.* Convenit locus in *Anecd. Bk.* p. 302. 23 praeterquam quod Codex *σάκους* habet, non *σάκκους*, eamque formam in Attica utique dialecto commendat Phrynichus Ecl. p. 257. Qui sint *οἱ σακυφάνται* Pollux dicet X 192, cui iidem sunt qui etiam *κεκρυφαλοπλόκοι* dicuntur: *ὅταν Δημοσθένης*, inquit, *εἴπῃ σακυφάντας, τοὺς πλέκοντας ταῖς γυναιξὶ τοὺς κεκρυφάλους ἀκούουσιν* et Critias ap. Polluc. VII 179 *κεκρυφαλοπλόκον* appellavit. Blümnero *Technolog.* p. 291 sunt *die Kopfnetze und ähnlichen Frauenputz flechten.* Tantum non semper *σάκκος* scribitur, sed forma *σάκος* etiam poetarum testimonio confirmatur, veluti Aristophanis Acharn. 822. Est etiam interdum in bonis codicibus aliquid praesidii, veluti Xen. Anab. IV 5. 36: *διδάσκει ὁ κωμάρχης περὶ τοὺς πόδας τῶν ἵππων καὶ τῶν ὑποζυγίων σακία περιειλεῖν, ὅταν διὰ τῆς χιόνος ἄγωσιν· ἄνευ γὰρ τῶν σακίων κατεδύοντο μέχρι τῆς γαστρός.* Itaque genus discrimen faciebat inter *τὸ σάκος scutum* et *τὸν σάκον, saccum* et *σακυφάνται* rectius dicuntur quam *σακχυφάνται*, sed plane inaudita forma est *σαχυφάνται.* Soli Dorienses *σάκκον* nominabant, cf. Phrynichum et Anon. Pythagoreum in Galei *Opusc. Mythol.* p. 725, ubi primum componuntur *Γλαῦκος* et *γλαυκός*, *Ξάνθος* et *ξανθός*, *Ξοῦθος* et *ξουθός*, deinde pergit: *ταῦτα μὲν τὰν ἁρμονίαν ἀλλάξαντα διήνεικαν. τὰ δὲ μακρῶς καὶ βραχυτέρως ῥηθέντα Τύρος καὶ τυρός, σάκκος καὶ σάκος.* Hic igitur solus docere videtur Dorienses saccum *τὸν σᾶκον* appellavisse, sed perparum id nostra interest scire.

§ 24 p. 1174: ᾤχετο μετὰ τῶν ἄλλων *στρατευόμενος*. Repono: *στρατευσόμενος*.

§ 32 p. 1176: καὶ αἱ συνθῆκαι αὗται ἔτι καὶ νυνὶ κεῖνται παρὰ τῷ Ἀνδροκλείδῃ, *καὶ* μεμαρτύρηκεν αὐτὸς πρὸς ὑμᾶς. Lege: *ὡς* μεμαρτύρηκεν. Frequens hoc vitium est.

§ 44 p. 1179: οὐδ' ἤκουσέ μου φωνὴν οὐδεὶς ἀνθρώπων ὅτε οὗτος ἠγωνίζετο, οὔτε μικρὰν οὔτε μεγάλην, ἀλλὰ προσωμολόγουν ἀληθῆ εἶναι πάντα ὅσα οὗτος ἠβούλετο. Hiccine licebit severum studium relaxare et aliquando exporrigere frontem? Licebit, uti spero. Tota hac oratione perlecta, postquam fraudes intellexit quibus uterque est usus et petitor et is unde petitur, Hieronymus Wolfius ad Orationis Argumentum indignabundus exclamat: „O miram impudentiam hominis, qui suam improbitatem confiteri non erubescat, et dissolutionem iudicum, si talia scelera ulti non sunt." Amamus et diligimus Wolfii candorem, qui dum multiplices illas fraudes expendebat, excanduit ira et indignatione; sed quid G. H. Schäfero facias, qui rei turpitudinem ita excusat: „Non laudandum facinus, sed cui prisci illi homines δόλους καὶ ἀπάτας alio quam nos modulo metientes veniam facile darent." Si veterum literarum osores haec curarent legere, nae illi inde peterent haud contemnendum argumentum ut demonstrarent, quod saepe in ore habent, his studiis adulescentium ingenia corrumpi et perire sensum eius quod decet. Sed hac conditione nos imbecilli mortales nati sumus: sunt philologi quos τὰ πολλὰ γράμματα εἰς μανίαν περιέτρεψε. — Πολλὰ τὰ κοῦφα κοὐδὲν ἀνθρώπων κουφότερον πέλει.

§ 54 p. 1182: ἃ μὲν ὡμολόγησε καὶ συνέθετο ἑκὼν πρὸς ἑκόντα [*καὶ ὤμοσε*]. Haud raro confunduntur ὁμολογῆσαι et ὀμόσαι.

ΠΡΟΣ ΤΙΜΟΘΕΟΝ.

§ 1 p. 1185: ἐπειδὰν ὑμᾶς ἀναμνήσω .... τὰ συμβάντα τούτῳ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ [*καὶ*] εἰς ὅσην ἀπορίαν κατέστη [*οὗτος*]. Res in oculos incurrit. De Timotheo cf. Bakius *Schol. Hypom.* III p. 93.

§ 3 p. 1185. Pasion *ᾤετο οὐ μόνον τὰ ἑαυτοῦ κομιεῖσθαι ἀλλὰ καὶ ἄλλου εἴ του δέοιτο πρὸς Τιμόθεον πρᾶξαι ὑπάρξειν αὐτῷ.* Malo: *ἄλλου ὅτου δέοιτο.*

§ 13 p. 1188: *οὐ γὰρ ἀγνοεῖτε τὰ λεγόμενα.* Prorsus requiritur *τὰ γενόμενα.*

§ 15. p. 1189. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 353 expunxit quod me quoque adverterat: *ὃς ἐπέπλει ταμιεύων Φιλίππῳ τῷ ναυκλήρῳ·* sed quod Blassius scribit Herwerdenum *iure suo* scriptorem correxisse, plane non intelligo quo aculeate dictum pertineat: nostro enim iure librarios corrigimus, volumus id certe, non ipsos scriptores. Sed in hac oratione interpolationes et repetitiones pullulant.

§ 19 p. 1190: *προσκληθεὶς ἀπὸ τῆς οἰκίας (οὐ γὰρ ἦν φανερός) ἔλιπε τὴν μαρτυρίαν πεισθεὶς ὑπὸ τούτου.* Mire hoc mihi dictum videtur; quidni sic: *προσκληθεὶς ἀπὸ τῆς οἰκίας (οὐ γὰρ παρῆν) φανερῶς ἔλιπε τὴν μαρτυρίαν.*

§ 30 p. 1193. Una literula excidit: *οὗτος γὰρ ἦν ὁ δεηθεὶς τοῦ πατρὸς παρασχεῖν τὸ ναῦλον τῶν ξύλων (ἃ) καὶ τούτου ἦν.*

§ 30 p. 1193: *καὶ ἐγράψατο μὲν ὀφείλοντα Τιμόθεον, ὑπόμνημα δ' ἀπεγράψατο τήν τε χρείαν εἰς ἣν ἐλήφθη τὸ ἀργύριον καὶ τὸ ὄνομα τοῦ λαβόντος.* Nonne *παρεγράψατο* hic melius debebit placere? Itidem § 8 p. 1186: *ἐγράψατο μὲν ὀφείλοντα τὸν κελεύσαντα χρῆσαι Τιμόθεον, ὑπόμνημα δ' ἐγράψατο, ᾧ τε οὗτος ἐκέλευσε δοῦναι, κτέ.* pariter in eadem re eodem composito verbo opus est. Cf. Callipp. § 4 p. 1237.

§ 39 p. 1195: *αὐτὸς μὲν γὰρ ὁμολογεῖται ἀποδημεῖν παρὰ βασιλεῖ, τὸν δὲ Φιλώνδαν [ὃν ἔπεμψεν ἐπὶ τὰ ξύλα καὶ συνέστησε τῷ πατρὶ τῷ ἐμῷ] τεθνηκότα κατέλαβες ἥκων παρὰ βασιλέως.* Arguit secunda persona *κατέλαβες* etiam pro *ὁμολογεῖται* restituendam esse secundam personam: *ὁμολογεῖ,* quo facto verba uncinis inclusa ultro excident; cf. § 26 p. 1192. Etiam § 64 p. 1203 restituenda erit secunda persona *φήσεις.*

§ 67 p. 1204: τοὺς θεοὺς οὓς ἐπιώρκησε. Imo legendum: ἐπιώρκηκε· vide modo praecedentem paragraphum.

ΠΡΟΣ ΠΟΛΥΚΛΕΑ.

§ 6 p. 1208: ὁρῶντες ἐν τῷ Πειραιεῖ τὸν σῖτον ἐπιτιμώμενον καὶ οὐκ ὄντα ἄφθονον ὠνεῖσθαι. Coll. Anecd. Bk. p. 255. 6: ἐπιτετιμημένον· τὸ τίμησιν (lege ἐπιτίμησιν) καὶ ἐπίτασιν ἐν τῇ τιμῇ λαβόν, illic quoque corrigendum duco perfectum ἐπιτετιμημένον.

§ 6 p. 1208: ἐψηφίσασθε τάς τε ναῦς καθέλκειν τοὺς τριηράρχους καὶ παρακομίζειν ἐπὶ τὸ χῶμα. Quid sit χῶμα legimus in Argum. Orat. de Coron. Trier.: τὸ χῶμα δ' ἦν οἰκοδόμημα ἐν τῷ λιμένι προβεβλημένον προσορμίσεως ἕνεκα καὶ ἀγορᾶς τῶν ναυτῶν. Habuimus autem verbum παρακομίζειν Lacrit. § 32 p. 933: τὸ τάριχος ἀνθρώπῳ τινὶ γεωργῷ παρεκομίζετο, sed sensu, uti vides, longe diverso ab eo quem hic locus requirit. Proprium verbum est in ea re περιορμίζειν· Coron. trierarch. § 4 p. 1229: ὃς ἂν μὴ πρὸ τῆς ἕνης καὶ νέας ἐπὶ χῶμα τὴν ναῦν περιορμίσῃ et § 7 p. 1230: τοῦ μὲν μὴ περιορμίσαι τὴν ναῦν τὸν μεμισθωμένον αἰτιᾶσθαι. Praeterea Pollux I § 122 ex Demosthene laudat περιορμίζειν τὴν ναῦν περὶ τὸ χῶμα indeque Polycl. § 6 p. 1208 scribam: καθέλκειν τοὺς τριηράρχους καὶ περιορμίζειν περὶ τὸ χῶμα et Coron. Trier. § 4 p. 1229: ὃς ἂν μὴ .... περὶ χῶμα τὴν ναῦν περιορμίσῃ.

§ 7 p. 1208: ἔτι δὲ σκεύεσιν ἰδίοις τὴν ναῦν ἅπασι κατεσκεύασα καὶ τῶν δημοσίων ἔλαβον οὐδὲν καὶ κόσμῳ ὡς οἷόν τ' ἦν κάλλιστα καὶ διαπρεπέστατα τῶν τριηράρχων. Ad rem cf. § 34 p. 1217: ὑπερπέπαικας πλούτῳ τοὺς ἄλλους, ὥστε καὶ σκεύη ἴδια ἔχειν καὶ κόσμον χρυσόπαστον μόνος τῶν τριηράρχων, sed ad sententiae integritatem aliquid deest. Reiskio non successit emendatio; scripserim equidem: κατακοσμῶν ὡς οἷόν τε ἦν κάλλιστα.

§ 8 p. 1208: δόξαν γὰρ ὑμῖν ὑπὲρ τῶν δημοτῶν τοὺς βουλευτὰς ἀπενεγκεῖν τοὺς προεισοίσοντας τῶν τε δημοτῶν καὶ τῶν ἐγκεκτημένων, προσαπηνέχθη μου τοὔνομα ἐν τριττοῖς δήμοις. Unius-

cuiusque est corrigere: προαπηνέχθη et sequenti paragrapho nota τὰς προεισφοράς. Vide περὶ τῶν προκαταβλημάτων Cobetum *Miscell.* p. 552 ad Timocr. § 97 p. 731. De verbo προεισευπορεῖν nuper quaedam collegi ad Dionys. Halic. VIII 68 p. 1672; nec multum tribuendum censeo dubitationibus Arnoldi Schäferi *Vit. Demosth.* I p. 379.

§ 11 p. 1210: ὥςε πολυτελεςέραν μοι γενέσθαι τὴν τριηραρχίαν. Corrigo: πολυτελεςάτην. Contra pro superlativo reponendus comparativus Neaer. § 111 p. 1383.

§ 17 p. 1211: τοῦ ςρατηγοῦ ἅμα [Τιμομάχου] προστάξαντος πλεῖν. Nunc certe interpolatio arguitur incommodo verborum ordine.

§ 23 p. 1214. Aliquid supplendum est: ἀλλ' (ἀεὶ) ἐμισθούμην ναύτας ἀντὶ τῶν ἀπολιπόντων δανειζόμενος ἀργύριον.

§ 28 p. 1215: ἀποδόντες Θρασυλόχῳ (τὰς) τριάκοντα μνᾶς· Insere articulum.

§ 30 p. 1216: οὕτω γάρ μοι ἀκριβῶς ἐγέγραπτο, ὥς' οὐ μόνον αὐτά μοι τἀναλώματα ἐγέγραπτο, ἀλλὰ καὶ ὅποι ἀνηλώθη καὶ τί ποιούντων. Parum eleganter; malim: αὐτά μοι τἀναλώματα ἐλελόγιςο.

§ 49 p. 1222: οἱ γὰρ νόμοι οὐκ ἐῶσιν ὑποδέχεσθαι τῶν φευγόντων οὐδένα ἢ ἐν τοῖς αὐτοῖς [κελεύουσιν] ἐνέχεσθαι τὸν ὑποδεχόμενον (καὶ) τοὺς φεύγοντας. Vides quid suspicer.

§ 50 p. 1222: κελεύοντος πλεῖν [εἰς τὴν Μακεδονίαν] οἷ προσέταξεν ὁ ςρατηγός. Item odoror interpolationem in iis quae continuo sequuntur: πλεύσοιτο οἷ ἐγὼ κελεύω [εἰς Θάσον ὡς τὸν ςρατηγόν]. Sed est, fateor, in hac oratione ῥημάτων ποταμός.

§ 53 p. 1223: οἵ τε ςρατιῶται εἶχον οὐδὲν ὅτου [ἂν] ἐπισιτίσαιντο, ἄσιτοι δ' οὐκ [ἂν] ἠδύναντο ἐλαύνειν. Bis dele particulam.

§ 54 p. 1223: ἤθελον αὐτῷ παραδιδόναι τὴν ναῦν [φιλοτιμούμενος] ἵνα καταπλεύσαιμι οἴκαδε. Inutile emblema.

§ 56 p. 1224: διὰ γὰρ τὸ Πασίωνος εἶναι οὐκ ἠπόρουν. Diceres inserendum esse id quod est υἱός, sed cf. Nicostr. § 18 p. 1252: ἐγὼ Πασίωνος ὤν. Etiam Dobraeus p. 440 assensum cohibuit. Adde Hyper. c. Dem. col. XXXI v. 17.

§ 56 p. 1224: οὐκ ἠπόρουν ὅπου δεηθείην δανείσασθαι. Malim: ὁπότε δεηθείην et utar eadem correctione § 65 p. 1226: ὅσον ἕκαςος ἔχων ἀργύριον ἀπέδρα καὶ ὁπότε.

§ 60 p. 1225: πολλάκις δὲ πρότερον μετεπέμπετό με. Nonne verius est μετεπέπεμπτό με?

§ 62 p. 1225: τοῦ ἕνεκ' ἄν τις εὔξαιτο τούτων ςερηθεὶς ζῆν; Immo δέξαιτο legendum est. Cf. Callipp. § 33 p. 1245: ἐγὼ ὑμᾶς ἂν δεξαίμην ἅπαντα τὰ ἐμαυτοῦ λαβεῖν et alia exempla quae ad Lucianum dedi *Mnem.* 1901 p. 17.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΤΗΣ ΤΡΙΗΡΑΡΧΙΑΣ.

§ 5 p. 1229: καὶ μὴν οὐδ' ἂν ἐκεῖνό γ' ἔχοιεν εἰπεῖν, ὡς ἀνεπειρῶντ' ἐμοῦ πρότερον. Quid enim? πρὶν γὰρ ἧφθαι μόνον τῆς τριήρους τούτους, ἐπεπλήρωτό μοι καὶ πάντες ἑωρᾶθ' ὑμεῖς ἀναπειρωμένην τὴν ναῦν. Apparet verum esse ἀναπειρώμενον.

ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΠΠΟΝ.

§ 4 p. 1237: εἰώθασι .... ἐὰν μὲν γιγνώσκωσι τὴν ὄψιν τοῦ ἀνθρώπου ᾧ ἂν δέῃ ἀποδοῦναι, τοσοῦτο μόνον [ποιεῖν] γράψαι ᾧ δεῖ ἀποδοῦναι. Otiose additum est id quod est ποιεῖν.

§ 5 p. 1237: ἔρχεται .... οὑτοσὶ εὐθὺς ἐρωτῶν, Λύκωνα Ἡρακλεώτην εἰ γιγνώσκοιεν, ἀποκριναμένου δὲ Φορμίωνος ὅτι γιγνώσκοιεν. Facillima est correctio γιγνώσκοιμεν et γιγνώσκομεν.

§ 12 p. 1239. Inserendum pronomen: ἤθελον τούτῳ ταύτην ἥτις ἐςὶ μεγίςη πίςις δοῦναι ἢ μὴν ἐγὼ τοῦ πατρὸς (αὐτὸς) ἀκούειν.

§ 19 p. 1241: τὸν δὲ Κηφισιάδην δεῖξαι αὐτῷ τὸν Ἀρχεβιάδην. Omnino legendum est δείξειν, sed longum est hoc demonstrare; relege totum locum et videbis.

§ 30 p. 1244: οὐ γὰρ οὕτω μοι δοκεῖ δύνασθαι ὥς' εὐκαταφρόνητος εἶναι. Legam: τοσοῦτον.

ΠΡΟΣ ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΝ.

§ 3 p. 1247: τὰ μὲν οὖν μέγιςα καὶ περιφανῆ τῶν ἀδικημάτων. Lege: τὰ μὲν μάλιςα περιφανῆ.

§ 4 p. 1247: ἐπειδὴ δ' ἐτελεύτησεν ὁ πατὴρ καὶ ἐγὼ ἐν ἀγρῷ κατῴκουν. Quis ita loquitur? Lege: μετῴκουν οὗπερ καὶ νῦν οἰκῶ et ultro excidet illud ἐν ἀγρῷ. Iam supra dixerat Apollodorus se ruri habitare.

§ 4 p. 1247: μᾶλλον ἀλλήλοις ἤδη ἐχρώμεθα διὰ τὸ γείτονες εἶναι καὶ ἡλικιῶται· χρόνου δὲ προβαίνοντος καὶ πάνυ οἰκείως διεκείμεθα. Primo obtutu hoc videtur recte dictum esse, sed quum statim sequatur: καὶ ἐγώ θ' οὕτως οἰκείως διεκείμην πρὸς αὐτὸν ὥςε κτέ., nullo negotio intelligimus delenda esse verba οἰκείως διεκείμεθα.

§ 7 p. 1248: εἰσενεγκεῖν αὐτῷ τι ἐκέλευέ με εἰς τὰ λύτρα. Commendo: συνεισενεγκεῖν.

§ 8 p. 1249. Nicostratus aliquando vinctus abreptus in servitutem ab Apollodoro redemtus fuerat, hinc etiam hodie habet in suris cicatrices vulnerum: ἐὰν κελεύσητ' αὐτὸν δεῖξαι, οὐ μὴ ἐθελήσει. Recusabit? Curnam? Respondet Wolfius: „Scomma est quo ei servitutem obiicit tanquam mancipio." Sed aliud quid latere certum est; cogitavi de: οὐ μελλήσει.

§ 25 p. 1254: *ὅτι τὸ χωρίον .... οὐδεὶς ἐθέλοι οὔτε πρίασθαι οὔτε τίθεσθαι.* Nonne *θέσθαι* praestat?

§ 25 p. 1254: *οὐκ ἂν ἔφασαν τῇ ἀρχῇ παραδοῦναι, οὐδ' εἰς τὴν βουλὴν ἤθελον ἀκολουθεῖν.* Facile obtinebo legendum esse *τὴν ἀρχὴν* i. e. *omnino* negarunt. De ea locutione *τὴν ἀρχὴν οὐδέ* = *omnino non*, cum alii plurimi egerunt tum Lennepius ad Epist. Phalar. p. 82 et Hermannus ad Vigerum p. 723. Usurpavit Thucydides I 93 et V 27, Plato Apol. 29 C, Gorg. 478 C, Lysid. 215 B, Theaet. 185 D, Phileb. 63 E et Axioch. 365 D. Apud Demosthenem legitur Aristocr. § 2 p. 622: *εἰ μὲν γὰρ ἦν ἀκούσασιν εὐθὺς εἰδέναι τὰ κεκακουργημένα, τὴν ἀρχὴν ἴσως ἂν οὐκ ἐξηπάτησθε.* Ceterum § 24 p. 1254: *ἡγούμην τε δεῖν τὴν ἀρχὴν ἢ τοὺς ἡρημένους ὑπὸ τῆς βουλῆς γράφεσθαι* et in iis quae proxime sequuntur: *οἱ δ' ἄρχοντες οἱ ἡρημένοι ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐβασάνιζον ἄν,* video quidem aliquid fuisse turbatum ab iis qui vim illius locutionis *τὴν ἀρχὴν οὐδέ* non caperent, sed satis certam medicinam mihi non contigit reperire.

ΚΑΤΑ ΚΟΝΩΝΟΣ.

§ 4 p. 1257. Nunc tirones mihi cognoscant quam lubrica res sit spuria ex textu eliminare et quam circumspecto iudicio opus sit, etiamsi sciamus nostros codices ineptis supplementis scatere. Verba Demosthenis sunt: *ἐπαρῴνουν οὗτοι τὰ μὲν πολλὰ εἰς τοὺς παῖδας ἡμῶν τοὺς ἀκολούθους.* Totam pericopen transscripsit Dionysius de Adm. Vi Dic. c. 12 cum notabili lectionis varietate: *εἰς τοὺς ἀκολούθους ἡμῶν.* Diceres eam scripturam longe praestare; vide tamen Eupolin ap. Athen. VI p. 236 E:

ἀλλ' ἀκούσαθ' ὡς ἐσμὲν ἅπαντα κομψοί
ἄνδρες, ὅτοισι πρῶτα μὲν παῖς ἀκόλουθός ἐςιν
ἀλλότριος τὰ πολλά, μικρὸν δέ τι κἀμὸν αὐτοῦ.

Item apud Oratorem ipsum pr. Phorm. § 45 p. 958: *τρεῖς παῖδας ἀκολούθους περιάγει* et Steph. I § 61 p. 1120: *Ἀπολλόδωρος προὐκαλεῖτο Στέφανον παραδοῦναι τὸν παῖδα τὸν ἀκόλουθον εἰς βάσανον.* Sic quoque Hyperides fr. 70 apud Blassium.

§ 4 p. 1257: ὁρῶντες δ' ἡμεῖς ταῦτα καὶ λυπούμενοι τὸ μὲν πρῶτον ἀπεπεμψάμεθα. Haec scriptura cum nihili esset, Hirschigius proposuit: ἐμεμψάμεθα, quod Blassius in textum intulit; mihi praeplacet compositum κατεμεμψάμεθα et notum est confundi solere praepositiones ἀπό et κατά.

§ 7 p. 1258: διαλεχθείς τι πρὸς αὐτόν .... ὥςε μὴ μαθεῖν ὅτι λέγοι. Supple: ὥςε (με) μὴ μαθεῖν. Item § 12 p. 1260: νῦν δὲ τοῦτ' ἔσωσε τὸ αἷμα ἀποχωρῆσαν. Lege: ἔσωσέ (με).

§ 8 p. 1259: ὑβρίζοντες ὥςε τὸ μὲν χεῖλος διακόψαι, τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς συγκλεῖσαι. Proximus cognatus mortui oculos *condit* et συγκλείει. Moribundi συγκλείουσι τοὺς ὀφθαλμούς, unde est τὸ κωμῳδούμενον ἐν Σοφοκλέους Φινεῖ apud Polluc. VII 193:

βλέφαρα κέκληται γ' ὡς καπηλείου θύρα.,

sed ad nostrum locum hoc nihil pertinet. Etiam Reiskio interpretatio non successit: „Tantum enim coeni", inquit, „eius oculis ingesserunt et pugnis ita contuderunt, ut tumor non pateretur oculos aperiri". Hoc quidem verum est et § 11 p. 1260, quod minime miramur, τὰ οἰδήματα τὰ ἐν τῷ προσώπῳ revera memorantur. Ita est; sed quod Aristoni accidit id quomodo dicendum est? Constat certe συγκλείειν τοὺς ὀφθαλμούς alio modo usurpari. *Sugillare* est et ὑπωπιάζειν et neutrum verbum κυλοιδιᾶν· sed nihil horum ad correctionem adhiberi poterit. Est tamen emendatio ante pedes posita: ὥςε τὸ μὲν χεῖλος διακόψαι, τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς συγκλάσαι vel quod Leeuwenius fere malebat: συνθλάσαι. Coll. § 35 p. 1267 et § 41 p. 1269 videbis non magis ad literam hoc esse interpretandum quam si quis dicatur κατεαγέναι τὴν κεφαλήν. — Peculiaris est significatio τοῦ κατακλᾶν τὸν ὀφθαλμόν, quod Phrynichus apud Bekkerum p. 45. 26 ita interpretatur: οἷον ἐνθρύπτεσθαι διὰ τὸν ὀφθαλμόν, ὅπερ ποιοῦσι ταῖς ἐρωμέναις οἱ ἐραςαί, τὸν ἕτερον ἐκκλίνοντες ὀφθαλμόν, ubi omnino legendum: τὸν ἕτερον κλείοντες ὀφθαλμόν. Ad hunc usque diem lascivi homines idem faciunt. Sed de ipsa glossa oritur dubitatio sitne recte tradita.

§ 9 p. 1259. Sequitur narratio miro modo impedita, unde me extricare non potui. Quodsi verba: ὡς δ' ἐπὶ τὴν θύραν ἦλ-

θον, κραυγὴ καὶ βοὴ τῆς μητρὸς καὶ τῶν θεραπαινίδων ἦν, καὶ μόγις ποτ' εἰς βαλανεῖον ἐνεγκόντες με καὶ περιπλύναντες ἔδειξαν τοῖς ἰατροῖς — removeris in sequentem paragraphum post vocabulum παραγενέσθαι, paulo quidem aptius narratio decurret et tamen aliquid difficultatis remanebit.

§ 11 p. 1260. Iacet in lectulo male mulcatus homo; πυρετοὶ δὲ παρηκολούθουν μοι συνεχεῖς καὶ ἀλγήματα, ὅλου μὲν τοῦ σώματος πάνυ σφοδρὰ καὶ δεινά, μάλιστα δὲ τῶν πλευρῶν καὶ τοῦ ἤτρου. Deinde quid tum? καὶ τῶν σιτίων ἀπεκεκλείμην. Medicus non sum, sed novi tamen quam sit incredibile febricitantem hominem esurire, quum alimenta sibi a circumstantibus denegentur; et quam perverse hoc dictum est τῶν σιτίων ἀποκλείεσθαι. Ludere iuvat: καὶ πνευστιῶν κατεκείμην (πνευΣΤΙΩΝ — ΣΙΤΙΩΝ). Retractabo si quid verisimilius reperire potueris. Quod brevi post sequitur: κάθαρσις αἵματος αὐτομάτη μοι πάνυ πολλὴ συνέβη περιωδύνῳ τ' ὄντι καὶ ἀπορουμένῳ ἤδη, non praeferam sane quod Blassius hiatus odio per coniecturam in textum intulit: ἀπορουμένων.

§ 25 p. 1264: εἰ γὰρ οἱ παρόντες τοὺς ἐξαμαρτάνειν ἐπιχειροῦντας αὐτοὶ παροξυνοῦσιν, οὐδεμί' ἐστὶν ἐλπὶς σωτηρίας. Lege: προσπαροξυνοῦσιν et ἔσται.

§ 34 p. 1267: τὸν Χαιρέτιμον τὸν ἐπιπόλιον τουτονί. Quod Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 355 acute coniecit: ὑποπόλιον, id non intelligo cur Blassius cum plurimis aliis ne mentione quidem dignum iudicaverit.

§ 39 p. 1269: Βάκχιόν τινα, ὃς παρ' ὑμῖν ἀπέθανε. Hic utar eadem correctione qua supra subvenire conatus sum Mid. § 161 p. 566 et scribam ὃς πέρυσιν ἀπέθανε. Recte legitur Halonn. § 20 p. 81: ηὐδοκίμησεν ὁ Πύθων παρ' ὑμῖν ἐν τῇ δημηγορίᾳ, sed sensu diverso.

§ 39 p. 1269: τοὺς ὄρχεις τοὺς ἐκ τῶν χοίρων οἷς καθαίρουσιν ὅταν εἰσιέναι μέλλωσιν. Hunc locum qui in Codicibus corruptus est, cum non ὄρχεις habeant, sed ὄρνεις, egregie expedivit Hemsterhusius Lucian. II p. 398 Ed. Bip. Prytanes sunt

qui hoc faciunt, quorum nomen non abesse debet, sed apparet cur vocabulum propter simillimos literarum ductus interciderit: *οἷς καθαίρουσιν* (*οἱ πρυτάνεις*) *ὅταν εἰσιέναι μέλλωσιν* (ΟΙΠΡΥΤΑΝΕΙΣ — ΟΤΑΝΕΙΣ*ιέναι*).

§ 44 p. 1270. Supple: *πόλλ' ἂν* (*ἔτι*) *εἰπεῖν ἔχοιμι.*

ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΚΛΕΑ.

§ 3 p. 1272: *ἓν μὲν οὖν πρὸς ἅπαντας τοὺς τούτων λόγους παρέχομαι δίκαιον.* Est vetus nonnullorum librorum lectio *ὑπάρχει μοι*, quae lectio secundum Blassium non deterior est, mihi autem longe melior videtur esse.

§ 3 p. 1272: *οὔτ' ἐγκαλῶν οὐδεὶς πώποτ' ἦλθεν οὔτε μεμφόμενος.* Immo: *μεμψόμενος.* Quid opus est dicere etiam *ἐγκαλῶν* esse participium futuri temporis?

§ 5 p. 1273: *εἰ δ' ὠλιγώρησε καὶ συνέβη τι τοιοῦτον.* Malo: *κᾆτα.*

§ 9 p. 1274: *τοῖς εἰδόσιν ἐπιτρέπειν ἐβουλόμην τοῖς ἴσοις* (*καὶ κοινοῖς*). Supplendum hoc est ex § 35 p. 1281.

§ 10 p. 1274: *ὅρους περιέχοντος κύκλῳ τοῖς χωρίοις.* Hic haesit Reiskius et G. H. Schäferus ne nihil dixisse videretur, dativum incommodi esse pronunciavit. Ut in incerta re, fere dixerim verum esse (*περὶ*) *τοῖς χωρίοις.*

§ 15 p. 1275. Pro testimonio dictum fuit *τὸ χωρίον εἶναι δένδρων μεστὸν καὶ μνήματ' ἔχειν τινά.* Supple *παλαιά* ex praec. paragr.

§ 15 p. 1275: *ἀμφισβητούντων δὲ οὔτε τούτων οὔτε ἄλλου τῶν γειτόνων οὐδενός.* Hic quoque aliquid deest: *ἀμφισβητούντων δὲ* (*τότε*).

§ 19 p. 1277: *εἰ μὲν γὰρ ἦν χαράδρα πάλιν ὑποδεχομένη.*

Immo: (ὕδωρ) ὑποδεχομένη. Bastius dicet quo compendiolo ὕδωρ scribi soleat; inde vitium repetendum. Cf. praeterea Aelian. Epist. 6, qui hanc orationem ante oculos habuit.

§ 20 p. 1277: Καλλικλῆς μὲν εἰς τὸ χωρίον εἰσπεσόντος τοῦ ὕδατος ἁμαξιαίους λίθους προσκομίσας ἀποικοδομεῖ. Nonne verius videtur προσκυλίσας? Ex Novo Testamento huius verbi usus omnibus notus est.

§ 24 p. 1278. Hic locus valde memorabilis est. Tisiae vidua, quae et mater eius qui hic loquitur, venit aliquando ad Calliclis matrem, nam per complures annos vicinae fuerant et familiares. Illic anus omnia rescivit de iactura quam in agro Calliclis vis aquarum intulerat, et quae audiverat, statim filio narravit. Graeca verba sunt: ἦ μὴν ὁρᾶν καὶ τῆς τούτων μητρὸς ἀκούειν ἔφη, κριθῶν μὲν βρεχθῆναι καὶ ξηραινομένους ἰδεῖν αὐτὴν τρεῖς μεδίμνους, ἀλεύρων δὲ ὡς ἡμιμέδιμνον· ἐλαίου δὲ ἀποκλιθῆναι μὲν κεράμιον, οὐ μέντοι παθεῖν γ' οὐδέν. Primum leve est reponere: ἰδεῖν αὐτή, quod etiam Blassius maluit; deinde videndum quid substitui debeat pro absurdis verbis: οὐ μέντοι παθεῖν γ' οὐδέν. Sed hoc quidem non nimis arduum est existimare. Narraverat mater Calliclis hordei vix tres medimnos humefactos esse et farinae tres modios, periisse autem amphoram olei; hanc solam exiguam jacturam fuisse factam, nam de sensu corruptorum verborum nemo facile anceps haerebit. Quin igitur reponimus: οὐ μέντοι πλέον γε οὐδέν, eaque lenis in paucis mutatio est (ΠΑΘΕΙΝ — ΠΛΕΟΝ). Restat illud ἀποκλιθῆναι quae Bekkeri scriptura est, nam antiquitus edebatur ἀποκλινθῆναι, pro qua lectione Wolfius commendavit ἀποκλυσθῆναι vel ἀποκυλισθῆναι. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 355 satis habet rescribere Atticam formam ἀποκλινῆναι, sed praeterea negat quidquam mutandum esse. Ad eum finem provocat ad Andocid. de Myst. § 125, ubi Ischomachi filia ἀπαρχομένη μεταξὺ κατεκλίθη καὶ ἐπειδὴ ἀνεβίω ἀποδρᾶσα ἐκ τῆς οἰκίας ᾤχετο. Equidem non perspicio quid hic locus faciat ad veterem apud Demosthenem lectionem tutandam; deinde illud κατεκλίθη omnibus interpretibus offensioni fuit, nam Sluiterus κατεκωλύθη coniecit, Dobraeus κατελήφθη, Baiterus denique quem etiam Lipsius secutus est, κατελύθη. Nec

multo plus praesidii est in altero loco, quem Herwerdenus attulit: Plut. Galb. 27: *τὸν δὲ Γάλβαν ἀποκλιθέντος τοῦ Φορείου περὶ τὸν Κουρτίου καλούμενον λάκκον ἐκκυλισθέντα κτἑ.* Tantae molis fuit reperire quod ante pedes erat positum. In ipso illo optimo Parisino Codice non *ἀποκλιθῆναι* legitur, sed *ἀποκληθῆναι·* unde extricandum: *ἐλαίου δὲ ἀποβληθῆναι μὲν κεράμιον Φάσκειν· οὐ μέντοι πλέον γ' οὐδέν.* Scilicet nostri oculi interdum *κρατοῦνται τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι τἀληθές.*

§ 24 p. 1278. Restat supplendum in eadem paragrapho: *καὶ (εἰ) λέγω μὲν ἅπερ ἤκουσα τῆς μητρός, οὕτω μοι πόλλ' ἀγαθὰ γένοιτο.*

§ 29 p. 1280: *καὶ νῦν ὑμεῖς ἐμὲ ἀδικεῖτε περιοικοδομοῦντες οὕτως.* Malo: *ὡσαύτως.*

§ 30 p. 1280: *δῆλον γὰρ ὅτι μεγάλοις λίθοις ἀποικοδομηθέντος πάλιν τὸ ὕδωρ εἰς τὸ ἐμὸν ἥξει χωρίον.* Hic Dobraeus p. 515 iam vidit *ἀποικοδομηθέν* verum esse, sed nemo ei aurem praebuit. Simili correctione utendum Polycl. § 17 p. 1211.

§ 30 p. 1280: *πονηρότατόν τ' εἶναι καὶ διεφθαρμένον ὑπὸ νόσου νομίζω.* Scribam: *ὁπωσοῦν.* Vide eam particulam v. c. Lept. § 158 p. 505, alibi et *ὁπωςινοῦν* Lacrit. § 6 p. 924.

ΚΑΤΑ ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΥ.

§ 15 p. 1287: *τὴν συγγραφὴν ἐν ᾗ τὴν ὑπὲρ τῶν δικαίων βοήθειαν ἔχομεν.* In fine supplendum *μόνην.* Calamitosum est adiectivum *μόνος*, nec latet causa. Nausimach. § 2 p. 955: *ὃ μὲν γὰρ ὑμεῖς ἐπὶ τῇ δίκῃ τίμημ' ἀκηκόατε, τριάκοντ' εἰσὶ μναῖ, ὧν δὲ Φεύγομεν χρημάτων τέτταρα τάλαντα.* Insere: *(μόναι) μναῖ*, sicuti recte legitur Phaen. § 22 p. 1045; *ὁ μὲν ἐμὸς πατὴρ πέντε καὶ τετταράκοντα μνῶν μόνων τὴν οὐσίαν κατέλιπεν, ἀφ' ἧς ζῆν οὐ ῥᾴδιόν ἐςιν*, et Coron. Trier. § 11 p. 1231: *τριάκοντα δραχμὰς ἕκαςος ἔχει μόνας.* Item Neaer. § 99 p. 1379 lege: *εἶδον πολλοὺς ὄντας τοὺς Θηβαίους ἀλλὰ τοὺς πρώτους αὐτῶν εἰσεληλυθότας (μόνους).*

§ 16 p. 1288: ἀπολαμβάνοντες ἃ οὗτος ἐπέταττεν. Minutum est ὅσα rescribere; vide paragraphi initium.

§ 22 p. 1289: ἀκούσατε ἃ λέγομεν δίκαια. Immo: ἔχομεν.

§ 24 p. 1290: οὐ ταῦτ' ἀπέστελλον πάντα δεῦρο ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τίνων αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο. Bene, credo, G. H. Schäferus correxit: (εἴ) τινων.

§ 25 p. 1290: τὸν σῖτον αὐτοῦ [ἐν τῇ 'Ρόδῳ] κατελίπετε. Aperta res est.

§ 26 p. 1290. Hic permirum est in Parisino libro barbaram legi formam σεσυγχωρηκέναι pro συγκεχωρηκέναι, quamquam ille codex ceteroquin non soleat hoc modo vitiatas formas exhibere, nec tamen propterea § 30 p. 1292 cum Herwerdeno *Mnem.* 1875 p. 356 pro προσκεκερδήκασι restituere ausim: προσκεκερδάγκασι. Non solum hoc verbum in -αίνειν est, quod aliquot formas mutuatur ab cognata forma contracta; sic supra in Midiana habuimus verbum ἀσελγαίνειν et τὰ ἠσελγημένα, quam formam cum aliis quibusdam contulit Cobetus ἐν τῷ 'Ερμῇ λογίῳ p. 282. Ipse de verbo ἀγριαίνεσθαι et de perfecto ἠγριῶσθαι adnotavi ad Dion. Halic. X. 12 p, 2016. Legitur praeterea apud Herodotum futurum κερδήσεσθαι et aoristus ἐκέρδησαν, licet inveniam VIII 60 § 3: κερδανέομεν. Sed etiamsi illud προσκεκερδήκασι tuear, non tamen feram in hac oratione verbum παρασυγγραφεῖν § 28 p. 1291: διὰ ταῦτ' οὐδὲν ἀδικεῖς ἡμᾶς οὓς παρασυγγεγράφηκας εἰς 'Ρόδον καταγαγὼν τὴν ναῦν; et § 34 p. 1293: ἄφεσιν οἴονται δεῖν εὑρίσκεσθαι τῶν τόκων παρασυγγεγραφηκότες. Ecquid latet? Num forte παρασεσυκοφάντηκας et παρασεσυκοφαντηκότες? Cf. Plut. Moral. p. 73 B: ἑτέρου δὲ μικρολογουμένου περὶ πάντα καὶ παρασυκοφαντοῦντος. Sed alii videant.

§ 29 p. 1291: οἱ γὰρ ἐκ τῆς Αἰγύπτου δανείσαντες τούτοις ἑτερόπλουν [τἀργύριον] εἰς 'Αθήνας. Vitiose abundat τἀργύριον.

ΠΡΟΣ ΕΥΒΟΥΛΙΔΗΝ.

§ 4 p. 1300: *ὅπου γὰρ εἰδέναι τινὲς ἤδη φήσαντες ψευδεῖς ἐφάνησαν, πῶς ἅ γε μηδ' αὐτὸς οἶδεν ὁ λέγων προσήκει πιστεύεσθαι;* Haec quidem sine sensu ita scripta sunt; prorsus requiro *ἰδεῖν* et *εἶδεν*. Frequens est ea confusio; luculenta exempla Mehlerus meus dedit *Mnem.* 1852 p. 405 sq.

§ 8 p. 1301. Supplendum est: *ἐν ἐκείνῳ τῷ ἀγῶνι (ἐκείνῃ μὲν) τὰ δίκαια, τούτῳ δὲ τἀναντία ἐμαρτύρησα.*

§ 9 p. 1302: *καὶ γὰρ ἦν περὶ ἑξηκοστόν.* Quid hoc significare debeat, non obscurum est: iam sexaginta cives pluresve fortasse vocati fuerant et nunc de Euxitheo in suffragium ibitur. Iam quaesivi de hoc loco *Mnem.* 1873 p. 168. Apud Phrynichum in *Anecd. Bk.* p. 67. 20 recensentur adiectiva: *ὑπερθεμιστοκλῆς, ὑπερσωκράτης, ὑπερευρύβατος.* Adiectivum est *ὑπεράνθρωπος* quod reddendum erit Heliodoro qui p. 394. 2 Did. *κάλλος ὑπὲρ ἄνθρωπον* appellavisse creditur. Scribit Xenophon Ephesius p. 390. 6 Herch.: *τέχνας σωφροσύνης ὑπὲρ γυναῖκας εὑρίσκω,* quod *ὑπεργυναίκους* scriptum oportuit. Apud Isaeum de Philoctemonis hereditate § 14: *τῇ μὲν γὰρ στρατιᾷ, ἀφ' οὗ ἐξέπλευσεν εἰς Σικελίαν, ἤδη ἐστὶ δύο καὶ πεντήκοντ' ἔτη, τῷ δὲ πρεσβυτέρῳ τούτων οὔπω ὑπὲρ εἴκοσιν ἔτη,* commendare ausim: *ὑπερείκοσιν ἔτη,* sicuti in oratione adv. Neaeram § 89 p. 1375 recte scribitur ab omnibus: *ἐὰν μὴ ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναίων ψηφίσωνται.* Itaque eodem modo in oratione adv. Eubulidem mihi persuasi verum esse: *καὶ γὰρ ἦν ὑπερεξηκοστός·* h. e. de paulo pluribus quam sexaginta ante me iam pronunciatum fuerat.

§ 10 p. 1302: *τῶν πλείστων ἐκεῖ οἰκούντων.* Hinc efficere poteris, quod haud satis scio an nondum observatum fuerit, nisi omnes bonam certe civium partem habitavisse in iisdam pagis quibus patres olim adscripti erant. De Cimone Miltiadis filio res non est dubia.

§ 56 p. 1316: τῶν ἀποψηφισαμένων [Ἁλιμουσίων] ἐμοῦ. Nomen proprium in marginem abeat.

§ 63 p. 1318: τοῦτ' ἔχω δεικνύναι τεκμήριον ὡς συνέστησαν. Lege: συνέστασαν, cf. § 59 et 60 p. 1317.

ΚΑΤΑ ΘΕΟΚΡΙΝΟΥ.

§ 22 p. 1328: οὐ γὰρ δὴ προσδοκᾶν γε δεῖ Θεοκρίνην ὁμολογήσειν ὀφείλειν καὶ δικαίως ἐνδεδεῖχθαι φήσειν. Ultimum vocabulum interpolatum est.

§ 22 p. 1328: ἐρεῖν. . . . . ὡς καταστασιάζεται, ὡς διὰ τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς εἰς ταῦθ' ἥκει. Lege: καὶ διὰ τάς. Quod saepe vidimus, solemnis est illarum particularum confusio.

§ 24 p. 1329: ἀκούω . . . . ὡς ἄρα προσῆκόν ἐστιν ὅλως μὲν μηδενὶ μηδεμίαν συγγνώμην ὑπάρχειν παραβαίνοντι τοὺς νόμους, εἰ δὲ ἄρα δεῖ μὴ τοῖς συνεχῶς οὖσι πονηροῖς, κτέ. Necessarium esse iudico: εἰ δ' ἄρα, δεῖν.

§ 29 p. 1331: προσκαλεῖσθαι, ἕως διελύσατο. Ecce, hic Blassius recte servavit ἕως, etiamsi diphthongus praecedat, cum alibi haud raro miro iudicii errore pro ἕως ultro τέως in textum intulerit, v. c. Olynth. I § 20 p. 15, Olynth. II § 21 p. 24, Philipp. IV § 74 p. 151, Symmor. § 36 p. 188, Fals. Leg. § 326 p. 445; Lept. § 91 p. 484, Spud. § 5 p. 1029 et Dionysod. § 14 p. 1287. Miror doctum editorem in tam simplici re titubare potuisse. Exclamat orator in prima Olynthiaca: ἕως ἐστὶ καιρός, ἀντιλάβεσθε τῶν πραγμάτων. Blassius τέως edidit: cur tandem? Omnes libri ἕως habent, sed „compositionis numerorumque ratio τέως flagitare vide*ban*tur.” Credideris eam „compositionis numerorumque rationem” non minus esse certam quam ipsae sunt de re metrica leges apud poetas? at ipse Blassius ad hunc usque diem semper pergit easdem quaestiones tractare et quae modo tractavit retractat et quae retractavit emendat et quae emendavit evertit, ut nihil in ea doctrina satis stabile sit et praeposterum videatur tam levi de causa

Graeci sermonis sinceritatem corrumpere. Mirificus error est credere veteres, veteres inquam, pro ἕως usurpare potuisse τέως· non minus hoc est incredibile quam si quis contenderet pro ὅςις interdum οὗτος posse usurpari. Apparet etiam unde ille pertinax error haeserit. Est perdocta Boethi adnotatio in Schol. Plat. Hipparch. p. 229 D, qui tamen se decipi passus est duobus locis, quibus credebat τέως ἀντὶ τοῦ ἕως esse positum: Arist. Pac. 32 et Dem. Fals. Leg. § 326 p. 446. Sed ipsi lectores iudices sunto; equidem Blassio non magis persuadere potero quam Blassius mihi. Alia vide apud Voemelium Dem. Cont. p. 148.

§ 29 p. 1331. Aliquid excidit: (ὡς δὲ) χρηςός γ' ἐςὶ καὶ πιςὸς καὶ κρείττων χρημάτων οὐδ' ἂν αὐτὸς Φήσειεν.

§ 42 p. 1335: τὸ δ' αἴτιόν ἐςιν .... τοῦτον καὶ τὸν ἄρτι καλούμενον διαλελύσθαι. Malo: πρὸς τὸν ἄρτι καλ. Hanc quoque confusionem iam supra aliquoties notavimus.

§ 50 p. 1338. Supple: περὶ δὲ τῶν μὴ ἐγγεγραμμένων (μὲν) ὀΦειλόντων δὲ.

§ 67 p. 1343. Quod supra suscepi demonstrare Demosthenem historiam patriam negligenter didicisse, id valet de reliquis, ut opinor, oratoribus omnibus, dummodo Isocratem exceperis. Etiam orator cui debemus orationem adversus Theocrinem, sibi cavere non potuit ab turpi errore, nam, ut mittam verosimiliter eum ignoravisse quo fato Aristocrates perierit, qui tamen unus fuit ex ducibus qui apud Arginusas adversus Spartanos pugnaverunt, id tamen certo certius constat eum confudisse quadringentum imperium cum trigintavirum dominatione. Aristocrates est qui κατέσκαψε τὴν Ἡετιώνειαν εἰς ἣν Λακεδαιμονίους ἔμελλον οἱ περὶ Κριτίαν ὑποδέχεσθαι. Sed taedet plura describere neque opus est.

§ 68 p. 1343: βελτίους ὄντας τούτου καὶ δίκαια λέγοντας. Nonne corrigendum δικαιότερα?

ΚΑΤΑ ΝΕΑΙΡΑΣ.

§ 2 p. 1345. Et hic et in sequentibus plus semel memorantur Apollodori *οἱ παῖδες*. Est hoc quod miremur, nam quantum constat ex Oratione contra Stephanum I, habebat tantum duas filias, quarum altera nupsit Theomnesto.

§ 4 p. 1346. Hic mihi cognoscat quis librariorum inconsiderantiam. Satis nota res est de qua nunc sermo fit, nempe *περὶ τῶν θεωρικῶν*. Scribit Ulpianus ad primam Olynthiacam: *ἰϛέον δέ, ὅτι τὰ χρήματα ταῦτα τὰ δημόσια θεωρικὰ ἐποίησεν ἐξ ἀρχῆς Περικλῆς — εἶτα ἐπιχειρήσαντος Ἀπολλοδώρου τινὸς πάλιν αὐτὰ ποιῆσαι ϛρατιωτικά, βουλόμενος Εὔβουλος ὁ πολιτευόμενος δημαγωγὸς ὢν πλείονα εὔνοιαν ἐπισπάσασθαι τοῦ δήμου πρὸς ἑαυτὸν ἔγραψε νόμον τὸν κελεύοντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι, εἴ τις ἐπιχειροίη μεταποιεῖν τὰ θεωρικὰ ϛρατιωτικά*. Haec verba obscuri nihil habent, sed nunc conferamus orationem contra Neaeram: *ἔγραψε ψήφισμα ἐν τῇ βουλῇ Ἀπολλόδωρος βουλεύων καὶ ἐξήνεγκε προβούλευμα εἰς τὸν δῆμον, λέγον διαχειροτονῆσαι τὸν δῆμον εἴτε δοκεῖ τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως ϛρατιωτικὰ εἶναι εἴτε θεωρικά*. Haec quoque aperta sunt, sed continuo sequitur: *κελευόντων μὲν τῶν νόμων, ὅταν πόλεμος ᾖ, τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως ϛρατιωτικὰ εἶναι, κύριον δ' ἡγούμενος δεῖν τὸν δῆμον εἶναι περὶ τῶν αὑτοῦ ὅ τι ἂν βούληται πρᾶξαι*. Hoc si verum est, nihil fuit cur Eubulus Apollodori psephisma impugnaret; sed delirare hominem dixeris, nam pergit orator: *ὁμωμοκὼς δὲ τὰ βέλτιϛα βουλεύειν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων, ὡς ὑμεῖς πάντες ἐμαρτυρήσατε ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ*. Quidnam enim ille tulit, qui optime de patria meritus est? *γενομένης γὰρ τῆς διαχειροτονίας, οὐδεὶς ἀντεχειροτόνησεν ὡς οὐ δεῖ τοῖς χρήμασι τούτοις ϛρατιωτικοῖς χρῆσθαι, ἀλλὰ καὶ νῦν ἔτι, ἄν που λόγος γένηται, παρὰ πάντων ὁμολογεῖται, ὡς τὰ βέλτιϛα εἰπὼν ἄδικα πάθοι*. Itaque satis colligimus quodnam fuerit Apollodori consilium. Vetusta lex erat, inde ab Periclis temporibus, ut homines credebant, repetenda, qua cautum erat ut praeter omnia necessaria ad bellum gerendum subsidia, si quid in aerario pecuniae superesset, id omne impenderetur *εἰς τὰ θεωρικά*. Tulit Apollodorus ut quotannis liberum foret populo statuere quid ea pecunia fieri

placeret. Optima lex erat, quam Stephanus *παρανόμων ἐγράψατο* et Apollodorus condemnatus fuit. Itaque quod dicebam, nisi credas oratorem delirare, scribendum est: *κελευόντων μὲν τῶν νόμων ὅταν πόλεμος ᾖ, τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως θεωρικὰ εἶναι.* Nimirum orator utitur verbis quam maxime invidiosis, ut omnibus appareat quam absurda fuerit ea lex quam Apollodorus abrogare voluerit, sed Eubulus confirmarit. Fieri tamen potest ut nonnemini temerarium videatur esse pro *ϛρατιωτικά* reponere *θεωρικά* et nigrum pro albo, sed vide consimile vitium Olynth. I § 19 p. 14, de quo loco Cobetus disputavit *Miscell.* p. 14.

§ 7 p. 1347. Condemnatus fuit Apollodorus et Stephanus litem aestimavit quindecim talentis, *ἵνα ἀτιμώσειεν αὐτὸν καὶ παῖδας τοὺς ἐκείνου καὶ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν* — Apollodori uxorem — *καὶ ἡμᾶς ἅπαντας εἰς τὴν ἐσχάτην ἀπορίαν καταϛήσειε καὶ ἔνδειαν ἁπάντων. ἔτι δὲ καὶ ἡ ἑτέρα θυγάτηρ ἀνέκδοτος ἔμελλεν ἔσεσθαι, κτἑ.* Deinde pergit Theomnestus narrare Apollodoro iudicum suffragiis irrogatam fuisse mulctam unius talenti. Sed post *ἁπάντων* longa fuit inserta adnotatio, quam equidem libenter in marginem relegaverim: *μὴ ἐκτισθέντος δὲ τοῦ ὀφλήματος ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας διπλοῦν ἔμελλεν ἔσεσθαι τὸ ὄφλημα καὶ ἐγγραφήσεσθαι Ἀπολλόδωρος τριάκοντα τάλαντα ὀφείλων τῷ δημοσίῳ. ἐγγεγραμμένου δὲ τῷ δημοσίῳ ἀπογραφήσεσθαι ἔμελλεν ἡ ὑπάρχουσα οὐσία Ἀπολλοδώρῳ δημοσία εἶναι, πραθείσης δ' αὐτῆς εἰς τὴν ἐσχάτην ἀπορίαν καταϛήσεσθαι αὐτὸς καὶ παῖδες οἱ ἐκείνου καὶ γυνὴ καὶ ἡμεῖς ἅπαντες.* Emblema est in paucis inficetum.

§ 9 p. 1348: *ἀφικόμενος ἐπὶ δραπέτην αὐτοῦ [ζητῶν].* Ultimum vocabulum eiecit Dobraeus p. 519, eiecit Cobetus *Mnem.* 1855 p. 250; multi loci eam suspicionem confirmant, veluti in vicinia Nicostr. § 6 et 7 p. 1258; tamen Blassius hanc quoque rem ne verbo quidem memoravit, quum haud ita raro incertas suspiciunculas adscripserit.

§ 9 p. 1348: *παρασκευασάμενος ἀνθρώπους δούλους καὶ κατασκευάσας ὡς Κυρηναῖοι εἴησαν, προεῖπεν αὐτῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ*

φόνου. Impedita constructio; facilis correctio est: *κατασκευάσας ὡς Κυρηναίους, εἶτα πρ.* Quod Blassius coniunxit: *ἐπενέγκας γὰρ αὐτῷ αἰτίαν .... παρασκευασάμενοι ἀνθρώπους .... προεῖπον*, id sane non laudo.

§ 22 p. 1352: *νεωτέρα δὲ οὖσα διὰ τὸ μήπω τὴν ἡλικίαν αὐτῇ παρεῖναι*. Hic veteres interpretes, Iurinum dico, Toupium, G. H. Schäferum nihil attulerunt quod sit operae pretium describere. Herwerdenus *Mnem*. 1875 p. 357 una litura sanare voluit quod offensioni erat, Blassius commendavit: *ἀφανεστέρα δὲ οὖσα*, quae correctio nimis violenta est. Tenendum est autem quod Reiskius rectissime vidit *ἡλικίαν* iustam dici corporis staturam et proceritatem. Neaera iam corpore quaestum faciebat, necdum adulta erat. Scribam: *ἐργαζομένη μὲν ἤδη τῷ σώματι, νεωτέρα δὲ δοκοῦσα διὰ τὸ μήπω τὴν ἡλικίαν αὐτῇ παρεῖναι*. Cf. Boeot. de dote § 56 p. 1024, ubi pater de filia: *τὴν δ' ἡλικίαν αὐτῆς εἰ ἴδοιτε, οὐκ ἂν θυγατέρα μου ἀλλ' ἀδελφὴν εἶναι αὐτὴν νομίσαιτε.*

§ 39 p. 1358: *ὡς ἐξ ἀτελείας τε ἕξων καλὴν ἑταίραν καὶ [τἀπιτήδεια] ταύτην ἐργασομένην καὶ θρέψουσαν τὴν οἰκίαν.* Qui locum interpolavit, verbum *ἐργάζεσθαι* non rectissime intellexit.

§ 55 p. 1364: *ψυχαγωγούμενος ἐν τῇ ἀσθενείᾳ [τῇ θεραπείᾳ] ὑπὸ τῆς Νεαίρας.* Inutile additamentum. Itidem § 59 p. 1365 et § 72 p. 1369 plane supervacanea verba sunt: *τὴν τῆς Νεαίρας θυγατέρα.*

§ 62 p. 1366: *Στέφανον τουτονὶ τὸν ἔχοντα ταύτην νυνί.* Proclive est restituere: *ταυτηνί.*

§ 65 p. 1367: *μεταπεμψάμενος εἰς ἀγρὸν ὡς θύων.* Dicendum utique hoc fuit: *ὡς θύσων.*

§ 66 p. 1367: *ἐὰν τις ἀδίκως εἵρξῃ ὡς μοιχόν, γράψασθαι πρὸς τοὺς θεσμοθέτας [ἀδίκως εἰρχθῆναι].* Hoc quoque apertum.

§ 73 p. 1370: *οὐδεὶς ἄλλος Ἀθηναίων τοσούτων ὄντων εἰσέρχεται ἀλλ' ἢ ἡ τοῦ βασιλέως γυνή.* In fine supple: *μόνη.*

§ 73 p. 1370: *ἐξεδόθη δὲ τῷ Διονύσῳ γυνή*, coll. § 76 p. 1371 et § 110 p. 1383. Hos locos adscribere debueram, cum de Messalinae nuptiis agebam *Mnem.* 1892 p. 410.

§ 84 p. 1373. Qui dicitur *Θεογένης Ἐρχιεύς*, idem § 72 p. 1369 fuerat *Κοθωκίδης·* cf. Kirchner. *Mus. Rhen.* XL 1885 p. 385.

§ 85 p. 1373. Prorsus sunt inutilia verba: *τοῦ ὁρᾶν καὶ θύειν καὶ ποιεῖν τι τῶν νομιζομένων ὑπὲρ τῆς πόλεως πατρίων.*

§ 85 p. 1374: *οὐκ ἔξεϛιν αὐτῷ ἐλθεῖν εἰς οὐδὲν τῶν ἱερῶν τῶν δημοτελῶν, εἰς ἃ καὶ τὴν ξένην καὶ τὴν δούλην ἐλθεῖν ἐξουσίαν ἔδοσαν οἱ νόμοι καὶ θεασομένην καὶ ἱκετεύσουσαν εἰσιέναι.* Ultimum vocabulum indicio est, bis corrigendum esse *εἰσελθεῖν.*

§ 92 p. 1376: *ἕτερός ἐϛιν ἐφ' ἅπασι τούτοις κυριώτατος νόμος κείμενος.* Satis est scribere *κύριος.*

§ 94 p. 1377: *καὶ ἔτι καὶ νῦν τῆς ἀνδραγαθίας αὐτῶν ὑπομνήματα ἡ ἐν τῇ ποικίλῃ ϛοᾷ γραφὴ δεδήλωκεν.* Singularem numerum requiro: *ὑπόμνημα* et in fine verbum *δεδήλωκεν* mire abundat.

§ 99 p. 1379: *ὕδωρ γὰρ γενόμενον τῆς νυκτός.* Dicitur hoc perpetuo *ἐπιγενόμενον.*

§ 103 p. 1380: *ἁλούσης τῆς πόλεως κατὰ κράτος.* De Plataeis hic sermo fit; sed prorsus discrepat id quod Thucydides tradidit III 52.

§ 108 p. 1382: *εἶτα τὴν τοιαύτην καὶ περιφανῶς ἐγνωσμένην ὑπὸ πάντων γῆς περίοδον εἰργασμένην ψηφιεῖσθε ἀϛὴν εἶναι;* Non praesto lectionis sinceritatem, sed si orator ita scripsit, G. H. Schäfero assentior respici locutionem *περίοδον νικᾶν*, de

qua Casaubonus egit Animm. ad Athenaeum p. 708, unde etiam dicti *περιοδονῖκαι*. Deinde Blassius recte contulit Hermogenis locum p. 308 Walzii: *τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας ὠβελισμένον ὑπό τινων, τὸ ἀπὸ τριῶν τρυπημάτων τὴν ἐργασίαν πεποιῆσθαι*. Satis verosimilis mihi scriptura videtur: *ἐγνωσμένην ὑπὸ πάντων (ἀπὸ τριῶν τρυπημάτων) γῆς περίοδον εἰργασμένην*. Similiter de Theodora Procopius.

§ 109 p. 1382. Particula excidit: *καί(τοι) τί καλὸν φήσετε διαπεπρᾶχθαι;*

§ 113 p. 1383: *προπηλακισθέντος δὲ τοῦ νόμου ὑφ' ὑμῶν ἀποφυγούσης ταύτης*. Admodum languet quod adhaeret: *καὶ ἀκύρου γενομένου*.

§ 113 p. 1384: *ἡ τῶν πορνῶν ἐργασία ἥξει εἰς τὰς τῶν πολιτῶν θυγατέρας, [δι' ἀπορίαν] ὅσαι ἂν μὴ δύνωνται ἐκδοθῆναι*. Etiam hic interpolatio incommoda sede arguitur.

§ 115 p. 1384: *ἐνθυμεῖσθε τοῦτο μόνον, εἰ Νέαιρα οὖσα ταῦτα διαπέπρακται*. Nemo, credo, ita loquitur: reponam: *ἐνθυμεῖσθε τοῦτο μόνον ὅτι ἑταίρα οὖσα ταῦτα διαπέπρακται*. De Neaera modo sermo fuerat.

§ 122 p. 1386: *τὸ γὰρ συνοικεῖν τοῦτ' ἔστιν ὃς ἂν παιδοποιῆται καὶ εἰσάγῃ εἴς τε τοὺς φράτερας καὶ δημότας τοὺς υἱεῖς, καὶ τὰς θυγατέρας ἐκδιδῷ ὡς αὑτοῦ οὔσας τοῖς ἀνδράσι. τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος, τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν*. Scio quidem haec verba ab Athenaeo laudari XIII p. 573 B, nec tamen mihi persuadeo tam elumbem adnotatiunculam oratori debere tribui. Nihil mirum talia ex margine migravisse in textum.

DE LEPIDA QUADAM APUD POLLUCEM FABULA IN INTEGRUM RESTITUENDA.

Sacrificii apud Boeotos, quod *pomis* fiebat, originem explicat Pollux (I, 30 sq. Bekk.) suavissima narratiuncula, sed vitia quaedam eam adeo perturbant ut ne intelligi quidem possit. Haec tamen nullo negotio tolli possunt, quo facto suus ioco nitor redditur.

ἐνειστήκει μὲν γὰρ ἡ πανήγυρις τοῦ θεοῦ, καὶ κατήπειγε τοῦ θύειν ὁ καιρός, τὸ δὲ ἱερεῖον ἄρα κριὸς ἦν. καὶ οἱ μὲν ἄγοντες ἄκοντες ἐβράδυνον (ὁ γὰρ Ἀσωπὸς ποταμὸς οὐκ ἦν διαβατός, μέγας ἄφνω ῥυείς), οἱ δ' ἀμφὶ τὸ ἱερὸν παῖδες ὁμοῦ παίζοντες ἀπεπλήρουν τῆς ἱερουργίας τὸν νόμον· λαβόντες γὰρ μῆλον ὡραῖον κάρφη μὲν ὑπέθεσαν αὐτῷ τέτταρα, δῆθεν τοὺς πόδας, δύο δ' ἐπέθεσαν ἅ μ α (τὰ δ' ἦν τὰ κέρατα) καὶ κατὰ τοὺς ποιητὰς ἀποθύειν ἔφασαν τὸ μῆλον ὡς πρόβατον.

Hic Bekkerus *ἅμα* omittit, et profecto inepte ea vox abundat, sed sananda est, non recidenda. Adest autem certa lenisque medicina: *κάρφη* quatuor supposuerunt, duo *alia* capiti imposuerunt. Lege ergo *ἄλλα*. Sed hoc levius. Graviori morbo ultima laborant. Qui poetae illi sint qui aut ipsi pomum tamquam ovem immolarint, aut ab aliis factum illud narrarint nemo unquam inveniet. Solita terminationum confusione *τοὺς ποιητάς* natum est e *τὸν ποιητήν*, totusque locus sic refingendus: *καὶ κατὰ τὸν ποιητὴν ἀποθύειν ἔφασαν [τὸ] μῆλον [ὡς πρόβατον].* Cum crura cornuaque pomo suo addidissent pueri, laeti: „en" exclamarunt „iam offerimus deo id quod Homerus *μῆλον* appellat". Non est quod miremur his a Polluce addi: *ἡσθῆναί τε λέγεται τῇ θυσίᾳ τὸν Ἡρακλέα.*

J. J. HARTMAN.

DE MERCURIO, QUI ΨΥΧΟΠΟΜΠΟΣ DICITUR.

SCRIPSIT

J. VAN WAGENINGEN.

(AD VERG. AEN. IV 242—246).

Cum Mercurius Iovis patris dictis parens talaribus iam pedibus subnexis iter Carthaginem ad Aeneam cohortandum parat, poeta haec de eo addit (Aen. IV 242 sqq.):

tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
pallentes, alias sub Tartara tristia mittit,
dat somnos adimitque et lumina morte resignat.
illa fretus agit ventos et turbida tranat
nubila.

Quid vv. 242 sq. sibi velint, perspicuum est. Mercurius enim tamquam animarum custos sive ταμίας τῶν ψυχῶν [1]), ut Pythagorei eum appellant, non modo umbras hominum mortuorum virga sua sive ῥάβδῳ [2]) ad inferos ducere dicitur, sed etiam Orco evocare animas eorum, qui mox in terra reviviscent. Tangit poeta hoc loco Pythagoreorum de animarum migratione (μετεμψυχώσει) doctrinam [3]), quam ipse Anchisam pluribus verbis exponentem facit, VI 748 sqq.:

1) Diog. Laert. VIII 31.

2) Nonnumquam virga haec a caduceo distinguitur, velut in ampulla quadam Attica, ubi Mercurius fictus est laeva τὸ κηρύκειον, dextra τὴν ῥάβδον tenens; cf. Preller-Robert I[4] p. 404, A. 2.

3) Corssen, Mus. Rhen. 41, 244—245.

has (sc. manes) omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium *deus* evocat agmine magno,
scilicet immemores supera ut convexa revisant
rursus et incipiant in corpora velle reverti,

quo loco sine ulla dubitatione per „deum" illum divus caducifer significatur.

Idem munus „animas sub Tartara mittendi easdemque evocandi" ei tribuitur a Petronio, Sat. 140: „Mercurius enim qui animas ducere et reducere solet", nec mirum est, quem deum iam antiqui sibi finxerant et *χθόνιον* et *ψυχοπομπόν*, eidem a Pythagoreis hoc officium animas in vitam reducendi impositum esse. Recte enim Corssenus l.l. animadvertit poetam non cogitasse de Mercurio *per occasionem* animas ex Orco ciente (velut artifices eum Proserpinam et Eurydicen [1]) ab Acherunte reducentem finxerunt), neque de deo quem vulgo implorare solerent, ut animas ab inferis excitaret [2]), sed de *perpetuo* quodam munere eius, quo certis temporibus terrestrem vitam mortuis redderet, sicut eosdem antea „laetis sedibus reposuisset" [3]).

Neque tamen omittendum est apud Homerum plerumque manes nondum ope dei uti, ut ad inferos descendant, sed nullo duce ipsos sponte sua post mortem domum Ditis petere [4]). Poeta demum ille, qui ultimum Odysseae librum composuit, umbris procorum Penelopae Mercurium comitem adiunxit, sive hoc ipse excogitavit, sive veterem opinionem aliquam popularem ex regione quadam Graeciae primus in Homeri carmina introduxit [5]), Od. 24, 1—5:

Ἑρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
ἀνδρῶν μνηστήρων· ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν
καλὴν χρυσείην, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει·
τῇ ῥ' ἄγε κινήσας, ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.

Itaque Mercurius procorum animas domo Ulixis evocat (ἐξεκα-

---

1) Cf. Preller-Robert 1⁴ p. 405.
2) Aesch. Pers. 628.
3) Hor. C. I 10, 17.
4) Hom. Il. 22, 362; 23, 100; Od. 10, 560.
5) Rohde, Psyche 9—10.

λεῖτο), non eas ex corporibus protrahit [1]), nam anima non est pars quaedam corporis, sed imago toti corpori, ex quo discessit, simillima [2]); tantum caret sensu, voce humana — dicitur enim stridere (τρίζειν) — carne, ossibus, nervis, praecordiis, sed acies oculorum ei non deest, nam Mercurium ducem videre et sequi, quin etiam sanguine hostiae poto [3]) hominem vivum manes excitantem agnoscere potest.

Quae verba deinde in proximis versibus de vi virgae sequuntur, τῇ τ' ὄμματα θέλγει, ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει, Mercurium, deum somni, inducunt tribuuntque ei potestatem diversam ab ea, propter quam ψυχοπομπὸς dicitur. Nam ubi eadem verba apud Homerum leguntur [4]), non de morte sed de somno sermo est, id quod imprimis apparet ex Hom. Il. 24, 445, quo loco a Mercurio, qui paulo ante (vs. 343) virgam manu tenens profectus esse dicitur ad Priamum intra castra Graeca ducendum, vigiles Graecorum sopiri facit poeta:

τοῖσι δ' ἐφ' ὕπνον ἔχευε διάκτορος Ἀργεϊφόντης.

Neque dubium esse opinor, quin Vergilius per illud (vs. 244):

dat somnos adimitque

verba Homeri expresserit, neque facile mihi persuadeat Corssenus, qui „somnos" hoc loco non proprie dictum accipit, sed de somno mortis intellegit, provocans et ad verba sequentia „et lumina morte resignat" et ad locum Hymni Orphici [5]) in Mercurii χθονίου honorem compositi, qui mirum in modum cum Vergilio consentit. Corssenum ut refellam, fieri non poterit, antequam primum sententiam meam de verbis „et lumina morte resignat" exposuero. Quaeritur, quid significet h. l. verbum resignandi, qua de re viri docti inter se dissentiunt. Alii,

---

1) Preller-Robert I⁴ 407: „alle Seelen der Verstorbenen ... *aus* ihren Leibern abhole" (sc. Hermes).

2) Rohde, Psyche 9—10.

3) Hom. Od. 11, 143 et 153.

4) Od. 5, 47; Il. 24, 343.

5) Orph. Hymn. LVII 5 sqq.:

ὃς παρὰ Περσεφόνης ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις,
αἰνομόροις ψυχαῖς πομπὸς κατὰ γαῖαν ὑπάρχων·
ἃς κατάγεις, ὁπόταν μοίρης χρόνος εἰσαφίκηται,
εὐιέρῳ ῥάβδῳ θέλγων ὑπνοδώτιδι πάντα
καὶ πάλιν ὑπνώοντας ἐγείρεις.

ut Ladevigius et Bellingius, putant idem posse valere resignare atque signare = „verzegelen", quod prorsus nego, neque opus esse existimo huic verbo aliam sententiam atque vulgarem obtrudi et Vergilium verborum novatorem haberi, si significatio, quam verbum vulgo habet, in hunc quoque locum quadret. Alii, quorum est recentissimus Aeneidos editor Deuticcius, iure sensum usitatum verbi retinentes, locum ita interpretantur, ut „morte" ablativus separativus sit vertuntque „er entsiegelt, d. h. öffnet die Augen, denen der Tod gleichsam sein Siegel aufgedrückt hatte" [1]). Haec explicatio si vera est, altera oritur quaestio, cur Mercurius oculos mortuorum aperiat. Respondent interpretes: „quod vitam fugientem revocet vel quod mortuos resuscitet". Sed qui ita ratiocinantur, statuere coguntur hoc versu (244) eadem dici et iterari, quae iam supra (242 sq. „animas evocat Orco") dicta sint, Mercurium scilicet mortuos ab inferis excitare. Cum tamen huic interpretationi obstent et molesta sint verba intercedentia „dat somnos adimitque", si ea de hominibus dormientibus intellegantur, pars interpretum, ut Corssenus, „somnos" per translationem de morte [2]) usurpatum esse putat, pars, ut Deuticcius, inclinat in eandem sententiam, retinetur tamen loco Statii [3]), qui Vergilium imitatus „somnos" proprie dictum accepit. Sed mihi non veri simile esse videtur Vergilium rem ita simplicem et perspicuam, quemadmodum Mercurii munus evocandi animas et ad inferos ducendi (vs. 242 sq.) dico, verbis obscuris et multis ambagibus iteraturum fuisse, nec satis causae est, cur uno loco Hymni Orphici [4]) permoti, verba „dat somnos adimitque" de morte intellegamus, cum et verba Graeca Homeri [5]), ad quorum exemplum Latini versus pacti sunt, ad dormientem pertineant, nec Statius locum Vergilianum aliter interpretatus esse videatur. Itaque mea quidem sententia

1) Alii, ut v. d. Vliet, intellegunt „morte" de somno et immobilitate oculorum, ita ut „lumina morte resignat" idem significet quod „adimit somnos", quae interpretatio haud veri similis mihi videtur.

2) Cf. p. 44.

3) Theb. I 306 sqq.: „tum dextrae virgam inseruit, qua pellere dulces aut suadere iterum somnos, qua nigra subire Tartara et exsangues animare adsueverat umbras".

4) Cf. p. 44, 5.

5) Cf. p. 43.

nondum vera loci explicatio reperta est latetque aliquid in verbis „lumina morte resignat", quod nos adhuc fugit, idque aliam viam ingressus scrutari atque eruere conatus sum.

Exstat autem apud Plinium Nat. Hist. XI 150 hic locus: „morientibus illos (sc. oculos) operire rursusque *in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est*, ita more condito ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit et caelo non ostendi nefas". Nulla causa esse videtur, quamobrem dubitemus, verene hic usus a Plinio traditus sit; tantum licet id ambigi, num recte perspexerit, quid Quirites sibi propositum haberent, cum mortuis oculos in rogo patefacerent. De eiusmodi iustis funebribus et exsequiarum consuetudinibus nuper egit v. d. W. Caland [1]), qui Frazerum [2]) suspicantem: „the Romans and apparently the Siamese opened the dead mans eyes at the funeral pyre, just as we should unbandage the eyes of an enemy after conducting him to his destination", oppugnans ipse hanc probat sententiam: „in Anschluss an das oben Dargelegte [3]) könnte man eher zur der Meinung geneigt sein, dass dem Todten jetzt die Augen geöffnet werden (bzw. die Bedeckung von den Augen weggenommen wird), *damit er im Jenseits richtig den Weg erkennen könne*". Calandius rem acu tetigisse mihi videtur. Itaque statuere ausim hanc ob causam oculos mortuis in rogo iacentibus aperire Romanos solitos esse, ut defunctorum animae (quas, ut supra demonstravimus, ipsas sine ullo duce Ditis domum petere Graeci olim credebant) descendentes ad inferos viam invenire possent. Quoniam vero vel poeta ultimi Odysseae libri vel vulgaris populi opinio umbris hominum Mercurium ducem comitemque inferni itineris addidit atque quem deum iam antiqui sibi finxerant *χθόνιον*, idem *ψυχοπομπὸς* sive *ψυχαγωγὸς* factus est, non mirandum est, si poeta Romanus, cum cives suos hac vetere consuetudine oculos mortuorum

1) Museum, 1902, n°. 2, Parallelen zu den Altindischen Bestattungsgebräuchen, 37.

2) Journ. Anthr. Inst. XV, p. 71.

3) Sc. Museum, l. l. 36: „In Irland glaubte man früher, dass: „if the corpse be buried with the feet tied, the spirit will be hindered in its movement in the next world". Dies alles spricht deutlich: der Verstorbene wird gefesselt, damit er nicht heimkehre und den Ueberlebenden schade; ehe er jedoch die Reise ins Jenseits antritt, werden ihm die Bände abgenommen, damit der Geist sich frei bewege".

in pyra iacentium aperiendi uti videret, novum munus „lumina morte resignandi" huic deo caducifero tribuit. Aliquid tale, ut deo videlicet alicui a poëta tribuatur quod proprie hominis est, factum esse mihi videtur, ubi Vergilius (Aen. IV 696 sqq.) Irim inducit „dextra crinem Elissae morientis secantem, ut hunc Diti consecret animamque reginae corpore solvat". Nam sicut sacerdotes bovem immolantes pilos aliquot inter cornua eius abscidere et in ignem imponere consueverant [1]), ita hic mos antiquorum [2]) videtur fuisse, ut morientibus unus ex propinquis adstantibus crines aliquot desecaret, quibus desectis mortui victimis similes, dis infernis devoti putarentur [3]). Cuius moris Vergilius, veterum rituum peritissimus poëta, memoriam revocavit [4]), sed ita eum mutavit, ut plerumque Proserpinae, nonnumquam Iridi, siquidem mors voluntaria est, eas desecandi partes agendas daret. Similiter igitur Mercurio nova quaedam potestas a Vergilio delata est, ita ut vis virgae eius triplex sit. Ea enim èt animas e vita migrantium ducit reducitque èt somnos dat adimitque èt oculos mortuorum in rogo aperit. Ita locus (Aen. IV 242 sqq.) ab omni parte recte se habere videtur.

---

1) Cf. Aen. VI 245.

2) De Graecis cf. Eur. Alc. 74 sqq., ubi Θάνατος eodem munere fungitur.

3) F. Wieseler, Philol. IX 712: „sein oder das Haar hingeben bedeutet sein oder das Haupt als Opfer darbringen, sich oder ein anderes Wesen dem Tode weihen; das Haarabschneiden, in sofern es von oder an Menschen geschieht, vertritt die Stelle des Menschenopfers". Cf. p. 714 et praesertim Plin. ep. VII 27, 12 sqq.: „reis moris est summittere capillum".

4) Macr. Sat. V 19, 4 sqq.

AD PLUTARCHUM.

Flamin. c. 5 (Sint.). Graeci quotquot Flamininum conspexerant, *τὰς πόλεις ἀπιόντες ἀνεπίμπλασαν ἐννοίας τῆς πρὸς αὐτὸν ὡς ἐχούσας ἡγεμόνα τῆς ἐλευθερίας*. Urbes, quo Flam. *nondum venerat*, dici non possunt *habere* (*ἐχούσας*) eum. Legendum puto: *ἐχούσης*. Sic enim fere illi homines loquebantur: „Graeciae libertas nacta est ducem qui pro ea pugnet". J. J. H.

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e Vol. XXXI pag.* 407.)

XVIII.

AD SEX PRIORES ANNALIUM LIBROS ANNOTATIONES VARIAE.

Dicta iam antea (Vol. XXXI p. 134 sqq.) hic repetam sed novis stabilita argumentis:

A. I, 1. „Tiberii Gaiique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt."

Haec ego nunquam concoquere potui, sed quotiescunque Annales legere incipio in his verbis haereo. Atque revera molesti aliquid inesse, quod frustra removere sit conatus, ultro indicat Nipperdeius hac annotatione: „*florentibus* . . . *falsae* ist Apposition zu *res*, und *falsae* („verfälscht", obwohl es das Adjektiv ist) steht in keiner Verbindung mit *compositae sunt*." Quid ais vir praestantissime? *Nullane ratio* intercedit inter vocabula quae sunt *falsae* et *compositae sunt*? Immo vero, nisi hic, quocunque tandem modo, *compositae* eandem nanciscitur vim, quam *falsae* habet (Gr. *κατεψευσμέναι*), nulla arte sanus ex hoc loco sensus extorqueri poterit. Egregie hanc opinionem confirmat Iosephus, qui (XX, 154 Nab.) prorsus eandem sententiam sua amplificat ubertate: *πολλοὶ γὰρ τὴν περὶ Νέρωνα συντετάχασιν ἱστορίαν, ὧν οἳ μὲν διὰ χάριν, εὖ πεπονθότες ὑπ' αὐτοῦ, τῆς ἀληθείας ἠμέλησαν, οἳ δὲ διὰ μῖσος καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀπέχθειαν οὕτως ἀναιδῶς ἐνεπαρῴνησαν τοῖς ψεύσμασιν ὡς ἀξίους αὐτοὺς εἶναι καταγνώσεως.* Vides eundem in Iosephi verbis tenere locum vehementem illam

mendacii significationem *ἀναιδῶς ἐνεπαρῴνησαν τοῖς ψεύσμασιν*, quem apud Tacitum occupet lene istud et omni reprehensione vacuum *compositae sunt*: atqui, si in *compositae* nulla inest reprehensio, Taciti sententia prorsus omni vi atque sensu caret. Dixeris inde participium *compositae* reprehensionis satis obtinere, quod ablativus *recentibus odiis* accedat: „cum odio enim res componere" esse „in componendo veritatem nihili facere." At sic *recentibus odiis* ablativus fit *modi*, qui dicitur: id autem voluisse Tacitum pertinaciter nego. Si cum scriptore, aequabilitatis studioso, nobis res esset, haec haberemus: „viventibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, ob recentia odia compositae sunt" aut: „viventibus ipsis metu falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt." Tum vero nemo tam traditae esset tenax lectionis, qui non in *compositae* latere vitium agnosceret. Tacitus autem aequabilitatem vitat; scribit ergo: *ob metum* — *odiis*, sed sententia prorsus eadem est ac si *metu* — *odiis* vel *ob metum* — *ob odia* scripsisset. Ergo nunc apud Tacitum latere vitium, et pro *compositae* requiri *corruptae* vel eius modi aliquid erit confitendum.

A. I, 6. „Agrippae mortem ab ipso Augusto iussam Tiberius simulavit" Tacitus ait, tum sic pergit:

„Multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatusconsulto sanciretur perfecerat: ceterum in nullius unquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat."

Ultimum vocabulum *erat* corruptum esse mihi constat; sanum crederem, si hic referrentur argumenta, quibus ducti *senatores* Tiberii de patris iussis mendacio fidem non habuerint. At nunc *ipse secum* disputat Tacitus et primum quidem *concedit* aliquid, quo ad patrem insimulandum uti potuerit Tiberius (*concedendi* enim vim illud „sine dubio" habet), deinde ipse idem illud infirmat hac observatione: „ceterum in nullius unquam necem duravit." Postremo quo ipse deliberatione illa ducatur sic exponit: „propius vero Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse." Satis, ut opinor, nunc apparet *erat* aut omittendum aut pro eo *est* legendum esse.

A. I, 7. Ut appareat astute callide fraudulenter egisse mendaciisque usum Tiberium, cum omnia sic ageret loquereturque tamquam si de se imperatore neque cogitaret ipse neque omnino cogitari posset, haec profert Tacitus:

„Ceterum defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat." *Defuncto Augusto*: ergone cetera omnia, quae hic narrantur, quibusque una haec res *opponitur*, vivo etiamtum validoque Augusto facta sunt? Immo vero ad idem tempus cuncta pertinent, cum aut iam exspiravisset Augustus aut in articulo mortis esset. De iis, quae proxime praecedunt, vel manifestissimum illud est: „de honoribus parentis consulturum, neque abscedere *a corpore*, idque unum ex publicis muneribus usurpare." Post illam *corporis* commemorationem *continuo* sic pergere; „sed *defuncto* Augusto e. q. s." quam sit ineptum vix iam dicere opus. Sed in integrum restituitur locus, si ante *defuncto* vocula *vix*, aliave in eandem sententiam inseritur.

A. I, 22. Discordes Pannoniae milites iam et alia turbulenta fecerunt multa et carcere effracto desertores rerumque capitalium damnatos liberaverunt. Inde eorum unus, ante Blaesi legati tribunal allevatus umeris, sic declamare incipit:

„Vos quidem his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis; sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat."

Potestne hic verbi *iugulavit* omitti subiectum? Non opinor, sed ut omnia sint perspicua, utque id quod sequitur: „responde, Blaese, ubi cadaver abieceris," et quo referatur habeat et suam sibi obtineat acerbitatem, legendum censeo *iugulavit iste*. Facile excidere pronomen illud potuit. Nam ad quem locum vulgo hic provocatur, eum ego *integrum* hic afferam: plerumque enim id omittitur unde appareat . . . . praesidii in eo nihil esse (A. II, 70):

„*Simul missi a Pisone incusabantur*, ut valitudinis adversa rimantes. Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta. Si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi, quid infantibus

liberis eventurum? Lenta videri veneficia, festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat."

Neque hoc negligendum eum, qui popellum alloquatur, digito monstrare homines quos accusat, longe aliam esse eius orationem, qui solus secum de adversariis suis cogitat.

A. I, 32. In Germania ardente militum seditione:

„Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum iuvenis et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit."

Ut illud *tum iuvenis* habeat quod recte opponatur, pro *adeptus* legendum est *adepturus.*

A. I, 34. „Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti *seque proximos et* Belgarum civitates in verba eius adegit."

Sic est in codice. Nipperdeius: „Sequanos proximas et e. q. s." quae coniectura nihil habet quo se commendet. Hoc requiritur: „Germanicus, ut quantocius Tiberium imperatorem a se agnosci ostenderet, et ipse statim in nomen eius dedit iusiurandum, et quoscunque in vicinia habebat milites in idem sacramentum adegit." Sed ipsa verba non praesto. Deinde sic narrare pergit Tacitus:

„Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectisque in terram oculis velut paenitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere; et quidam *prensa manu eius* per speciem exosculandi *inseruerunt digitos* e. q. s." Hic quoque de sensu constat, dubitationem enim eximunt quae statim sequuntur: „ut vacua dentibus ora contingeret." Sed quibus verbis usus sit Tacitus frustra quaero; iis usum quae tradita sint confidenter nego. Salva enim Latinitate ista: „prensa manu eius inseruerunt digitos" aliud nihil quam hoc significare possunt: „milites Germanici manum prehenderunt atque huic manui suos digitos inseruerunt." Quod est absurdissimum.

A. I, 61. Ad saltum Teutoburgensem, in quo Varianarum legionum reliquiae insepultae dicebantur, Germanicus pervenit, cupidoque eum invadit militibus ducique iusta solvendi:

„incedunt maestos locos visuque ac memoria deformis. Prima

Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant."

Obsecro num agri mensoribus castrorumque metatoribus opus est ut intelligas castra quaedam, iam vacua et relicta, olim ingentem capere potuisse militum numerum, videasque tantum in iis ponendis insumptum fuisse laboris ut perfici nisi a tribus legionibus non potuerint? Apage ineptias, sed ut sanus existat sensus beneque cohaereant verba, certissima emendatione lege: *immensis principiis*. Omnino in deliciis Tacito adiectivum *immensus*, cf. II, 14: immensa scuta; II, 12: immensum agmen.

A. I, 74. Multis criminibus accusatur Granius Marcellus, quorum unum eiusmodi est ut gravissima in reum ira exardescat Tiberius; sed lepidissima eum interrogatione unus senatorum confutat:

„Permotus his, quantoque incautius efferverat, paenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis."

Sanum esse nequit *paenitentia patiens*, non propter adiectivi positivum gradum, sed quia *patiens*, sic nude positum, sensu vacuum est. Soni autem similitudo quaedam, quae est in vocabulis *penitentia* et *patiens*, efficit ut admodum credibile videatur hoc e librarii natum errore. Requiritur fere *paenitentiae propior*: quo incautius efferverat eo citius ad paenitentiam veniebat.

A. II, 69. Ut bene teneatur cur mihi hic pauca quaedam vocabula suspecta sint, accurate totius narrationis decursus est observandus. Iam inimicitiae inter Germanicum et Pisonem ortae sunt gravesque contumelias provocarunt. Piso abire e provincia statuit, sed retinet eum adversa Germanici valetudo. Reficitur Germanicus, exsultat gaudio Antiochensium plebs, quam iratus per lictores Piso disturbat. Tum (i. e. post priorem illum Germanici morbum, quo — si vera sunt quae hic narrantur — iam excitatam aliquam de Pisonis nefariis consiliis suspicionem consentaneum est) Piso:

„Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem, quae rursum Germanico acciderat."

Hactenus omnia optime procedunt: sequentia videamus:

„Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti."

Hoccine bene ad ceteram narrationem quadrat, vel — nam hoc primum videamus — ipsi rei, de qua agitur, naturae respondet? Non opinor. Si quis aeger pro certo credit venenum sibi datum, aliamve ob causam persuasum sibi habet de se actum esse, irriti sunt medicorum conatus, aut, si iam recreatur aeger, multo lentius illud fit difficiliusque quam si optima quaeque de eorum arte sperat. Sed *vis* morbi tristi illa opinione non augetur, nam sicubi illa vox legitur, praesertim addito adiectivo *saeva,* de *primo* morbi *impetu* cogitamus. Praeterea prius edocere legentes saevam vim morbi fuisse, tum addere quid eam auxerit etiam, praestat quam duas hasce res in unam contrahere sententiolam. Non ergo sine causa suspicio mihi nata est scripsisse Tacitum: „saeva vis morbi augebat persuasionem veneni a Pisone accepti." Hoc multo melius cum praecedentibus concinit: iam antea venenum sibi a Pisone datum et ipse crediderat Germanicus et amicis dixerat; tum vero ipsa morbi ea erat vehementia ut opinio ista, quae paulo antea, recreato iam Germanico, in praesentia elanguerat, nova vi resurgeret. Et vide quam egregie nunc sequentia annectantur, quae, si tradita retinetur lectio, vix quidquam quo referantur habent: „et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones e. q. s." i. e. iamque adeo invaluerat illa persuasio ut certa sceleris conquirerentur indicia, moxque revera inventa ea sunt.

A. III, 67. C. Silanus, pro consule Asiae repetundarum accusatur; ingens est accusatorum numerus, quorum vel maximam habent auctoritatem ipse Silani quaestor et legatus; quin nocens esset reus dubitari non poterat:

„Sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa ... non temperante Tiberio quin premeret voce vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur."

Quis, quaeso, prohibebat quominus Silanus refelleret aut eluderet interrogantem? Ipse, ut opinor, qui interrogabat. Tam crebrae erant eius quaestiones ut verbum interponere reus non posset, ita enuntiabantur ut brevi simplicique opus esset responso: eludendi facultatem reo plane adimebat Tiberius. Lenissima ergo emendatione pro *dabatur* lege *dabat*: nulla est in codicibus

confusio frequentior quam illa formarum activarum passivarumque. Et ne dubites quin necessaria emendatio sit, adspice quae continuo sequuntur: „ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra *quaesivisset*": si iam aliqua quaestio ita a Tiberio enuntiabatur ut eludendi facultas quaedam esset, uti tamen illa reus non poterat, quin — id quod maxime vitandum — ridiculum redderet interrogantem.

A. IV, 6. Primos Tiberii annos et aliis nominibus laudat Tacitus et hoc quod:

„Mandabat honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse."

Ultima non intelligo; intelligerem vel: *ut constet* ... *fuisse* vel *ut constaret* ... *esse*. Quid enim rei est? Coniunctio *ut* hic non habet vim Graecae *ἵνα*, sed idem valet quod *ὥστε*. Non licet Taciti verba sic interpretari ut hic evadat sensus: „hoc Tiberius spectabat ut aequales scirent nullos potiores fuisse, quibus honores mandaret"; nam si quis ita verteret, uno vocabulo *satis* eum facile erroris convinceremus. Hoc enim cum addiderit Tacitus, diserte declarat se *suam* proferre opinionem, ad quam post aliquam deliberationem pervenerit. Quapropter pro *constaret* legendum censeo *constet*, ut hoc dicat Tacitus: „hac re considerata pro certo *affirmare ausim* non alios potiores fuisse."

Simili vitio hic locus (IV, 74) laborat. Commemorata abiecta illa adulatione qua senatus Tiberium Seianumque, cum relicta sua insula aliquanto propius ad urbem accederent, sit prosecutus, haec adduntur:

„Satis constabat auctam ei arrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti."

Non, ut opinor, Romanorum qui Tiberii Seianique tempore vixerunt, hic iudicium quoddam refertur; iure enim nostro rogaremus, quomodo illorum hominum communis ista opinio Tacito innotescere potuerit, certe ab eo nunc rem aliquam narratum iri exspectaremus, quae documento esset iam olim eam fere civium fuisse sententiam. Sed, nisi omnia me fallunt, quid ipse censeat Tacitus hic exponit, vel potius quid apud *plerosque*

historicos, quorum libros de hac aetate inspexit, invenerit. Ergo *satis constat* legendum.

A. IV, 11. Ut ineptam fabellam de veneno ab ipso Tiberio Druso filio tradito refutet (Seiani nempe fraude non solum pellectum Lygdum libertum ut venenum Druso pararet sed etiam Tiberio persuasum filium ei nefarias struere insidias, Tiberium ergo poculum, quod ut vitaret monitus esset, oblatum accepisse ipsique filio ebibendum dedisse, rumor ferebat) et aliis utitur argumentis Tacitus et hoc:

„Quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur?"

Utique post *compertum* inserendum est *filium*. Sic demum *extraneos* habebit quod recte opponatur, et *unicum* dicere pro *unicum filium* ne Latinum quidem videtur.

A. IV, 12. In funere Drusi populus gaudium suum vix dissimulabat quod illius iuvenis morte spes esset renata e Germanici liberis aliquem fore imperatorem. Hoc ipsum et illis et matri Agrippinae funestum fuit:

„Nam Seianus, ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum et quia prima provenerant, volutare secum quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio."

Sana haec esse nequeunt: *ferox animi* quid sit novi et *ferox linguae* et similia, sed e vocibus *ferox scelerum* nullo modo aptus extundi sensus poterit. Ne si sermonis legibus vim facimus immanem quidem, dicimusque eodem redire *ferox scelerum* et *ferox sceleribus*, quidquam proficimus, quoniam verba *ferox sceleribus* hominem designant ipsis sceleribus audacem factum i. e. hominem qui propter priorum scelerum successum nihil iam reformidat: quod prorsus idem est atque illud quod continuo sequitur: *quia prima provenerant.* At non una sed duae causae hic afferuntur, quibus ad novum facinus adductus sit Seianus. Eae autem sunt: successus priorum scelerum et .... quid putas? Ipsius, ut opinor, ingenium: huius utique facienda hic mentio, haec sola causa cum altera illa recte iungi potest.

Habebimus hoc, si lenissima emendatione pro *ferox* legerimus *ferax*: scelerum ferax erat Seianus, comparari poterat cum agro, in quo omne herbarum nocentium genus sponte proveniat.

A. IV, 35. Cremutius Cordus, accusatus quod in libris suis Brutum Cassiumque laudasset, vitam abstinentia finivit. Libros eius cremandos censuerunt: frustra, nam etiam nunc vulgo leguntur:

„Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere."

„Intelligi haec nequeunt, nisi aliquo modo efficitur ut externi reges imperatoribus Romanorum crudelibus *opponantur*. Fiet illud si *aut* delebitur: externi reges qui eadem saevitia usi sunt, eadem scilicet saevitia, cuius nunc documentum dedit Tiberius et postea daturi erant et alii imperatores et prae ceteris Domitianus: nam de hoc praesertim cogitat Tacitus, cum eorum irridet socordiam, qui praesenti potentia sequentis aevi memoriam extingui posse crediderunt. Post imperatorum Romanorum, quorum agmen claudit Domitianus, commemorationem, transeundum est ad tyrannos extraneos, non iterum redeundum ad domesticos reges; quod fit, si *aut* retinetur.

A. IV, 39. Livillam sibi uxorem a Tiberio petit Seianus et aliis argumentis usus et hoc:

„Quoniam audiverit Augustum in conlocanda filia non nihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum."

Quis unquam vidit inter se respondere coniunctiones *quoniam* et *ita*? Tam incredibile mihi illud videtur ut quin corruptus sit locus non dubitem. Et facillime corrumpi potuit. Scripsit enim me iudice Tacitus non *quoniam* verum *quomodo*, et nullus est error proclivior quam quo in q̄m̄ (quoniam) abit q̊m̊ (quomodo). Conferatur A. VI, 6, ubi nunc recte editur: „quid scribam vobis, patres conscripti, aut *quomodo* scribam, aut quid

omnino non scribam e. q. s.", at in codice pro *quomodo* legitur *quando*.

A. IV, 45. In Hispania agrestis quidam:

„praetorem provinciae L. Pisonem, pace incuriosum, ex improviso in itinere adortus uno vulnere in mortem affecit."

In mortem affecit: quae unquam barbaries tam scabram protulit orationem? Quantocius Tacitum hac purgemus macula, pro *affecit* legendo *afflixit*. Omnem tibi eximet scrupulum hic locus ex eodem libro (c. 62): „illi, quos principium stragis in mortem *adflixerat*."

A. IV, 52. Ob periculum Claudiae Pulchrae, sobrinae suae, intentatum vehementius cum Tiberio expostulat Agrippina:

„Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non regnaret."

Frustra hinc ullum sensum elicere coneris, sed nihil facilius quam aptissimum restituere sensum. Pro *non ideo* legendum est *ideo non*: „quid te laedi et iniuria affici quereris?" Tiberius ait „non potes laedi, nam non regnas." Tyrannidis hic primariam pronuntiat legem Tiberius: „praeter ipsum tyrannum unusquisque quidquid sibi eveniat aequi bonique consulere debet; errat si se *laedi*, vel *iniuria affici* dicit: eiusmodi vocabula non conveniunt in homines ad parendum natos." In mentem mihi hic pulcherrimi venit loci Euripidei, ubi eadem loquendi adhibetur ratio. Clamanti Polynici:

καί σε δεύτερόν γ' ἀ π α ι τ ῶ σκῆπτρα καὶ μέρη χθονός

respondet Eteocles:

οὐκ ἀπαιτούμεσθ', ἐγὼ γὰρ τὸν ἐμὸν οἰκήσω δόμον

i. e. „istud verbum ἀπαιτεῖσθαι in me non convenit, a me nemo quidquam *reposcere* i. e. *suo iure poscere* potest, nam mea haec domus est." Et voluisse id Tiberium, quod ego dicebam, testis Suetonius, qui sic principis verba refert: „Si non dominaris, filiola, iniuriam te accipere existimas?" ubi rectissime interrogandi signum posuit Rothius: istud enim nisi additur, sensu cassus locus est. Nunc Tiberius rogat non, quod quosdam opinari video: „iniuriamne vocas quod non rerum hic domina es" (nam, etiamsi verba eam admitterent interpretationem, quod

nego, ad Agrippinam confutandam minime apta illa esset) sed: „qui potes tu, quae non domina es, sed civis alieno subiecta imperio, iniuriam te accipere ullam putare?" Graecus versiculus, quo usus est Tiberius, periit, sed fuit huiuscemodi:

εἰ μὴ τυραννεῖς, ἀδικίαν λέγεις τίνα;

A. IV, 58. Proficiscente in Campaniam Tiberio, mathematici nunquam eum rediturum vaticinabantur. Inde mox moriturum eum quidam artis imperiti credebant et contendebant etiam, quae res ipsis fuit exitio. Hic facultatem nanciscitur de divinatione disputandi Tacitus; quae autem dicit huc fere redeunt ut omnino arti illi se fidem habere declaret; portendere enim quaedam deos certis hominibus, caelestium aliorumque signorum peritis; sed de suo affingere multa vulgus imperitorum et sic totam artem suspectam reddere plerisque. Iam ipsa Taciti de praesenti negotio verba consideremus:

„Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. Nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore et saepe moenia urbis adsidens extremam senectam compleverit."

In urbem non regressurum Tiberium dixerant .... qui? Mathematici, ut opinor, et veraces eos esse apparuit: eventum enim istud vaticinium habuit (haud forte dictum). Sed praeterea nihil declaraverant: *ceterorum* ergo *nescii* recte dici non possunt: vaticinii sui accuratam interpretationem non dederant, ergo nequaquam constabat utrum ipsi veram eius vim intelligerent necne, neque referebat. At alii de suo interpretationem erant commenti, veri quidem similem (quis enim providebat per tot annos Tiberium extra urbem moraturum?) sed tamen falsam: sic patuit *breve confinium artis et falsi.* Ergo res huc redit: quod effati erant mathematici verum fuit et eventum habuit, quod alii addiderunt homines ex fraude vel ex inscitia natum erat. Itaque non *ceterorum* sed *ceteri* legendum: in urbem non regressurum haud forte dictum (i. e. vera erant locuti mathematici), ceteri nescii egere (et finxerunt quae scire non possent). Haec, ut opinor, recte inter se opponuntur.

A. IV, 62. De gravi calamitate, quae Fidenae evenerit, sic narrare Tacitus incipit:

„Coepto amphitheatro Atilius quidam, libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit."

Celebrandi verbum adhiberi posse et hic adhibitum esse eodem sensu quo verbum *edendi* Furneaux docet, libenterque ei assentior. Sed nonne nunc totum istud „quo spectaculum gladiatorum celebraret" admodum pueriliter additur? Quis enim amphitheatrum aedificat alio consilio, quam ut gladiatorum ibi fiat spectaculum? Quid omnino, ubi de amphitheatro sermo est, illius usum demonstrare attinet? De amphitheatro cum legimus, fortasse et de aliis cogitamus spectaculis, sed de gladiatorum certaminibus praecipue. Ergone istud „quo spectaculum gladiatorum celebraret" e textu eiiciamus? Sic nimis exilis fit narratio; deest enim ... quid? Nempe causa, cur tam parum solide aedificaverit Atilius. Illa autem quae esse potuit praeter ... *festinationem*? Ergo post *quo* insere *citius* (vel *celerius*), iustam habebis narrationem et bene decurrentem.

Sequuntur haec:

„Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, omnis aetas ob propinquitatem loci effusius."

In codice non est *effusius*, sed *effusus*. At Lipsii illud *effusius*, quod nunc plerumque recipitur, quid significare debet? An: *ardentius*, *maiore studio* simm.? Non nego eo sensu adhiberi illud posse. Sed quo referenda sit illa proximitas loci frustra quaero. De municipio, quod *urbi Romae* sit propinquum, sermonem esse a legentibus vix sentitur. Quapropter non in *effusius* verum in *effusi* equidem traditum istud *effusus* mutaverim. Verba *ob propinquitatem loci effusi* ante oculos nobis ponunt plebem Romanam in vicinum ruentem oppidum.

Maxime miserandi erant, qui laceri sed tamen vivi in ruina illa iacebant:

„qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant."

Pro *noscebant* legendum esse *poscebant* in Mnemosyne (1894)

dixi, vehementerque illam emendationem probavit Vlietius meus, quem morte nobis ereptum lugemus quotquot candidum eius pectus amavimus et ingenii acumen admirati sumus. Postea in Ritteri editione vidi iam Nevio idem venisse in mentem. Haud temere ergo illud *poscebant* etiamnunc defendo, cum praesertim quae contra sunt allata infirmissima videantur. Primo aspectu traditae lectioni auxilium ferre videtur quod apud Plinium Ep. VI, 20 legitur, ubi in similis cladis narratione haec habes: „alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant vocibus noscitabant", sed ibi *requirebant* eius verbi implet partes, quod apud Tacitum est reponendum (*poscebant*) et *vocibus noscitare* recte dicitur, at *ululatibus et gemitu noscebant* absurdum est eritque semper. Quodsi quis eo confugiat ut dicat etiam eorum, qui dira clade audita accurrerunt, ululatus et gemitus exstitisse, quam durum ingratumque illud sit observet quod in sententia ita structa, ut haec est, alia est ratio primi ablativi *visu*, alia insequentium *ululatibus et gemitu.*

A. IV c. 67 sic incipit:

„At Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset, ne quis quietem eius inrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur e. q. s."

Pro *inrumperet* Heraeus legendum esse vidit *interrumperet*, necessariamque eam esse emendationem patet. Nam quae ad vulgatam lectionem defendendam affert Furneaux insigni demonstrant exemplo quam ridicule aliquis specie decipi possit. Sunt enim haec:

H. I, 82 (de praetorianis agitur nimis pro Othone suo sollicitis):

„Militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus, quominus convivium inrumperet."

De militibus accurrentibus, impetum facientibus, aegre extra Palatii fores coercitis ne potuit quidem aliud poni verbum quam *irrumpendi* illud. Ergone etiam *otium* alicuius recte *irrumpi* dicitur?

H. IV, 50. Festus legionis in Africa legatus, dudum perniciem Pisoni molitus, ubi tandem facultatem facinoris perpetrandi nactus est:

„equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt."

Docere huiuscemodi loci editorem poterant ubi recte *irrumpendi* verbum ponatur, ubi nullo modo ferri possit.

A. V, 6. Refertur oratio quaedam, quam post Seiani interitum, aliquis ex eius amicis, iam et ipse in supremum adductus discrimen, domi ad amicos habuit. Eius orationis tantummodo ultima pars superest, in qua et alia et haec leguntur:

„Versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum adsciverat (sc. Seianum), sibi ignoscit; ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur."

Quo iure et quo sensu Tiberius hic *sibi ignoscere* dicatur frustra quaero, neque intelligo quo modo nunc Tiberius et ceteri inter se opponantur. De ceteris autem illis quid dicitur? Graviter incusantur quod mortuo Seiano insultent in iudicia adducentes familiares eius cognatosque, cum ipsi quoque aliquando Seiani gratia floruerint. De his ergo ab homine iamiam morituro gravis pronuntiatur sententia. De Tiberio vero, omnis illius perfidiae auctore, quid dicitur, vel quid recte in tali contextu dici potest? Nihil, ut opinor, nisi hoc: „gravius esse eius scelus quam quod verbis notari possit." De Tiberio ergo silet, non quod timeat eum, ad mortem enim est paratus, sed quia intelligit hic omni oratione silentium disertius esse. De ceteris iudicat ipse, Tiberium suis ipsum cogitationibus suaeque conscientiae damnandum relinquit. Hoc habebimus, si pro *ignoscit* legerimus *ignoscat*: „Tiberius de se ipse viderit, factum suum consideret et quomodo defendi illud excusarique possit quaerat: non inveniet."

A. VI, 9. Vistilius praetorius levem et fortasse fictam ob causam:

„Convictu principis prohibitus, cum senili manu ferrum temptavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit."

Obligat *venas* . . , , *venas* resolvit. Sicine unquam ullum scriptorem Latinum, ne dicam Tacitum, nugatum esse credamus? Puerorum elementa discentium sermo iste est. Et *precandi* ver-

bum, nullo obiecto addito, cum nihil sit in vicinia quod obiecti vice fungi possit, num quidquam significare potest quod hic requiratur? Ut locus simul ét lacer ét inepta laborans abundantia, sanaretur, iam ante septem annos (Mnem. 1894) hanc proposui lectionem:

„.... obligat venas, precatusque per codicillos *veniam*, immiti responso resolvit"

neque nunc me eius poenitet.

A. VI, 15. Tiberius neptibus suis maritos legit L. Cassium et M. Vinicium, quorum hic, utpote nobili genere ortus et Calibus, in municipio florentissimo et elegantiarum pleno, natus, *mitis* erat *ingenio* et comptae facundiae. Cassius nobis sic describitur:

„Cassius, plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate saepius quam industria commendabatur."

In vocabulo *saepius* haeret Nipperdeius, quod recte pro *plus* poni posse non credit. At hoc quidem facile fero, sed tota sententia vehementer mihi displicet. Quis enim de adolescente, quem modo legerit *severe* educatum, paulo post commemoratum iri exspectet *facilitate* eum commendatum esse? Mirum ergo paterna severitas effectum habuit! Quid quod *opponitur* ei adolescens, cuius plane diversae fuerint origo educatioque, quem ergo plane aliter fuisse moratum sit consentaneum. At hic fuit *mitis ingenio*. Ergo hic inter se *opponuntur* „mite ingenium" et .... „facilitas", quae vox prorsus idem significat. Credamusne unquam Tacitum in componendo disponendoque tam fuisse vel negligentem vel infelicem? Equidem crediderim potius eum alteri adolescenti de suo adfinxisse mores, dummodo sic nancisceretur quae recte eleganterque inter se opponerentur, quam in hunc incidisse vitiosae orationis scopulum. Ergo tantum abest ut cum Nipperdeio *plus* pro *saepius* reponendum censeam, ut contrarium exspectem. Non tamen *rarius* vel eiusmodi aliquid pro *saepius* legendum coniicio; leniore medicina restitui posse opinor, quod ab omni parte probandum, Tacitoque dignissimum sit. Vocabula enim *facilitate* et *industria* sedem inter se iubere iubeo: „industria saepius quam facilitate commendabatur." Hoc

est quod unice in hunc locum conveniat: alter ille non erat quidem tam eleganter educatus, non tam mitis, lenis, urbanus erat; immo vero simplicitate sua plebeia identidem peccabat offendebatque; sed illud vitium industria, saepe probata, facile compensabat. Nunc recte omnia disposita et inter se opposita sunt. Praeterea nunc denique *saepius* non solum ferri potest, sed quidquid pro eo reposueris, totum locum corruperis.

A. VI, 16. Creditorum avaritiae et crudelitati quomodo obviam ierit Tiberius narraturus, sic Tacitus incipit:

„Sane vetus urbi faenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus."

Ut aliquis his insit sensus, *cohibebatur,* id quod vetant sermonis leges, ita est accipiendum ut pro *cohibendum erat* sit positum, et ne sic quidem sententia nascitur eleganter diserteque enuntiata. Hanc habebis, si pro *eoque* legeris *aegreque* vel aliud adverbium in eandem sententiam: moribus quoque antiquis arduum erat negotium foenoris incommoda coercere, tam inveteratum illud malum erat.

A. VI, 18. „Etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar affixerat: pater quoque, inlustris eques Romanus, ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. Datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodqne defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat."

Habuisset . . . tribuerat. Hanccine feramus modorum varietatem cum de duabus agatur rebus, quae aeque certae sint utraque? Immo *tribueret* lege, sic et sermonis puritati et historiae veritati consultum erit. An credamus Graecos iam tum desiisse in magno habere illum Theophanem honore, qui ante centum fere annos ipsorum prospexisset libertati?

A. VI, 22. Satis longam de divinatione disputationem, quam narrationi de Thrasyllo eiusque vaticiniis annectit, sic Tacitus claudit:

„Quippe a filio eiusdem Thrasylli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim."

Illud *ne abierim* non potest aliter defendi quam sic ut sit idem quod *ne abiisse censear*. Sed ne sic accipiamus obstat adverbium *nunc*: sive enim iusto longius a proposito discessisse, sive in digrediendo iustum observasse modum Tacitus censebitur, eventum iam ea res habet neque mutari potest etiamsi quam primum digrediendi finem faciat. Neque in hunc locum quadrat illud: „in tempore" ait „illud de Nerone commemorabitur" i. e. nunc illam rem differo, quam si hic addere vellem iusto longius hoc fieret ἐπεισόδιον; id autem nolo: „nolo *nunc* ab incepto longius *abire*." Requiritur ergo non *abierim* verum *abeam*, sed, quoniam hoc traditae lectioni parum simile est, leniore emendatione legendum censeo *aberrem*.

XIX.

AD SEX ANNALIUM LIBROS POSTERIORES ANNOTATIONES VARIAE.

A. XI, 10. Morte Vardanis turbae inter Parthos de successore eius ortae sunt:

„Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdatem, prolem Phraatis, obsidio nobis datum. Dein praevaluit Gotarzes; potitusque regiam, per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdatem patrium ad fastigium orabant."

In voce quae est *permitti* equidem haereo; nam sive eam sic accipimus ut sit: *ipsis permitti* i. e. dari, tradi, sive de eo dictum intelligimus, cui aliqua via ire conceditur (διιέναι), neutra significatio huc quadrat. Quid autem *obside* aliquo fieri amici eius cupere debent? Nempe *remitti* eum. Meherdatis vero amicos postulare ut *ad paternum fastigium* i. e. ad occupandum Parthorum solium *remittatur* ille quam maxime consentaneum est.

A. XI, 33. Comprehensis iam et in vincula coniectis plerisque, qui aliquo modo „matrimonii" Silii Messalinaeque conscii

fuerant, tamen nondum in aula Claudii securae erant mentes, praesertim quia in Geta, praetorii praefecto, haud satis praesidii esse putabatur:

„Ergo Narcissus adsumptis, quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; seque offert suscepturum."

Quis imperium militare, quod nunc penes Getam, suspectum hominem, est, ad libertorum aliquem transferet, si consilio Narcissi obtemperabitur? Nempe Claudius. Et cui hoc dat consilium — nam consilium aliquod in verbis eius inesse, non meram opinionem, quis negabit? — Narcissus? Nempe Claudio. Et de *cuius* libertis hic sermo est? Claudii ut opinor. Confidenter ergo pro *Caesaris* repono *Caesari*, qua coniectura simul sermonis consulitur integritati. Nam neque isto *Caesari* carere hic possimus et „non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat" duritiae est non ferendae. „Non est alia incolumitatis spes" sic Claudium Narcissus alloquitur „quam si hoc uno die imperium praetorianorum in libertorum tuorum aliquem transferes." De *sua* esse sermonem incolumitate sponte, ut opinor, intellexit pavidus princeps.

A. XI, 31. De importunitate uxoris edoctus Claudius, comitibus Vitellio et Largo Caecina in urbem revehitur. In quo itinere Vitellius identidem „o facinus, o scelus" neque quidquam ultra clamabat:

„Instabat quidem Narcissus aperiret ambages, et veri copiam faceret [1]); sed non ideo pervicit, quin suspensa et, quo ducerentur inclinatura responderet exemploque eius Largus Caecina uteretur."

Multo rectius hic pro *uteretur* legemus *utebatur*. Solum *Vitellium* ut ambages suas aperiret Narcissus hortabatur: illius enim fuerant exclamationes istae. Deinde aliquid de altero comite Claudii scriptor addit.

A. XII, 64. Portenta et alia referuntur et hoc:

---

1) Recte *aperiret — faceret* Madvigius reponi iussit pro *aperire — facere*. Quis sit in tali re *aperiendi* verbi usus docere possunt hi loci ex Historiis: L. II, 53 et 78.

„Suis fetus editus, cui accipitrum ungues inessent."

Si me audis, *accipitris* leges. An non satis absurdum videtur portentum, nisi aut de pluribus porcellis narretur, aut de uno porcello, qui aliquot accipitrum habuerit ungues?

A. XII, 66. Veneno de medio tollere Claudium Agrippina decernit:

„Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita."

Verum est Locustam huic sceleri diu fuisse superstitem: Galbae enim imperatoris iussu poenas dedit. Sed quis unquam audivit adverbio *diu* cum participio perfecti iuncto tempus venturum designari? — Ergone hic praeteritum tempus verbis „diu inter instrumenta regni habita" significatur? Hoc pertinaciter nego: *nuper* enim veneficii damnata est Locusta, atque ipso demum, ut opinor, iudicio patuit quam esset nefariae artis perita illa. Hoc ergo narratum esse suspicor a Tacito: ipsam damnationem hunc habuisse effectum ut aulicae veneficae munus Locustae mandaretur. Certe, ubi damnatum aliquem capitali crimine legimus, quid deinde eo factum sit cognoscere iure nostro poscimus. Quod hic desideratur. Ordine tota procedet narratio, si pro *diu* legemus *inde*, aliudve adverbium causam originemque significans.

A. XIII, 1. Inter causas cur Iunio Silano necem moliretur Agrippina erat et

„crebra vulgi fama anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem, nobilem, et quod tunc spectaretur, e Caesaris posteris."

Ipsum, ut opinor, vulgus, quod Neronis tempore vivebat, scire nequibat aliquando futurum tempus, quo in imperatore elegendo *non* spectaretur illud, essetne aliquis e Caesaris posteris an non esset. Ineptum ergo illi vulgo tribuere argumentum, quod in isto „quod *tunc* spectaretur" inest. Sed ipse Tacitus, cui ét suum tempus ét praeteritum cognita erant, illud suorum aequalium causa adiecit. Legendum ergo non *spectaretur*, verum *spectabatur*.

A. XIII, 15. Territus matris verbis Britannicum se ad imperium vocaturam minitantis, Nero et alia animo volvit et recentem quandam rem, e qua ingenium eius perspexerat. Quae cuiusmodi fuerit sic narrare Tacitus incipit:

„Festis Saturno diebus inter alia aequalium ludicra regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni."

Scabrosam hanc orationem appellare non dubito; sed non Taciti culpa talem eam evasisse credo, nescio qua attractione participium illud ad praecedens *aequalium* referentis, sed librarii, quem genitivus ille in errorem induxerit. Ablativo temporis, qui „absolutus" dicitur, opus hic est, non opus est autem addito aliquo nomine substantivo, sed sufficit participium. Legendum ergo *sortientibus*, quod quam facile hic in *sortientium* corrumpi potuerit sponte apparet.

A. XIII, 17. Cum in campo Martio Britannicus sepeliebatur tam vehementes ceciderunt imbres:

„Ut vulgus iram deorum portendi crediderit adversus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant."

Quam absurde istud *etiam* positum hic sit vel maxime e Nipperdei, qui defendit, apparet annotatione. Iam quod ait *plerique* hic non esse i. q. *οἱ πλεῖστοι* sed *admodum multos* ea voce significari, verum est. Sed quae addit quam maxime contorta videntur. „Ignoscebant" ait „isti sceleri multi homines, cum tamen homines de aliis hominibus severe iudicare solent; quo magis consentaneum est, deos, quibus nihil est reconditum ex iis rebus, quae mortalium facta excusant, ad ignoscendum fuisse paratos." Sequitur ergo ut verisimile *non* sit deorum iram istis imbribus significatam fuisse. Et revera illud Furneaux Nipperdeii explicationi, quam probat, addit. Sed neque omnino eiusmodi de portentis opiniones, quales hic vulgo tribuuntur, refutare solet Tacitus (est enim et ipse satis *δεισιδαίμων*), et hic vulgi interpretationem iis verbis narrationi suae annectit („adeo turbidis imbribus ut") ut appareat minime spernendam ipsi videri. Denique aut legentes labyrinthis includere studet Tacitus, aut deos et homines *inter se opponit*: ut sic hunc accipiamus locum tota eius suadet dispositio: „homines huic facinori ignoscebant, non ignovisse deos e tempestate illa efficiebat vulgus ... idque

haud temere." Atque ut illud dicat Tacitus lenissima emendatione effici potest, qua simul efficitur ut duo illius sententiae membra, qua hic opus est, aptissime inter se iungantur. Quae enim hic coniunctio requiritur pro inepto illo *etiam*? Ut opinor: *iam*, atque hanc, praesertim praecedente litera *e*, facile in *etiam* corrumpi potuisse quisque intelligit. „Quod facinus, quemadmodum vulgus haud temere e portentis efficiebat, gravissimam deorum iram provocabat, ei *iam* multi mortales ignoscebant." Aptissime nunc sequitur: „antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes." In deos immortales „eiusmodi aestimationes" non convenire res ipsa loquitur.

A. XIII, 43. Suillius famosus ille imperante Claudio delator tandem aliquando, quia Senecae iram acerbis dictis moverat accusatur, damnatur:

„in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo; ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse."

Post mortem Suillii de victu, quem exul egerit, sermones nullos fuisse opinor, sed potuerunt quaedam de ea re tradere scriptores, quibus auctoribus usus est Tacitus. Fortasse etiam unus et alter, qui publice ad sedes exulum inspiciendas missus erat, de Suillii victu molli nuntium referebat. Ergo aut *fertur* ... *toleravisse* legendum est, aut, quod magis etiam placet: *ferebatur* ... *tolerare*.

A. XIII, 57. Ignibus, terra editis, tam vehementer Ubiorum vastabatur terra, ut neque in imbribus neque in fluviis quidquam esset subsidii:

„donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere, dein resistentibus flammis propius suggressi ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant."

Si flammae *resistunt* apparet irritos fuisse conatus lapides iacientium: *resistere* enim est „loco se suo non movere" cf. XIII, 6: „diffugiunt imprudentes: at quibus altior intellectus, resistunt defixi." Neque opposita inter se sunt *resistere* et *progredi*, sed *resistere* et ea verba, quae „retroversum ire" significant. Et nisi illud ipsum fecissent flammae, ut retroversum

irent, nunquam propius accedere potuissent agricolae, sed ardorem vitantes semper eodem mansissent intervallo. Prorsus contrarium ergo hic requiritur quam quod est traditum, legendumque *recedentibus* vel *residentibus*.

A. XIV, 6. Agrippina insidias sibi a filio structas evadit, uno tamen accepto vulnere (nam se pro illa interfici a nautis passa est Acerronia) atque in villam suam infertur:

„ibi reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam ... observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens, solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur; misitque libertum Agerinum e. q. s."

Hiare huius loci structuram dudum est intellectum; ergo post *intellegerentur* (vel post *esse*) alii alia inseruerunt (putavit", „vidit", „sensit"). Equidem particulam *que*, verbo quod est *misit* adhaerentem deleverim et post *intellegerentur* inseruerim *rata*: sic demum sermo Taciteus restitui videtur.

A. XIV, 9. A percussoribus, quos Nero immisit, Agrippina occiditur:

„Cremata est nocte eadem, convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. Mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris."

Ad illud *viam Miseni propter* viri docti annotant: *litora Calabriae contra* (III, 1) et *cubiculum Caesaris iuxta*, sed *viam Miseni* non esse nihili locutionem docere neglexerunt. Equidem autem illud non concoquo, sed lenissima repono emendatione: „Miseni viam propter", ut *Miseni* sit locativus.

A. XIV, 11. Mortua Agrippina Nero epistolam ad senatum mittit, qua omnes eius insidias machinationes importunitates, quas ipse iam princeps expertus sit, enumerat:

„Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. Namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur, ut crederet?"

Male duae hae sententiae inter se cohaerent, inepto enim

vinculo iunctae sunt. An ullus hic coniunctioni *namque* locus? Non opinor: neque enim ratio hic redditur neque praeteritio, quae dicitur, fit. Sed pro *namque* lege *iamque*, egregie procedet oratio. Hoc enim fere dicet Tacitus: „quin etiam ad eam est progressus impudentiam ut naufragium narraret."

A. XIV, 20. Cum Nero ludos quinquennales institueret more Graeco, vehementer eam rem improbabant viri antiquitatis tenaces. Totam rem eo spectare affirmant ut:

„quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus ...... An iustitiam augeri et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent."

Totus hic locus in codice vitiosissimus est. Iam egregia emendatione Lipsius *iustitiam augeri* dedit pro absurdo *ius titia augurii*, neque praeterea Madvigiana correctione *auctum iri* opus esse opinor. Tum, recte ut equidem censeo, Seyffertus *expleturas* coniecit pro *expleturos* et ante eam vocem Halmius inseruit *melius*, quod supplementum mihi quidem utique necessarium videtur. Sed nunc ego etiam in isto *perite audissent* haereo. Neque enim significare ea verba possunt: „tamquam callidi de eiusmodi artibus iudices audissent", neque, si possent, de ea re nunc agitur. Universa tamen loci sententia admodum est perspicua: „meliusne" antiquarii illi rogant „homines ex ordine amplissimo splendidissimoque gravibus suis in republica muneribus fungentur, melioresne eos habebimus iurisconsultos et iudices, si *ineunte aetate* istarum rerum, quas nunc in civitatem introducere studet princeps, participes fuerint?" Nam praesertim de iis rebus hic agi cogitarique, quas *tenera aetas* ludorum illorum occasione faciet spectabitque, vel ex iis, quae citavimus: „degeneretque studiis externis iuventus" quam maxime apparet. Ergo non dubito quin pro *perite* legendum sit *pueri*, qua correctione lenissima tandem aliquando totus locus in integrum restitutus videtur.

A. XIV, 29. Qui hactenus in Britannia praefuerant legionibus haud multum profecerant:

„Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia

irent, nunquam propius accedere potuissent agricolae, sed ardorem vitantes semper eodem mansissent intervallo. Prorsus contrarium ergo hic requiritur quam quod est traditum, legendumque *recedentibus* vel *residentibus*.

A. XIV, 6. Agrippina insidias sibi a filio structas evadit, uno tamen accepto vulnere (nam se pro illa interfici a nautis passa est Acerronia) atque in villam suam infertur:

„ibi reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam ... observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens, solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur; misitque libertum Agerinum e. q. s."

Hiare huius loci structuram dudum est intellectum; ergo post *intellegerentur* (vel post *esse*) alii alia inseruerunt (putavit", „vidit", „sensit"). Equidem particulam *que*, verbo quod est *misit* adhaerentem deleverim et post *intellegerentur* inseruerim *rata*: sic demum sermo Taciteus restitui videtur.

A. XIV, 9. A percussoribus, quos Nero immisit, Agrippina occiditur:

„Cremata est nocte eadem, convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. Mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris."

Ad illud *viam Miseni propter* viri docti annotant: *litora Calabriae contra* (III, 1) et *cubiculum Caesaris iuxta*, sed *viam Miseni* non esse nihili locutionem docere neglexerunt. Equidem autem illud non concoquo, sed lenissima repono emendatione: „Miseni viam propter", ut *Miseni* sit locativus.

A. XIV, 11. Mortua Agrippina Nero epistolam ad senatum mittit, qua omnes eius insidias machinationes importunitates, quas ipse iam princeps expertus sit, enumerat:

„Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. Namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur, ut crederet?"

Male duae hae sententiae inter se cohaerent, inepto enim

vinculo iunctae sunt. An ullus hic coniunctioni *namque* locus? Non opinor: neque enim ratio hic redditur neque praeteritio, quae dicitur, fit. Sed pro *namque* lege *iamque*, egregie procedet oratio. Hoc enim fere dicet Tacitus: „quin etiam ad eam est progressus impudentiam ut naufragium narraret."

A. XIV, 20. Cum Nero ludos quinquennales institueret more Graeco, vehementer eam rem improbabant viri antiquitatis tenaces. Totam rem eo spectare affirmant ut:

„quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus ...... An iustitiam augeri et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent."

Totus hic locus in codice vitiosissimus est. Iam egregia emendatione Lipsius *iustitiam augeri* dedit pro absurdo *ius titia augurii*, neque praeterea Madvigiana correctione *auctum iri* opus esse opinor. Tum, recte ut equidem censeo, Seyffertus *expleturas* coniecit pro *expleturos* et ante eam vocem Halmius inseruit *melius*, quod supplementum mihi quidem utique necessarium videtur. Sed nunc ego etiam in isto *perite audissent* haereo. Neque enim significare ea verba possunt: „tamquam callidi de eiusmodi artibus iudices audissent", neque, si possent, de ea re nunc agitur. Universa tamen loci sententia admodum est perspicua: „meliusne" antiquarii illi rogant „homines ex ordine amplissimo splendidissimoque gravibus suis in republica muneribus fungentur, melioresne eos habebimus iurisconsultos et iudices, si *ineunte aetate* istarum rerum, quas nunc in civitatem introducere studet princeps, participes fuerint?" Nam praesertim de iis rebus hic agi cogitarique, quas *tenera aetas* ludorum illorum occasione faciet spectabitque, vel ex iis, quae citavimus: „degeneretque studiis externis iuventus" quam maxime apparet. Ergo non dubito quin pro *perite* legendum sit *pueri*, qua correctione lenissima tandem aliquando totus locus in integrum restitutus videtur.

A. XIV, 29. Qui hactenus in Britannia praefuerant legionibus haud multum profecerant:

„Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia

militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens."

Britannos, quos Romani imperio suo subiicere etiam conantur, *perduelles* vocare eius est, qui in antiquitatibus Romanis atque adeo in sermone Latino hospes sit. Iure ergo pro *perduellibus* Halmius coniecit *rebellibus*, sed pro laudabili coniectura egregiam exhibuisset emendationem, si pro *domitis perduellibus* scribi iussisset *perdomitis rebellibus*. Postquam, quod facile fieri poterat et saepe factum est, praepositio *per* in alienam aberravit sedem, *perrebellibus* (vel *perreuellibus*) quin in *perduellibus* transiret vix fieri poterat. Cf. XIV, 60, ubi in codice legitur: „Eucaerus, natione Alexandrinus, canere pertybias doctus." Vulgo editur: „canere tibiis doctus", quae est emendatio admodum audax. Aut me fallunt omnia aut legendum est: *canere tibiis perdoctus*.

A. XIV, 52. Mortuo Burro certatim qui in republica deteriores erant Senecam criminari incipiunt; arrogantiam impotentiamque eius perstringunt; hoc prae ceteris ei vitio dant quod omnium rerum, quibus delectetur Nero, severum agat censorem:

„Nam oblectamentis principis palam iniquum detrectare vim eius equos regentis, illudere voces (rectius Muretus *vocem*) quotiens caneret. Quem ad finem nihil in republica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur?"

Quamvis fuerint acres hi Senecae vituperatores, tamen credibile non est tantam illos ei obiecisse arrogantiam, ut repertor atque inventor videri vellet omnium bonarum artium, quibus sine famae suae detrimento operam dare posset Nero. Sat grave iam est quod paulo ante Senecae obiiciunt: „eloquentiae laudem uni sibi asciscere et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset", et quam longum inter hoc crimen et illud *repertae* eloquentiae poesisque sit intervallum quisque videt. Quid quod, si tamen nostro loco eiusmodi voluisset aliquid Tacitus, non praesentis temporis (*reperiri*) usus esset infinitivo sed perfecti. Hisce omnibus perpensis pro *reperiri* legendum censeo *probari*, vel aliud quid in eandem sententiam.

A. XV, 8. Paetus, vanus ille Corbulonis aemulus, quo modo

multa agendo nihil egerit, quin etiam in summum discrimen rem adduxerit, his verbis describitur:

„Longinquis itineribus percursando, quae obtineri nequibant, corrupto, qui captus erat, commeatu et instante iam hieme, reduxit exercitum."

Corrumpendi commeatus nulla, ut opinor, causa fuit; quod si aliquo infortunio factum esset ut ipsum illud frumentum, quod milites, huc illuc a Paeto rapti, praedati erant, corrumperetur, boni scriptoris erat quae ea fuerit calamitas narrare. Nam unum illud quod ultro citroque currunt milites frumento parum nocet. Quid quod ne *corrupto* quidem frumento opus fuit ut tamen commeatu vacui in castra redirent milites. Longinquis itineribus sat longum tempus insumpserunt milites, itaque quod rapuerant frumentum comederunt ipsi. Lege ergo *consumpto* pro *corrupto*. Sic simul inepti hominis vanitas salsissime perstringitur: „percursando, quae obtineri nequibant, consumpto, qui captus erat, commeatu reduxit exercitum." Nihil solidi imperio Romano acquisiverat Paetus, et, quod solum rapuerat, frumentum, illud ab ipsis erat consumptum militibus. Vocem autem quae est *consumptus* multis fuisse obnoxiam casibus docet A. XV, 57 (De Epichari crudelissima spernente tormenta narratum est. Quam narrationem sic claudit scriptor):

„Sic primus quaestionis dies contemptus est."

Ut ineptum illud *contemptus* hic scriberet facile adduci potuit librarius: legebat enim de muliere cruciatus spernente et *contemnente*, et praeterea ante oculos habebat vocem admodum illi *contemptus* similem: *consumptus*, quam optimo iure Prammerus restituit. Nullae sunt certiores emendationes, quam quibus appareat corruptelae duas has fuisse causas: ét oculorum ét mentis errorem.

A. XV, 10. Stultis consiliis Paetus vim copiarum, quibus praeest, ultro infringit, nunquam sibi constat, milites dissipat et ita bello inutiles reddit. Sic et filium uxoremque castello quodam abdit:

„data in praesidium cohorte ac disperso milite, qui in uno loco habitus vagum hostem promptius sustentavisset."

Codex in fine sententiae addit etiam particulam *et*. Quam

lectionem sic natam arbitror: in exemplo legebatur: *sustenta* .... *et* suprascripto lacunae supplemento *visset*, quod librarius ita in textum recepit ut istud *et* retineret. Cf. H. III, 20, ubi in codice ineptissime legitur: „et vineis, machinamenti genus ad expugnandos muros in modum turrium factum is aggredienda urbs.” Recepto enim in textum post syllabas *vine* interpretamento, quod in exemplo inter lineas legebatur, librarius postea vocem, a correctore monitus, supplevit, sed vagam syllabam *is* delere neglexit. Nostro vero loco olim scriptum fuisse suspicor non *sustentavisset*, quod huic narrationi parum aptum, verum *sustentare potuisset.*

Paulo antea in eodem capite haec habemus:

„Adventare Vologaesen magno et infenso agmine auditum. Accitur legio duodecima, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia. Qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset.”

Mire, ne absurde dicam, ipsa *infrequentia* utilis esse potuisse dicitur ad resistendum hostibus. Nam quominus mihi respondeatur illa voce *cohortes infrequentes* designari posse ipsa sententia obstat: in „prodita infrequentia” substantivum *conditionem* copiarum significat, neque ergo adiici potest pronomen relativum, quod aliam significationem eiusdem substantivi requirit. Quanto melius omisso *qua* legemus: „tamen retineri castra e. q. s.” i. e. tamen, vel sic, quicunque erat status rerum, bene res geri poterat, simodo sibi constitisset Paetus.

A. XV, 16. Castris Romanorum diu obsessis Vologaeses potitur:

„Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem inicerent, contraque prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem.”

Vix quemquam esse opinor, cui istud *contraque prodiderit* sanum videatur; coniunctivum hic ferri non posse constat. Quidni legamus „contra quam prodidit Corbulo.” In promptu mihi nunc alii loci Tacitei non sunt, ubi *contra quam* legatur, neque lubet eius rei causa lexica 'et indices pervolvere. Fac enim nusquam alibi illud inveniri, eane idonea causa est cur

ne semel quidem Tacitum usum locutione tam bene Latina tamque pervulgata statuamus, idque eo loco ubi vix ullo alio modo id quod requireretur significari potuerit?

A. XV, 38. Ardente urbe in omnes partes diffugiunt cives:

„Et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur, vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant, in eodem casu reperiebant."

Hic equidem desiderari quiddam censeo. In verbo enim *reperiebant* haud dubie inest significatio τοῦ „cum propius accessissent": omitti id sine damno poterat quia quivis istud *reperiebant* legens mente erat suppleturus. Ergo *longinqua* habet quod recte ei opponatur (ipsum illud „cum propius accessissent" quod in „reperiebant" inest). Propius autem aggressi locos illos reperiebant „in eodem statu" i. e. ut opinor „etiam ardentes". At nunc in priore sententiae parte deest aliquid quod isti „etiam ardentes" recte opponatur, quod nisi aliquo modo est expressum, pronomen *eodem* nil habet quo referatur. Integra erit sententia, si sic legemus: „etiam quae longinqua *secura* crediderant, in eodem casu reperiebant." Neque male pro *secura* ibi *tuta, integra* simm. ponemus, modo hac ratione locum expleamus.

In narratione de eodem incendio porro legitur (A. XV, 40):

„Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, prorutis per immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret. *Necdum post metus aut rediebat lebis . . . rursum grassatus ignis.*"

Haec verborum rudera sunt in codice. Haud dubie recte reposita iam sunt haecce: „necdum posito metu redibat haud levius", quorum partem praebent „deteriores", pars a viris doctis est inventa. Tum ego pro *grassatus* legere velim *grassaturus*, ut tota sententia fiat:

„Necdum posito metu redibat haud levius rursum grassaturus ignis."

Egregie nunc paucis verbis comprehenditur quod dein fusius enarratur: „minor quidem peribat hominum numerus sed plura aedificia magna deleta sunt."

A. XV, 55. Indicatus a liberto suo Milicho Scaevinus variis modis singulas res, quibus ab illo in suspicionem adducitur tamquam arcana quaedam et funesta reipublicae molitus, explicare et defendere studet:

„Pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret. Enimvero liberales semper epulas struxisse diffideret enim vero vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam."

Verba *diffideret enimvero* inepte repetita dudum expunxerunt editores. A *vitam* novam tum incipiunt sententiam. Sed accusativum cum infinitivo *vitam — probatam* male cum praecedentibus cohaerere recte, ut equidem censeo, nonnulli statuerunt. Sed quod *amasse* vel *egisse* inseruerunt (ante vel post *vitam*) parum probabilis ea emendatio videtur. Multo certe leniore medicina sic locus restituitur in integrum:

„enimvero liberales semper epulas struxisse vita amoena et duris iudicibus parum probata"

ut *vita amoena et ... probata* sit ablativus absolutus, qua ratio redditur.

A. XV, 59:

„Fuere, qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaque militum et populi temptare."

Dum dubitat Scaevinus. Quid his vocibus significatur? Ut opinor conditio, in qua versatur Scaevinus eo tempore quo Milichus interrogatur paulove postea, certe ante illud tempus quo responsis Natalis, cum ipsius non congruentibus (c. 56), *confiteri* cogitur: nam tum certe *dubitare* desiit. Quod autem ad ipsum illud pertinet tempus, quo a Milicho est indicatus: statim tum ad Neronem est adductus (*raptus per milites* c. 55); hic ita loquitur ut e. c. *effugia quaerere* dici possit, non vero *dubitare.* Quem effectum illa effugia habuerint Tacitus verbis *ut labaret indicium* (c. 55 extr.) perspicue declarat; atque nostro loco rem nobis esse cum eo tempore quod fuit postquam labare indicium coepit et antequam Scaevinus Natalisque diversi interrogati totam coniurationem aperuerunt res ipsa clamat. At

in illud tempus *dubitandi* verbum non convenit, neque omnino ullum, quo *facere* aliquid Scaevinus significetur. Ut iam dicebam, requiritur verbum *statum condicionemque* Scaevini indicans. Legendum esse suspicor: „dum dubius Scaevinus": dum nondum certum erat qualem se praebiturus esset Scaevinus, fortiterne interrogationes atque etiam tormenta toleraturus, an confessurus communemque proditurus causam.

A. XV, 63. De Senecae morte et alia et haec legimus: „Novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo."

Istud *eius verbis* cum *edita* iungendum esse monet Nipperdeius, et revera ne potest quidem cum ullo alio iungi verbo, quin plane sit absurdum et cuncta perturbet. Verum quid sibi vult, si iam cum *edita* iunctum est? Plane supervacuum videtur. Annon res ipsa loquitur, quae a „scriptoribus" ex ore Senecae sint excepta, *Senecae verbis* in vulgus edita esse? Quodsi quis tamen addendum eiusmodi aliquid fuisse putat, ut esset quod *τῷ invertere* opponeretur — nonne hic dicendum erat *ipsius verbis*, idque ante *edita* ponendum? His perpensis mihi ne umbra quidem restat dubitationis quin legendum sit: „*meis* verbis invertere supersedeo." Cf. quod c. 67: Subrii Flavii responso tradito additur: „ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant, nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos", *ipsa retuli verba* i. e. „non meis verbis Flavi responsum inverti."

Statim post illud Flavii responsum adduntur haec (cap. eod.): „Nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quae faceret, insolens erat."

In voce q. e. *faceret* coniunctivus probari nequit: sensus enim est: „nunquam Nero facta sua suo nomine appellari audiebat"; imperfectum tempus parum rectum videtur; nam multo magis hic sermo est de iis rebus quas diu ante Nero perpetravit quam de iis in quibus cum maxime versatur. Utrique incommodo lenissima subveniri potest correctione. Duarum enim literularum transpositione pro *faceret* legendum arbitror *fecerat*.

A. XVI, 5. Nerone in theatro artes suas exhibente tanta multitudo aderat ut obtererentur haud pauci; praeterea ipso audiendi spectandique labore in gravem morbum multi inciderunt:

„quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coëuntium scrutarentur."

Quod hic vox q. e. *palam* adiectivi vel participii vice fungitur, in eo molestiae est nihil, sed ferendum non videtur quod coniunctio *ut* annectitur sententiae parti, quae verbo plane caret. Ergo pro *ut* legamus *qui*: cum litera *q* aliquo casu evanuisset, quod restaret in *ut* abiisse mirandum non est.

A. XVI, 22. Vehementer in Thraseam invehitur Cossutianus Capito, eumque utique ex civitate tollendum esse senatores docet. Cuius oratio huc fere redit ut demonstret eo iam ventum esse ut otiose inter se confabulantes homines de republica ita loquantur quasi in duo discesserit castra: Neronis et Thraseae. Postquam multa in hanc sententiam declamavit, hoc quoque addit:

„Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit."

Scio ad istud *non* defendendum e praecedentibus nubem exemplorum excitari posse: principio anni Thrasea *vitat* sollemne iusiurandum; *non* adest nuncupationibus votorum; *nunquam* immolat pro salute aut caelesti voce principis; triennio *non* introiit curiam; *abfuit* cum Silanus et Vetus condemnabantur; *sine* cura ei est salus Neronis, *sine* honore ars, Poppaeam divam *non* credit. Et tamen mire dictum mihi illud *non fecerit* videtur, quotiesque lego, haereo. Certe admodum exile est vixque ad id significandum, quod requiritur, sufficit. Subintelligendum fere est *denuo*, aliudve vocabulum, quod non ita facile mente suppletur. Semper ergo suspicor pro *non* legendam esse vocem, quae fere eosdem literarum habet ductus: „quid Thrasea *novi* fecerit". Tum quoque praesertim de iis rebus esse cogitandum, quas Thrasea facere sit aspernatus, res ipsa loquitur, sed idem nunc demum recte eleganterque est enuntiatum.

XVI, 24. Thrasea, cui certa iam est parata pernicies, ad

Neronem literas mittit quas ille avide arripit aperitque ratus Thraseam supplicibus precibus veniam rogaturum aliaque, quae priori eius vitae afferrent dedecus, facturum dicturumque:

„Quod ubi non evenit vultumque et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet."

E splendidissima haud dubie emendatione Rhenani illud *quod ubi non evenit* natum est, nam in codice est *quo dubie non venit*, ita ut ad lectionem suam proferendam ne unam quidem literulam addiderit, dempserit, mutaverit Rhenanus: transposuit tantummodo literas vel aliter distinxit. At quam ego emendationem propono, ea ut una litera eximatur et alio loco una addatur lineola postulat. Legendum enim censeo: „quod ubi non *īvenit* (invenit)." Nam nunc demum recte, et quod ad structuram sententiae et ad verborum pertinet usum, haec annectuntur: „Vultumque et libertatem insontis ultro extimuit": tantum aberat ut quidquam demissi abiectique inveniret ut extimesceret potius: sic illae literae sermonis libertate ei intrepidum insontis vultum ponebant ante oculos. Post verbum impersonale *evenit*, quod Rhenani praebet lectio, satis dure illud *extimuit* infertur.

A. XVI, 28. In senatu ergo primum ipsius Neronis recitatur oratio, qua non Thrasea quidem nominatim arguitur, sed alii reprehenduntur senatores quod illius exemplo curiam vitent. Arripit haec Cossutianus Capito vehementemque in ipsum Thraseam habet orationem, qua et alia et haec declamat:

„Requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. Denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret, quid corrigi aut mutari vellet."

Omnino quid sit *senatorem agere* non admodum perspicuum mihi est, in Thraseae vero causa, cui id ipsum obiicitur quod, quotiescunque senatus habetur, domi suae latet, quid illud sibi velit crimen admirabundus rogo. In errorem inductum librarium, qui toties de senatu senatoribusque legisset, hic quoque *senatorem* scripsisse opinor, cum in exemplo suo haberet vocem, quae ductibus literarum illi admodum similis esset: *censorem*. Hoc est quod tota vita sua loquens tacensque fecerat Thrasea, ut

ageret censorem civiumque, sed praecipue ipsius principis, facta notaret. Et omnino illud *censorem agere* frequentissimum est crimen in homines severiores. Vide nunc quam eleganti verborum lusu idem ille Capito sic pergens inducatur: „*censeret* quid corrigi aut mutari vellet."

A. XVI, 35. De ipsa Thraseae morte traduntur haec: „Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit, porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens. ... Libamus, inquit, Iovi liberatori."

Ad *porrectis* Nipperdeius annotat: „einem Diener" atque eodem modo locum accipit Furneaux. At ego „porrigere alicui brachia manusve" quid sit novi, verum „*venas* brachii porrigere" quin sit absurdissimum non dubito. Quid pro *porrectis* legendum sit non definio, credo tamen in — *rectis* latere — *sectis*. Sed utique requiritur verbum eiusmodi ut *effudit* rem significet *consulto* ab ipso Thrasea peractam, quod non fit, si minister aliquis venas aperiendi munere functus esse dicitur. Sed hoc gravissimum quod *venas porrigere* nihili est.

AD PLUTARCHUM.

Coriol. 18. Silentio plebs exspectabat quo modo se Coriolanus adversus tribunorum crimina esset defensurus: *ὡς δ' ἤρξατο πρὸς* [*τοὺς* recte Sint. delet] *ἀνθρώπους δεητικόν τινα λόγον προσδεχομένους οὐ μόνον ἐπαχθεῖ παρρησίᾳ χρῆσθαι καὶ πλείονι κατηγορίᾳ τῆς παρρησίας, ἀλλὰ καὶ τόνῳ φωνῆς καὶ διαθέσει προσώπου τὴν ἐγγὺς ὑπεροψίας καὶ ὀλιγωρίας ἀφοβίαν ἐπιδεικνύμενος, ὁ μὲν δῆμος ἐξετραχύνθη κτέ.* Ferenda fortasse quae in verbis *χρῆσθαι* et *ἐπιδεικνύμενος* deprehenditur inconcinnitas, non ferendum *τῆς παρρησίας* post *τῇ παρρησίᾳ* non solum ingrate sed cum sententiae pernicie repetitum; pro *τῆς ἀπολογίας* librarius oscitans istud scripsit. J. J. H.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XXXI pag.* 233).

XC.

DE LEGE COMMISSORIA.

Lex commissoria conventio est, in quam qui committit, aliquod suum committit, id est, perdit [1]), quo sensu *commissum* dicitur, quodcumque propter vectigal fraudatum fisco cedit [2]). Memoratur autem lex commissoria in emptionibus: „*si ad diem pecunia soluta non sit, ut fundus inemptus sit*", cuius conventionis ea vis est, ut, si non ei pareatur, emptori nihil debeatur, ipse perdat, *quod arrhae vel alio nomine d(ederit)* [3]). Displicuisse legimus commissoriam legem vel Severo vel Caracallae [4]); Neratium quoque iniquitate rei motum, ut emptorem fructibus saltem ditaret, siqui interim ab eo percepti essent [5]). At probavit legem commissoriam Papinianus [6]). Potest respexisse ad aliud genus legis commissoriae, quod usu venit in pignori-

1) At in c. 6 § 8 C. Th. 11. 24 *committere* dicitur, qui patitur ἐπιβολήν.

2) E. g. l. 14 D. 39. 4. — Transiit ea notio in ius feudorum, nam *in commissum cadere* dicuntur dominia, quae ex delicto vasalli ad dominum feudi redeunt (du Cange, in v. *committere*).

3) L. 4 § 1, l. 6 pr., l. 8 D. 18. 3. — Cf. l. 25 pr. D. 5. 3.

4) L. 38 pr. D. 4. 4.

5) L. 4 § 1 D. 18. 3; cf. l. 5 eod.

6) Vat. fr. § 11 (cf. § 4).

ageret censorem civiumque, sed praecipue ipsius principis, facta notaret. Et omnino illud *censorem agere* frequentissimum est crimen in homines severiores. Vide nunc quam eleganti verborum lusu idem ille Capito sic pergens inducatur: „*censeret* quid corrigi aut mutari vellet."

A. XVI, 35. De ipsa Thraseae morte traduntur haec: „Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit, porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens. ... Libamus, inquit, Iovi liberatori."

Ad *porrectis* Nipperdeius annotat: „einem Diener" atque eodem modo locum accipit Furneaux. At ego „porrigere alicui brachia manusve" quid sit novi, verum „*venas* brachii porrigere" quin sit absurdissimum non dubito. Quid pro *porrectis* legendum sit non definio, credo tamen in — *rectis* latere — *sectis*. Sed utique requiritur verbum eiusmodi ut *effudit* rem significet *consulto* ab ipso Thrasea peractam, quod non fit, si minister aliquis venas aperiendi munere functus esse dicitur. Sed hoc gravissimum quod *venas porrigere* nihili est.

AD PLUTARCHUM.

Coriol. 18. Silentio plebs exspectabat quo modo se Coriolanus adversus tribunorum crimina esset defensurus: *ὡς δ' ἤρξατο πρὸς* [*τοὺς* recte Sint. delet] *ἀνθρώπους δεητικόν τινα λόγον προσδεχομένους οὐ μόνον ἐπαχθεῖ παρρησίᾳ χρῆσθαι καὶ πλείονι κατηγορίᾳ τῆς παρρησίας, ἀλλὰ καὶ τόνῳ φωνῆς καὶ διαθέσει προσώπου τὴν ἐγγὺς ὑπεροψίας καὶ ὀλιγωρίας ἀφοβίαν ἐπιδεικνύμενος, ὁ μὲν δῆμος ἐξετραχύνθη κτέ.* Ferenda fortasse quae in verbis *χρῆσθαι* et *ἐπιδεικνύμενος* deprehenditur inconcinnitas, non ferendum *τῆς παρρησίας* post *τῇ παρρησίᾳ* non solum ingrate sed cum sententiae pernicie repetitum; pro *τῆς ἀπολογίας* librarius oscitans istud scripsit. J. J. H.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XXXI pag.* 233).

XC.

DE LEGE COMMISSORIA.

Lex commissoria conventio est, in quam qui committit, aliquod suum committit, id est, perdit [1]), quo sensu *commissum* dicitur, quodcumque propter vectigal fraudatum fisco cedit [2]). Memoratur autem lex commissoria in emptionibus: „*si ad diem pecunia soluta non sit, ut fundus inemptus sit*", cuius conventionis ea vis est, ut, si non ei pareatur, emptori nihil debeatur, ipse perdat, *quod arrhae vel alio nomine d(ederit)* [3]). Displicuisse legimus commissoriam legem vel Severo vel Caracallae [4]); Neratium quoque iniquitate rei motum, ut emptorem fructibus saltem ditaret, siqui interim ab eo percepti essent [5]). At probavit legem commissoriam Papinianus [6]). Potest respexisse ad aliud genus legis commissoriae, quod usu venit in pignori-

1) At in c. 6 § 8 C. Th. 11. 24 *committere* dicitur, qui patitur ἐπιβολήν.

2) E. g. l. 14 D. 39. 4. — Transiit ea notio in ius feudorum, nam *in commissum cadere* dicuntur dominia, quae ex delicto vasalli ad dominum feudi redeunt (du Cange, in v. *committere*).

3) L. 4 § 1, l. 6 pr., l. 8 D. 18. 3. — Cf. l. 25 pr. D. 5. 3.

4) L. 38 pr. D. 4. 4.

5) L. 4 § 1 D. 18. 3; cf. l. 5 eod.

6) Vat. fr. § 11 (cf. § 4).

bus contrahendis eo fine, *ut pecunia fenoris*[1]) ad diem solvendo praestitutam *non soluta creditor iure empti dominium retineat*, non *iusto pretio tunc aestimand(u)m*[2]), sed tanti, quantum efficiant *sortis et usurarum quantitas* (Vat. fr. 9). Infirmavit hanc legem commissoriam Constantinus c. 3 C. 8. 34 (35), ubi utiliter adnotatur in Basilicis, esse legem commissoriam, ἐὰν εἴπῃ ὁ δανειστής, ὅτι· εἰ μὴ καταβληθείη μοι τὸ χρέος ἐντὸς τοῦδε τοῦ χρόνου, δεσπότης ἔσομαι τοῦ ἐνεχύρου[3]), sed supersunt vestigia pacti improbati l. 16 § 9 D. 20. 1 sub ea, quam indicavi, interpolatione[4]). In fiducia quoque contrahenda legi commissoriae erat locus[5]), non tamen eo sensu, quo putat Gradenwitz[6]), ut conveniat fiduciam restitutum iri, si ad diem solvatur: id enim per se fit, quia tam de fiducia quam de pignore verum est *quandoque lui po(sse)*[7]), sed ut conveniat[8]), post diem solvendo praestitutam obligatio fiduciae ut sit finita neve luitio competat[9]). Sic iure Graeco, ubi, quod superiore capite (LXXXIX) vidimus, ὑποθήκη, quae dicitur, a fiducia nihil differt, extrinsecus convenire potest περὶ .... τῆς παγκτησίας[10]), id est, ne post certum tempus supersit luendi potestas[11]). Loquimur autem de vetere Graecorum iure, recentior enim ὑποθήκη a Romanorum

1) Intelligitur sors cum usuris, sicut in Corp. Rain. I pap. XII.

2) Cf. Lenel, Paling. I p. 649².

3) Itaque fallit Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* (1891) p. 441, ubi scribit legem commissoriam esse pignoris in solutum dationem („*Uebernahme des Pfandes an Zahlungsstatt*").

4) Non tantum cum creditore sed etiam cum fideiussore (l. 81 pr. D. 18. 1) talis conventio iniri poterat atque superest eius exemplum papyraceum (Oxyrrh. 270). Cf. praeterea c. 2 C. 8. 34 (35).

5) Cf. interim Lenel, Paling. II p. 619⁴; Herzen, *Orig. de l'hyp.* p. 65¹, Pernice, Lab. III 1 p. 138¹.

6) *Grünhut's Ztschr.* XVIII p. 351—353.

7) Paul. II 13 § 4. — Idem sine teste dicit Dernburg, *Pfandr.* I p. 19²³. Cf. Francken, *das franz. Pfdr. im MA* (1879) p. 166².

8) Pactum vulgare esse dicit Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 263², probat autem (*Pfandrecht* I p. 19 not. 35) ex iure Graeco et eo ne intellecto quidem.

9) Pernice, Lab. III 1 p. 138¹; Warnkönig, *Archiv für die civ. Praxis* XXIV (1841) p. 347, 349.

10) *Inscript. jurid. grecq.* V § 19. Operae pretium fuerit contulisse statuta Goslariensia (ed. Goeschen, 1840) p. 24 lin. 23: *wanne dat al overgan is* = μετὰ τὴν παγκτησίαν.

11) Demosth. XXXVII § 5: ..... τιθέμεθα συνθήκας, ἐν αἷς ..... ἦν γεγραμμένη ..... λύσις τούτῳ παρ' ἡμῶν ἔν τινι ῥητῷ χρόνῳ.

hypotheca nihil differt, quod demonstravimus ipsa legis commissoriae formula, quam habeat quum Halicarnasense monumentum [1]) anni circiter ante Chr. 200, quo constituit *ὑποθήκην* Posidonius posteris suis *εἰς θυσίαν*, ut quotannis eo nomine quaterni stateres solvantur a possidente, possideat [2]) autem natu maximus: *ἂν δὲ μὴ ἀποδιδῶι* [3]) .... *εἶναι τὰ ὑποκείμενα κοινά*, tum Delphicum decretum (Michel no. 263) anni circiter 150: (B lin. 21-23) *εἰ δέ κα μὴ ἀποδιδῶντι καθὼς γέγραπται, τὰ ἐνέχυρα αὐτῶν τᾶς πόλιος ἔστω*. Monumento illi Halicarnasensi simile est Theraeum [4]), quo constituit *ὑποθήκην* Epicteta *ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσί* (*οἱ*) *αὐτοκτήτοις χωρίοις τοῖς ἐμ Μελαιναῖς*, ut quotannis familiae solvantur a herede vel heredis heredibus drachmae 210: *εἰ δέ κα μὴ ἀποδῷ Ἐπιτέλεια εἰ οἱ κλαρονόμοι αὐτᾶς .... ἔστω ἁ καρπεία τῶν προδεδηλωμένων χωρίων .... τοῦ κοινοῦ τοῦ ἀνδρείου τῶν συγγενῶν ποτὶ* [5]) *τὰς διακοσίας* (*δέκα*) *δραχμάς* (*Inscr.* cit. § 7), ubi *καρπεία* non est, quod putat Dareste [6]), antichretica possessio, sed perpetua, sicut in illo Halicarnasensi lapide usurpatur verbum *καρπεύειν*. Quodsi illic *καρπεία* est possessio perpetua [7]), quae heredi relinquatur sub hypothecae condicione, debet profecto hic eadem intelligi, quae ad creditorem vi legis commissoriae transferatur. Quam ideo *καρπείαν*, quo vocabulo solet ususfructus significari [8]), appellavit quum Posidonius, tum Epicteta, quia plenam proprietatem esse nolebant alienatione etiam concessa. Similiter in papyris, quando fit obvia lex commissoria, hac ipsa lege, non, sicut olim fiebat, propter solam pignoris dationem, dominium creditori quaeri existimandum est. Fit autem obvia lex commissoria de rebus soli [9]) in pap. Florent. 1 (*Atene e Roma* 1901 p. 78/9) et pap. Rain. 1444

---

1) *Inscr. jurid. grecq.* XXV D (= Michel no. 854).

2) *Καρπευέτω.* 3) *Semel*, ni fallor.

4) *Inscr. jurid. grecq.* XXIV A (= Michel no. 1001).

5) Vertere non debuerat Dareste: „*jusqu'à concurrence de*", sed „*à raison des*". Cf. Pap. Genev. 21 lin. 6—8.

6) *Inscriptions* etc. p. 109. Habet quidem *καρπείαν* = antichresin Pap. Berol. 101, 24 (cf. Gradenwitz, *Einführung* etc. I p. 63).

7) *Καρπευέτω* ..... *ὁ πρεσβύτατος ὢν ἀεί* (XXV D § 3).

8) Corp. Rain. I pap. 24 lin. 17, 35; pap. Oxyrrh. 265 lin. 12, pap. Amherst 71 lin. 18.

9) De rebus mobilibus: Corp. Rain. I pap. 12.

(*Anzeiger* (*Wien*) 1901 XV (*SA*) p. 5/6). Illic enim creditori permittitur, quum sit cessatum, *μὴ προσδεομέν(ῳ) ἀνανεώσεως ἢ διαστολικοῦ*[1]) *ἢ ἑτέρου τινὸς ἁπλῶς, ... ἐπικαταβολὴν*[2]) *ποιῆσαι τοῦ ὑποτεθειμένου*, id est, ni fallor, obligatum praedium sibi addicere proprietatis iure[3]). Altero papyro similiter creditori potestas datur, *τῆς Θαήσιος μὴ ἀποδιδούσης .... ἐμβαδεύσαντι κρατεῖν καὶ κυριεύειν καὶ δεσπόζειν καὶ ἐξουσίαν ἔχειν πᾶσαν οἰκονομίαν*[4]) *κατ' αὐτῶν*[5]) *ἐπιτελεῖν ἀνεμποδίστως, οὐ προσδεομέν(ῳ) τῆς Θαήσιος παρουσίας*. Deest hic clausula *μὴ προσδεομέν(ῳ) ἀνανεώσεως ἢ διαστολικοῦ*. Quam ob rem docet Wessely[6]) iam documentis comprobari *cresc(entem)* illam, cuius meminit Constantinus[7]), commissoriae legis *asperita(tem)*, siquidem olim remittenda fuerit *ἡ ἀνανέωσις*, tunc autem ipso iure remissa visa sit. Sed in eo videtur errare, quod scribit[8]), post *τὴν ἐπικαταβολὴν* aliquid creditori agendum fuisse, ut dominus existeret, idque demonstrari pap. Oxyrrh. 274 (lin. 22-25), ubi solvit creditor anno 93 *τέλος ἀνανεώσεως*, idem anno 94 *τέλος ἐπικαταβολῆς*[9]), idem denique anno 97 *ἐπ(ιφέρει) (ἐμβαδεύσε)ως*[10]) *ἄδειαν*, quasi post *ἀνανέωσιν*, quae remissa non sit, et *ἐπικαταβολὴν* hoc supersit. Atqui non propterea efficitur *τὴν ἐπικαταβολὴν* per se non esse firmam, quod cogi potest *ὁ ἐπικαταβαλόμενος* de iure suo docere, id est instrumenta sua *ἐπιφέρειν*. Ergo *ἐμβαδεύσεως ἄδειαν* intelligo ipsum instrumentum, quo creditori permissum fuerit *ἐπικαταβολὴν ποιῆσαι ..... καὶ κτᾶσθαι .... καὶ ἐμβαδεύειν*[11]) *.... καὶ εἰσοικίζειν καὶ*

---

1) Haec recte explicat Wessely, *Anzeiger* etc. p. 4 (aliter Mitteis *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 302—304).

2) „*Aufzahlung*" vertit Wessely, l.l. p. 3, non recte.

3) Ita interpretabar in albo gratulatorio Herwerdeno oblato (1902) p. 156. Nondum prodierat *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902), ubi in eandem sententiam disputat Mitteis (p. 301).

4) *Οἰκονομία* in papyris omnem alienationem obligationemve comprehendit.

5) I. e. *κατὰ τῶν ὑποτεθειμένων κτημάτων*. Eodem modo usurpatur praepositio *κατὰ* in pap. Taur. 1 col. V lin. 23; 12 lin. 7/8; Specim. Wesselyi (1900) 6 lin. 8; 8 lin. 23; pap. Oxyrrh. 274 lin. 25; pap. Fay. 32 lin. 14; pap. Genev. 27 lin. 14; Pap. Rain. 1444 lin. 33 (*Anzeiger* etc. p. 6); pap. Berol. (BGU) 1002, 14; alibi.

6) L.l. (*Anzeiger* etc.) p. 5.

7) c. 3 C. 8. 34 (35).

8) L.l. p. 4/5.

9) Hoc restituit Wessely pro *ἐπικατακολ(ουθοῦν)*.

10) (*Ἐμβαδεύσε)ως* supplevit Wessely.

11) Emtoris iure.

ἐνοικ(ι)ολογεῖν καὶ διαμισθοῦν καὶ ἀποφέρεσθαι τὰ ἐξ αὐτοῦ (τοῦ ὑποτεθειμένου). Quia autem recentior Graecorum ὑποθήκη a Romana hypotheca non differt, ideo magis ad Romanorum fiduciam, quam ad Graecam ὑποθήκην [1]) referendum est responsum Scaevolae, quod est hodie l. 101 pr. D. 32: *qui habebat in provincia, ex qua oriundus erat, propria praedia et alia* pignori [2]) *sibi data ob debita, codicillis ita scripsit: τῇ ..... πατρίδι ..... ἀφορίζω ..... χωρία πάντα, ὅσα ἐν Συρίᾳ κέκτημαι ..... Quaesitum est, an etiam praedia quae* pignori [3]) *habuit testator patriae suae reliquisse videatur. Respondit: ..... non videri relicta, si modo in proprium patrimonium, quod fere cessante debitore fit* [4]), *non sint redacta.* Apparet, ex mente Scaevolae fiduciae data creditoris quidem esse ex iure Quiritium, non tamen *propria*, id est in bonis, antequam supervenerit lex commissoria [5]). Itaque committuntur fiduciae vel hypothecae, quum legem commissoriam creditor exerceat, nisi alio modo committi dicuntur [6]), id est, quum praedium κατοκώχιμον γένηται [7]), quod fit iure Graeco κατὰ τὴν ὑπερημερίαν [8]), nisi convenerit, ut statim liceat ἔχειν καὶ κρατεῖν τὸν θέμενον [9]). Ergo, quum praedium, sicuti diximus κατοκώχιμον γένηται, debet possessione cedere debitor, quod

---

1) Ad Graecorum hypothecam, putabat Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* p. 441².

2) Reponendum esse *mancipio*, satis evincitur adiecto *ob debita*, neque trepidandum est propterea, quod praedia sint provincialia. Obtinuit enim mancipatio etiam in praediis provincialibus, sicuti demonstratur instrumento Andueiae Batonis (cf. Karlowa, *Rechtsgesch.* I (1885) p. 797 lin. 1-8) adversus iuris (Gai. II § 31 (i. f.), cf. tamen § 63) et constitutionum (Vat. fr. 316; c. 8 C. 4. 49; c. 13 C. 8. 27 (28) cf. praeterea Vat. 285; 289) auctoritatem.

3) Rep. *fiduciae*.

4) Vi legis commissoriae.

5) Cancellat quidem Pernice, Lab. III 1 p. 145³ *si modo — redacta*.

6) Cic. pro Flacco 21 § 51 ia. ad Fam. XIII 56 § 2 (Hitzig, *das griech. Pfdr.* p. 84 not. 2).

7) Isae. II § 28.

8) Demosth. XXI § 81; XXX § 27; XXXIII § 6.

9) *Inscript jur. grecq.* VIII 62, 63 (plane aberrat Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* p. 441 not. 2). Iure quoque Romano pignus persequi permittitur, postquam *debiti condicio venerit* (l. 13 § 5 D. 20. 1) vel dies (cf. l. 5 § 1 D. 20. 6), nec reus interpellatus solvat (c. 10 C. 8, 13 s. 14); quamquam alibi legitur: *si nondum dies pensionis ven(er)it, tamen pignora persequi permittendum es(se)* (l. 14 pr. D. 20. 1). Plura de hoc iure dedimus cap. harum observ. LXIX (i. f.).

dicitur *ἀφίστασθαι*[1]) sive *παρέχειν*[2]), nec tollit luendi facultatem[3]). Quo pertinet Alexandri c. 1 C. 8. 34 (35), quae demonstrat, non eum utique contraxisse videri legem commissoriam, *qui pactus est, nisi intra certum tempus pecuniam, quam mutuam accepit, solveret, cessurum*[4]) *creditoribus*, id est *ἀποστήσεσθαι*. Itaque multum interest, utrum commissa sit pignoris sive fiduciae possessio, an luendi facultas. Haec autem, ubi cessat lex commissoria, tunc demum tolletur, quum creditor ex pactione sive pignus sive fiduciam vendiderit[5]); quod iure Graeco fit similiter, idque demonstratur oratione contra Apaturium[6]), ubi dicitur *τὴν ναῦν (π)επρακ(έναι)*, qui venditionem eius navis per creditorem passus esset[7]). Neque opus est ad vitas sophistarum provocare[8]), ut demonstretur etiam iure Graeco creditores fiducias acceptas ex pactione vendere potuisse; sufficit, quam laudavi, oratio, ubi, qui navem cum remigibus fiduciae acceperat, actor docet èt navem se possedisse èt remiges, *ἵν' εἴ τις ἔνδεια γένοιτο*[9]) *τὰ ἐλλείποντα ἐκ τῶν παίδων εἴη* (§ 10). Vendidit autem navem, remiges dimisit, quia navis pretio debitum compensatum est nec ulla *ἔνδεια* fuit (§ 12 *μόλις εἰσέπραξα τὸ ἀργύριον πραθείσης τῆς νεὼς*[10]) *τετταράκοντα μνῶν, ὅσουπερ ἡ θέσις ἦν*). Unde apparet tam iure Graeco quam Romano[11]) superfluum, quod ex fiducia redigeretur, debitori reddendum fuisse, alioquin iste pignerator

---

1) Isae. II § 28; Demosth. XXXVII § 10. Cf. Pap. Berol. (*BGU*) 832, 29.

2) Demosth. XXXV § 24 § 37. Plenius habet syngraphe (ibid. § 11): *παρέχειν κρατεῖν.*

3) Demosth. XXXVII § 12-16. — Videmus sane apud eund. orat. XLVII ex causa iudicati pignora post luitionem retineri (§ 64: *λαβὼν τοίνυν παρ' ἐμοῦ ..... τὸ σύμπαν κεφάλαιον, ἀπαιτοῦντος ἐμοῦ τά τε πρόβατα καὶ τὰ ἀνδράποδα ..... οὐκ ἔφη ἀποδώσειν μοι ..... (§ 77) ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἔχει*).

4) *Pignoribus* addit c. 1 C. 8. 13 (14).

5) Paul. II 13 § 4.

6) Demosth. XXXIII § 25. Ergo XLVII § 54: *τὰ μὲν ἐνέχυρα κεῖται ..... τὰ δὲ πέπραται*, potest intelligi de pignoris ex pacto venditione.

7) Eodem modo c. 3 C. Th. 10. 17 (= c. 16 C. 4. 44) *distrahere* dicitur, qui *publica(m)* patitur *subhastatione(m)*.

8) Cf. *Inscr. jurid. grecq.* (I) p. 140[2].

9) I. e. si navis pretium sufficiens non fuisset (cf. Demosth. XXXII § 30).

10) Itaque *πραθείσης τῆς νεὼς* (§ 12) (*ὑπὸ τῶν δανειστῶν*) — *τὴν ναῦν ἐπεπράκει* (§ 25) (*ὁ χρεώστης*).

11) Paul. II 13 § 1. — De iure Graeco temere negat Costa, *Storia del diritto romano* II (1903) p. 164 not. 34.

remiges non liberasset. Commemoratur praeterea fiduciae venditio apud Lysiam XVII § 7 et ibi quoque demonstratur superfluum reddendum esse his verbis: *εἰ πλείονος ἄξιά ἐστιν ἢ τοσούτου, ἀποκηρυχθέντων τὸ περριτὸν ἡ πόλις*[1]) *λήψεται.* Dubitavit quidem de ea re Hitzig[2]), utiturque pro contraria sententia Onetoris apud Demosthenem[3]) sermone, sibi docentis praedium de quo agatur pro talento obligatum esse, sed nihilomagis se quidem *ἀποστερεῖ(ν)* Demosthenem, *ὅσῳ πλείονος ἄξιόν ἐστι ταλάντου,* scilicet, quod teneatur ad superfluum reddendum[4]). Itaque hic testis evocatorem sui laesit[5]). Licet autem de superfluo teneatur, non propterea sequitur creditorem, ut vendat fiduciam, cogi posse, nam ne Romano quidem iure ad id cogi solet[6]). Pactionis de vendendo exemplum superest in syngraphe Lacritea[7]): *ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῶσιν, ... τὰ ὑποκείμενα τοῖς δανείσασιν ἐξέστω ὑποθεῖναι καὶ*[8]) *ἀποδόσθαι τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς*[9]), ergo permittitur creditoribus aut vendere vero pretio[10]) aut rursus obligare[11]). Quod fieri videmus Amorgi (Michel no. 1385), quum vendat Niceratus èt alia praedia, èt, *ἃ ἔχει θέμενος ..... παρὰ Ἐξακέστου, ἅπαντα*[12]) uno pretio *ἐπὶ λύσει*[13]). Datur etiam alienandi potestas decreto Delphico, quod saepe laudavimus (Michel no. 263) B lin. 23/4: (*εἰ δέ κα μὴ ἀποδιδῶντι*), ... *οἱ ἐπιμεληταὶ* ..... *κύριοι ἔστωσαν πωλέοντες*, ex abundanti quidem, quia ibi praecedit lex commissoria. Exstat praeterea venditionis ex pacto exemplum in papyro, anni ante Chr. 114, Paris. 5 (= Leid. M),

---

1) Propter bonorum debitoris publicationem.

2) *Das griech. Pfandr.* (1895) p. 85.

3) XXXI § 6.

4) Sane, quod punxit Demosthenem, utebatur hoc sermone Onetor *αὐτὸς τιμήσας οὐκ ἄξιον εἶναι πλείονος.*

5) Iam notavit errorem Ferdinandi Hitzig criticus in *Liter. Centralbl.* 1895 p. 757/8.

6) L. 6 pr. D. 18. 7 (Paling. Pomp. 797).

7) Demosth. XXXV § 12.

8) I. e. *ἤ*.

9) Cf. Aristeas § 37 *δέκα μυριάδας αἰχμαλώτων ἠλευθερώκαμεν ἀποδόντες τοῖς κρατοῦσι τὴν κατ' ἀξίαν ἀργυρικὴν τιμήν.*

10) *Τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς* ad solum verbum *ἀποδόσθαι* pertinere manifestum est.

11) Cf. Kohler, *Pfandrechtl. Forschungen* (1882) § 1.

12) Michel: *ἁπάντων.*

13) Hoc omisit Hitzig, *das griech. Pfdr.* p. 85. 8 lin. 4. Proinde caduca fit quae ibi sequitur ratiocinatio.

quem illustravimus in alteris Observatiunculis (*Archiv f. Papyrusf.*) § 24. — Singulare genus est legis commissoriae in formulis Catonianis [1]), nam ibi non ex eo pignus committitur, quod pecunia ad diem soluta non sit, sed quod invito domino conductor res illatas deportaverit (*si quid deportaverit, domini esto*). Sed, quia satis dictum est de legibus pignorum commissoriis, age videamus de ceteris. Est igitur vulgaris conventio commissoria in perpetuis fundorum locationibus [2]), sive ita conveniat, *ut si p(er) certum tempus vectigal solutum non (sit), is fundus ad dominum redeat* (l. 31 pr. D. 20. 1), sive ita, *ut quamdiu* [id] *vectigal praestetur, neque ipsi conductori, neque heredi eius praedium auferatur* (Gai. III § 145), cui solet addi, ut perdat conductor *τὰ ἐν τᾷ γᾷ πεφυτευμένα καὶ οἰκοδομημένα πάντα*, ut est in Tabula Heracleensi [3]), sive *emponemata*, ut est apud Iustinianum [4]). Unde apparet, quam falso existimet Pothier [5]), citra commissum quoque meliorationes domino cedere, veluti quum propterea emphyteusis solvatur, quod conductio facta non in perpetuum sed in longum tempus et finita sit [6]). Cuius rei hanc reddit rationem, quod emphyteuses contrahantur spe meliorationum (*„qu'il est de la nature des baux emphytéotiques qu'ils soient faits dans la vue que l'emphytéote fera des améliorations à l'héritage"*), proinde debeantur eae fundi domino. Quod fortasse verum est de emphyteusibus medii aevi, quum secundum Anselmini [7]) definitionem a personis, quae nollent transferre dominium, venire solerent praedia

---

1) De re rust. cap. 146 (147). — In lege saltus, quae defossa est in pago Henchir-Mettich itidem domini esse iubentur, quos quis alveos transtulerit quo non oportuerit. Sed non legitur eos alveos pignori fuisse obligatos (cf. Herzen, *Origine de l'hypoth.* (1899) p. 194).

2) Ea quoque apud nos utique iam displicere coepit. Cf. Moltzer, *Landbouw en kapitaalbelegging* (1892) p. 122—125, et ex diversa parte Eyssell, Themidis nostrae vol. 54 (1893) p. 75-93.

3) *Inscr. jurid. gr.* XII (I) lin. 112.

4) c. 2 § 1 C. 4. 66. Cf. Pap. Lond. 483 lin. 75 (vv. *μετὰ καὶ τῆς πάσης αὐτῶν φιλοκαλείας*).

5) *Introd. générale aux coutumes* no. 47.

6) Idem Bernhardo Windscheid placet (1891) § 220[1] nova ratione, quod meliorationibus emphyteuta fruatur. Itane post conductionem finitam?

7) Super contractibus emphyteosis etc. (ed. Jacobi 1854).

pro certa pensione ..... et causa meliorationis [1]). Quamobrem constans est clausula in chartis Ravennatibus [2]), ut quum durante emphyteusi *in omnibus meliorare ..... debeatis ..... nihilque ..... de omni expensa ..... in ..... pensione ..... reputari* [3]), tum post emphyteusin finitam *loca cum omnia, quae inibi a vobis aucta facta meliorataque fuerint, ad ius dominiumque sanctae Ravennatis, cuius est proprietas, revertatur ecclesiae* [4]). Quod autem ad ius Romanum et ipsum Iustinianum attinet, placet sententia Ioannis Voet [5]), haec *emphyteusi finita* conductori salva esse, nisi ab initio aliter convenerit; aliter convenisse videri, si lege contractus impositae sint meliorationes [6]). Errat quidem hic auctor, ubi scribit nullo casu meliorationes committi neque id usquam scriptum inveniri: adimit enim Iustinianus conductori, qui iure expellatur, etiam *adlegation(em) nomine meliorationis* [7]). Idque ipsum argumento est, citra commissi causam meliorationes ad conductorem pertinere, nemo enim, quod suum non est, potest committere, ei praesertim, cuius id est. Solet autem in vectigalium agrorum conductione lex commissoria convenire, sive conductor solitam pensionem sive tributorum apochas non praestiterit [8]), et supplet, quod pacto desit, post triennium [9]), aut, si ager est ecclesiae, post biennium [10]) Iustiniani constitutio. Ut illic lege ita apud Gallos ante nonum saeculum tacita consuetudine et iure non scripto constitisse videtur, committendum

---

1) Op. cit. p. 14. — Cf. Fantuzzi I no. 126 (anni 1115), no. 134 (anni 1165): *contractus causa meliorationis greco vocabulo henfiteosis solet vocari* (Jacobi, apud Anselminum, p. 28 not. 2). Add. Chron. Farf. (Muratori, Script. II 2) p. 413: *antiqui auctores idcirco contractus largitionis sive concessionis* (cf. Anselminus, op. cit. p. 20, Jacobi, apud eundem, p. 90, 91) *rerum ecclesiasticarum emphyteusin appellare voluerunt, quoniam meliorationem per id et auctionem illarum significare docuerunt.* Confundit quidem hic auctor (in iis quae subiungit) emphyteusin et coloniam partiariam, quod videre est apud Caietanum Marini (Pap. diplom. pag. 365), qui totum locum fideliter exscripsit.

2) Marini in praef. ad pap. CXXXII: *„sono tutte .... colle stessissime formole."*

3) Pap. Marini CXXXII (= Spangenb. LXI) lin. 4.

4) Pap. cit. lin. 6. Cf. form. Andec. 7.

5) Comment. VI 8 § 52.

6) Cf. l. 55 § 1, l. 61 pr. D. 19. 2; l. 34 § 1 D. 7. 1.

7) c. 2 § 1 C. 4. 66, quam non ignoravit Voet, sed parere ei noluit.

8) c. 2 pr. C. 4. 66.

9) c. 2 § 1 C. 4. 66.

10) Nov. 7 c. 3 § 2; Nov. 120 c. 8.

esse agrum vectigali non soluto, eoque pertinere *legale et antiquum dictum* [1]), quod laudatur (anno 845) a synodo Meldensi [2]) cap. 62: „*qui negligit censum* [3]), *perdat agrum*,“ idem obversabatur scriptori formulae unius e Turonensibus [4]), quum dictabat clausulam [5]): *et si de ipso censo neglegens apparueris, fidem exinde facias, et ipsas res perdere non debeas* [6]). Iubet autem Iustinianus [7]), quum res sit ecclesiae, committi agrum expellique conductorem sive per biennium pensionem solvere distulerit, sive *χεῖρον ποιήσει τὸ πρᾶγμα* (= *κτῆμα*). At in chartis Ravennatibus, quae similiter habent propter pensionem per biennium non solutam legem commissoriam [8]), pinguius caveri solet, ut emphyteusis committatur, *si in aliqua tarditate aut neglecto aut controversia inventi fueritis extra agere de superius a (v)obis pollicitis condicionibus* [9]). Quae potest locum habere clausula, si conductor non melioravit, exemplo Thisbensis decreti [10]), quod de emphyteusibus ad nos pervenit, nam illic [11]) ita est: *εἰ δέ τις λαβὼν ἐντὸς τῆς* [12]) *πενταετίας μὴ φυτεύσαι, τό τε χωρίον μεταπωλήσουσιν οἱ καταλαμβάνοντες στρατηγοὶ κτέ.* Est ibi [13]) alia quoque committendi species: (*εἴ*) *τις* ..... *ξένῳ ὑποθείη τι τῶν χωρίων.* — Eadem scilicet committendi con-

---

1) Respici Iulianum (cap. aut 34 aut 412) non puto. Exstat *dictum* etiam in Caroli Magni charta (anni 802) sed retractata (Huebner, *Gerichtsurkunden* no. 163).

2) Eius canones eduntur inter capitularia no. 293 (II p. 413). Inde laudat Loysel (*éd.* 1846) no. 551.

3) *Census* pro *vectigali* primum apparet apud Hyginum (Gromat. p. 110, 22 ia. p. 202, 4). Hoc postea frequens fuit.

4) Additam. 3. Constituitur ibi *benefici(um) usufructuario ordine*.

5) In fine formulae.

6) Similem habent clausulam tres chartae decimi saeculi (Thévenin 138, 140, 142): *si de eodem censu negligentes aut tardi reperti fuerint, liceat emendare eis et quod tenuerint non perdant.* Add. Loersch *und* Schroeder 33 (27), quae est octavi saeculi.

7) Nov. 120 c. 8.

8) Savigny, *Gesch. des röm. Rechts* II § 73 not. *a*. Restituit id Marini etiam Pap. CXXXII lin. 6. Cf. P. Lond. 483 lin. 72 (*ἐπὶ δύο ἢ τριῶν ἐτῶν*).

9) Pap. Marini CXXXII lin. 5; CXXXIII (= Spangenb. LXII) lin. 4.

10) C. I. G. Graeciae Septentr. I no. 2226 + 2227 (pag. 382/3, 747/8). Laudatur a Ludovico Mitteis, *z. Gesch. der Erbpacht* (1901) p. 11 not. 1.

11) E + B lin. 10 sqq. (lin. 13 legendum est *φυτεύσειεν*, non: *φυτεύσαι ἄν*).

12) = *τῆς πρώτης*.

13) D lin. 2 sqq. (Mitteis, *z. Gesch. d. Erbp.* (1901) p. 11).

dicione, qua emphyteuticarii, etiam possidentur [1]) *fundi patrimoniales* [2]) et *rei privatae* [3]), non, quantum scimus quidem, tributarii; licet enim Frontinus [4]) *praestandi tributi condicione* possideri doceat stipendiaria praedia, attamen temerarium est, quod temptat Matthias [5]), his tribus verbis efficere velle: non praestito tributo rem fisco committi, quum praesertim ante Constantinum Magnum sint exempla praediorum *iure pignoris* [6]) ob tributorum reliqua venditorum [7]), commissi nullum. Itaque dudum mihi persuasit Dernburg [8]): Papirii Iusti l. 7 D. 39. 4 non ad tributarios fundos pertinere, sed ad patrimoniales emphyteuticariasque principis possessiones. Post Constantinum Magnum non negaverim in re tributaria quasi legi commissoriae locum fuisse. Imitatur enim legem commissoriam, quum permittit, contumacis in bona ut eant *cives eius* — ii ni fallor *quibus periculum exactionis immine(a)t* [9]) — eant autem *solutionis obsequio cum substantiae proprietate suscepto* [10]). Quam legem conservat Iustinianus [11]), sed pro civibus vocat *exactor(em)*. Recepit praeterea Leonis constitutionem [12]): *si divina domus aut quilibet cuiuscumque dignitatis* ..... *fundos extra metrocomias* [13]) *non patrocinii gratia* [14]), *sed*

---

1) Patrimoniales quidem fundi a *colonis vel emphyteuticariis* (c. 5 C. 11. 62 s. 61). Quamquam initio horum praediorum ius non minus distinctum fuisse ab emphyteusi credimus, quam fuisse rei privatae ante scilicet c. 7 C. 11. 62 (61) probavit Mitteis, *z. Gesch. der Erbp.* (1901) p. 40-57. Sed in patrimonialibus diversum putat (ibid. p. 41 not. 2).

2) c. 2 C. 11. 62 (61). Ad aliud *commissi* genus pertinere c. 4 eod., quae torserat Cuiacium, primus docuit Wenck (not. *k*) ad c. 15 C. Th. 5. 18. Quem sequitur Mitteis, *z Gesch. der Erbp.* (1901) p. 47/8.

3) c. 2 § 2 C. 11. 66 (65) = c. 4 (suppl.) C. Th. 5. 14.

4) Gromat. p. 36 lin. 7.

5) *Die röm. Grundsteuer* (1882) p. 31-43. Itaque concludit: „*der unsrer Construction adäquate Ausdruck .... ist von Frontin gebraucht*: possidere quasi — praestandi tributi condicione." Praecaverat Rudorff, *Feldmesser* II p. 317.

6) L. 5 § 2 D. 50. 15.

7) L. 52 pr. D 19. 1; c. 2 C. 4. 46; c. 1 C. 7. 39. Propter l. 36 D. 49. 14 cf. infra.

8) *Pfandrecht* I p. 349[1].

9) Cf. c. 2 C. 4. 46.

10) c. 3 C. Th. 11. 7.

11) c. 2 § 2 C. 10. 19.

12) c. 8 C. 10. 19.

13) Quia intra metrocomias *nulli extraneo ..... possidendi licentia tribu(i)tur* (c. 1 C. 11. 56 s. 55).

14) Quia patrocinii gratia quidquid gestum est *sub praetextu donationis vel venditionis seu conductionis aut cuiuslibet alterius contractus, nullam hab(e)t firmitatem* (c. 1 C. 11. 54 s. 53).

emptionis iure vel quolibet alio titulo legitimo possederit (nec) impositas rei publicae functiones agnoverit, tunc ut *possessiones eorum* [1]) *publico vindicentur*, non venum iturae, sed *curiae eiu(s) civitatis, sub qua vici* [2]) *siti sunt adsign(andae)*. Non tamen propterea in desuetudinem abisse ipsam in causa tributorum venditionem, Theodosiani aevi demonstratur constitutionibus [3]). In aliis quidem oneribus sola, quod sciam, placuit commissoria, veluti *qui praedia obnoxia corpori* cuicumque, *qu(od) ad privilegia urbis Romae pertinere nosc(a)tur*, cuiusmodi est suariorum, *vel ex empto vel ex donato vel ex quolibet titulo tenent*, praescribitur *pro rata* [4]) *publicum munus agnoscant, aut possessionibus cedant* [5]) *ad* pristina scilicet *iura revoca(ndis)* [6]). Similiter statutum est in rebus naviculariorum, ut *naviculario corpori* [7]) *reddantur, si bona* [8]) *rite retinentes subire eorum onera nolint, quorum possessione fruuntur* [9]). Ergo iubetur emptor altera de praediis naviculariorum constitutione [10]), si nolit navicularium onus agnoscere, cum fructibus praedium restituere, *ev(i)ctionis* [11]) *ac melioratae rei ..... inspectione habita*, quod abhorret a privata lege commissoria, nam illic emptor post rem inemptam factam èt quod ipse dederit perdit èt fructus lucratur perceptos [12]). —

1) Intelligi non omnes res reliquatorum sed solos fundos, quos *titulo legitimo possederint*, efficere videtur inprimis *divina(e) domus* commemoratio.

2) Cf. P. Florent. 1 lin. 4 (22): *ἐφ' ὑποθήκῃ τῷ ὑπάρχοντι·τῇ δεδανεισμένῃ λοιπῷ βεἰκῳ ἑνὶ τετάρτῳ ἀπὸ ἐλαιουργίου ἀργοῦ καὶ καμάρας καὶ αὐλῆς.*

3) c. 1 C. Th. 10. 17 (= c. 5 C. 10. 3); c. 4 C. Th. 11. 7 (= c. 1 C. 10. 21); c. 1 C. Th. 11. 9; c. 2 eod. (= c. 3 C. 4. 46).

4) Eadem vox est in c. 4 C. Th. 13. 6; cf. c. 27 C. Th. 13. 5 (*secundum possessionis modum*); c. 7, c. 8 C. Th. 13. 6.

5) c. 8 § 2, § 3 C Th. 14. 4.

6) c. 5 C. Th. 14. 4.

7) Non *corpori*, sed pristinis *dominis* vindicatio datur c. 6 C. Th. 13. 6; sed videtur ipsum corpus agere potuisse, ut res redderentur dominis, quemadmodum novis Germanorum legibus (*B. G.-B.* § 869) possessor civilis interdicere potest, ut naturali reddatur.

8) In c. 6 C. Th. 13. 6 memorantur *fundi*. Sed cf. 2 C. Th. 13. 5 de *pistorum* iure.

9) c. 4 C. Th. 13. 6.

10) c. 6 C. Th. 13. 6.

11) In libris est *evectionis*, quod correxit Gothofredus (qui Haenelio non persuasit). Intelligitur autem pretium, quod pro re datum est (Matthiass, *die röm. Grundsteuer* (1882) p. 54).

12) Adnotat Matthiass, l.l. (ad c. 6 cit.): „*durch diese Bestimmung gewinnt die Vindikation der* corpora *den Charakter eines dinglichen Näherrechts.*"

Quod supra diximus: in causa tributorum res venire pignoris iure, ei addendum est: tam ipsum praedium, quod sit tributarium, distrahi posse [1]), quam ceteras res [2]) reliquatoris vel generalis hypothecae ratione [3]) vel certe ex quo captae sint [4]). Itaque, si aliae res venibunt, incipit emptor plenum habere dominium; sin ipsum praedium, credunt quidam superesse pignus ex causa reliquationis, idque ipsum posse se credunt efficere Papiniani testimonio (l. 36 D. 49. 14): *praediis a fisco distractis praeteriti temporis* [tributum eorundem praediorum] *onus emptorem spectare placuit.* Sed iam diu est, ex quo demonstravit Gothofredus (ad c. 1 C. Th. 10. 16) tunc locum habere hoc Papiniani responsum, quum alia de causa praedia a fisco distrahantur, non *pro ipsis reliquis tributorum solvendis* [5]). Nam aliter statuentibus *pretium*, quod ex hac causa *solv(itur)* (l. 52 pr. D. 19. 1) totum reddendum erit debitori [6]), et habebit is praesentem pecuniam, fiscus autem, quod habebat, *nom(en)* (l. 5 pr. D. 50. 15), quod parum est probabile. Esse nonnumquam ab emptore reliqua exacta, demonstrant constitutiones Valentis: ubi pignora sub hasta fiscus vendat, ibi non tantum ea reliqua abolenda esse, quorum nomine venditio fiat [7]) sed omnia [8]), *ut* excepto pretio, de quo dando convenerit, *nullius* [9]) *conventioni* comparator *extrinsecus subiace(at)* [10]), ideo quia audierat princeps propter hunc metum *nonnullos fiscalem refug(ere) functionem* [11]). Etiam, ubi lex commissoria exercetur nec invito ἐπιβάλλεται reliqua sine dubio extinguuntur [12]), alioquin tanto minoris res

1) L. 5 § 2 D. 50. 15; l. 52 pr. D. 19. 1; c. 2 C. 4. 46; c. 1 pr. C. 7. 39.

2) c. 1 C. 4. 46 (cf. quoque c. 8 C. 6. 2); c. 1 C. Th. 10. 17 (= c. 5 C. 10. 3); c. 4 C. Th. 11. 7 (= c. 1 C. 10. 21); c. 1 C. Th. 11. 9; c. 2 eod. (= c. 3 C. 4. 46).

3) c. 1 C. 4. 46; c. 1 C. 8. 14 (15).

4) c. 1 C. Th. 11. 9; c. 2 eod. (= c. 3 C. 4. 46); c. 7 C. Th. 11. 7 (= c. 2 C. 10. 21).

5) Cf. praeterea Matthiass, *die röm. Grundsteuer* (1882) p. 46*.

6) Cf. c. 3 C. Th. 10. 17.

7) c. 1 C. Th. 10. 16.

8) Potest enim res pluribus titulis fisco nexa esse (veluti propter tributum et varios contractus).

9) Pro: *nulli.*

10) c. 2 C. Th. 10. 16 (= c. 6 C. 10. 3).

11) c. 1 C. Th. 10. 16. — Pro *functionem* reponunt quidam *auctionem.* Sed. cf. Gothofredus (sensus hic est: refugiunt functionem et propterea auctionem).

12) De canone rei privatae compertum est: c. 2 § 2 C. 11. 66 (65).

emptorem inveniet, et rursus eveniet, ut nomen habeat fiscus, quum possit habere praesentem pecuniam. Eadem scilicet ratione, qui *a peraequatore* desertum praedium iure dominii possidendum acceperit, is *reliqua* nulla debet *temporis ante acti* [1]). Solent deserta a possessoribus praedia aut *hastis subi(ci)* [2]) aut *sub certa immunitate* [3]) adsignari *certum quem tributorum canonem promit-t(enti)* [4]), *meliore* utique *condicione*, quum, quod adsignetur, *navalem sustine(a)t functionem*, haec enim ut integra praestetur [5]), ipsum tributum etiam magis *relevat(ur)* [6]). Fiebat autem adsignatio *edictis pendentibus* [7]), quibus veteres domini evocabantur, ut intra certum tempus etiamnunc sua sibi quisque reciperent [8]). Sin hoc modo fundus desertus *invenire dominu(m) non potuer(it)*, iubet Aurelianus *civitatum ordines ..... triennii immunitate percepta dein* [9]) *solemnibus satisfacere* [10]), quem *tenore(m)* Constantinus *serva(t)* hoc addito, *ut, si constiterit ad suscipiendas easdem possessiones minus idoneos esse, eorundem agrorum onera possessionibus* privatorum *et territoriis* civitatum [11]) dividantur. Quod ἐπιβολῆς exemplum èt vetustissimum est èt solum, quod habeat mitigationem per immunitatem.

---

1) c. 16 C. Th. 13. 11 = c. 7 C. 11. 58 (57); c. 11 (Wenck: 4) C. Th. 5. 15; c. 11 § 2 C. 11. 59 (58).

2) c. 9 (Wenck: 8) C. Th. 5. 15; cf. c. 2 C. 4. 46.

3) c. 3 C. 11. 59 (58). — *Triennii* ostenditur immunitas c. 8 (Wenck: 2) C. Th. 5. 15, sub qua fit ἐπιβολή in edictis Aureliani et Constantini (c. 1 C. 11. 59 s 58). Nonnumquam novis dominis plena praestabatur immunitas (Iulian., Misopog., i. f.), maxime qui veterani essent (c. 3, c. 8 C. Th. 7. 20).

4) c. 11 § 1 C. 11. 59 s. 58. (Cf. c. un. § 3 C. Th. 7. 19: *salva tributorum praestatione*).

5) *Ut gravis sors* (= functio) *navalis* (quippe quae integra praestanda est) *esse non possit pro ea qua resederit* (in eo fundo) *portiuncula*. Codex Iustinianus habet: *quae resederit*.

6) c. 19 C. Th. 6. 2 = c. 15 C. 11. 59 (58).

7) c. 13 (i. f.) C. Th. 11. 28.

8) c. 11 pr. C. 11. 59 (58); c. 11 (Wenck: 4) C. Th. 5. 15. Cf. c. 7 C. 11. 58 (57) = c. 16 C. Th. 13. 11.

9) Ex coniectura Mommseni. Libri: *de*.

10) c. 1 C. 11. 59 (58). — *Quos praeceperamus* videntur esse *civitatum ordines*; itaque virgula ponenda est ante *quos*, demenda post *praeceperamus* (= praediximus).

11) Ita interpretatur Zachariae, *Gesch. des griechisch-röm. Rechts* (1892) p. 229[3, 4], ex diverso Monnier, *Nouv. rev. histor.* XVI (1892) p. 330[2] duce Cuiacio *et territoriis* vertit: eius territorii. Cf. denique Mitteis, *z. Gesch. der Erbpacht* (1901) p. 64.

AD TACITUM ET VELLEIUM PATERCULUM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

I. Ad Taciti Historias.

Taciti Historiae *rec. J. van der Vliet.. J. B. Wolters. a. MDCCCC.*

I 6, vs. 14. *ille* (Varro) *ut Nymphidi socius, hic* (Petronius) *ut dux Neronis inauditi atque indefensi tamquam* innocentes *perierunt.*

At *innocentes* audiri solent et solebant atque defendi. Quare corrigendum arbitror „nocentes", i. e. de quorum culpa satis constabat.

Cf. II 10, vs. 16 *dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac* nocentem *more tamen audiendum censebant.*

I 33, 25. *Non expectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeundum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine* tenus *domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus.*

Corruptum vocabulum „tenus" in „tutus" apte refingebat editor, sed facilius etiam depravari potuit ex „<se> tuens" aut „tuens <se>".

I 51, 1. *Caeso cum omnibus copiis Iulio Vindice ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset* expeditionem et aciem, *praemia quam stipendia malebat.*

emptorem inveniet, et rursus eveniet, ut nomen habeat fiscus, quum possit habere praesentem pecuniam. Eadem scilicet ratione, qui *a peraequatore* desertum praedium iure dominii possidendum acceperit, is *reliqua* nulla debet *temporis ante acti* [1]). Solent deserta a possessoribus praedia aut *hastis subi(ci)* [2]) aut *sub certa immunitate* [3]) adsignari *certum quem tributorum canonem promit-t(enti)* [4]), *meliore* utique *condicione*, quum, quod adsignetur, *navalem sustine(a)t functionem*, haec enim ut integra praestetur [5]), ipsum tributum etiam magis *relevat(ur)* [6]). Fiebat autem adsignatio *edictis pendentibus* [7]), quibus veteres domini evocabantur, ut intra certum tempus etiamnunc sua sibi quisque reciperent [8]). Sin hoc modo fundus desertus *invenire dominu(m) non potuer(it)*, iubet Aurelianus *civitatum ordines ..... triennii immunitate percepta dein* [9]) *solemnibus satisfacere* [10]), quem *tenore(m)* Constantinus *serva(t)* hoc addito, *ut, si constiterit ad suscipiendas easdem possessiones minus idoneos esse, eorundem agrorum onera possessionibus* privatorum *et territoriis* civitatum [11]) dividantur. Quod **ἐπιβολῆς** exemplum èt vetustissimum est èt solum, quod habeat mitigationem per immunitatem.

---

1) c. 16 C. Th. 13. 11 = c. 7 C. 11. 58 (57); c. 11 (Wenck: 4) C. Th. 5. 15; c. 11 § 2 C. 11. 59 (58).

2) c. 9 (Wenck: 3) C. Th. 5. 15; cf. c. 2 C. 4. 46.

3) c. 3 C. 11. 59 (58). — *Triennii* ostenditur immunitas c. 8 (Wenck: 2) C. Th. 5. 15, sub qua fit ἐπιβολή in edictis Aureliani et Constantini (c. 1 C. 11. 59 s 58). Nonnumquam novis dominis plena praestabatur immunitas (Iulian., Misopog., i. f.), maxime qui veterani essent (c. 3, c. 8 C. Th. 7. 20).

4) c. 11 § 1 C. 11. 59 s. 58. (Cf. c. un. § 3 C. Th. 7. 19: *salva tributorum praestatione*).

5) *Ut gravis sors* (= functio) *navalis* (quippe quae integra praestanda est) *esse non possit pro ea qua resederit* (in eo fundo) *portiuncula*. Codex Iustinianus habet: *quae resederit*.

6) c. 19 C. Th. 6. 2 = c. 15 C. 11. 59 (58).

7) c. 13 (i. f.) C. Th. 11. 28.

8) c. 11 pr. C. 11. 59 (58); c. 11 (Wenck: 4) C. Th. 5. 15. Cf. c. 7 C. 11. 58 (57) = c. 16 C. Th. 13. 11.

9) Ex coniectura Mommseni. Libri: *de*.

10) c. 1 C. 11. 59 (58). — *Quos praeceperamus* videntur esse *civitatum ordines*; itaque virgula ponenda est ante *quos*, demenda post *praeceperamus* (= praediximus).

11) Ita interpretatur Zachariae, *Gesch. des griechisch-röm. Rechts* (1892) p. 229[7 • 1]. ex diverso Monnier, *Nouv. rev. histor.* XVI (1892) p. 330[2] duce Cuiacio *et territoriis* vertit: eius territorii. Cf. denique Mitteis, *z. Gesch. der Erbpacht* (1901) p, 64.

AD TACITUM ET VELLEIUM PATERCULUM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

I. Ad Taciti Historias.

Taciti Historiae *rec. J. van der Vliet.. J. B. Wolters. a. MDCCCC.*

I 6, vs. 14. *ille* (Varro) *ut Nymphidi socius, hic* (Petronius) *ut dux Neronis inauditi atque indefensi tamquam* innocentes *perierunt.*

At *innocentes* audiri solent et solebant atque defendi. Quare corrigendum arbitror „nocentes”, i. e. de quorum culpa satis constabat.

Cf. II 10, vs. 16 *dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac* nocentem *more tamen audiendum censebant.*

I 33, 25. *Non expectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeundum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine* tenus *domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus.*

Corruptum vocabulum „tenus” in „tutus” apte refingebat editor, sed facilius etiam depravari potuit ex „<se> tuens” aut „tuens <se>”.

I 51, 1. *Caeso cum omnibus copiis Iulio Vindice ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset* expeditionem et aciem, *praemia quam stipendia malebat.*

Inductus verbis vitiose traditis post „aciem" excidisse „quam pacem" putabam, nondum cognita eximia Bezzenbergeri emendatione: expeditionum feracium *praemia, quam stipendia malebat*, quae quantocius recipienda videtur.

II 13, 7. *Auxit invidiam praeclaro exemplo femina Ligus, quae filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites credidissent eoque per cruciatus interrogarent, ubi filium occuleret, uterum ostendens* <ibi> *latere respondit.*

De Ernesti coniectura suppletum est „ibi". At facilius post *ostend*ENS elabi potuit „in se", quod aeque aptum est.

II 38 extr. *nunc ad rerum ordinem* venio.

Sententiae consuluit Heraeus coniectura sua „redeo", sed facilior correctio videtur „<re>venio", quo verbo satis usitato ipse Tacitus usus est Ann. II 24.

III, 68, 23. *Nihil tale* (sc. quale nunc in Vitellio) *viderant, nihil audierant: repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat, occultae Gaium insidiae, non et ignotum rus fugam Neronis absconderant; Piso et Galba tamquam in acie cecidere.*

De Othone et ipso „tamquam in acie caeso" (cf. II 46 sqq.), quia vix silere potuit Tacitus, conieci:

Piso et Galba <et Otho> *tamquam in acie cecidere.*

III 77, 15. *Ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit, percontatus, statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet. Quod salutare non modo partibus Vespasiani, sed rei publicae fuit.*

Manifesto post verbum *iuberet* excidit id ipsum, quod salutare fuisse dixit Tacitus, scilicet „Hoc iubet" i. e. „perdomandae Campaniae insistere". Vide sequentia. Damstéo forsitan recte sufficere videtur <Iubet> *quod* etc.

V 7, 27. De Sodomis interitu Tacitus haec scribit: *Ego sicuti inclutas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita habitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, sole caeloque iuxta gravi.*

Locus sanus mihi videtur neque indigere desideratissimi amici supplemento „ardore", quod post „autumni" inseruit.

Ut enim *fetus segetum* sunt varia frumenti genera, quae *aestate* et quidem in illo tractu multo prius quam apud nos maturescunt, ita *autumni* (fetus) dicuntur poma, olivae, uvae similiaque, quae ut fruges „superfuso corrupto illo spiritu" putrescere putabat scriptor.

V 13, 11. *Apertae repente delubri fores et audita maior humana vox excedere* deos; *simul ingens motus* excedentium.

Quam parum sibi constat Tacitus, qui paullo ante V 5, 12 scripsit: *Iudaei mente sola* unumque numen *intellegunt*!

V 17 extr. *Ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis, ut* elicerent, *lacessentibus.*

Nonne requiritur „illicerent", in paludes sc.? Dolendum est hanc editionem tot deturpari vitiis typographicis: P. 35, 30 *obessam*; 53, 9 *audentoribus*; 94, 18 *militem* (l. militum); 99, 4 *coteri*; 107, 1 *emolilitos*; 108, 11 *iudustria*; 114, 8 *elassis*; 130, 28 *propre* (l. prope); 141, 18 *fortunum*; 158, 14 *invida* (l. invidia); 160, 10 *qai* (l. qui); 165, 6 *iuvadunt*; 222, 13 *levitos.*

II.

Ad Velleium Paterculum.

Velleius Paterculus *ed. R. Ellis Oxonii a. MDCCCXCVIII.*

I 1 § 3. *Quippe vixit* annis *XC*, *regnavit LXX* (Orestes).

Constanter Velleius tempus per quod aliquid fit ablativo significat, non accusativo, nisi addita praepositione *per*. Sic v. c. in ipso huius capitis fine: *post Orestis interitum filii eius Penthilus et Tisamenus regnavere* triennio et initio capitis sexti: *qui*

id optinuerant annis LMXX. Minus recte igitur II 90 § 1 ex Lipsii et Orellii coniectura suppletum est: *Delmatia,* annos XX *et* CC *rebellis, ad certam confessionem pacata est imperi,* sed supplendum est aut „annis", quod malim, aut cum Novakio „per annos".

Abhorret etiam a Velleii scribendi norma quod ex apographo Amerbachii codicis nunc deperditi Murbacensis editur II 15 § 1: *quippe L. Caesare et P. Rutilio consulibus abhinc annis* CXX etc. et II 65 § 2 *post urbem conditam abhinc* annis DCCVIIII, illic repugnante editione principe, qui habet „annos", hic sane consentiente. Sed enim tantus est in Velleio locorum numerus, ubi quartus casus post *abhinc* apparet, ut quin utrobique restituendus sit temporis punctum non dubitem.

I 5 § 1. *Clarissimum deinde Homeri inluxit ingenium, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari* poeta *meruit.*

Noli credere Velleio poetae nomine indignos videri qui postea vixerunt, sed respicit ad Graecorum usum Homerum τὸν ποιητήν (scil. κατ' ἐξοχήν) appellantium.

Paucis omissis secuntur haece:

neque quemquam alium, cuius operis *primus auctor fuerit, in eo perfectissimum praeter Homerum et Archilochum reperiemus.*

Fortasse haud inutilis est observatio Velleium hic et alibi substantivo *opus* eam tribuisse notionem, quam in lexicis notatam non reperio, ut sit *litterarum genus, letterkundig genre.* Cf. I 17 § 3 et § 4; II 9 § 6; 36 § 3 extr.

II 17 § 1. *Sulla, vir qui* neque ad finem *victoriae satis laudari neque post victoriam abunde vituperari potest.*

„Ad finem victoriae" pro „usque ad victoriam" insolenter dictum. Saepius eo sensu usurpari *fine* cum genetivo docent lexica. Cf. 25 § 2 *adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vincit † ac iustissimo † lenior* (vide coniecturas ap. Ellisium), post victoriam *audito fuerit crudelior. nam et consulem, ut praediximus, exarmatum quintumque Sertorium, pro quanti mox belli facem! et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumis, credo ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi*

conspiceretur exemplum. post victoriam † *qua demendes* † *montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla gratis Dianae, cuius numini regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate in medendis corporibus nobilis agrosque omnis adduxit deae etc.*

Sub verbis corruptis „qua demendes" sive cum Ruhnkenii „quia descendens" sive aliud latere existimamus, ne emendatis quidem illis me iudice hic locus pro integro haberi potest. Ut enim Sullae ante victoriam mansuetudo a Velleio illustrata est, ita vix et ne vix quidem deinde silere potuit de immani eiusdem *post victoriam* saevitia. Quare non dubito quin post verba „post victoriam" statuenda sit complurium versuum lacuna. Fortasse locus sic constituendus:

post victoriam * * * ⟨post victoriam⟩ *quia descendens* etc.

ut, qui est lacunarum fons uberrimus, librarii oculi ab altera lectione ad alteram aberraverint.

II 26. *Deinde consules Carbo tertium et C. Marius, septiens consulis filius, annos natus XXVI, vir animi magis quam aevi paterni, multa fortiterque molitus neque usquam inferior* nominis titulis, *apud Sacriportum pulsus a Sulla acie Praeneste, quod ante* (l. *arte et* cum Bentleio) *natura munitum praesidiis firmaverat, se exercitumque contulit.*

Sic pro Amerbachiani apographi lectione „nomine stilis" corrigens Ellis non reputavit sic male sententiam decurrere. Procul dubio corrigendum fuerat:

neque usquam inferior nominis titulis. ⟨Is⟩ *apud Sacriportum pulsus* etc.

quod non latuit Orellium conicientem: *nomine suo. Is* etc.

II 27 § 5. *utcumque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur* civis *memoria.*

Vera videtur editionis principis correctio „eius" i. e. filii C. Marii, de quo haec dicuntur.

II 30 § 2. *sed Pompeius, hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus, ante diem quam consulatum iniret, curru urbem invectus est. quem virum* quis non miretur *per tot extraordinaria imperia in summum fastigium evectum iniquo tulisse animo, C. Caesaris*

absentis in altero consulatu petendo senatum populumque Romanum rationem habere: adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, et invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere.

Breviloquentia quaedam causa fuisse videtur cur Ellis haerens in verbis „quis non miretur" perquam infeliciter coniceret „quis ominetur", quod quo sensu dictum voluerit ne assequor quidem. Scriptor hoc voluit, ni fallor, primo quidem obtutu mirum videri posse Pompeium multo maiora extra ordinem assecutum aegre tulisse Caesari permissum esse ut absentis consulatus candidati haberetur ratio, sed revera nihil eam rem miri habere, quippe *familiare esse hominibus omnia sibi ignoscere* etc. Cogitari sane possit de reponendo „quisnam" aut „quisquam miretur" etc., sed dubito num vel ea correctio necessaria sit.

II 36 § 3. *paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quae maxime nostri aevi eminent princeps carminum Vergilius Rabiriusque* et consecutus Sallustium Livius *Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui; nam virorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.*

Cum permire in mediis poetis appareat rerum scriptor Livius, hunc locum depravatum esse mature animadversum est. Propter mutationis autem violentiam parum probabilis est Burmanni coniectura „et consecutus Gallum Tibullus, Propertiusque et Naso."

Coniecturis addatur haec mea:

Rabiriusque; <Propertius> *Tibullusque et consecutus Sallustium* (cf. § 2) *Livius, perfectissimi in forma operis sui;* etc.

II 47 § 4. *quo tempore P. Clodius a Milone candidato consulatus* exemplo inutiliter facto <sed> *salutari reipublicae circa Bovillas contracta ex occursu rixa iugulatus est.*

Traditam lectionem aliis aliter mutantibus, Ellis immutatae addidit de suo voculam *sed.* Recte addidisse videtur, sed parum eleganter dictum videtur „inutiliter facto" pro simplici „inutili", i. e. non imitando.

Fortasse corrigendum:

exemplo inutili profecto <sed> *salutari reipublicae.*

II 49 § 3. *M. autem Cato moriendum ante quam ullam condicionem* civis *accipiendam reipublicae contenderet.*

„Civis" i. e. impositam a cive, optime dictum videtur nec probandae sunt Ruhnkenii et Ellisii coniecturae „cuiusvis" et „cum cive".

II 55 § 3. *sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est, sed nullum unquam atrocius periculosiusque ab eo initum proelium, adeo ut plus quam dubio Marte descenderet equo consistensque* ante recedentem suorum aciem, *increpata prius fortuna, quod in se eum servasset exitum, denuntiaret militibus* vestigio se non recessurum: *proinde viderent, quem et quo loco imperatorem deserturi forent. verecundia magis quam virtute* acies restitutae sunt a duce quam a milite fortius.

Haec est ultimorum verborum procul dubio corruptorum lectio apographi Amerbachiani et editionis principis, quam mutato „fortius" in „potius" tuebatur Mommsen, Ellis vero recepit Orellii coniecturam „restituta et a duce".

Causa cur locus nondum correctus sit haec est, quod critici non animadverterunt, *aciem turbatam fuisse* minime apparere e verbis antecedentibus „consistensque ante *recedentem* suorum aciem", quibus mox opponuntur „vestigio se non recessurum". Quo intellecto vidi emendandum esse: „<res> restitutae sunt", minus tamen recte suspicatus vocem „acies" deberi infelici coniecturae. Nam vir cl. Damsté, Vlietii mei defuncti in cathedra latina apud Rhenotraiectinos successor, a me consultus felicissime coniecturam meam perfecit corrigendo:

acies <restitit et res> *restitutae sunt a duce quam a milite fortius.*

II 62 § 3. *intento* ac pari *animo sine auctoritate publica provincias exercitusque occupaverant.*

Quid in his verbis vituperandum sit non assequor. Ellis adnotat „*Malim* nec dispari".

II 69 § 2. *et C. Cassius — inclusum Dolabellam — Laodiciae expugnata ea urbe* <obire> *fecerat* (*ita tamen, ut ad ictum servi*

sui Dolabella non segniter cervicem daret) *et decem legiones in eo tractu sui iuris fecerat.*

Recte Ellis sprevit Rhenani coniecturas „interfecerat" et „confecere", quippe quae verba significare non possint, quod sententia postulat „mori coegerat." Quod autem de suo supplevit „obire" num recte de violenta morte dici possit dubitans, praetulerim saltem „mori". Ceterum ipse hic usus verbi „facere" cum infinitivo quoniam ab elegantioribus pedestrium fere vitatur nec Velleiano exemplo probari potest, et parum elegans est „fecerat" propter verba subsequentia „sui iuris fecerat", dubia admodum videtur haec loci correctio et posthabenda paullo audaciori Novaki coniecturae „mori coegerat".

II 83 extr. *haud absurde Coponius, vir e praetoriis gravissimus, pater Sili* (*P. Sili* optime Gelenius) *socer, cum recens transfuga multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu obiceret, multa, inquit, mehercules fecit Antonius* pridie quam *tu illum relinqueres.*

Huius dicterii aculeum me fallere confiteor. Nisi forte reconditius quid latet, rescripto „priusquam" pro „pridie quam", suspicor Coponium tectius significasse:

„Necesse sane est Antonius multa ac nefanda fecerit, si tu, Plance, infamis ipse nebulo, tantam eius nequitiam tolerare non amplius potuisti."

II 87 init. *Proximo deinde anno persecutus reginam Antoniumque Alexandriam,* (Caesar) *ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiae crimina morte redimeret.* at *Cleopatra frustrata custodibus inlata aspide in morsu sanieque eius, expers muliebris spiritum reddidit.*

Aequavit igitur Cleopatra Antonii in suicidio fortitudinem, nec locus est adversativae particulae „at" sed requiritur „atque" sive „ac" aut „et".

II 88 § 2. Scribitur de Maecenate: *otio ac mollitie paene ultra feminam fluens, non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus — quippe vixit* angusti clavi paene *contentus — nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit.*

Salmasii correctio „angusticlavio" nititur forma tradita „laticlavium", et speciem sane habet quod praeterea suasit „plene" pro „paene", quod minus leniter in „specie" (servato „angusti clavi") mutabat Zumpt.

Dubito tamen an potius „paene" delendum sit, errore fortasse repetitum ex antecedentibus, ut corrigendum sit:

quippe vixit angusticlavio *contentus.*

Ibidem § 3. *et ille quidem* (M. Lepidus) *male consultorum poenas exsolvit. aequetur praedictae iam Antistiae Servilia Lepidi uxor, quae* vivo *igni devorato praematura morte inmortalem nominis sui pensavit memoriam.*

Lepidum, quod necem tentasset Tiberio, *vivum* combustum esse poena crudelissima et vix servili quis quaeso sibi persuadeat, cum praesertim, si revera id accidisset, Velleius mansuetudinis huius Imperatoris laudator eam rem procul dubio reticuisset? Lepidi autem poena probabiliter eadem fuit, quae Muraenae et Fannii narratur cap. 91 extr. Et hoc quidem non latuit interpretes verba „vivo igni" ineptissime explicantes „igni calenti ardentique" allata scilicet formula quae est „vivum ignem devorare", quasi hoc loco nostro conveniat!

Apage ineptias et corrige:

quae viro *igni devorato*, i. e. post mariti exequias.

II 90 § 1. Vid. supra ad I 1 § 3.

II 91 § 4. *quippe ita se mores habent, publica quisque ruina malit occidere quam sua proteri, idem* passurus *minus conspici.*

Nonne potius expectatur: *idem* passus (i. e. occisus) *minus conspici?*

II 93 § 1 extr. *admodum iuvenis.*

Constanter hoc verborum ordine Velleius fere contra antiquiorum consuetudinem, qui adverbium *admodum* postponere assolent adiectivis.

II 112 § 3. *ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicumque Caesar esset*, nihil in se reponerent.

Sententia haec esse videtur: Tam parum placebat barbaris numerus suus, tam parum fiducia virium, ut ubicumque Caesar esset, sibi plane diffiderent.

Sed latine hoc dicitur:

„nihil in se (spei) reponerent"

ut passim dicitur *spem reponere in aliquo* sive *in aliqua re.* Sic. v. c. Livius I 49 (cf. ib. II 39) *nihil spei in caritate civium reponere*; Cic. Tusc. V 12, 36 *omnem spem in se.*

Iam Heinsium idem monuisse nunc me docet Damsté, sed quia certa videtur emendatio, scripta non deleo.

II 120 § 3 extr. *sunt tamen qui ut vivos ab eo* (L. Asprenate) *vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia hereditatemque occisi exercitus, in quantum* voluerit, *ab eo aditam.*

Recipienda est procul dubio certa Lipsii emendatio „valuerit" pro absurdo „voluerit". Ceterum mera haec videtur calumnia; nam quibus tandem artibus Asprenas tantum facinus perpetrare potuerit, perdifficile dictu est.

II 123 extr. Scribitur de Augusto: in sua resolutus initia *Pompeio Apuleioque consulibus septuagesimo et sexto anno animam caelestem deo reddidit.*

Num prima verba „in — initia" explicanda sunt e Stoicorum doctrina, cui fortasse addictus fuit Velleius? Cf. M. Antonini *τὰ εἰς ἑαυτόν* II 17 extr. *ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸν θάνατον ἵλεῳ τῇ γνώμῃ περιμένοντα, ὡς οὐδὲν ἄλλο ἢ λύσιν τῶν στοιχείων, ἐξ ὧν ἕκαστον ζῷον συγκρίνεται.*

II 129 § 3. *quam illum* (Maroboduum) *ut honorate,* <sic> nec *secure continet* (Tiberius).

Ita addita de suo vocula *sic* edidit Ellis. Equidem melius intellegam Burmanni „nec" in „sic" mutantis correctionem. Nam quae sit Tiberii laus *non secure* continentis Maroboduum me latet.

DE THORACE APUD HOMERUM.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

§ 1.

E 99 sq., 189, 282 θώρηξ intellegendus est tunica lintea.

Diomedi, Pandari sagitta per *θώρηκος γύαλον* E 98 sqq. humerum in dextrum vulnerato, dum per humerum Sthenelus, ut sagittam removeat, cuspidem a tergo protrahit vs. 112, sanguis narratur emicare *διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος*, thoracis nulla mentione facta, quem si ille supra ei induisset, per hunc, non per eum cerneretur sanguis erumpens; at eum induere supra thoracem aëneum absurdum erat. Neque profecto Sthenelus, illi thoracato, nisi sagitta, praeter humerum ipsum, tam partem posticam thoracis quam anticam perforavit, cuspidem a tergo protrahere potuit, quae tamen vis sagittae vix ac ne vix quidem credibilis est. Accedit quod vs. 795 Diomedes a Minerva reperitur, quo vulnus refrigeret scuti fasciam allevans et cruorem atricolorem abstergens. Quod recte Reichel [1]) et Robert [2]) vv. dd. negant eum facere potuisse indutum thorace aëneo. Fac autem exuisse, scuto quoque se levasset, ac rursus induisset pugnaturus. Sed qualem invenit dea statim secum ducit adversus Martem. Haec non urguenda esse forsitan quis censeat, cum minime constet, qui poëta cum Marte Diomedem certantem fecit, eundem esse

1) Homerische Waffen² p. 72 sqq.
2) Studien zur Ilias p. 37.

qui a Pandaro narravit vulneratum. At hoc tamen sequitur, ut is qui illud certamen vulnerationi adiunxit nudum a thorace aëneo Diomedem finxerit. Praeterea E 4 ubi legimus 'δαῖέ ϝοι (Ἀθήνη) ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ, quem versum vix quisquam vulnerationis cantori denegabit, si thoracem aëneum Diomedi tribuisset, commemorasset sane. Ab altera parte non tantum vs. 98 sq. dicit 'βάλε (Πάνδαρος) .... θώρηκος γύαλον, sed addit quoque vs. 100 'παλάσσετο δ' αἵματι θώρηξ, et vs. 189 Pandarum gloriantem facit se Diomedis percussisse θώρηκος γύαλον, tum, ubi paulo post, vs. 280, ei Pandarum hasta clipeum transfixum narrat, addit haec: αἰχμὴ χαλκείη θώρηκ' ἐπελάσθη.

Robert interpolationem auguratur, censetque vss. 99, 100, 189 delendos esse et vs. 282 pro θώρηκ' legendum ζωστῆρ'. Cui vereor assentiri. Nam ubi Helenus in Menelaum arcum intendit, legimus N 586 κατὰ στῆθος 'βάλεν ἰῷ, tum vero vs. 587 θώρηκος γύαλον, ἀπὸ δ' ἔπτατο πικρὸς ὀιστός, qui versus ab E 99 non differt, nisi quod ibi est διὰ δ' ἔπτατο πικρὸς ὀιστός. Quodsi igitur E 99, 100 spurii sunt, interpolator alterum versum leviter mutatum deprompsit ex N 587, alterum de suo addidit. Sed optime E 99, 100 inter se et cum superioribus cohaerent; quid? insolitum, ne dicam inauditum paene apud Homerum est, ubi quis aut feriatur aut icatur effectum non commemorari, sive vulnus accipitur sive evitatur. Quod hic desideratur deletis vs. 99, 100. Hos autem versus si retinemus, non est cur eiciamus vs. 189, quo praesertim deleto vs. 188 friget; praeterea mirus interpolator, quem vs. 282 furor suus adduxerit ut ζωστῆρ' in θώρηκ' mutaret. Satius igitur erit, antequam quidquam mutes, hoc investigare quid θώρηξ aliud esse possit quam thorax aëneus. Reichel suspicatur [1]) E 99, 100, 189 scutum intellegendum esse, quid autem de vs. 282 faciendum sit, non enuntiat v. d., at ibi non de scuto agitur, legimus enim vss. 281 sq. καὶ 'βάλε Τυδεΐδαο κατ' ἀσπίδα, τῆς δὲ διὰ πρό, αἰχμὴ χαλκείη πταμένη θώρηκ' ἐπελάσθη. Sed aliis apud Homerum locis, N 507, P 314, rursus scutum, aliis, Δ 133, Λ 236, Υ 414, balteum, aliis, Δ 133, Σ 460, mitram, i. e. illud cingulum, quod proxime corpus

1) H. W.² p. 145.

circumdabat, intelligit v. d. [1]). Quod sic probare conatur ut coniciat voce θώρηξ a principio significatum esse quodcunque pertineret ad corporis praesidium. Sed ut hoc ita sit, quod nunc non quaero, utique requiritur ut voce generali abstineatur nisi omne dubium, quid speciatim spectetur absit. Quod non usu venit E 99, 100, 189. Praeterea vero inepte dicitur icto humero scutum percuti, legimus autem vs. 98 sq. καὶ 'βάλ' ἐπαΐσσοντα τυχὼν κατὰ δεξιὸν ὦμον θώρηκος γύαλον. Aliam autem vocis θώρηξ interpretationem cognoscimus ex Eustathio [2]) et Apollonio [3]). Hi enim testantur fuisse qui nomine στρεπτὸς χιτών vs. 113 loricam sertam notari vellent, qualis vulgo appellatur θώρηξ κρικωτός sive ἁλυσιδωτός. Inter quos, modo fides habeatur Apollonio, fuit Aristarchus [4]). Quibus facile intellegitur propterea eam placuisse interpretationem, qua efficerent idem valere θώρηκα E 99, 100, 189, 282 et στρεπτὸν χιτῶνα E 113, ita explicaturi quomodo θώρηξ neque sanguini impedimento fuerit erumpendi διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος, neque Diomedi abstergendi sanguinis. Neque tamen opportunus eis est solus apud Homerum locus quo redit στρεπτὸς χιτών, neque cum eis fecit Aristarchus. Nam Φ 31, ubi Achilles iuvenibus Troianis in flumine captis manus post tergum vinxisse narratur loris τοὺς αὐτοὶ 'φορέεσκον ἐπὶ στρεπτοῖσι χιτῶσι, quid lora sibi velint ad loricas sertas nemo videt. Sed tunicae cingebantur, quod apparet Υ 470, ubi commemoratur κόλπος i. e. tunicae sinus, qui ceteroquin nullus esse poterat [5]). Neque aliud quidquam nisi de Diomedis tunica cogitavit Aristarchus; nam schol. A ad Φ 31, laudato nostro loco

---

1) Quae Reichel in priore sui operis editione disseruit (p. 105) ut demonstraret nonnusquam voce θώρηξ scutum significari, omisit in altera (quam curavit Heberdey v. d.), locum vacuum reliquit morte oppressus, de ceteris quas attuli interpretationibus eius vide editionem alteram pp. 91, 93. — Etiam Villoison v. d. in edit. Apoll. lex. Hom. p. 267 interpretatur scutum nescio an incuria, ceteroquin enim semper θώρηξ ei est thorax aeneüs.

2) In Comm. ad Iliad.

3) In lexico Hom. p. 739.

4) Revera ibi dicit Aristarchum intellexisse λεπιδωτόν i. e. loricam *squamatam*. Sed ex eis quae addit: διὰ <τὸ> τὴν πλοκὴν τῶν κρικῶν ἀνεστραμμένην εἶναι apparet agi de *serta*. Ipsa haec discrepantia Apollonii fidem imminuit.

5) Etiam vas quoddam repertum inter monumenta Mycenaea exhibet militum tunicis brevibus vestitorum imagines, in quibus et balteus et tunicae sinus conspicuus est. Cf. Furtwängler und Löschke Myk. Vas. XLII, XLIII, Schuchhardt Abb. 300, 301.

E 113, hoc habet: *στρεπτοὺς χιτῶνας τοὺς νηστούς· ὑποδύτους ὑπὸ τοὺς στατοὺς μαλάγματος ἕνεκα.* At fieri potest, inquis, ut auctor loci Φ 31 vocem *στρεπτός* e loco nostro desumserit, male intellecta eius sententia. Sed ne serta quidem indutus Diomedes sanguinem e vulnere fluentem satis commode abstergere potuit, et utique in eam nudum corpus induisset — quod permirum — nam si sub ea tunica erat indutus, omnino vulnus attingere nequibat. Tum vero quominus *θώρηξ* nostro loco credatur esse lorica serta impedit hoc quod E 99, 189 commemoratur *θώρηκος γύαλον.* Nam lorica serta, quae ad corpus se applicat, nihil habet quod iure convexum dici possit, voci *γύαλον* contra convexi utique inest sententia [1]). Neque aliter censuit Aristarchus, etenim scholia A èt hic èt ubicunque de ea re agunt *θώρηκος γύαλον* animadvertunt esse *θώρηκος κύτος ἢ κοίλωμα.*

Nihilominus e superioribus dandum apparet *θώρηξ* vss. E 99, 100, 189, 282 fieri non posse ut aliud quid sit, nisi *στρεπτὸς χιτών* vs. 113. Dumne ea moliaris, quae suo loco relinquenda sunt. Sed apud Herodotum III, 47 describitur thorax linteus, quem Amasis rex Aegypti Lacedaemoniis dono misit, et mentio fit alterius, quem Lindi Minervae dedicavit. Itemque Xenophon in Anab. IV 7. 25 narrat Chalybes indutos fuisse thoracibus linteis. Quibuscum licet conferre thoracem linteum, quo Tolumnium Veientum regem spoliavit A. Cornelius Cossus apud Livium IV 20. Atque eiusmodi thoraces a Graecis quoque adhibitos esse probant Iliadis loci B 529 ubi Aiax Oilei filius et 830 ubi Amphius Percosius *λινοθώρηξ* dicitur, oraculum vetus septimi a. Chr. n. saec. in quo Argivi dicuntur *λινοθώρηκες* (Anthol. pal. XIV 4), Alcaeus (Bergk fr. 15) *θώρακας νέω λίνω* commemorans, Nepos in Vita Iphicratis § 4, tradens hunc ducem militibus suis pro loricis sertis atque aëneis, linteas dedisse. Neque Mycenaea aetate defuisse illos suspicatur Studnizcka v. d. [2]) Mittheil.

---

1) Ut in hymno altero ad Dionysum 105, itemque apud Hesiodum in Theog. 499 et passim apud tragicos *γύαλον* est *convallis*, et apud Euripidem Iphig. in Aul. 1652 *cavum aeni*, et in hymno orphico XVIII. 16 *convexum coeli*; conferatur autem *γυής* i. e. *buris*. Atque apte Apollon. Il. p. 426 *καθόλου γύαλα παρὰ τοῖς ποιήταις τὰ κοιλώματα καὶ τὰ ὀγκώδη τῶν τόπων, ἀφ' οὗ Ὅμηρος τὰ εἰς τὴν χεῖρα τιθέμενα ἐγγυαλίξαι λέγει.*

2) „Alles wohl erwogen dünkt mich die wahrscheinlichste Erklärung zu sein, dass hier, auf griechischem Boden, zum ersten Male der Rest eines Leinenpanzers vorliegt."

des Arch. Instit. Athen. Abth. 1887 p. 22 propter pannos linteos simul cum armis inventos in sepulchris Mycenaeis, quocum conferatur thorax linteus inventus in sepulchro Corneti in Italia (Monum. dell' Inst. X Tf. 10 b. 3). Praeterea ipsa vox *χαλκεοθώρηξ* Δ 448 Θ 62 etiam *θώρηκας* fuisse docet, in quibus conficiendis aes *non* adhiberetur. Thoracem autem linteum tunicam dicere licere non facile neget qui reputaverit, quod luculenter demonstravit Helbig v. d. [1]) Graecos Homericos linteas gessisse tunicas [2]). Neve in eo haereas, quod a scriptoribus abinde saeculo sexto a. Chr. n. distinguuntur thorax linteus et *χιτών*, credere licet ex quo tunicam linteam lanea vulgo permutassent Graeci, vetustiori vestimento nomen *χιτών* abrogatum esse, tunicam autem laneam numquam thoracem audisse. Praeterea ne hoc quidem negligendum esse puto, non tantum sescenties apud Homerum bellatores depingi nulla mentione thoracis aënei facta, idque saepius ita, quod postea ostendam, ut de illo ne cogitare quidem liceat, sed etiam tunicam vestis bellicae vice fungi èt aliis fortasse locis, qua de re item postea agam, èt haud dubie loco supra laudato Υ 470, ubi legimus Troe Alastoris filio ab Achille iugulato: *μέλαν αἷμα κατ' αὐτοῦ κόλπον ἐνέπλησεν,* tunicatus igitur ille fingitur. Qua re, quid vetat Diomedem quoque nostro loco tunicatum nobis proponere, idque ita ut una eademque res indicetur èt vss. 99, 100, 189, 282 voce *θώρηξ* et vs. 113 verbis *χιτὼν στρεπτός*? quae verba probabiliter Studnizcka v. d. ita interpretatur [3]) ut iis significetur tunica stricto stamine pertensa [4]). Unice sic omnia apte cohaerent. Neque repugnant huic interpretationi verba *θώρηκος γύαλον*. Nam si *γύαλον*, id quod nemo negat, potest esse *κύτος* sive *κοίλωμα*, sequitur ut *θώρηκος γύαλον*, si *θώρηξ* est tunica, sit tunicae *κύτος* sive *κοίλωμα* i. e. tunicae sinus, qui

---

1) Das Hom. Ep. aus den Denkmäl. erläutert[2] p. 165, 166.

2) Ab altera parte, quod passim bellatores dicuntur *χαλκοχίτωνες*, semel etiam commemoratur *χάλκεος χιτών* (N 479), si quis huc facere censet, arbitratus *χάλκεον χιτῶνα* nihil aliud esse posse nisi thoracem aëneum, unde sequatur ut *χιτὼν λίνεος* a thorace linteo differre nequeat — nolim equidem hoc argumento uti, cum minime mihi constet ab initio *χιτῶνα χάλκεον* fuisse thoracem aëneum. De qua re cf. infra p. 112.

3) Beiträge z. Gesch. der altgriech. Tracht p. 63, 64.

4) Nos: „getweernd".

balteo efficitur, a posteris neque non apud Homerum (ut l.l. Υ 470) *κόλπος* appellatus. Sagittam, tunicae sinu perforato, transfixisse humerum et a tergo eminuisse satis credibile est. Tunicam autem exuere Diomedi non opus erat quo abstergeret sanguinem, utpote quae nihil afferret impedimenti manus ei inserendae. Atque per eam, cum primum vulnus infligeretur transfixam et sanguine pollutam, deinde sagitta protracta emicuisse sanguinem, etiam sine verbis intelligitur.

De verbis *θώρηκος γύαλον* pauca addam. Pausanias in describendis tabulis pictis Polygnoti, quas Delphis vidit, inter alias aliquam commemorat, X 26. 5, in qua ara conspiciebatur, propter quam thorax iacebat „mirifica" ut ait „fabrica, qualis gerebatur antiquo tempore, confectus ex duabus partibus, quibus *γύαλα* nomen, quarum altera pectus et uterum, altera dorsum tegeret, fibulis inter se iunctis." Conferre iubet Calliphontis tabulam pictam quae Ephesi esset, in qua Patroclo mulieres aptarent thoracis *γύαλα*; addit autem, qui eiusmodi thorace indutus esset, scutum non requirere, Homerum enim Phorcynem sine scuto fingere pugnantem „*ὅτι αὐτῷ γυαλοθώρηξ ἦν*". Quod leve sane, nam in Phorcynis caede, quae narratur Ρ 312 sqq., quamquam scuti mentio non fit, minime apparet, poëtam indicare voluisse Phorcynem non habuisse scutum. Sed satis apparet Pausaniae quid esset *γύαλον*, quod ad thoracem pertineret, nullam fuisse notionem, nisi quam praeter tabulas pictas, ex Homero collegisset, quem ceteroquin non unicum testem adhibuisset. Collatis autem scholiis ad Iliadem videmus nullam de ea re opinionem communem Homeri aetati superstitem fuisse. Nam Aristarchus in scholiis A, ubicunque de voce *γύαλον* agit praecise negat id quod perhibet Pausanias, certam aliquam thoracis partem indicari. Ut ad Ο 529 sq. animadvertit *ὅτι τὰ κύτη καὶ τὰ κοιλώματα τοῦ θώρακος γύαλα οὐχὶ ὡρισμένος τόπος* (ad Ε 99 .... *οὐ μέρος ὡρισμένον*) [1]). Schol. B contra et Eustathius ad Ε 99 „*γύαλον δὲ τὸ περὶ τὸν ὦμον*

1) Etiam Pollux in Onomastico I 134 *θώρηξ καὶ τὰ μέρη τοῦ θώρακος πτέρυγες καὶ τὸ μέσον αὐτοῦ γύαλον*. Haec, quamquam *γύαλον* hic dicitur *pars* thoracis, quoniam ei opponuntur *πτέρυγες* i. e. virgulae aëneae ab imo thorace dependentes, cf. Xenophon de re Equestri 12. 4, quas Homerus non cognovit, non differunt ab eo quod habet Schol. A ad Ο 529.

κοῖλον τοῦ θώρακος μέρος". Eis ergo γύαλον rursus est pars thoracis, sed alia quam Pausaniae. Atque Aristarchi explicatio petita esse videtur e propria vi vocis γύαλον, nam ad E 99 totidem verbis γύαλον τὸ ὅλον κύτος τοῦ θώρακος διὰ τὴν κοιλότητα, inquit. Itaque scholia B, Eustathius, Pausanias magis spectasse videntur quid singulis locis poetae sententia, qualem sibi informassent, requireret. Haud dubie ergo is quoque qui vocem γυαλοθώρηξ invenit — nam Pausanias eam male intellectam recepisse videtur, etenim ex usu graeco γυαλοθώρηξ non est cuiusdam modi thorax, sed is qui eiusmodi thoracem induit — sed quisquis invenit rursus ex solo Homero hausit. Iamvero nullus est apud Homerum locus, qui ansam det cogitandi de thorace constructo e partibus quae γύαλα appellentur nisi O 529 sq., ubi legimus πυκινὸς δέ ϝοι — i. e. Megeti, Phylei filio — ἤρκεσε θώρηξ, τὸν ῥ' ἐφόρει γυάλοισιν ἀρηρότα, ne ullus quidem praeterea locus est, ubi γύαλον plurali numero occurrat. Nisi igitur hic locus ei ob animum versatus esset, vix Pausanias Phorcyni thoracem tribuisset qualem in tabulis pictis conspexit, de illo enim hoc tantum legimus, P 314 ῥῆξε δὲ (Aiax Telamonius) θώρηκος γύαλον; vix illius thoracis partes γύαλα dici contendisset. Megetis autem thorax quamvis propter ea quae adduntur aëneus fingi videatur, magni enim esse pretii decus et tutamen in armis a patre filio traditum, quod nisi de thorace aëneo accipitur vix intelligitur, tamen ex verbis γυάλοισιν ἀρηρώς id non sequitur, nam ἀρηρώς etiam „instructus" esse potest [1]); quomodo autem thorax γυάλοις instrui potuerit, ita ut non ex eis confectus esset, mox ostendere licebit. Sed fac revera poëtam nostrum voluisse thoracem qualem descripsit Pausanias, tamen sciri non potest utrum ipse probe noverit id quod depingeret, an coniectura id sibi informaverit ex aliis apud Homerum locis, ubi θώρηκος γύαλον commemoratur, quos nihil prohibet aut omnes aut nonnullos vetustiores credere quam locum O 259 sq. Nam hoc tenendum, quo solo loco praeter hunc describitur θώρηξ, i. e. Λ 19 sqq., γυάλων mentionem non fieri. Neque tabulae pictae, quas laudat Pausanias, hac in

1) Cf. M 55, 56 ὕπερθεν δὲ σκολόπεσσι ὀξέσιν ἠρήρει, Ξ 181 ζώνῃ ἑκατὸν θυσάνοισ' ἀραρυῖα.

re ullius momenti sunt; nam quamquam in vasis pictis aliisque artis monumentis abinde saeculo a. Chr. n. VII cerni videntur imagines thoracum e duabus laminis aëneis confectorum, nusquam tamen apparere vidimus has audisse γύαλα. Unde sequitur ut nequaquam cogamur in investigando usu vocis γύαλον Pausaniae loco tamquam fundamento uti.

In sepulchris Mycenaeis inventae sunt laminae aureae tenues, manifesto confectae hoc consilio ut cum mortuis deponerentur, quas acute Reichel suspicatus est [1]) simulacra esse laminarum graviorum haud dubie ex aere confectarum, quas bellatores praesidii causa tunicis insutas haberent, ut pectus eis tegeretur [2]). Itaque credere licet eiusmodi laminas pectorales auctores quoque cognovisse Iliadis et Odysseae, et cum Achivos vocarent χαλκοχίτωνας, id quod in Iliade semel et vicies, in Odyssea bis usu venit, aut omnes aut antiquissimos eorum spectasse tunicas illis ornatas. Nam vocem χαλκοχίτων non opus esse ut interpretemur „qui habet vestitum aëneum", sed interpretari licere „qui habet vestitum aere instructum" docet comparatio verborum ἀμιτροχίτων, Φοινικοπάρῃος, ψαλιδόστομος, τερατωπός, ἱπποκέλευθος, ἱππόμαχος. Eodemque referre licet χαλκεοθώρηξ Δ 448 Θ 62, χάλκεος χιτών N 439 sq., χάλκεος θώρηξ N 371 sq. 397, Ψ 560. Horum locorum postremo ea quae adduntur ᾧ περὶ χεῦμα φαεινοῦ κασσιτέροιο ἀμφιδεδίνηται de thorace aëneo docent sermonem esse, ceteris, per se spectatis, nihil vetat intellegere tunicas munitas laminis aëneis [3]). Nam voce χάλκεος non utique significari res totas ex aere confectas documento est χάλκεον ἔγχος Π 308, δόρυ χάλκεον Π 603, 808 alia eiusmodi; ut ἀργύρεος τελάμων Λ 88 Σ 480, est fascia argento constrata, neque alius generis sunt frena, calcei, cingula quaecunque argentea

1) H. W.² p. 94.

2) Eiusmodi laminae aëneae inventae sunt permultae in vetustissimo sepulchreto prope Noricam antiquam, figuris geometricis et animalium imaginibus ornatae, quas Ridgeway v. cl. (the early Age of Greece p. 421) non dubitat huc referre.

3) Nihilominus ob rationes huc non pertinentes (vid. infra § 14) mox apparebit Θ 62 et N 439 agi de thoracibus aëneis. Locum Δ 448 sq. interpolatum esse censeo, vix enim ac ne vix quidem ferendum est quod ibi legitur ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι ἔπληντ' ἀλλήλοισι, postquam versu superiore idem iam significatum est verbis σὺν ῥ' ἔβαλον ῥινούς.

vel aurea apud Homerum nominantur. Porro de laminis pectoralibus cogitare licet, ubi legimus de Diomede Δ 420 δϝεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσι ϝάνακτος et P 605 sqq., ubi frangitur hasta Idomenei percusso Hectoris thorace κατὰ στῆθος παρὰ μάζον et Δ 489, ubi Antiphus, Π 173 ubi Menesthius vocatur αἰολοθώρηξ [1]). Sed θώρηκας λαμπρὸν γανάοντας N 265 et νεοσμήκτους N 342 magis placet pro thoracibus aëneis habere [2]). Laminas autem illas constat forma quadam convexa fuisse, licebat igitur eas appellare γύαλα idque factum esse potest N 586 sq., ubi Helenus Menelaum κατὰ στῆθος 'βάλεν ἰῷ θώρηκος γύαλον, ἀπὸ δ' ἔπτατο πικρὸς διστός. Neque repugnant huic rationi per se spectati θώρηκες κραταιγύαλοι T 361 [3]). Sed O 529 vidimus de thorace aëneo agi (p. 111). Ab altera parte, sententia loci pertractati de Diomede cuius percutitur θώρηκος γύαλον E 99, 189 non modo neque requirit ut γύαλον aliquid aënei sit, neque sinit — id quod demonstravimus — ut heroem saucium fingamus indutum thorace aëneo, sed obstat quoque ne credamus illa voce ibi laminam significari pectoralem. Nam ut omittam vix posse sagittam eminus missam transfigere simul et laminam aeneam, saltem, cum lamina pectoralis percussa esset, pectus Tydidis ut Menelai N 587 vulnerari necesse erat. Et potuit quidem, si rem per se spectas, sagitta pectus simul et humerum perfodere — cf. Δ 480 'βάλε παρὰ μαζὸν δεξιόν, ἀντικρυς δὲ δι' ὤμου χάλκεον ἔγχος ἦλθε — sed illud vulnus non licebat non letiferum esse. Quapropter nostro loco Aristarchum secuti γύαλον esse κύτος sive κοίλωμα sumsimus, id autem est, cum de tunica agatur, quod nihil moramur non vidisse Aristarchum, tunicae sinus. Atque reliquis locis apud Homerum, ubi θώρηκος γύαλον occurrit, qui duo modo sunt, inter se non diversi, quorum altero, a Pausania laudato, Phorcys ab Aiace vulneratur, altero Oenomaus ab Idomeneo, minime inepta est eadem ratio. Legitur enim N 507, P 314 'ρῆξε δὲ (Idomeneus vel Aiax) θώρηκος γύαλον, διὰ δ' ἔντερα χάλκος ἤφυσε. Itaque propter sen-

1) Attamen P 605 agi de thorace aëneo, contra Δ 489 fieri non posse ut spectetur thorax aëneus, infra § 14 apparebit.

2) Alia accedere quibus haec ratio confirmetur videbimus infra § 14.

3) Hic tamen rursus agi de thorace aëneo ostendam infra § 14.

tentiam loci non opus est ut *γύαλον* sit aëneum. Versu autem superiore N 506, P 314 vulnus inflictum esse dicebatur *μέσῃ κατὰ γαστέρα*. Itaque de laminis pectoralibus vix hic sermo esse potest, his enim perfractis non venter vel stomachus vulneraretur. Ab altera parte E 537 Agamemnon Deïcoontem perfodiens, atque pariter E 615 Amphium Aiax, P 517 Automedon Aretum, hastam *νειαίρῃ ἐν γαστέρι διὰ ζωστῆρος ἔλασσεν*. Quodsi autem balteo transfixo vulneratur *νείαιρα γαστήρ*, sinus tunicae scindi potest, ita ut vulneretur *γαστὴρ μέσῃ* [1]).

Ceterum, quod verborum *θώρηκος γύαλον* interpretatio diversis locis differt, facile sic explicatur ut recentiores poëtas vetustior usus fefellerit.

§ 2.

Δ 132 sqq. (Υ 414 sq.) *θώρηξ* intellegendus est tunica lintea.

Nunc alterum locum afferam, ubi vox *θώρηξ* eodem modo intellegenda videtur atque in Diomedis vulneratione modo pertractata.

Menelao adest Minerva ne letale ei vulnus infligat Pandarus; sagittam eius Δ 132 sq. dea eo intendit ubi *ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον καὶ διπλόος ἤντετο θώρηξ*. Neque aliter Achilles hasta Polydorum ferit Υ 414 sq., ubi *ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον καὶ διπλόος ἤντετο θώρηξ*.

Quod utroque hoc loco thorax duplex esse dicitur Helbig v. d. sic explicat [2]), ut, qualem fingere vidimus Pausaniam, ex duabus constiterit partibus aëneis, altera pectus et uterum, altera tergum tegente, quarum ab utroque latere altera alteri superimposita esset. Sed hoc non recte se habere vidit Reichel [3]), nam uterque thorax, Menelai volo et Polydori, ibi duplex fuisse dicitur ubi percuteretur, Polydorum autem a tergo vulnerari patet, quoniam hasta exit per umbilicum Υ 416, et Atridae femur utrumque conspergitur sanguine Δ 146 sq., is

1) Attamen utroque loco intellegendum videri thoracem aenëum propter causas e comparatione aliorum, quibuscum cohaerent quae illic narrantur, petitis vide infra § 14.

2) Das Epos aus den Denkmälern erläutert p. 286 sq.

3) H. W.[2] p. 65.

ergo in ventrem vulnus accepit [1]). Neque fingendae thoracis partes ita commissae ut in longum pectoris ventrisque et tergi altera pars alteri superducta sit; nam non tantum repugnat quidquid de thoracum fabrica ab antiquis discimus [2]), verum ipsa res absurda.

Sed ad Δ 133 legimus in schol. A ὅθι καθ' ὃν τόπον ἐζώννυτο διπλοῦς ἦν ὁ θώραξ καθὸ ὑπεβέβλητο τῷ στατῷ θώρακι τὸ λεγόμενον ζῶμα καθῆκον μεχρὶ τῶν γονάτων ἀπὸ τῶν λαγόνων et eodem modo paulo brevius ad Υ 415 ὅτι κατὰ τὴν τοῦ ζώματος ἐπιβολὴν πρὸς τὸν στατὸν διπλοῦς ἦν ὁ θώραξ, unde sequitur ut Aristarchus τὸ ζῶμα quod commemoratur Δ 187, 216 thoraci aeneo („τῷ στατῷ") suppositum, pro eius parte habuerit, ceteroquin nullo iure thoracem ibi duplicem esse dicens, ubi illud eum tangeret. Convenit quod est in schol. A ad Δ 187 ὅτι τοῦ ζώματος μνησθεὶς παραλέλοιπε τὸν θώρακα ὥστε ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δεδηλῶσθαι. Itaque Lehrs v. d. putat [3]) τὸ ζῶμα esse cinctum aëneum thoraci affixum [4]). Mitto quod cinctum aëneum fuisse τὸ ζῶμα in scholiis neque legitur, neque quadrat in id quod legitur: τὸ ζῶμα καθήκειν μέχρι τῶν γονάτων ἀπὸ τῶν λαγόνων. An fingere licet cinctum aeneum ad genua ab ilibus pertinens? Sed praeterea schol. A ad Κ 77 haec habet: ζῶμα καλεῖ τὸ συναπτόμενον τῇ μίτρᾳ ὑπὸ τὸν στατὸν θώρακα, et ne propterea thoracis pars τὸ ζῶμα esse negetur, cautum videtur in schol. A ad 187 verbis his: ἡ δὲ μίτρα τούτῳ προσῆπται τῷ θώρακι. Lehrs haec verba et quae in eodem scholio sequuntur „corrupta et suppositicia" censet, damnatque in schol. A ad Κ 77 verba τῇ μίτρᾳ. At quamvis infitiari non

1) Ipse Helbig parum sibi constans l.l. p. 293 Menelai vulnus appellat „eine Bauchwunde".

2) In monumentis saeculorum a. Ch. n. VI et V minime rarae sunt loricarum imagines conexarum a fronte. Sed earum margines hamis et anulis commissae, non sibi superimpositae sunt.

3) Arist.[2] p. 122.

4) Congruere videtur Hesychius: ζῶμα ᾧ ἐπάνω τοῦ θώρακος ἐχρῶντο. Sed Apollonius: ζωστὴρ ὁ ἐπάνω τοῦ θώρακος ᾧ χρῶνται. Et vide ne apud Hesychium confundantur ζῶμα et ζωστήρ, ut ab Eustathio haec proferente (ad Δ 163): ᾧ (i. e. θώρακι) ὑπόκειται ἢ ὑποβέβληται ζωστὴρ ὃς κατά τινας ζῶμα ἐλέγετο. Teste nimirum schol. A ad Δ 133 (collato schol. ad Δ 187) ὁ ζωστὴρ ἐπίκειται, τὸ ζῶμα ὑποβέβληται. Atque Arist. in schol. A ad Κ 177 animadvertit δοκοῦσι ταὐτὸν εἶναι ζῶμα καὶ ζωστήρ, οὐκ ἔστι δέ

liceat partem schol. A ad Δ 187 mutilam esse aptamque sententiam non praebere [1]), violentam tamen Lehrsii medicinam non ausim probare. Nam in scholio mutilo manifesto tamen *μίτρα* et *ζῶμα* coniunguntur idque scholion et verba *τῇ μίτρᾳ* in schol. A ad K 77 sibi mutuo praesidio sunt. Praeterea ab Eustathio quoque ad K 77 discimus: *ζῶμα μέντοι τὸ τῇ μίτρᾳ συναπτόμενον.* Convenit quod Δ 187, 216 mitra et zoma coniunguntur etiam a poeta. Statuendum igitur, Aristarchum non zoma solum pro parte thoracis habuisse sed zoma una cum mitra, neque cum illo Lehrsium, ut sibi videtur, consentire sed revera ab eo discrepare. At Aristarchus a poeta redarguitur. Nam Δ 136, 137 thorax et mitra distinguuntur.

Ceterum verba *δίπλοος θώρηξ* schol. B ad Δ 133, postquam pluribus verbis quam A, sed eodem modo explicavit, haec addit: *ἢ οὕτως· τὰ πρὸς ταῖς λάγοσι μέρη τοῦ θώρακος διὰ τὸ μὴ συνδεδέσθαι ἀλλήλοις πτερύγια καλεῖται· ταῦτα δὲ ἐπιτιθέμενα μόνον ἀλλήλοις καὶ συσφιγγόμενα ὑπὸ τοῦ ζωστῆρος διπλοῦν ἐκεῖσε τὸν θώρακα ἀπεργάζονται.* Ipsa rursus interpretationis varietas testatur, id quod etiam antea animadvertimus, nullam apud antiquos constitisse de thorace Homerico sententiam. In hac autem altera explicatione [2]) *τὸ ζῶμα* nullo loco est, *πτερύγια* autem i. e. virgulae aëneae ab imo thorace dependentes, propterea quod balteo constringantur ideoque inter se implicentur [3]) thoracem duplicem facere censentur. Sed thoracis appendix illa, posteriore tempore usitatissima, apud Homerum nusquam apparet. Praeterea nemo videt cur virgulae illae, etiamsi balteo constringantur, propterea necessario aliae super alias sitae sint cogitandae.

---

1) Totum scholion hoc est: *ὅτι τοῦ ζώματος μνησθεὶς παραλέλοιπε τὸν θώρακα ὥστε ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δεδηλῶσθαι· ἡ δὲ μίτρα τούτῳ προσῆπται τῷ θώρακι· „καὶ ζῶμα φαεινόν"* (ξ 483) *διὰ τὸν χαλκόν. ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῆ ὑπάρχουσα.* In his neque verba *ἡ δὲ μίτρα τούτῳ προσῆπται τῷ θώρακι* apte cohaerent aut cum praecedentibus aut cum sequentibus, neque verba *ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῆ ὑπάρχουσα* quadrant cum praecedentibus. Sed decurtata potius quam spuria esse videntur.

2) Utramque explicationem etiam Eustathius ad Δ 133. Ad Υ 415 scholia modo hoc: *διπλοῖ δ' ἦσαν οἱ θώρακες κατὰ τὸν τοῦ ζωστῆρος τόπον.* Eustathius nihil.

3) Eustathius l.l. *πτυχθέντα καὶ οὕτως ἀλλήλοις ἐπιφερόμενα καὶ τῷ ζωστῆρι σφιγγόμενα διπλοῦσιν ἐκεῖ τὸν θώρακα.*

Iam vero omnino de thorace aëneo ne cogitemus in Menelai vulneratione non pauca obstant. Nam Polydori caedis narrationem, cum neminem fugiat centonem esse et ineptissime in tergo positae baltei fibulae auctorem arguant, qui, aliena imitatus, non sibi proponeret quae narraret, mittimus, unice alteri loco operam daturi.

Et primum quidem, quo intellegatur thorax aëneus i b i duplex esse u b i ventrem tegat, e superioribus apparuit nihil superesse nisi ut pro thoracis parte habeatur *τὸ ζῶμα* sive ipsi thoraci, i. e. thoracis parte superiori, affixum sive minus, ita vero illi aut subiectum aut superimpositum, ut pro parte aut eo tegeretur aut eum tegeret [1]). Sed ea vocis *ζῶμα* sententia mera nititur coniectura. Ab altera parte, cum duo tantum loci sint ubi *ζῶμα* recurrat ψ 683, ξ 482, ex illo veri similiter efficias nihil aliud id esse nisi subligaculum, postea *περίζωμα* dictum [2]), quod non necessario ad thoracem pertineat. Ibi enim Euryalo caestibus pugnaturo, thoracis igitur minime indigenti, Diomedes *περικάββαλε ζῶμα*. Neque obstat alter locus ξ 482; ibi enim Ulixes narrat quantum frigoris toleraverit in nocturnis insidiis *σάκος οἶον ἔχων καὶ ζῶμα φαεινόν* [3]).

Tum vero in eo haeremus èt quod Menelaus vs. 187 balteum, zoma mitram se servasse dicit èt praesertim, quod Machaon vs. 216 ad vulnus inspiciendum ea solvere narratur, n u l l a t h o r a c i s a ë n e i m e n t i o n e f a c t a. Nam quod Aristarchus vult *ζῶμα* pro thorace i. e. partem pro toto nuncupari [4]), id,

---

1) Furtwängler v. d. Olympiae inter alia saeculi septimi a. Ch. n. arma èt thoracum aëneorum partes invenit èt fragmenta cinctuum aëneorum iunctorum anulis, quos ille tegimenta ventris fuisse putat, tunicae balteo hamorum ope sub thorace affixis (cf. Furtwängler, die Bronzen v. Olympia 1890 p. 158). Hoc autem noster poeta si voluisset, vix omisisset illum commemorare balteum. Nam balteus quem commemorat thoracem circumdat, cf. infra p. 118 sq..

2) Scholia ad ψ 683: *ἡ διπλῆ πρὸς τὸ πάλαιον ἔθος ὅτι ἐν ἑνὶ περιζώματι ἠγωνίζοντο.* Etiam posteriores quamquam *τὸ ζῶμα* non usurpabant subligaculum, nihilo magis ad thoracem referebant, nam aut *χιτὼν ζωστός* eis erat (cf. i. a. Phot. s. v. Menandrum p. 153 Meinek.) aut *ζωστήρ* (sic Sophocl. El. 144 et aliis multis locis).

3) Vide infra p. 121.

4) Schol. ad Δ 135: *ἀμφότερα δὲ ταῦτα (τὸν στατὸν καὶ τὸ ζῶμα) καλεῖ διόπερ ὅταν τοῦ ἑτέρου μνησθῇ τὸ ἕτερον παραλείπει*, et ad Δ 187: *τοῦ ζώματος μνησθεὶς παραλέλοιπε τὸν θώρακα ὥστε ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δεδηλῶσθαι* (vide supra p. 115) Apollon. p. 382: *ζῶμα δὲ καὶ αὐτὸς ὁ θώραξ*. Tacent Schol. B et Eustathius.

etiamsi detur zoma thoracis partem esse, difficultatem magis eludit quam vincit; profecto enim durissimum. Nam si thorax ibi duplex erat ubi Menelaus vulnerabatur et propterea duplex, quod thorax proprie sic dictus et zoma sibi superducta erant, non sufficiebat alterum solvere, sed uterque solvendus erat.

Porro mitra, sive cum Aristarcho eam quoque, poëta invito, pro parte thoracis habes, sive cum Lehrsio alia omnia censes, hic parum convenit. Quis enim sibi persuadeat, quemquam indutum thorace aëneo, eoque duplici in ventre, ipso hoc loco illi subiecisse cingulum quod *χαλκῆες 'κάμον ἄνδρες* (vs. 187), i. e. cingulum aëneum? Frustra autem ubi heröes thorace aëneo se induere narrantur Γ 332, Λ 19 sqq., Π 132 sqq., Τ 361 sqq. [1]), qua in re imprimis conferatur ampla thoracis Agamemnonis descriptio Λ 19 sqq., vel ubi Vulcanus Achilli arma fabrefacit Σ 480 sqq., mitrae vestigium quaeras, atque ab altera parte, quibus solis apud Homerum locis mitra recurrit: Ε 407, ubi Oresbius ab Hectore occisus dicitur *αἰολομίτρης* et Ε 587, ubi Mars a Diomede vulneratur *ὅθ' ἐζωννύσκετο μίτρην*, de thorace omnino sermo non est. Ut in imaginibus quoque monumentorum Mycenaeorum compluribus mitra conspicua est, in nulla thorax [2]) inque multis sepulchris mitrarum fragmenta inventa sunt, sed in nullo simul cum thorace aeneo [3]). Mitra autem Menelai dicitur fuisse „telorum praesidium, quod omnium maxime eum tueretur" (vs. 183). Immerita laus, credo, si thorax aëneus duplex eam tegeret. An acquiescis in eo quod exhibet schol. B ad Δ 133: *„ὅτι δυσπαθέστερα τῶν ἀντιτυπούντων τὰ ὑπείκοντα"*? Quid autem quod mitram simul et thoracem duplicem (i. e. ipsum thoracem et zoma) et baltei fibulas aureas perfoderit sagitta eminus missa (vs. 135 sqq.)? Ecquis negaverit id omnem superare fidem?

Postremo loco non minus quam mitra offendit *ζωστήρ* i. e. balteus qui commemoratur vs. 132, 136, 186, 213, 215. Succingitur tunica, non thorax aëneus. Neque propter ensem balteo opus erat, ensis enim pendebat *ἐκ τελαμῶνος*, quem sustinebat

---

1) Vide § 6.
2) Reichel H. W.^{2} p. 91.
3) Helbig l.l. p. 291.
4) Mitram scholiasta, nescio an recte, plumbeam finxisse videtur.

humerus dexter [1]). Quod autem scholia ad Κ 77 post haec quae ex iis supra attulimus — *ζῶμα καλεῖ τὸ συναπτόμενον τῇ μίτρᾳ ὑπὸ τὸν στατὸν θώρακα* — hoc proferunt: *τὸ δὲ ἔξωθεν συνδοῦν πάντα ζωστῆρα* [2]), neque apud ipsum Homerum ullo modo magis quam mitrae baltei mentio fit ubi milites finguntur thoracem aëneum induentes Λ 19 sqq. Τ 361 sq. (= Γ 132 sq. Π 133 sq.), neque Vulcanus Achilli argenteam cudens fasciam ad clipeum sustinendum Σ 480 balteum addit quo thorax constringatur, neque certum ullum baltei vestigium produnt quicumque thoraces in sepulchris inventi sunt [3]), vel quorum imagines artis monumenta nobis reliquerunt [4]), neque illum usum commemoraverunt qui vidissent quae describerent. Sed fibulis iunctas fuisse thoracum antiquorum aëneorum partem anticam et posticam, cum Pausanias vidit in tabulis pictis Polygnoti et Calliphontis tum confirmatur omnibus quae thoracum aëneorum supersunt documentis [5]). At cur non potuerit, inquis, Menelaus thorace aëneo cinctus praeterea induere tunicam? Potuit sane, sed tunica thoraci subest, non thorax tunicae, primum igitur, non ut est Δ 136, post balteum sagitta thoracem perfodisset. Accedit, quod statim post vulnus inflictum (vs. 151) sagitta hamos, quos vs. 214 legimus in balteum penetrasse, Atrides e cute cernit eminentes, quod cerni prohibebat thorax aëneus. Versum 214 auctore Heynio v. cl. complures vv. docti eiecerunt. Sed satius erit propter cetera *παράδοξα* medicinam quaerere quae omnibus simul prosit.

Thoracis mentionem nostro loco interpolatori deberi nemo arbitrabitur, qui reputaverit vss. Δ 132, 133 salvo ceterorum

---

1) Ξ 404 et passim.

2) Sic apud Apoll. l.l. *ζωστὴρ ὁ ἐπάνω τοῦ θώρακος ᾧ χρῶνται.* Eustathius ad Κ 75: *ἔστι δὲ καὶ νῦν* (i. e. etiam nostro loco, ut patet e superioribus) *ζωστὴρ ὁ ἔξω τὰ ὅπλα συνδῶν.* Eodem modo scholia B ad Δ 133.

3) In uno sepulchro Italico inventa sunt simul cum thorace aëneo fragmenta duorum balteorum, sed haec res non eiusmodi est ut inde certi quidquam concludere liceat; cf. Helbig l.l. p. 291.

4) In paucis quibusdam militum thoracatorum imaginibus depictis in vasis septimi a. Chr. n. saeculi balteum sibi cernere videtur Helbig. Sed nescio an potius ima pars tunicae brevis significetur; cf. Mittheil. des Arch. Inst. in Athen III 1878 T. I. 2. Helbig l.l. p. 289.

5) Cf. Helbig l.l. p. 294.

contextu deleri non posse, cum praeterea eos tueatur, quod redeunt Υ 414 sq. Sed Reichel [1]) eicit vs. 136 „*καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο*, quae eadem verba leguntur praeterea Γ 358 Η 252 Λ 436, neque dubitat [2]) quin vs. 133 verbis *δίπλοος θώρηξ* significentur coniuncte balteus (*ζωστήρ*) et mitra, quippe cum censeat vir doctus voce *θώρηξ* indicari quodcunque corpori praesidio sit. At generalis ille usus vocis *θώρηξ*, quem Reichel probare studet, sine certis exemplis est [3]), neque igitur eo tanquam ultimo auxilio utendum videtur, nisi omnibus aliis frustra temptatis unice aptam sententiam praebeat; Robert voce *θώρηξ* nostro loco loricam sive scorteam sive laneam significari putat [4]) et *θώρηκα δίπλοον* loricae sinum esse censet [5]). Mitto quod apud posteriores aetate Graecos lorica scortea est *σπολάς*, lanea *πίλιον*, neutra *θώραξ* vocatur, apud Homerum neutrius praeter hunc locum vestigium cernitur. Sed magnopere vereor ut contortius sinus loricae *δίπλοος θώρηξ* dicatur. Praeterea autem poëta distincte significat i b i thoracem duplicem fuisse u b i baltei fibulae conexae essent, at nullius vestimenti sinus s u b balteo est, quo succingitur, sed s u p r a balteum; porro balteus nihilo magis loricae quam thoraci aëneo convenit, neque propter ensem requiri balteum iam supra monui, tunica autem Menelaus si p r a e t e r loricam utebatur, balteus illi circumdatus hac tegebatur, neque inde huius sinus existere potuit.

---

1) H. W.² p. 89.

2) H. W.² p. 37 sqq.

3) Nostro enim loco et duobus locis (Δ 448 Θ 62) ubi vox *χαλκεοθώρηξ* occurrit, neque vetat quidquam neque tamen cogit generalem usum accipere. Sed plerisque locis, quibus Reichel eum cernere sibi videtur, eiusdem generis sunt atque loci Ε 99, 100, 189, de quibus supra egi p. 107. In quo numero sunt Ε 537, Λ 234 (de quo vide infra § 3), Ν 371, Ρ 517, 606. Restat unus locus ubi paulo aliter res se habet, Σ 460. Ibi Thetis a Vulcano petit *ἀσπίδα καὶ τρυφάλειαν καὶ καλὰς κνημῖδας ἐπισφυρίοις ἀραρυίας, καὶ θώρηκα*. Secundum Reicheli rationem, scutum, galeam, ocreas, aeque recte voce *θώρηξ* indicare licet atque mitram, quam solam hic ea significari censet vir doctus. At ferri nequit vox generalis reservata ad unum aliquid indicandum e cunctis in quae quadret, ceteris suo nomine peculiari appellatis. Porro Reichel opinatur cum *θωρηκτής* sit universe *armatus* et *θωρήσσειν armare*, sic quoque probari usum generalem vocis *θώρηξ*. Neque tamen sequitur, etiamsi in verbis illis eius usus vestigia remanserint, ut non ipse tamen Homeri aetate exoleverit. (Vide nos infra § 7).

4) l.l. p. 42.

5) l.l. p. 39.

Sed Reichel Menelaum negat [1]) indutum fuisse tunica idque propterea quod eius femora, tibiae, surae sanguine conspiciebantur maculata (vs. 140 sqq.). At nihil vetat credere tunicam, succinctam praesertim, breviorem fuisse quam quae tibias et suras tegeret, hae autem sanguine conspergi non poterant, quin ad eas per femora sanguis deflueret. Quod autem Reichel vult balteo opus fuisse ad continendum zoma manifesto non recte se habet. Duos tantum praeter nostrum apud Homerum locos esse vidimus ubi zoma occurrat, ψ 683 et ξ 483, e quibus verisimiliter effici ipse Reichel auctor est nihil aliud esse nisi subligaculum. Iamvero ad subligaculum continendum sufficiebat mitra. An veri simile est antiquos milites mitram subdidisse subligaculo, ita ut propter hoc alterum etiam cingulum requireretur? Ipsa vox „fulgens", addita ξ 482, quae subligaculo per se spectato minus convenit, pro documento esse videtur voce ζῶμα ibi mitram simul et subligaculum indicari, eaque necessario cohaerere [3]). Atque vox αἰολομίτρης (E 507) ostendit mitram, nonnumquam saltem, i. e. cum non tegeretur tunica, conspicuam fuisse.

Propter balteum igitur Menelaus nostro loco videtur tunica indutus fingi. At si ipse θώρηξ nostro loco quemadmodum loco supra tractato, ubi de Diomede agitur, pro tunica habetur, omnes evanescunt difficultates. Nam tunica subducta sub balteo triplex est; at id quod triplex est, etiam est duplex, tunica autem subducta propterea triplex est quod simplici, qualis est supra et infra balteum, sub balteo accedit ruga quae ipsa est duplex. Hanc igitur rugam significavit poëta verbis δίπλοος θώρηξ, hanc occurrisse sagittae eius intererat commemorare. Fibulas aureas baltei quo tunica succincta erat, tunicam ipsam mitram sagitta perforavit, e quibus merito mitra ἣν χαλκῆες 'κάμον ἄνδρες praecipuum telorum munimentum audit.

---

1) H. W.² p. 91.

2) Tunica ita brevis ut femora nonnisi pro exigua parte tegat cernitur in vase quod Mycenis invenit Tzundas v. d. (cf. 'Εφάρχ. 1891 πιν. 3). Sed haec succincta non est.

3) Ita censuisse videtur auctor scholii A mutilati ad Δ 187 (vide nos p. 116 in ann.) ubi legimus: „καὶ ζῶμα φαεινόν" (ξ 483) διὰ τὸν χαλκόν. ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῆ ὑπάρχουσα.

Hanc loci interpretationem versu 136 carere non posse perspicuum est. Sagittas autem hami, qui in balteum penetraverant, extra cutem esse quominus cerneret Menelaus, tunica non obstabat, quippe quae a collo satis ampla esset qua introspiceretur. Tunicae quod mentio non fit ubi Machaon vulnus inspicit, non habet quod offendat, balteo enim soluto nihil negotii erat eam tollere; neque eam desiderabit quisquam ubi balteum mitram subligaculum se servasse Menelaus ait; subligaculum autem, quod non maioris quam tunica momenti erat ad sagittam arcendam et omittitur vs. 133, 134 ubi sagittae vis depingitur. non mirum tamen est vs. 187, 216 simul cum mitra commemorari, quoniam ei affixum eiusque velut appendix erat.

§ 3.

Λ 234 sq. *θώρηξ* intellegendus est tunica lintea.

Tertius locus ubi voce *θώρηξ* tunica significari videtur est hic.

Iphidamantem hasta petens Agamemnon non attingit; Iphidamas vero Λ 234 sq. „*κατὰ ζώνην, θώρηκος ἔνερθε 'νύξ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας· οὐδ' ἔτορε ζωστῆρα παναίολον, ἀλλὰ πολὺ πρὶν ἀργύρῳ ἀντομένη μόλιβος ὣς ἐτράπετ' αἰχμή.*"

In schol. A ad hunc locum legitur „*ὅτι οὐ λέγει θώρακος ἀλλὰ κατὰ ζώνην θώρακος, τὴν θωρακοζώνην λεγομένην· τὸ δὲ ἔνερθεν εἰς τὸ κατὼ μέρος τῆς θώρακος ζώνης· ὡς ὅταν λέγῃ·* „*'νύξε δέ μιν κατὰ χεῖρα μέσην ἀγκῶνος ἔνερθεν*" vs. 252 [1]). Prior pars huius scholii non convenit cum altera, nam in illa *θώρηκος* et *ἔνερθε* separantur, coniunguntur autem verba *κατὰ ζώνην θώρηκος*, in altera autem parte coniunguntur verba *ἀγκῶνος ἔνερθε*. Quam discrepantiam censet Lehrs [2]) non Aristarcho sed Aristonico imputandam esse. Recte id vidisse virum doctum opinor, sed eadem ratio qua in hanc sententiam adducor obstat quominus illi dem Aristarchum *ζώνην* vs. 234 et *ζωστῆρα* vs. sequenti pro eodem habuisse. Nam Apollonius in lex. (p. 382): *ζώνη·*

---

1) Idem aliquanto brevius in schol. B *οὐ τὸν θώρακα δηλοῖ, ἀλλὰ τὴν καλουμένην θωρακοζώνην, τὸ δὲ ἔνερθε εἰς τὸ κάτω μέρος αὐτῆς*, cetera conveniunt.

2) l.l. p. 123.

3) Quod non fecit Apollonius, nam ita pergit: *λέγεται δὲ ζώνη καὶ ἧ ζωννύμεθα.* „*ζώσατο δὲ ζώνην*" (Ξ 181) *καὶ* „*ζώνην θώρηκος ἔνερθε*" (Λ 234),

ὁ περὶ τὸν γαστέρα τόπος ὃν οἷόν τε ζώννυσθαι, is autem qui huius interpretationis auctor illi fuit, si eam nostro loco adhibuit non potuit non coniungere θώρηκος ἔνερθε, solus autem is qui ita coniunxit convenienter sibi afferre potuit exempli causa ἀγκῶνος ἔνερθε. Credibile ergo est eundem qui alterius partis scholii nostri auctor fuit, is vero haud dubie fuit Aristarchus [1]), Apollonio auctorem fuisse. Quoquo modo autem haec res se habet, recte nostro loco ζώνην ita accipi ut sit ὁ περὶ τὸν γαστέρα τόπος, inde patet, quod ζώνη, ceteroquin apud Homerum nonnisi feminis tributa, quo solo praeter nostrum loco viro adscribitur, B 479 eandem illam contextus interpretationem requirit [2]). Vox θωρακοζώνη igitur, quamvis eam λεγομένην [3]) dicat schol. quasi in communi usu versata fuerit, procul dubio tantum apud Homeri interpretes vulgata erat e nostro loco perperam derivata.

Videamus nunc de verbis θώρηκος ἔνερθε. Quae Reichel [4]) et Robert [5]) ut rite coniungunt, ita non audiendi sunt ἔνερθεν interpretantes *infra*, et frustra negantes ἀγκῶνος ἔνερθεν esse posse εἰς τὸ κατῶ μέρος τοῦ ἀγκῶνος. Nam contra notissimum est adverbia loci Graece saepe cum genetivo partitivo, qui dicitur construi, et ἀγκῶνος ἔνερθε vs. 152, nisi est „in inferiore parte cubiti" nihil est, praecedunt enim verba κατὰ χεῖρα μέσην. Reichel quomodo ζώνην accipiat non patet; Robert, quem ad modum est in schol. interpretatur *balteum*, ita ut idem valeat atque ζωστήρ vs. sequenti. Sed recte Reichel et Robert negant θώρηκα nostro loco esse thoracem aëneum. Hasta enim Iphidamantis „οὐκ ἔτορε ζωστῆρα παναίολον, ἀλλὰ πολὺ πρὶν ἀργύρῳ

---

1) Nam prior pars scholii recentior est. Neutiquam enim is qui separaret θώρηκος et ἔνερθε exempli gratia afferret ἀγκῶνος ἔνερθε, nisi id in vetustiore commentario invenisset. Prior pars scholii ergo Aristonico debetur, altera Aristarcho, qui haud dubie sic fere exorsus est, quod male intellectum mutavit Aristonicus: ὅτι οὐ λέγει κατὰ θώρακα ἀλλὰ κατὰ ζώνην θώρακος ἔνερθε· τὸ δὲ ἔνερθεν εἰς τὸ κατῶ μέρος τοῦ θώρακος ὡς κ.τ.λ.

2) Legimus enim 477 sqq.: μετὰ δὲ κρείων Ἀραμέμνων ὄμματα καὶ κεφαλὴν ϝίκελος Διὶ τερπικεραύνῳ, Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι. Praepostere igitur nonnulli secundum Pausaniam (IX 17. 3) Ὅμηρον Ἄρει τὸν Ἀγαμέμνονα πονήσαντα ἐοικέναι τὴν ζώνην, τῶν ὅπλων τὴν σκευὴν φασὶν εἰκάζειν.

3) In schol. B „καλουμένην".

4) H. W.[2] p. 93.

5) l.l. p. 43.

ἀντομένη μόλιβος ὣς ἐτράπετ' αἰχμή", mirum autem, si poëta balteo id tribuisset, quod nemo scire posset an potius thoraci aëneo deberetur qui subesset, praeterea rursus hic habemus balteum thoraci aëneo alienum, ad tunicam pertinentem. Quod autem initio carminis Λ Agamemnon describitur thoracem aëneum induens nullius momenti est, cum credibile, ne dicam verisimile, sit Agamemnonis armaturae descriptionem alii poetae deberi ac locum nostrum. Reichel hic voce *θώρηξ* scutum putat significari, ita ut *θώρηκος ἔνερθε* sit „infra scutum" [1]). Iamvero, id quod saepius monui, fac diversa quae corpori praesidio essent antiquo tempore Graecos indicasse voce *θώρηξ*, tamen voce generali uti non licebat in singulis significandis, nisi aut pateret aut non interesset quid ex his spectaretur. Quorum neutrum hic usuvenit. Quod autem Robert rursus hic loricam sive scorteam sive laneam significari vult et *ἔνερθε* hic esse „intra", ita ut *θώρηκος ἔνερθε* sit „per loricae sinum" [2]), neque cum Graeco sermone haec convenire, neque omnino de loricae sinu cogitari posse arbitror. Sed si *θώρηξ* hic rursus est tunica, *θώρηκος ἔνερθε* est *εἰς τὸ κάτω μέρος τοῦ χιτῶνος*, iure autem ea tunicae pars, succinctae praesertim, quae aut balteo tegitur aut infra balteum est, *inferior*, vocatur cui oppositus est tunicae sinus i. e. quod supra vidimus, *θώρηκος γύαλον*.

§ 4.

Γ 357-360 (= Η 251-254) *θώρηξ* intellegendus est tunica lintea, aut delendus Γ 358 (Η 252).

Pertractavimus locos quibus utique voce *θώρηξ* tunica intellegenda videtur, praeterea autem tres loci sunt de quibus aut idem est iudicandum aut insiticius est habendus versus quo illa vox occurrit, qui cunctis idem est atque Δ 136: „*καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο*".

Ubi Paris et Menelaus certant Γ 357—360, eisdemque verbis in certamine Hectoris et Aiacis Η 251—254 legimus: *διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου*

1) H. W.[2] p. 105.

2) Iphidamas trifft *θώρηκος ἔνερθεν* unter dem Panzer, d. h. er durchstösst den Bausch, dann stösst seine Lanze auf den Gürtel der den Stoss hemmt, l.l. p. 43.

ἠρήρειστο, ἄντικρυς δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα ἔγχος· ὁ δ' ἐκλίνθη καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν. Hastam e manu missam transfigere deinceps scutum et thoracem aëneum profecto est mirabile. Aliter sane X 321 Achilles longe robustissimus omnium Graecorum et armatus hasta ingenti, quam nemo alius torquere posset, cum Hectorem thorace aëneo indutum peteret locum elegit, ubi non modo clipeus, sed ne thorax quidem praesidio esset, gulam volo. Itemque Diomedes in certamine ludicro cum Aiace Ψ 820. Sed utroque loco nostro accedunt alia, Paris enim et Hector flectendo se vulnus imminens vitant, ita autem eos se flectere vidit Reichel [1]), ut femur deflecterent, non ut retraherent ventrem, quemadmodum voluerunt Heintze Ameis vv. dd. [2]), id quod, tunica prope inguen praecisa, nulli usui erat. Sed quoquo modo haec res se habet, non potest ita flecti corpus ut, thorace transfixo, vulnus vitetur. Nisi forte Helbig v. d. recte iudicat [3]) thoracem apud Homerum ea fuisse amplitudine ut velut locum mutare in eo queas. At ne hoc quidem, quod absurdum est, prodest praecisa tunica, quippe quae sub thorace ad corpus se applicet necesse sit. Iure suo igitur Reichel [4]) et Robert [5]) iudicant fieri non posse ut Hectorem et Paridem ll. ll. thoracibus aëneis indutos poëtae finxerint. Recte vero omnia se habent si θώρηξ censetur hic esse ipse χιτών cuius versu sequenti mentio fit, eandem enim rem duobus insequentibus versibus diversis appellari nominibus apud Homerum usitatissimum est. Sed Reichel et Robert eiciunt vs Γ 357, Η 251 καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο, qui versus et sine detrimento abest et cum idem sit atque Δ 136, quem non posse deleri demonstravimus, infitiari non licet hinc illuc eum irrepere potuisse prisca vocis θώρηξ sententia ab interpolatore neglecta. Ceterum si quis rogat uter locorum Γ 357—360, Η 251—254 alteri exemplo fuerit, satis erit monuisse viros doctos plerosque hunc recentiorem putare, de qua re amplius disserere non nostri propositi est.

Sed hoc addendum. Ad certamen se armans Paris Γ 328—339

1) H. W.². p. 66, 67.
2) In Edit. Iliad.
3) l.l. p. 286.
4) l.l.
5) l.l. p. 58, 59.

induere narratur vs. 332 thoracem fratris Lycaonis. Hoc quoque loco si rem per se spectas, nihil vetat intellegere thoracem linteum i. e. tunicam. Nam Γ 16, 17 Paris in aciem prodisse dicitur cum arcu atque sagittis et tectus pelle pantherea, propter quam tunica supervacua erat, quamque, ad scutum tractandum impedimento futuram, nihil mirum si tunica permutavit. Nihilo minus Robertio do locum a recentiore poëta vel interpolatore retractatum esse. Nam vs. 340 legimus Menelaum et Paridem ad se armandos secedere. At Menelao profecto id minime opus erat cui, modo fascia scutum aptaret et hastam sumeret, omnia acta erant [1]). Sed idem versus recurrit Ψ 813 ubi Diomedes et Aiax ad certamen ludicrum ferro se cingunt, ibique convenit egregie. Interpolatum igitur censeo Γ 340. At si hic versus eicitur, stare non posse vs. 330—338, 341—343 in aperto est, quos praeterea neminem fugit aliunde ductos esse [2]).

§ 5.

Λ 436 θώρηξ intellegendus est tunica lintea aut delendus est vs. 436.

Ulixes vulneratur a Soco Λ 434 sqq. Perfossis rursus èt scuto et thorace cutis a costis hasta avellitur. Sed vs. 457 Ulixes hastam e cute atque e scuto trahit, nihil de thorace, qui tamen, si aëneus fuit, taceri hic potuit nullo modo. Aut ergo hunc vs. 436 voce θώρηξ designari, aut, quod volunt Reichel [3]) et Robert [4]), hunc versum eundem rursus ac Δ 136 delendum esse patet.

---

1) Neve quis contra afferat quod Γ 114 legitur τεύχεα ἐξεδύοντο (Ἀχαιοί τε Τρῶές τε). Nam etiamsi in ceteros cadit ut thoraces ponant certamen inter Menelaum Paridemque inspecturos, non cadit in Menelaum pugnaturum. Ceterum quod animadvertit Reichel H. W.[2] p. 66: „Einen Panzer jedesmal aus und anziehen (in den Kampfpausen auf dem Schlachtfeld) hiesse doch die Gemüthlichkeit zu weit treiben" rectissime se haberet si hic de proelii intervallo ageretur. Sed pactum erat, ut certamine singulari bellum finiretur. Alia res est, quod Menelaum Paridemque si thoracibus aëneis non usos finxit poeta noster, credibile non est eum ceteros Achivos Troianosque thoracatos finxisse.

2) Robert l.l. p. 53 retinet vs. 334 (mutato ἀμφὶ δ' ἄρ' in ἀμφὶ μὲν) 335, 336.

3) H. W.[2] p. 71.

4) l l. p. 58 sq.

§ 6.

De locis quibus per se spectatis incertum est sitne θώρηξ intellegendus tunica lintea an thorax aëneus.

Secundum Homeri locos, ubi voce θώρηξ tunica lintea significatur, nonnulli alii se nobis obtulerunt quibus, per se spectatis, non apparet utrum de illa an de thorace aëneo cogitandum sit. Cuius generis accedunt Β 544, Γ 332, Ζ 322, Λ 373, Π 133, alii non reperiuntur. Aut thorax totus aëneus, aut tunica lintea laminis aëneis munita intellegenda videbatur Δ 448, 489, Θ 62, Ν 265, 342, 371 sq., 397, 587, Π 173, Ρ 605 sqq., Τ 361 [1]), cum nihilo magis constaret alterutrum horum eligendum esse quam nihil omnino aënei spectari Ν 507, Ρ 314. Duobus locis, Ν 265, 342 ipsae appellationes λαμπρὸν γανάοντες et νεοσμηκτοί suadebant ut cogitaremus de thoracibus aëneis [2]). Ab altera parte locis Ν 371 sq. 397 sq. 507, Ρ 314, quibus solis apud Homerum θώρηξ vel θώρηκος γύαλον hasta perfringi narratur, praeterea Β 544, ubi Abantes dicuntur conari longis suis hastis θώρηκας ῥῆξαι δηίων ἀμφὶ στήθεσσι, id ipsum forsitan afferre liceat ad probandum de vestimentis agi linteis. At concedendum est hasta perfringi posse etiam thoracem aëneum [3]). Λ 373 Diomedes Agastrophum spolians detraxisse narratur θώρηκα ἀπὸ στήθεσφι, ἀσπίδα τ' ὤμων. Ex his apparet Agastrophi ἀσπίδα pependisse ἐκ τελαμῶνος, eae enim ἀσπίδες quae intus loris instructae erant ad brachium laevum inserendum, manifesto non detrahebantur ab occisorum humeris. Sed antiquissimi clipei, qui quidem depinguntur in monumentis Mycenaeis, aliter quam clipei recentioris aetatis pependisse revera videntur ἐκ τελαμῶνος [5]). Itaque non opus est ut cogitemus nostro loco de scuto talari,

---

1) Vide supra. Iamvero locis Θ 62, Ρ 314, 605 sqq., Τ 361 locorum aliorum quibuscum cohaerent comparatio docet spectari thoraces aëneos, vide supra. Contra Δ 489 agitur de tunica lintea, vide supra et § 14.

2) Vide supra.

3) Iactu Ν 371 sq., 507 sq.; ictu Ν 397 sq., Ρ 314 thorax perfringitur. Credibilius sane ictu quam iactu perfringi thoracem aëneum. At tamen revera de thoracibus aëneis agi èt Β 544 et, ut Ρ 314 (vide supra ann. (1)), ita Ν 507, vide infra § 14.

5) Vide Rob. l.l. p. 10.

qualia notissimum est apud Homerum neque minus in monumentis Mycenaeis frequentia esse. Scutum talare si constaret hic spectari, vix dubium esset quin θώρηξ hic esset tunica, neque enim qui scuto talari utitur, de qua re mox accuratius agam [1]), thoracem aëneum induisse credibile est. Sed ut res se habet, utrum tunica an thorax aëneus spectetur incertum manet [2]). Hoc constat, quantum ex monumentis Mycenaeis efficere licet, milites quoque antiquissimis illis armatos clipeis, carere thoracibus, sed certi hac de re nihil ex iis efficere licet [3]).

Restant Z 322 ubi Paris describitur occupatus in armis expediendis, concinnans ἀσπίδα καὶ θώρηκα, Γ 332 ubi Paris, Π 133 ubi Patroclus θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε, quibus locis per se spectatis nihil neque cogit neque vetat tunicam intellegere praesertim laminis aëneis instructam. Nisi forsitan περὶ στήθεσσι aptius dicatur de thorace aëneo [4]).

(*Continuabuntur*).

---

1) Vide infra § 9.

2) Robert Il. p. 20 cum victor occisum hostem thorace exuat **antequam** scutum ei detrahat, de clipeo aptato brachio non pendente ἐκ τελαμῶνος agi censet et verbis „ἀσπίδα τ' ὤμων" sequiorem poëtam minus accurate usum esse. Equidem facilius τὸ ὕστερον πρότερον feram, ut Λ 251 ἔτραφον ἠδ' ἐγένοντο, δ 50 ἀμφὶ δ' ἄρα χλαίνας ϝουλὰς 'βάλον ἠδὲ χιτῶνας, alia eiusmodi.

3) Cf. infra § 9.

4) Revera mox patebit Γ 332, Π 133 de thorace aëneo agi, cf. § 14, contra Z 322 de tunica agi videbimus infra § 14. De loco Γ 332 vide praeterea supra p. 127.

AD PLUTARCHUM.

Themist. 4 (Sint.). Postquam Platonis est prolata sententia, consilium eorum improbantis qui Athenas e republica mediterranea maritimam fecerunt, sic ipse Plutarchus de Themistocle loqui pergit: utrum politica eus ratio bona an prava fuerit ἔστω φιλοσοφώτερον ἐπισκοπεῖν. Immo φιλοσοφωτέρων: de ea re ii iudicent qui philosophicis disceptationibus magis quam ego sunt idonei. J. J. H.

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 80.)

XX.

AD HISTORIAS ANNOTATIONES VARIAE.

H. I, 13. Causarum, cur Othonem adoptare Galba nollet, et hanc fuisse unam se *credere* Tacitus significat, quod parum e republica putaret talem ei relinquere successorem: „credo et reipublicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur." Haec ipsius Taciti verba sunt. Altera causa, de qua non *credat* aliquid sed comperta se tradere certo sciat, haec est quod Vinii pro Othone artificia Galba perspexerit: „neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia." Sed et tertia causa quaedam fuit, quae Galbam, senem morosum et adversus rumores pertinacem, impelleret ut sic secum loqueretur: „at ego id ipsum, quod me facturum vaticinantur inepti isti homines, nunquam faciam." Totum Taciti locum huc pertinentem exscribam, ita divisum, ut nemo, qui quae hic praemiserim legerit, ullo modo dubitare possit, quin *causae* ibi enumerentur, quae ab Othone mentem Galbae vel abalienaverint vel certe abalienare potuerint:

a. Neque erat Galbae ignota Othonis ac Titii Vinii amicitia.

b. Et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Vinio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur.

c. Credo et reipublicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur.

De tertia primaque causa nihil est quod annotemus: omnia ibi sunt perspicua. De secunda videamus. Quid illud fuit quod Galbam instigaret ut pertinaciter Othonem adoptare recusaret? Quod vulgi rumoribus Otho et Vinius „gener ac socer destinabantur." Haec Taciti verba sunt. In familiari otiosorum sermone nihil ista ubertas „gener ac socer" molesti habet. Immo ipsa hominum vita refertur, si quis de populo sic loquens inducitur: „mihi crede, duo isti viri, quos vides, Otho et Vinius, aliquando gener socerque erunt." At hic istud *gener ac socer* placidae est verbositatis, quae mirum quantum discrepet a totius loci acuta atque acerba brevitate. Praeterea — atque hoc multo gravius — illud quod homines fabulantur de futura Othonis Viniique affinitate quid habet quod *Galbam* graviter commoveat? An eam fuisse causam credamus, cur sic Galba loqueretur: „si Vinii gener fiet Otho, ego eum filium habere nolo"? Non opinor. Intellexisse Galbam non debere se Vinio aurem praebere Othonis causam defendenti, cupidum enim illum esse patronum .... satis superque indicatum est verbis „neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia", parumque Taciteum videtur tot verbis uti ad demonstrandum, quam artum illud amicitiae fuerit vinculum quo Vinius et Otho inter se iuncti essent. Quid ergo erat in illis rumusculis populi, quod *bilem* Galbae moveret? Nam nisi illum effectum rumusculi isti habuissent, non potuisset inde nasci causa cur adoptare Othonem Galba nollet. Sic, ut ego opinor, inter se loquebantur homines: „Othonem istum hominem elegantem venustumque, quem novimus omnes, quem per urbem volitantem videmus, mihi crede, mox videbimus alterius consulis (et principis) filium, alterius generum." Suspicor ergo Tacitum scripsisse: „*pater* ac socer destinabantur" eoque invito irrepsisse decantatam istam *soceri* et *generi* commemorationem. Neque fortasse hic negligendum quod, cum res ipsa ferat ut duo vocabula, quae sic ut *gener* et *socer* unam rem, unam affinitatem, significent, coniunctionibus *que* vel *et* vinciamus, hic „gener *ac* socer" legitur.

H. I, 37. In castris praetoriis Otho ad milites orationem

habet, qua iis in memoriam vocat quaecunque Galba ad Italiam accedens ipsamque urbem intrans crudeliter fecit. Ibi et hanc legimus exclamationem:

„Quae usquam provincia, quae castra sunt nisi cruenta et maculata, aut, ut ipse praedicat, emendata et correcta."

Ipse sonus verborum „quae provincia, quae castra *sunt*" habet quod vitium crepet. De sententia videamus. Nonne absurdum est contendere nullam *usquam* esse *provinciam* quam non cruore asperserit Galba? Num credibile illud videri poterat vel ipsis militibus urbanis, quibus hoc certe notum fuerit, e qua provincia in Italiam venisset Galba, et quae ei fuisset pervadenda provincia? Atque ipsa vox *provincia* quid habet quod vehementer animos militum permoveat? Nihil, ut opinor. Sed inspiciamus longam illam scelerum enumerationem, quae hacce exclamatione clauditur: de classiariis agitur, quorum partem Galba trucidavit, partem decimavit, de Fonteio Capitone, Clodio Macro, Nymphidio occisis et quibusdam aliis, sed plerisque copiarum ducibus. Ergo, si duo triave nomina excipimus, tota ista Galbae crudelitas ad solos milites et ad viros, qui militibus praefuerunt, pertinuit. Et, ut opinor, etiamsi praeterea in togatos inermesque provinciales saeviisset Galba, tamen de his tacuisset Otho et sagatos paludatosque commemorasset solos, qui novo imperatori victimae cecidissent. Ceteros haud magnopere praetoriani erant curaturi. Ergo ut Otho dicat aliquid quod terse enuntiatum sit, quod a veritate non nimis recedat, quod animos militum quam maxime incendat, legendum censeo: „quae usquam *praesidia*, quae castra sunt e. q. s.".

H. I, 50. Occiso Galba, cum nuntius de Vitellii defectione per urbem percrebruisset, vehementer afflictae erant omnium mentes:

„Duos omnium mortalium impudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura reipublicae, sed vulgus quoque palam maerere."

Totus loci connexus huiuscemodi est: tempus, quod instabat, civibus multo tristius videbatur non solum quam Galbae illud (cum, licet bellum non esset, tot tamen fierent scelera) sed

etiam quam ipsa bellorum civilium aetas: nam tunc, quicunque evasurus esset princeps, hoc tamen constabat fore eum virum qui rempublicam regere posset; at nunc hoc unum sciebant homines „deteriorem fore, qui vicisset.” At nunc ego in voce, quae est *maerere* haereo; non enim, ut opinor, *praesens* malum maeremus, sed *praeteritam* conditionem, praesenti meliorem. Ergo aut Tacitus, cum homines de praesenti tempore cogitantes inducit, iam animo praesumit tempus, quo praesentia praeteritaque inter se comparabunt, ideoque *maerere* posuit ubi quivis alius *indignari* esset positurus, aut, id quod multo verisimilius, pauca quaedam hic exciderunt atque sic explenda lacuna: „sed vulgus quoque ‹indignari et priora› palam maerere.”

H. I, 58. Imperio ad Vitellium delato protervi milites ducum quorundam sibi invisorum poenam postulant; ante omnes dedi sibi Iulium Bardonem, Germanicae classis praefectum, ad supplicium flagitant: huic enim praesertim vitio dabant Fontei Capitonis, gratissimi ducis, interitum. At dolo eum militum saevitiae subtrahit Vitellius:

„Interim ut piaculum obicitur centurio Crispinus; sanguine Capitonis se cruentaverat, eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit.”

Punienti sc. Vitellio. At, obsecro, num *punit* miserum centurionem Vitellius? Num ullus omnino *puniendi* verbo locus? An censeamus Tacito *punitum* videri hominem, eo nomine ab iratis militibus necatum, quod Capitonem occidisset? Capito enim quid, iudice Tacito, fecerat? *Haud dubie* in Germania *turbaverat*, non secus ac Macer in Africa (v. c. 7), certe turbare coeptaverat, eumque oppresserant interfecerantque Cornelius Aquinius et Fabius Valens, „antequam iuberentur” quidem (ib.), sed tamen haud dubie rati se sic prospicere quieti et securitati reipublicae. Num qui eiusmodi consilii particeps fuit, cum postea a discordibus militibus, qui aegre illud tulerunt, crudeliter trucidatur, *puniri* vel a militibus, vel a duce, qui non intercedit, dici potest? Haud opinor. Denique quae intercedit ratio inter voces quae sunt *postulantibus* et *punienti*? Et aliqua tamen ratio intercedere debet, nisi credimus Tacitum non cohaerentia locutum. Quod quoniam credere nolumus, in *punienti* latere

vitium nostro iure statuimus. Quod quomodo sit tollendum fere iam diximus, certe elucet e tota disputatione nostra. Milites *postulant* aliquid, dux aut respuit postulata, aut aurem iis praebet. Subtraxerat autem militum minis Burdonem, at Crispinum iis ... quid? Nempe *permittit.* Hoc est legendum *permittenti*, hoc unice in hunc locum convenit, et ductibus literarum traditae voci *punienti* admodum est simile (pmittenti).

H. I, 64. Fabius Valens cum exercitum adversus Othonem in Italiam ducit, in civitate Língonum inter legionarios et Batavos auxiliares iurgia exarsere eiusmodi ut prope a proelio abesset res. Haec ipsius Taciti verba sunt:

„Iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in proelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset."

Praeter Batavos et legionarios in Valentis exercitu aut nulli fuerunt milites aut admodum pauci (v. c. 59 et 64). Atque hae nunc exercitus partes paene inter se manus conserunt. Quaero qui nobis praeterea hic cogitandi sint *milites,* quorum „studia aggregantur" rixantibus. Nullos invenio, sed istud *militum* in alius vocabuli locum irrepsisse censeo, puta *civium* vel *municipum,* quae vocabula et ideo magis huc quadrant, quoniam milites potius et ipsos in eiusmodi certamine gladios destringere consentaneum est, at *studia* magis otiose adstantium et pugnae exitum spectantium sunt.

H. I, 83. Praetorianos pro ipsius salute nimis sollicitos et aliis argumentis placat Otho et hoc:

„Imus ad bellum .... An et illic nocte intempesta rapientur arma? Unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium irrumpet."

Imperator unus est, et ne plures quidem cogitari possunt vel in exercitu vel in republica. Absurde igitur pauci quidam milites in imperatoris *sui* tentorium irrumpere finguntur. At istud *sui* post *tribuni* pone, pulcherrime enuntiata erit tota

periodos: „centurionis ac tribuni sui sanguine manus imbuet, imperatoris tentorium irrumpet." Ipsum illud quod traditum est hanc nobis transpositionem commendat; in codice enim non *tribuni* legitur sed *tribunis*.

H. II, 2. Titus Vespasianus, a patre Romam ad Galbam missus vel officii causa vel spe adoptionis, Corinthi de interitu imperatoris certior factus secum deliberat pergatne Romam an ad patrem redeat; tandem redire decernit, idque haud unam ob causam:

„Fuerunt, qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent; neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus, sed gerendis rebus nullum *ex eo* impedimentum: laetam voluptatibus adulescentiam egit, suo quam patris imperio modestior."

Immo vero *ex ea*: tum enim demum ita nobis Berenices Titique amores describuntur ut innocuos eos fuisse appareat: nullum Berenice rebus gerendis afferebat impedimentum.

H. II, 3. Postquam quid fama proditum sit de templi Veneris Paphiae conditore enarravit, sic pergit Tacitus:

„Sed scientiam artemque haruspicum accitam et cilicen Tamiram intulisse."

Ita est in codice. Qui tantummodo *cilicen* in *Cilicem* mutarunt Taciti manum non restituerunt: ferri enim nullo modo istud *et* potest. Sed ne illi quidem, qui eam voculam delent, mihi satisfaciunt: nunc enim una nobis res duabus sententiolis traditur, neque quid sibi ista velit divisio: „sed scientiam artemque haruspicum accitam: Cilicem Tamiram intulisse" quisquam videt. Idem de Puteolani coniectura *e Cilicia* pro *et cilicen* legentis statuendum est. Non enim minus ingrate sententia sic discerpitur: „sed scientiam artemque haruspicum accitam e Cilicia: Tamiram intulisse." Illa tamen ad veram nos ducit lectionem, ad quam restituendam levissima quaedam sufficit emendatio. Legendum enim est: „Sed scientiam artemque haruspicum *accitum* e Cilicia Tamiram intulisse." Haud dissimili modo H. IV, 83 a Ptolemaeo primum vir quidam externarum religionum peritus arcessitur; eius deinde monitis eo res deducitur ut e Ponto nova religio in Aegyptum transferatur.

H. II, 16. Per vim Decumus Pacarius procurator insulam Corsicam, quae hactenus Othoni fidelis manserat in partes Vitellii traducere tentat. Consilium habet principum, duosque copiarum duces contra dicere ausos interfici iubet:

„Quorum morte exterriti, qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperatorum turba in verba Vitellii iuravere."

Imperatorum est in codice; nunc plerumque acquiescitur in vetusta correctione *imperitorum*. Quam inepte diceretur *ignara imperitorum turba*, quam absurda ea esset atque inanis verborum ubertas sensisse videtur nemo. Fuit cum ad vitandam istam tautologiam pro *ignara* legendum putarem *ignava*, sed longe meliora me unus e commilitonibus docuit, cuius felicissimum inventum libenter hic pono. Is enim *imperatorum* retinendum sed statim post *ignara* ponendum vidit: „ignara imperatorum et alieni metus socia turba." Insulani isti vix ipsa Othonis Vitelliique nomina noverant; certe uter peior esset imperator plane ignorabant [1]).

H. II, 32. Coniunctis Caecinae et Valentis copiis Vitelliani certandi ardent amore; Othoniani utrum statim in discrimen rem adducant an exspectent etiam deliberant. Hoc Suetonius Paulinus suadet: mora exhauriendas hostium vires censet, suum enim exercitum eadem accrescere. Eius verba et alia sunt et haec:

„Paucis diebus quartam decimam legionem *magnam ipsam famam*, Moesicis cum copiis adfore."

Sic est in codice. Probatur fere Candidi emendatio: *magna ipsam fama*. Perperam, ut opinor. Nihil enim sequitur quod isti *ipsam* vel opponatur vel aliqua ratione cum eo vocabulo cohaereat. Unice verum videtur: *magnam ipsa fama*: sola iam rerum gestarum gloria magnus et nobilis ille erat exercitus. Cf. quod proxime praecedit: „senatumque et populum, nunquam obscura nomina." Quantum roboris in ipso nomine ac fama inesset probe noverat peritus animorum dux.

H. II, 59. Honoribus afficere Vitellium, qui modo advenit, ét milites Romani ét municipes Lugdunenses certant. Ille:

---

1) Auctor lepidissimae emendationis A. RUTGERS VAN DER LOEFF lit. hum. cand.

„mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet; perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit."

Perlatum: quo? Per singulosne exercitus manipulos? Facile intelligo gestato iactatoque infanti quiete opus fuisse, libenterque in sinu eum patris obdormivisse. At tunc demum eum Vitellius paludamento induit. Non fuit, ut opinor, in omnibus rebus tam praeposterus et perversus. Et ne de novo satis iam fessi infantis loquar incommodo, nudusne militum manibus perlatus est? Aut susque deque hic omnia habuit Tacitus aut pro *perlatum* legendum est *prolatum*: nempe e tentorio, ubi hactenus apud nutricem aliquam latitavit.

H. II, 60. Narratur quomodo iam victor Vitellius Othonis cognatis amicis adiutoribus usus sit. Ibi et haec leguntur:

„Mario Celso consulatus servatur; sed creditum fama obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi voluisset.".

Aut Latine temere vocabula coniicere licet, aut nihili est *creditum fama*. Quid sit legendum non definio, sed in syllaba *cre* esse opinor vel adiectivi, quod est *creber*, vel verbi, quod hinc originem ducit, aliquam formam. Ecquid *crebra fama* omisso *fuit* vel *erat*, quibus verbis hic opus esse non videtur? Cf. H. IV, 12 „crebrescentem cladis Germanicae famam."

H. II, 63. Apud Flavium Sabinum praefectum urbis Dolabella, qui ab Othone in coloniam Aquinatem erat sepositus, ab amico perfido accusatur quod audita morte Othonis custodiam rupisset, victis partibus se ostentasset, cohortem quandam sollicitasset:

„Nec ullis tantorum criminum probationibus (i. e. cum crimina illa nullo modo probare posset) in paenitentiam versus (accusator) seram veniam post scelus quaerebat. Cunctantem supra tanta re Flavium Sabinum Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne periculo principis famam clementiae adfectaret."

Deinde legimus Sabinum, hominem ignavum, hoc argumento victum, cum antea Dolabellae parcere voluisset, ultro operam

dedisse ut Vitellio imperatori quam maxima eius culpa videretur; nec frustra: iussu enim Vitellii miserum hominem interfectum.

Hic ne omnia a Tacito confusa et *τὸ ὕστερον πρότερον* propositum statuamus, verborum „seram veniam post scelus quaesivit" hanc esse sententiam sumendum est, eiusmodi crimina, quamvis infirmo niterentur fundamento, tamen illo tempore reo semper certam attulisse perniciem. Multo tamen melius cohaerebunt omnia, multoque melius quid sibi istud *seram* velit intelligemus, si post *cunctantem* inseruerimus *enim*, ut illa coniunctio inde a voce *cunctantem* narrari quomodo totum illud sit peractum negotium indicet (*Enim* Belg.: „namelijk").

H. II, 64. Egregiam et antiqui moris feminam fuisse Sextiliam Vitellii matrem insigni probatur exemplo. Sequitur:

„Nec ullis postea fortunae illecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus suae tantum adversa sensit."

Parum gratum est verborum *in gaudium evicta ὀξύμωρον.* Tacitum dedisse opinor *evecta,* quod fere idem est atque *elata.*

H. II, 70. Oculis perlustrat Vitellius campum Bedriacensem, ubi ante quadraginta dies terribile illud fuerat commissum praelium. Quam dirum et atrox ille tum praebuerit spectaculum facunde describitur. Sequitur:

„Nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosaque constraverant, exstructis altaribus caesisque victimis regium in morem."

Aliquam viam vel viae partem ipsam *inhumanam* vocare absurdissimum videtur, neque omnino hic de ulla *parte* viae sermo esse potest, siquidem in praecedentibus non de alia quadam viae parte agitur sed de campo vicino. Quapropter lubentissime Leopoldio meo assentior acute, ut solet, pro *pars* proponenti *species.* Non minus quam campi illius foedi atrocisque inhumana erat *viae species,* quam in honorem Vitellii, nequissimi mortalium, ita exornaverant municipes tamquam si magnus aliquis rex accederet.

H. II, 74. Vespasianus, licet eum multi potentesque amici

atque adeo ipsi dii immortales ad imperium vocent, haesitat etiam; vix se tanto fastigio parem aestimat, gravemque reformidat casum. Et alia secum deliberat et haec:

„Esse privatis cogitationibus progressum, et prout velint plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa aut praecipitia."

Claudicare hanc sententiam dudum est intellectum; ergo Lipsius pro *progressum* legi iussit *regressum*, quod certe melius videtur, quam illorum coniecturae, qui „esse progressum regressum" vel „esse progressum esse regressum" vel „esse progressum et regressum" proposuerunt. Nam in privatis cogitationibus et omnino in statu privato hoc solum est laudandum quod *regredi* liceat; vox *progressus*, sic nude posita, nunquam rem laudandam optandamve significat. Sed Lipsianae coniecturae cum ceteris omnibus commune hoc vitium est quod „prout velint plus minusve" languidissimum est et ubertatis in Tacito certe non tolerandae. Quapropter multo leniorem hanc propono emendationem, qua omnia in ordinem videantur redigi: transposita coniunctione *et* legamus:

„esse privatis cogitationibus progressum prout velint, et plus minusve sumi ex fortuna": privato homini licet non ultra quam ipse velit progredi, et quantum commodum est a fortuna sumit. At qui semel ad imperium pervenit, nisi semper plus sibi acquirit, certa ei instat pernicies.

H. II, 76. In allocutione, qua Vespasianum ad imperium vocat, Mucianus de Vitellio cum maximo loquitur contemptu. „Iam Othonem" ait

„desiderabilem et magnum principem fecit, cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova cotidie bello semina ministrat."

Apage ineptias et *novo* lege.

H. II, 82. De bello quod a Vespasiano Mucianoque paratur et alia et haec legimus:

„Ipse Vespasianus adire hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare saepius quam coërcere, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans."

Coërcere et *incitare* diversissima sunt et tantum non inter se contraria, cum tamen hic verba requiruntur, quae colore quidem differunt sed idem consilium, eundemque effectum significant. Atqui incitamus segnes, sed coërcemus — quos? Nempe insano ardore abreptos, lascivientes, eos denique qui huc illuc volitantes communem laborem impediunt magis quam adiuvant. Segnes vero quid? Vi, minis, poena ... *cogimus*, nisi admonitionibus nostris aurem praebent. Ergo pro *coërcere* hic *cogere* lege. Boni imperatoris est exemplo incitare segnes, aut, si in exemplo praesidii parum est, *cogere*, quod sic absolute positum egregie cum illo „exemplo cogere" coniungitur ad totam Vespasiani rationem depingendam.

H. II, 87. Foedum istud agmen, quo Vitellius urbem petit, et aliis et his describitur verbis:

„Sexaginta milia armatorum sequebantur, licentia corrupta; calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis."

Vera huius loci cognita lectione — nam si ullus, hic certissima est emendatione restitutus — doctas ridebis annotationes, qualis est haec apud Orellium:

„Lixas liberos homines fuisse, rite colligas ex Ann. II, 62 (citatur locus). At lixae quoque, ut hic vides, mancipiis ob vilem quaestum ac mores procaces aequiparabantur." Verum, o bone, si sanus hic locus, non *aequiparantur* mancipiis lixae, sed plane iis adnumerantur, tamquam si de servili eorum statu nulla unquam inter homines fuerit dubitatio. Et si procacitate morum semper vilissimis sunt pares mancipiis, nulla est in Vitellio culpa, si non modestioribus iis usus et ministris. Vides e tradita lectione nullum, nedum aptum, sensum ullo modo extrahi posse, sed lenissima emendatione revocatur id quod unice in hunc locum conveniat, id quod ipsum Vitellianum agmen legentibus ponat ante oculos, id denique quod quin a Tacito scriptum sit posthac iam nemo sit dubitaturus. Pro *etiam inter servos* legendum est *etiam inter severos* [1]). En ipsa nobis reddita Taciti manus! Etiam in severo mo-

1) Praestantissimam emendationem acceptam refero Leopoldio meo quem toties iam, ut par erat, laudavi.

desteque habito exercitu procaces lixae sunt; quam lascivos eos fuisse credamus in Vitelliana turba ista! Vide quam egregie nunc, in eundem sensum, haec addantur: „tot legatorum amicorumque comitatus, inhabilis ad parendum, *etiamsi summa modestia regeretur.*" Idem est exercitus *modestus* et *severus*. Adverbium *severe* de militibus adhibitum legitur A. IV, 2 (cur Tiberius cohortes urbanas in una castra contraxerit traditur): „Praetendebat lascivire militem diductum; si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis illecebris."

Opponuntur inter se *lascivire* et *severe agere*.

H. II, 88. Vixdum urbem intraverant saevi isti ferique Vitellii milites et iam proelia fiunt caedesque civium:

„cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent."

Non duae res hic inter se *opponuntur*: altera enim ex altera necessario sequitur. Cum barbari turbam populi parum vitarent, fieri non poterat quin identidem alicui civi impingerentur. Accedebat alia procedendi causa: viae lubricum. Pro *aut* ergo *et* legendum censeo.

H. II, 99. Nefaria proditione a Vitellio ad Flavianos deficit Caecina:

„Credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis; simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut impar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet."

Mire conformata est haec sententia! Primum ista subita ad passivum verbum transitione (*admonebatur*) neque perspicuitati neque elegantiae consulitur. Quis enim Caecinam admonet? Nempe idem Rubrius Gallus, de quo in praecedentibus sermo est. Sed hoc durius quod *admonendi* verbum hic primum: „in memoriam revocare" significat, deinde „adhortari". Utrique malo medeberis, si excidisse paucas literulas statues, Tacitumque pro *admonebatur* scripsisse: *admonens hortabatur.*

H. III, 2. In exercitu Flaviano sunt qui morandum censeant et Muciani exspectandum exercitum. At Antonius Primus, vir acerrimus moraeque impatiens, festinandum esse clamat et celeri impetu opprimendos hostes. Eius verba et alia et haec traduntur:

„Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero."

Inepte bis idem hic dici (quid enim inter *suasorem* et *auctorem* interest?) dudum est intellectum. En iterum Leopoldii mei ingenium elucet! Vulgo enim probatur Iacobi correctio „suasor *actorque*". At vide quanto ét elegantia ét probabilitate illius praestet emendatio: „auctor actorque". Cum explicandi causa *suasor* fuisset suprascriptum, vocabulorum tam inter se similium alterum illa annotatione e textu expulsum est.

H. III, 41. Fabius Valens Vitelliani exercitus dux cum paucis cohortibus in Etruriam venit, ubi cognito Cremonensis proelii exitu consilium arripit, quod, si maturasset, funestum reipublicae esse potuisset, nempe ut:

„arreptis navibus in quamcunque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret."

Quam multa hic enumerantur, vel potius balbo ore effunduntur. De quibusnam hic *exercitibus* cogitandum est? Ipse contextus nobis Galliarum nescio quos exercitus obtrudit. Et Germaniae *gentibus* quid hic faciamus? Fingamusne Valentem novum Cimbrorum Teutonumque bellum Romanis excitare studentem? Lege, ut omnia recte procedant et aliquam habeant veri speciem: „Gallias et exercitus Germaniae novumque bellum cieret." Hoc homini strenuo nec tamen insano in mentem venire potest: ut ad rebellandum adducat Gallos, si non omnes at aliquas nationes, et a Rheno copias in Italiam alliciat: sic novum atroxque bellum existet.

H. III, 46. Daci, ardente in Italia bello, abducto e Moesia exercitu:

„expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur, iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae

gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi irrupissent."

Hic ego cum Vürtheimio meo facere paratus sum, pro *gnarus* coniicienti *ignarus*: apud Cremonam vicisse suos ignorabat etiam Mucianus, quo magis illud a Dacis imminens periculum, utpote in re ancipiti, metuebat. Non quin et nuntius de felici illius pugnae exitu Mucianum eo adducere potuerit ut Dacis obviam iret: sciebat enim nullam nunc causam esse cur cum copiis suis in Italiam properaret, hoste ibi a praesenti exercitu Flaviano iam profligato. Sed pro „certior factus de Cremonensi victoria" Latine vix dici posse videtur: „Cremonensis victoriae gnarus."

H. III, 50. „(Flaviani) exercitus ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod motas ex urbe praetorias cohortes audierant et teneri praesidiis Apenninum rebantur; et ipsos in regione bello attrita inopia et seditiosae militum voces terrebant, clavarium (donativi nomen est) flagitantium."

Quid sibi hic ista vox *ipsos* velit dicat qui sciat. An *duces* ea significari putemus? At tota haec deliberatio ducum est, non universi, ut opinor, exercitus. Verum lege *ipsa*, omnia sana integraque erunt: tum enim *ipsa regio*, i. e. regio in qua cum maxime sedent, opponetur Italiae et Appennino, ubi graviora etiam sibi impendere pericula suspicantur.

H. III, 56. Romam revertitur Vitellius, de sua causa desperans, otioseque ibi desidet, cum tamen peritissimi centurionum fortiter agendo totam rem restitui posse clamarent, idque etiam ipsum Vitellium docere gestirent:

„Arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus ut aspera, quae utilia, nec quicquam nisi iucundum et laesurum acciperet."

Pro *aspera*, quod haud dubie corruptum (nihil enim habet quo referatur), vulgo recipitur Bipontinorum correctio *aspere*. At nunc in altero sententiae membro: „nec quicquam — acciperet" mente nobis, id quod admodum durum, supplendum est *lubenter* aliudve adverbium in hanc sententiam. Lacunosus locus est, sed

paucae tantum exciderunt literulae. Scripsit enim Tacitus: „ut *aspernaretur* quae utilia" [1]). Egregie inter se *aspernandi* et *accipiendi* verba opponuntur.

H. III, 61. Postquam narravit de praesidio quodam Vitelliano, quod turpiter se hostibus dedidit, de Vitellianorum militum moribus in universum sic disputat Tacitus:

„Nec apud Vitellianos flagitii poena, et praemiis defectorum verba fides."

Pro absurdo *verba* Freinshemius olim *versa* legit, atque in ea coniectura nunc plerumque acquiescitur. At ego, ut iam concedam *versa fides* recte dici sive pro eo quod est *subversa fides* sive ad significandum animos militum Vitellianorum se convertisse ad Vespasianum, quid nunc istud „apud Vitellianos" sibi velit rogo. Nulla enim hic fit oppositio, sed et *impunitas* illa et *subversa* illa vel *conversa fides* in *Vitellianis* castris suam sibi sedem habent. Pulcherrimam vero sententiam, cuius membra egregie inter se opponantur, obtinemus pro *verba* legendo non *versa* sed correctione non minus leni, fortasse leniori: *certa*: quamdiu apud Vitellium manebat miles, impune quodvis flagitium committere poterat (et *flagitium* in re militari quid esset diximus capite IX in initio); simulatque transibat ad Vespasianum certum ei paratum erat praemium. Vitellianus ergo miles male se gerendo, ut nos loquimur, „amittere poterat nihil lucrari multa." „Ac reliquum perfidiae certamen" Tacitus addit, i. e. certabant ergo inter se quis non servando sacramento suo maximum esset facturus lucrum.

H. III, 63. Transituri ergo in partes Vitelliani milites sub signis vexillisque in campos Narniae subiectos descendunt, ubi densis ordinibus stant Flaviani:

„Accepti in medium Vitelliani et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur. Pars Narniae, pars Interamnae sub-

---

1) Idem post me, neque tamen a me admonitus, invenit et in thesibus adiunctis dissertationi *de ludis Eleusiniis* publici iuris fecit v. d. A. Rutgers van der Loeff. Eadem res usu venit coniecturis propositis ad H. III, 63 (e victricibus legionibus cohortes) et ad H. II 74 (progressum prout velint et plus minusve).

sistere iussi; relictae simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae."

Haud dubie *legiones* corruptum est; non enim magnus erat ille custodum numerus, siquidem disertis docemur verbis *sufficere* eos, nihil amplius, ad dediticios, si opus erat, continendos. Et ipsorum Vitellianorum, qui in partes transierant, c. 67 legimus fuisse *unam* legionem et aliquot cohortes. Hos *pluribus* legionibus custodire velle absurdum est. Legendum censeo: „relictae simul e victricibus *legionibus cohortes*": literulae a nobis suppletae facile excidere potuerunt.

H. III. 66. „Vitellius ipse" sic fere Tacitus loquitur „sine ullo certamine Vespasiano cessit: o utinam eadem fuisset omnium Vitellianorum mens, quanta hominum strages evitata fuisset! At non ea fuit populi Romani felicitas." Sequuntur haec ipsius verba:

„Ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur: ne victos quidem laturos; ita periculum ex misericordia."

Misericordia hic qualis sit intelligenda apparet e c. 58: „plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur." Cogitandum ergo est de *Vitellianis*, quos imperii Vitelliani deiecti misereat, quique ergo iacere illud non sint passuri sed erigere conaturi („ne victos quidem laturos"). Nostro autem loco inde a voce *ita* exspectamus *conclusionem* quandam eorum quae praecedunt: ea autem bipartito sunt divisa: agitur enim et de Vespasiano victore et de victis. At sequitur aliquid quod, ut vidimus, ad solos *Vitellianos* pertineat: periculum ex misericordia: principatus collapsi misericordia Vitellianos eo adducet ut denuo Vitellium ad principem locum reducere conentur, atque sic ille iterum vitae adibit periculum. Excidisse ergo, nam in isto „ita periculum ex misericordia" desideratur aliquid quod ad *Flavianos* pertineat, quaedam censeo, et lacunam sic suppleo: „ita periculum ét e metu ét e misericordia": Vespasianus metu ductus Vitellium occidendum curabit, Vitelliani misericordia moti eundem in vitae adducent discrimen.

H. III, 72. De Capitolii incendio haec Tacitus exclamat:

„Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque reipublicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum excindi."

Rectene *principes* opponuntur Porsennae Gallisque, externis hostibus? Non opinor; sed ut dicat aliquid Tacitus quod bene cohaereat, pro *principum* legendum est *civium*. Totum istud *principum* arrogantis magistelli est annotatio, qui ipsum Tacitum corrigere vellet. Ipsorum autem principum in Capitolii incendio nullae partes fuerunt; unica atrocissimae rei causa erat furor populi.

H. III, 83. Pugnantibus in campo Martio Vitellianis Flavianisque aderat vulgus haud alio animo quam si gladiatorum ederetur spectaculum; protrahebantur a spectantibus qui in aliquas confugerant latebras, spoliis potiebatur populus. Hinc in eadem urbe simul cruenta caedes erat et insana laetitia. His eam rem describit verbis Tacitus:

„Saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et vulnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes."

Hic vocem q. e. *simul* Nipperdeius inclusit, et potest ea sine sententiae damno omitti: neque tamen sic multo evadit illa elegantior. Remanet enim, quae mihi quidem multo molestior, incredibilis quaedam *hominum* et *locorum* confusio. Leni transpositione sic Taciti manum restituendam arbitror:

„Saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et vulnera, alibi scorta et scortis similes; simul cruor et strues corporum, iuxta balineae popinaeque."

Nunc *simul* haud inepte principalibus inter se iungendis sententiae membris inservit.

H. III, 84. Misera Vitellii fuga egregie depingitur:

„Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem in domum uxoris sellula defertur, ut, si diem latebra vitavisset, Tarra-

cinam ad cohortes fratremque perfugeret; dein mobilitate ingenii, et quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in Palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci; temptat clausa, inhorrescit vacuis."

Leviusculum fortasse videbitur quod dicam; proponam tamen emendationem, ut ego censeo, plane necessariam. Pro *terret* legendum est *terrent*: etenim statim audientium recitantiumque aures sentire debent aliud esse *temptandi*, aliud *terrendi* verbi subiectum. Sic primum ante mentem surgit locorum imago et continuo post ipse princeps miserrimus.

H. IV, 12. Batavorum conditio minime infelix describitur. „Erant" ait Tacitus:

„nec opibus Romanis societate validiorum attriti viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria."

Pro *ministrant* Wurmius recte dedit *ministrabant*. Quae praecedunt nondum ita sunt correcta ut sincera lectio restituta videri possit. Agricola voci q. e. *societate* adiecit particulam *ve*, Vlietius *Romanis* inclusit, quorum neutrum sufficit. Quis enim iste est enuntiatorum ordo, quo Batavi prius dicantur „opibus non attriti esse" deinde „viros tantum armaque imperio ministrasse", tamquam si illa res praecesserit, haec sit secuta, et non haec illius fuerit causa? Tamen post Wurmium Vlietiumque non multum agendum restat: illorum enim receptis emendationibus verba „viros tantum armaque imperio ministrabant" pono in parenthesi, ut aiunt, ut sua ipse verba illustrans Tacitus inducatur:

„nec opibus societate validiorum attriti (viros tantum armaque imperio ministrabant) diu Germanicis bellis exerciti e. q. s."

Nam quod *opibus* est ablativus q. d. partis, *societate* ablativus causae in Tacito fortasse ferri debet potestque. An *opibus* quoque delendum? Carere certe eo vocabulo possumus.

De Batavis eodem capite et haec leguntur:

„Erant et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere."

Pro *erant* recte plerumque editur *erat*, deinde in fine loci,

ut infinitivi constaret ratio, alii *suetus*, alii *solitus*, alii *exercitus*, alii denique *doctus* adiecerunt, quorum nihil est quod non praestet illorum conatibus, qui ex *erant* fecerunt: *suerat*, *adsuerat*, *insuerat* simm. Admodum languida tamen omnia illa sunt additamenta. Equidem sic legendum censeo:

„Erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio *ut* arma equosque retinens integris turmis Rhenum *perrumperet*."

Ut = sic ut, tanto studio ut.

H. IV, 34. Civilis obsidione clausos Romanos tenens ostentandis vexillis signisque captis eos ut castra dedant adigere conatur. Frustra: unus enim e captivis clara voce eos edocet eum esse Germanorum statum ut Romanis minime sit desperandum. Addunt etiam animos ignes villarum, appropinquantis subsidii signum. Alacres ergo proelium milites Romani poscunt:

„Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique proelium sumpsere. Nam Civilis aderat, non minus vitiis quam virtute suorum fretus."

Nam; cuius ergo rei hic ratio redditur? Nullius ut opinor: pergit tantummodo narratio. Ergo pro *nam* legendum est *iam* vel, quod praestat etiam, *iamque*.

H. IV, 48. Postquam exposuit qui factum sit ut in provincia Africa praeter proconsulem adesset legatus cum legione, seque ignorare declaravit quomodo res novae, de quibus cum maxime narrat, in ea provincia ortae sint: sollicitaveritne Pisonem proconsulem Festus legatus an legatum proconsul, sic pergit Tacitus:

„Nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suscepto tutius bellum."

Haud dubie corruptum *suscepto*, sed quod coniecit Victorius probantque plerique editores *suspecto*, eo vitium non persanatur. Nihil enim nunc comparativus *tutius* quo referatur habet. Legendum censeo: „pace suspecta tutius bellum" i. e. apertum bellum praestat paci, in qua semper tacitis sis suspicionibus obnoxius. Tali revera pace Africam provinciam usam esse ex

iis, quae citavimus, apparet, eleganterque illa *suspecta pax* appellatur.

H. IV, 80. Orta inter Mucianum Primumque Antonium discordia, ad Vespasianum hic proficiscitur. Dubius inter utrumque haeret princeps: quae sint Antonii de sua causa merita probe novit, sed eundem ut tumidum et vix ferendum notant ét Muciani epistolae ét ceterorum sermones:

„Neque ipse (Antonius) deerat adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset."

Haud dubie ante *vocare* excidit p (pro). Nam quos locos Heraeus ad simplex *vocandi* verbum defendendum affert, in iis praesidii nihil est: ibi enim non *res* aliqua sed *homo* obiectum est: H, V, 25: „si populum Romanum armis vocent", H. II, 81 „singulos nomine ciens praemiis vocans" (atque hic totum illud *praemiis vocans* delendum esse supra demonstravi); Germ. 14: „vocare hostem et vulnera mereri". Quod praeterea affertur Ann. VI, 40, in numero alterutro vitium typothetae latere videtur.

H. V, 4. De moribus Iudaeorum et alia et haec traduntur:

„Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur."

Non repugno quominus vocabula q. s. *raptarum frugum* sic interpretemur ut iis significetur quondam Iudaeos fruges sicut eas de agro rapuerant comedisse, nec facta inde farina, nec coctis illis aliove modo subactis. Verum ipsius rei mentio in praecedentibus facta esse debebat; at est de ea altum silentium, nec minus de longa illa fame. Quapropter non sine causa suspicor e c. praecedenti excidisse quaedam; atque exstat ibi locus haud dubie lacunosus. Postquam enim narratum est, qua allocutione Moyses solatus sit vulgus vastis relictum locis, haec sequuntur:

„Assensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat."

De aliis aerumnis iam locutum esse Tacitum, cum illud *sed nihil* e. q. s. poneret, mihi quidem constat.

Praeterea pro *detinetur* nostro loco *retinetur* legendum est: *retinentur* enim eae res, quibus pristinae rei servatur memoria.

H. V, 5. Iudaeorum religio quantum differat ab Aegyptiorum vel maxime hinc apparet:

„Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum."

Nullo modo haec cohaerent: confusaque et perturbata omnia. Sed adest Leopoldius meus, lenissima transpositione locum sanans:

„Iudaei mente sola unumque numen intellegunt; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum; profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant."

An forte totum illud „summum — interiturum" Christiani hominis est annotatio?

H. V, 14. Ad pugnam stant parati Civilis et Cerealis cum suis copiis:

„Neuter ducum cunctator; sed arcebat latitudo camporum suopte ingenio umentium: addiderat (Civilis) obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur."

Perspicua haec et optime decurrentia. Sed quam languide, quam pueriliter nunc sic pergitur:

„ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa."

Non fero istud „ea loci forma". Quodsi pro *ea* legeretur e. c. *ergo* et virgula post *forma* deleretur, bene locus cohaereret. Sequuntur enim post *adversa* etiam haec:

„Quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit."

H. V, 15. Et aliis argumentis Cerealis milites ut bono sint animo admonet et hoc:

„Pauciores nuper cum pluribus certasse et tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit: superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant."

Lacera haec; vocabulis *fusos Germanos* in universum victoria Romanorum, clades hostium significatur; praeterea de *altera* tantum horum *parte* aliquid additur, ignavos fuga salutem quaesiise, sed etiam de altera parte, de fortioribus inter Germanos, edocendi sumus. Habebimus hoc, si post *Germanos* plenam distinctionem posuerimus, et post *fuerit* inseruerimus *cecidisse* aliumve infinitivum in eandem sententiam: „et tamen fusos Germanos: quod roboris fuerit, *cecidisse*, superesse qui e. q. s." En brevissimo spatio tria vocabula omissa: nam paenultima proximi capitis linea iure Nipperdeius *properabat* addidit, itemque tribus ante nostrum locum lineis *memorabat*.

Ubi dicendi finem fecit Cerealis:

„alacrior omnium clamor."

Nullus hic comparativo locus. Rectissime Nipperdeius *alacris* restituit: suprascriptae literae *er* has turbas dederunt.

(*Finis.*)

Vita Persii, p. 241 Jahn: *satira genus est clarni vel lancis multis ac variis frugum generibus plena.* Nettleship (Lectures and Essays p. 64) pro *clarni* fortasse legendum esse coniecit *cinni*, cl. Nonio p. 59: *cinnus est commixtio plurimorum.* Mihi in mentem venit locus apud Diomedem (Keil I p. 485), ubi nomen *satura* et aliter explicatur et his verbis: *sive satura a lance, quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos diis inferebatur et a copia ac saturitate rei satura vocabatur .... sive* a quodam genere farciminis *quod multis rebus refertum saturam dicit Varro vocitatum* e. q. s. His verbis adducor ut pro *clarni* restituendum esse credam: *carnis.*

Obiter moneo in Mnemosynes Vol. XIX p. 344 v. cl. C. M. Francken demonstrasse, nihili esse argumentum quo Nonius p. 59 et 43 M. (p. 83 et 62 ap. Wallace M. Lindsay) nititur.

P. H. D.

DE THORACE APUD HOMERUM.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur e pag.* 128.)

(*Continuantur e pag.* 128.)

§ 7.

De locis, ubi θώρηξ est intellegendus thorax aëneus.

Loci numero novem sunt, quibus θώρηξ commemoratur ita ut necesse sit censeas de thorace aëneo agi. Thorax enim a Vulcano fabricatus quis dubitet quin aëneus sit? Aëneus igitur est thorax quem Θ 194 Hector gloriatur Diomedi se ademturum, *τὸν Ἥφαιστος 'κάμε τεύχων*. Itemque aëneus is, quem Vulcanus gratum facturus Thetidi petenti ut èt alia filio praebeat arma „*καὶ θώρηκα*" Σ 460, cum ceteris conficit Σ 610 *φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς*, quem induit Achilles Τ 371. Porro aëneus est Agamemnonis thorax Λ 19, quem acceperat a Cinyra rege Cypri, *τοῦ δ' ἤ τοι δέκα οἶμοι ἔσαν μέλανος κυάνοιο, δώδεκα δὲ χρυσοῦ καὶ ἐείκοσι κασσιτέροιο*, et Asteropaei Ψ 560 sqq., *ᾧ περὶ χεῦμα φαεινοῦ κασσιτέροιο ἀμφιδεδίνηται* [1]). Tum θώρηξ Megetis Ο 529 sqq. ita celebratur ut nihil dubii restet quin intellegendus sit aëneus, et Patrocli θώρηξ, quem solvit Apollo Π 304 quo nudum heroëm hostibus obiciat, nisi aëneus fingitur, non opus erat eum solvi. Postremo thoracibus aëneis indutos certamine ludicro pugnare vidimus [2]) Aiacem et Diomedem Ψ 811 sqq., hos enim a multitudine secedere Ψ 813 ad armandos se, quod vix opus

1) Vide supra p. 112. 2) Supra p. 126.

esset si satis haberent galeam induere, fascia scutum adaptare, gladio cingi, hastam sumere. Accedit, quod ictum parat Diomedes in Telamonii guttur, non aliter quam Achilles in Hectoris, ut quod solum telis expositum esset; ipse scuto perfosso thorace a vulnere defenditur.

§ 8.

Quid sit θωρήσσειν, θωρήσσεσθαι, θωρηκτής.

Pertractatis locis quibus commemoratur θώρηξ nunc indagandum videtur, quid sibi velit θωρήσσειν, θωρήσσεσθαι, θωρηκτής. Notissimum et in Iliade et in Odyssea saepius θωρήσσειν et θωρήσσεσθαι non tantum universe esse *armare* et *armari*, sed nonnumquam *ita* „armare" et „armari" ut de thorace aëneo ne cogitari quidem possit, ut Κ 71, ubi arma recensentur quibus Pylius heros utebatur ὅτ' εἰς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσοιτο, neque tamen in eo numero thorax est; Λ 178, ubi idem Nestor narrat οὐδέ με Νηλεὺς εἴαε θωρήσσεσθαι, ἀπέκρυψεν δέ μοι ἵππους; χ 139, ubi Melanthius Penelopae procos ita alloquitur: ὔμιν τεύχε' ἐνείκω θωρηχθῆναι, affert autem deinde scuta, galeas, hastas, non vero thoraces. Attamen nemo dubitabit quin θωρήσσεσθαι ab origine fuerit θώρηκα ἐνδύεσθαι. Sed quoniam constat voce θώρηξ Graecos non unice thoracem aëneum significasse, sed etiam vestem linteam, patet autem vetustiorem esse hanc eius sententiam, recentiorem illam, neutiquam enim illam in hanc, sed contra hanc abisse in illam, nam èt thoraces aëneos semper in usu communi mansisse, tunicas linteas abinde sexto a. Chr. n. saeculo tantum non exolevisse, èt vocem θώρηξ origine obscura, cum non sit cur ab externis receptam credamus, perantiquam esse, thoracum aeneorum vero post Mycenaeam demum aetatem, quam dicunt, prima cerni vestigia, credibile non est θωρήσσειν, θωρήσσεσθαι ab initio pertinuisse ad hos. Reichel suspicatus est voce θώρηξ ab origine quodlibet corporis praesidium significatum esse. Quod cum vir doctus etiam apud Homerum usu venisse censeat, ostendimus supra [1]) et nullum apud Homerum locum esse ubi id sumere cogamur et tantum non omnibus locis ubi

---

1) Vide supra p. 106, p. 120, p. 124.

θώρηξ occurrat aut eam sententiam ferri non posse, aut aliam praesto esse explicationem probabiliorem. Neque tamen propterea contenderim fieri non posse ut antiquissimam nominis vim recte fere Reichel explicaverit [1]). Verisimillimum autem duco *θώρηκα* ab initio nihil aliud fuisse nisi universe *vestitum*, quo tempore scilicet omnis vestitus ex uno, quidquid fuit, constaret vestimento. Neque enim negligendum arbitror quod Fick v. d. cognatam putavit [2]) vocem Indicam „dhar" i. e. *gerere*, èt facile intelligi censeo tum, cum tunica lintea adhiberi coepta est, praecipue hanc, ut vestimentum prae ceteris insigne, praeter nomen proprium *χιτών* etiam audisse nomen vetustum generale *θώρηξ*, donec rursus in thoracem aëneum sive ab ipsis Graecis inventum, sive ab aliis gentibus acceptum concesserit [3]). Idque si ita est, dubitare non licet quin Graecis antiquissimo tempore verbum *θωρήσσειν* nullam aliam vim nisi *vestiendi* habuerit. Vestitum autem tunc assumebant propter nullam aliam causam potius, quam ad pugnam ituri, in plerisque vitae cotidianae operibus nudi [4]), atque etiamsi domi subligaculo, aut ad frigus tolerandum pelle ferina pro amictu uterentur, tamen mitra et deinde tunica lintea [5]) cingebantur ad pugnam. Nihil mirum igitur si *θωρήσσειν* dicebatur pro eo quod plenius esset *θωρήσσειν εἰς πόλεμον* [6]), *θωρήσσειν τεύχεσι* vel *σὺν τεύχεσι* [7]), sponte autem

---

1) Robert l.l. p. 28 recte negat voci *θώρηξ* inesse posse id quod ille nuncupat: „einen Collectivbegriff". At perperam, credo, vir doctus id voluisse iudicavit Reichelium, neque hic, si voluit, constanter dicere potuit, id quod dixit, verbis *δίπλοος θώρηξ* significari balteum et mitram, vide supra p. 120.

2) Wörterbuch der Indogermanischen Sprachen.

3) Neque tamen in tunicis linteis significandis prorsus exolevit; nam cur vel Aiacem B 529, vel Amphium B 830 poëta *λινοθώρηκα* appellavit, nisi eius aetate etiam thoracibus *aëneis* uterentur homines? cur alioquin *λινοθώρηκες* dicerentur Argivi in oraculo VII° fere a. Chr. n. saeculo divulgato? De Alcaei autem temporibus commemorantis *θώρακας νέω λινῶ* (Bergk fr. 15) et Iphicratis, quem Nepos tradidit (vita Iph. § 4) militibus suis linteos dedisse thoraces, ne verbo quidem opus est (vide supra p. 108).

4) Quod cernere licet in imaginibus monumentorum Mycenaeorum. Non raro milites quoque in eis proponuntur nudi, alii, ceteroquin nudi, mitra cincti, alii mitra et subligaculo.

5) Vulgo mitra simul et tunica bellatores indutos fuisse, inde patet, quod cum quadam emphasi sodales Sarpedonis Π 419 dicuntur *ἀμιτροχίτωνες*.

6) Ita A 226, E 787, Θ 376, 388, K 78, T 36.

7) Θ 376, 530, Λ 49, 725, M 77, Π 40, 155 sqq., Σ 277, 303, χ 139. Quod Robert

sic universe *armandi* oriebatur notio, non aliter quam usu venit in verbis *ζωννύναι* et *κορύσσειν*.

Sequitur ut *θωρηκτής* M 317 O 689, 739 Φ 277, 429 nihil aliud sit nisi *armatus*, neque opus est, praesertim si recte se habent ea quae exposuimus de tunicis laminis aëneis munitis, ut is qui dicitur *πύκα θωρηκτής* M 317 O 689, 739 thorace aëneo armatus fingatur.

§ 9.

Thoracem aëneum non convenire cum scuto talari. Recensentur loci ubi clipeis vel scutis minoribus non scutis talaribus armati proponuntur milites.

Praeter locos in superioribus pertractatos, quibus *θώρηξ* nominatim commemoratur, permulti sunt alii, quibus arma virique proponuntur ita, ut nulla thoracis mentio fiat. Quos antequam persequamur singulos, quo sciscitemur utrum auctores thoracis aënei rationem habuerint necne, iuvat exquirere ecquid universe e ceterorum armorum, quae a poetis describuntur, natura hac de re discere liceat. Demonstravit Reichel [1]) scuta magna oblonga, talaria, quorum propria appellatio est *ἀσπὶς ποδηνέκης*, *ἀμφιβρότη*, *τερμιόεσσα*, *σάκος ἠύτε πύργος*, depicta in monumentis artis e solo effossis, Mycenaeae quam dicunt aetatis antiquissimae [2]), quorum descriptio in Iliade frequens est nec desideratur in Odyssea [3]), inventa et adhibita

---

l.l. p. 34 animadvertit ad Π 155: „Π 155 steht ausserdem noch der ungeheuerliche Ausdruck *θωρῆξαι σὺν τεύχεσιν*, also *σύν* met dem Dativ statt des Dativ instrumentalis. Schon dies ist ein Zeichen der Ueberarbeitung, denn der Interpolator hat offenbar ältere Iliasstellen falsch aufgefasst, wo *σὺν τεύχεσιν* nicht, wie er meinte, bei *θωρηχθέντες* sondern zum verbum finitum gehörte", hac in re mihi videtur errare vir doctus, nam revera *σὺν* cum dativo de instrumento dici compluribus apud Homerum locis efficitur, ut Δ 161: *σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσι*. Non aliter E 220 *σὺν ἔντεσι πειρηθῆναι* Λ 386, N 719, Π 279.

1) H. W.[2] p. 63.

2) Eiusmodi scutorum duo genera fuisse ostendunt monumenta Mycenaea antiquissima (Reichel ll. p. 14), sed cum haec apud Homerum non distinguantur, ad nos res non pertinet.

3) Aliter Ridgeway ll. p. 313: „the Homeric shield is constantly described as circular", quem redarguunt, ne alia afferam, et ipsum nomen *ποδηνέκης* et locus notissimus Z 117: *ἀμφὶ δέ μιν σφύρα τύπτε καὶ αὐχένα δέρμα κέλαινον ἄντυξ ἣ πυμάτη θέεν ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης*. Clipeus nullus unquam inventus est cuius orbis esset radio maiore quam sesquipedali.

esse quo tempore nondum bellatores uterentur thoracibus aëneis, neque enim qui thoracatus sit eiusmodi scutum apte tractare posse, neque eo tectum thoracis aënei indigere [1]); Mycenaeam autem aetatem non tantum antiquissimam et mediam, sed extremam quoque, quantum ex monumentis quae ex hac supersunt efficere licet, in quibus proponuntur milites pro scutis talaribus armati clipeis a recentioris aetatis clipeis tantum eatenus discrepantibus, quod aut minores sunt [2]) aut leviter oblongi [3]) aut ab ima parte leviter excavati [4]), militum carere imaginibus thoracatorum. Neque apud Homerum militum èt thoracibus aëneis indutorum èt simul munitorum scutis talaribus ullum certum vestigium est. Aëneum fingi vidimus thoracem Agamemnonis Λ 19 sqq. Patrocli Π 804, Achillis a Vulcano armati Σ 610, quibus cum locis singuli cohaerent versus (Λ 58, Π 803, Σ 480) quibus Agamemnonis, Patrocli, Achillis ἀσπίδες pendere dicuntur ἐκ τελαμῶνος convenienter ad scutum antiquum, quod sustinebatur fascia, gerentis collo circumdata, non ad clipeos recentiores, qui intus instructi erant manubriis et loris ad bracchium laevum inserendum; sed antiquissimos etiam clipeos, ut supra monui [5]), ex imaginibus in vasis Mycenaeis depictis efficiendum videtur pependisse ἐκ τελαμῶνος, quamvis ne manubria quidem eis defuerint. Neque aliter se habent scuta multo illis talaribus minora saepiusque ab utroque latere penitus incisa [6]), efficta in vasis geometricis vulgo dictis, quae aequo iure hic afferre licet. Quod vero Agamemnonis ἀσπίδα Λ 32 ἀμφιβρότην, Patrocli Π 803 τερμιόεσσαν nuncupat poëta aptius de scuto talari quam de clipeo vel scuto minore si egit, nihil vetat credere illa nomina, propria eorum vi neglecta, in haec translata esse, ut Υ 281 Aeneae vel clipeum vel scutum minus ita vocari mox videbimus [7]). Porro quod Achillis ἀσπίς dicitur Σ 481 πέντε

1) Sic apud Romanos secundum Servii Tullii institutum secunda classis scutis armata thoracibus vel loricis carebat; cf. Liv. I 43 Dion. IV 16.

2) Cf. Schliemann Tiryns tab. XIV.

3) Sic in pictura murali Mycenis inventa; cf. Ἐφ. ἀρχ. 1887 πιν. 11. 1896 πιν. 1

4) Furtwängler u. Löschke Mykenische Vasen p. 424. 3.

5) Supra p. 127.

6) Furtwängler Arch. Zeit 1885 p. 19. Erich Pernice „über eine geometrische Vase".

7) Vide infra p. 159.

πτύχας habuisse idque vix aliter intellegere licet nisi ita ut ex quinque coriis confecta fuerit, lamina aënea, ut par est, obducta [1]), cum recentioris aevi clipeos totos aëneos fuisse constet, non vetamur credere antiquissimos clipeos et scuta illa minora scortea fuisse [2]), ut Deiphobi ἀσπίς N 162 dicitur ταυρείη et Aeneae refertur Υ 278 κύκλους habuisse duos, quod vix credibile si tota aënea fuit, cum tamen, quod mox ostendam [3]), neutro loco de scuto talari sermo sit. Itaque statuere licet, quod ipsa natura rei probatur, non simul èt thoracem aëneum et ingentem molem scuti talaris poëtas tribuisse proeliatoribus, neque ergo de illo cogitasse ubi hoc eos armatos proponerent, iis saltem locis quibus non tantum uterentur nominibus scuto talari propriis, quae recentiores depromere potuerunt minus intellecta e carminibus vetustioribus, sed ipsa ratione qua facerent milites agitantes, quam prorsus aliam esse demonstravit Reichel [4]) in scuto talari quam in clipeo vel scuto minore tractando, sibi ob oculos versari ostenderent imaginem eorum quae describerent.

Iam vero ut procul dubio est, nonnullis locis apud Homerum non agi de scutis talaribus, verum de clipeis aut de scutis minoribus, ita multo pauciores esse hos locos arbitror quam voluit Robert. Putat enim vir doctus èt ubi commemorentur ἀσπίδος κύκλοι Λ 33 Υ 280 vel κύκλος Μ 296, et ubi ἀσπίς vel εὔκυκλος vel πάντοσ' ἐΐση dicatur vel quo loco vocetur δινωτός N 407, utique de clipeo agi, nisi quod nonnullis locis ab interpolatoribus „εὐκύκλους" pro „ἀμφιβρότας", „εὐκύκλου" pro „ἀμφιβρότης", „πάντοσ' ἐΐσην" pro „τερμιόεσσαν" vel „ὀμφαλόεσσαν" substitutum sit [5]). At comparatio verborum εὔκνημις, ἐυμμελίης, εὐπω-

1) Nam quod auctor loci Υ 264—272 ex quinque laminis Achillis clipeum vel scutum minus commissum fingit, errore insigni huius sive poetae sive interpolatoris deberi viderunt complures viri docti; cf. vLeeuwen in Ed. Il. ad hunc locum.

2) Itaque e nominibus quoque ῥινός Δ 447, Ε 308, Θ 61, Σ 281 et βοῦς Η 228, Μ 105, 137, Π 636 per se spectatis minime efficere licet agi de scutis talaribus, quae praeterea potuerunt, non aliter quam ἀμφιβρότη et τερμιόεσσα, minus proprie usurpata esse.

3) Vide infra p. 159.

4) Il. p. 3 sqq.

5) Il. p. 5 sqq. Etiam Eustathius Ε 797 legit ἀμφιβρότης pro eo, quod est in libris mss. εὐκύκλου.

λος docet εὔκυκλον non esse, quod Robert vult „apte in circuli formam redactum", sed „apte orbe vel orbibus instructum", quorum illud (orbe instructum) quadrat in locum M 296 ἔντοσθεν δὲ [τῆς ἀσπίδος] βοείας ῥάψε θαμείας ῥάβδοισι χρυσείῃσι διηνέκεσιν περὶ κύκλον, ubi κύκλος est margo orbis formam referens [1]), hoc (orbibus instructum) rursus duobus modis intellegere licet, aut enim ita ut sit id, quod coriis vel laminis sibi superimpositis, orbis formam referentibus commissum est, quam interpretationem suadet locus Τ 280 διὰ δ' ἀμφοτέρας ἔλε κύκλους ἀσπίδος ἀμφιβρότης, aut id cuius superficies munita est orbibus, quod efficitur e loco Λ 23 ἣν [i. e. ἀσπίδα] περὶ μὲν κύκλοι δέκα χάλκεοι ἦσαν: in prima autem et altera interpretatione necesse est ut id quod εὔκυκλον dicatur in orbis formam redactum sit, non vero in tertia. Neque Robertio dandum videtur κύκλον utique esse *circulum*. Nam optimo iure Reichel, cum sermo epicus careat voce qua significetur forma oblonga, sciri non posse monuit [2]) an hac quoque vice vox κύκλος fungatur, ita si angulatum non sit id quod εὔκυκλον dicatur, ut etiam arcus tensus κυκλοτέρης dicitur Δ 124 [3]). Ne voce δινωτός quidem, quo solo loco ἀσπίς dicitur δινωτή Ν 405 sq. 'κρύφθη γὰρ ['Ιδομενεὺς] ὑπ' ἀσπίδι πάντοσ' ἐΐσῃ, τὴν ἄρ' ὅ γε ῥινοῖσι βοῶν καὶ νώροπι χαλκῷ δινωτὴν 'φορέεσκε, ne ea quidem contendet circuli formam demonstrari, qui contulerit locos Γ 391, ubi Paris narratur quiescere ἐν δινωτοῖσι λέχεσσι, et τ 56, ubi Penelopae ponunt ancillae sellam δινωτὴν ἐλέφαντι καὶ ἀργύρῳ. Tum vero verba πάντοσ' ἐΐση rectissime opinor Helbig [4]) et Reichel [5]) vv. dd. negant ad circuli formam pertinere, non aliter enim quam quotiens cena dicatur ἐΐση, id designari quod „sufficiat", itaque quod „ab omni parte sufficiat", quod sane ad scutum non mi-

1) Locum explicavit Reichel (H. W.² p. 22 sq). Quem non effecisse puto utique hic *scutum* intellegendum esse, at eis quae attulit redargui Robertium censentem fieri non posse quin *clipeum* spectaverit poëta; verba βοείας θαμείας demonstrant *scorteum* sive scutum sive *clipeum* spectari. — Aliter quam Reichel aut Robert locum interpretatur Helbig Il.² p. 380 sq., quem sequitur vLeeuwen in Ed. Il., praeterea vs. 297 ante 296 ponens. At magis placet Reichelii explicatio.

2) Il.² p. 22.

3) Inconsultius Ridgeway bis perhibet (Il. p. 313 et 319) κυκλοτέρης de clipeis dici.

4) Il.² p. 315.

5) Il.² p. 17.

nus quam ad clipeum convenit [1]). Porro ubi Pandarum arcum tendentem socii quo tutarentur, Δ 113 πρόσθεν σάκεα 'σχέθον, Robert non dubitat quin clipeos significare voluerit poëta, non enim nisi se ipsum scuto talari quemquam tegere posse. At locum hunc nihil vetat sic vertere: „ante eum stabant scutis suis tecti". Postremo quod Robert versum χ 186 ῥαφαὶ δ' ἐλέλυντο ἱμάντων argumento esse putat [2]) de Laertis clipeo ibi agi, contra vix dubium est quin coria e quibus scuta commissa erant loris confixa fuerint [3]).

Sed probabiliter sumi vidimus [4]), non scuto talari verum clipeo vel scuto minore Agamemnonem cingi Λ 32 sqq., Patroclem spoliari ab Apolline Π 803, Achillem a Vulcano instrui Σ 418, quod sumi nihil prohibere, et, nisi sumatur, necesse esse, monumentis ipsaque rei natura invitis, credatur èt scuto talari èt thorace aëneo eosdem simul milites poëtas armatos finxisse. De clipeo igitur vel scuto minore agitur etiam Σ 468, ubi ἀσπίδα filio Thetis ab Ignipotente petit, et Τ 376, ubi eam sumit Achilles cum ceteris armis a matre acceptis, et ubi cum Achille congressus Τ 259 sqq. Aeneas ἐν δεινῷ σάκε' ἤλασεν ὄβριμον ἔγχος, Φ 164 Asteropaeus δουρὶ σάκος 'βάλεν, neuter illud perfringere potuit, utpote quod dei donum esset, Τ 268, Φ 165; porro Χ 290, ubi Hector 'βάλε Πηλεΐδαο μέσον σάκος, quo utroque loco rursus Achilles fingendus est cinctus armis, quae ei Vulcanus praebuerat; tum, ubi Hector, quem Χ 322 apparet thorace aëneo indutum esse, quem Πατρόκλοιο βίην ἐνάριξε κατακτάς, Achillem expectat Χ 97 πύργῳ ἔπι προέχοντι φαεινὴν ἀσπίδ' ἐρείσας, neque sane scutum talare πύργῳ ἔπι προέχοντι sed humi posuisset; postremo ubi idem Χ 41 secum reputat sitne pugnaturus an conaturus Peliden placare deponens et cetera arma et ἀσπίδα ὀμφαλόεσσαν. Neque aliter res se habet

1) Etiam ἀσπίδα ὀμφαλόεσσαν vel ἐπομφάλιον necessario intellegi *clipeum* contendit Ridgeway, ll. p. 221 sq. 453 sqq, hunc enim, non scutum, umbone muniri. Sed recte Robert ll. p. 3 assentitur Reichelio monenti ll.[2] p. 8 p. 17 antiquissimam verborum ὀμφαλόεις et ἐπομφάλιος significationem non esse „umbone munitus" sed „umbilico praeditus", etenim ex ipsa scutorum Mycenaeorum fabrica sequi ut dubitari nequeat quin haec umbilicata fuerint.

2) ll. p. 8 in ann.

3) Cf. Reichelium ll.[2] p. 22.

4) Vide supra p. 124.

ubi Aiax et Diomedes in certamine ludicro thoracibus aëneis induti, alter Ψ 818 adversarium ferit κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην, alter vs. 820 hastam suam dirigit Aiacis ὑπὲρ σάκεος μεγάλοιο. Praeter autem hos locos, nisi Robertio assentiris de verbis κύκλος, εὔκυκλος, πάντοσ' ἐΐση, atque de locis Δ 113, X 186, tredecim restant loci in Iliade (nullus vero in Odyssea) ubi clipeum vel scutum minus — etenim haec distinguere nusquam licet — significari apparet. Nam Teucer Θ 271 post singulas missas sagittas αὖτις ἰὼν πάις ὣς ὑπὸ μητέρα δύσκεν εἰς Αἴανθ', ὃ δέ μιν σάκε' ἐκρύπτασκε φαεινῷ, ubi propterea de scuto talari cogitandum non est quod inter Aiacem scutumque humi nitens et fascia collo eius circumdata retentum, neque erat quomodo frater staret, neque etiamsi tamen staret, quomodo Aiax ita scutum tolleret, quod nisi pertica arrepta facere non poterat, scuto enim manubria et lora ad bracchium inserendum deerant, ut frater egredi posset, quod fieri tamen legitur vs. 268. Tum Achaei dicuntur ad pugnam parati consistere Λ 593 N 488 vel progredi X 4 σάκε' ὤμοισι κλίναντες, scutum autem talare cum ad proelium paratus bellator consistebat non ad corpus annitebatur sed pertica arrepta humi nitens ita corpori curvato praetendebatur, ut capite inclinato maior quoque conderetur faciei pars, cumque milites progrederentur scutum talare aut ante pectus aut in tergum reiectum ex fascia pendebat aut rursus, pertica arrepta laeva, paululum humo tollebatur, ita ut non aliter praesidio esset atque in pugna stabili. Sed clipei scutulaque minora, cum in progrediendo in hostem, tum in ipsa pugna manubrii ope bracchio sustentata applicabantur ad laevum humerum. Porro Deïphobus N 163, Aeneas Υ 278 alter ἀσπίδα ταυρείην σχέθ' ἀπὸ ϝέο, alter ἀπὸ ϝέθεν ἀσπίδ' ἀνέσχε, — quae vs. 281 dicitur ἀσπὶς ἀμφιβρότη (de qua re vide supra p. 153), — scutum vero talare praegrave, quod pugnam inituri ante se humi ponebant milites, idque tam procul a corpore quam manu arripientibus perticam bracchium et fascia collo circumdata sinebant, non erat cur in proelio moverent, nedum tollerent [1]). Atque Π 702 de Patroclo legimus: τρὶς μὲν ἐπ'

1) Etiam Achilles Υ 261 σάκος μὲν ἀπὸ ϝέο χειρὶ παχείῃ ἔσχετο, ubi iam aliis de causis vidimus (supra p. 158) intellegendum esse clipeum vel scutum minus.

ἀγκῶνος 'βῆ τείχεος ὑψηλοῖο, quod fidenter neges eum scuto talari onustum facere potuisse. Tum Δ 282 Η 62 considunt στίχες πυκναὶ ἀσπίσι καὶ κορύθεσσι καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι, unde apparet arrectas teneri τὰς ἀσπίδας, aliter quam Γ 89, ubi dicuntur Troiani omnesque Achivi τεύχεα κάλ' ἀποθέσθαι ἐπὶ χθονὶ et 195, ubi Ulixis τεύχεα κεῖται ἐπὶ χθονὶ πολυβοτείρῃ. Porro Θ 193, ubi legimus ἀσπίδα Νεστορέην πᾶσαν χρυσείην ἔμεναι κανόνας τε καὶ αὐτήν, potius ut de clipeo quam de scuto cogitemus suadet et ipsum aurum ex quo confectum est, et quod commemoratur una cum Diomedis thorace a Vulcano confecto. Tum Κ 152 Diomedis comites εὗδον ὑπὸ κρασὶν δ' ἔχον ἀσπίδας, minus autem idoneum fuisse quo quis pro pulvino uteretur scutum quam clipeum ostendit Reichel [1]). Postremo idem demonstravit [2]) inde quod Ulixes colliget equos Κ 499, in quos ipse et Diomedes ascensuri sint, et solus eos regat vs. 513, 527, 530 [3]), sequi ut poëta significare voluerit ἱπποβάτην et ἱπποστρόφον, quales in vasis Corinthiis saeculi septimi a. Chr. n. depingantur, Diomedem autem, cum hippostrophi partes sumat Ulixes, thorace aëneo et clipeo armatum fuisse.

Neutiquam autem his locis probatur, eum qui clipeo scutulove minore armatus proponatur propterea, nisi alia accedant, fingendum esse indutum thorace aëneo. Eaque res immota manet etiamsi fortasse in sequentibus verisimile esse appareat [4]), extrema Mycenaea aetate, quae est eadem atque vasorum geometricorum, in cuius monumentis vidimus depictas esse imagines militum clipeis et scutulis minoribus armatorum, usum thoracis aenei Graecis non ignotum fuisse. Quod non propterea sumere prohibemur, quod in illis monumentis thoracis aënei vestigium nullum cernatur. Nam aliae ex illis imaginibus, quae thoracibus aëneis carent, manifesto sunt militum e numero non ducum vel principum, unde colligere non licet ne principes quidem tunc temporis thoracatos fuisse: aliae autem sunt militum clipeis suis vel scutulis ita tectorum ut distinguere non liceat, utrum thoracatos eos

1) H. W.² p. 41.
2) H. W.² p. 41.
3) Κ 530 codex A habet ἵππους, complures libri mss. 'Οδυσσεύς.
4) Infra § 15.

voluerit artifex necne. Sed fac extrema Mycenaea aetate cognitum iam fuisse usum thoracum aënorum, inde nullo modo sequitur ut non clipei et scutula minora etiam antea usitata fuerint, neque hoc eo redarguitur quod in vetustioribus monumentis Mycenaeis clipei atque scuta minora non depinguntur, id enim in paucitate monumentorum casui tribui potest; verisimile autem est prius extitisse usum scutulorum minorum et clipeorum quam thoracum aëneorum, non contrarium. Fieri ergo potest ut cantoribus, etiam qui florerent aetate Mycenaea extrema, cum non sui sed vetustioris temporis habitum, quo thoraces aënei ignoti essent, in carminibus proponere vellent, tamen licuerit constanter sibi milites illis clipeis et scutulis armatos fingere. Atque etiamsi quis hoc non admittat censeatque clipeos et scuta minora, quoniam in monumentis vetustioribus Mycenaeis non occurrant, id temporis ne cognita quidem fuisse, itaque poëtas qui florerent Mycenaea aetate extrema, si milites illis armatos fingerent, non vetustioris sed sui temporis habitum tribuisse bellatoribus quos celebrarent, ne sic tamen sequitur ut hic ἀναχρονισμὸς etiam latius patuerit et ad aliorum armorum picturam pertinuerit. Prorsus enim credibile est, poëtas quos fugeret priscos heroes nondum eiusmodi usos esse clipeis et scutulis qualibus sui uterentur aequales, tamen probe tenuisse illos non indutos fuisse thoracibus aëneis, et minime animum induxisse his eos cinctos fingere.

§ 10.

Ἐυκνήμιδες qui sint, non esse cur eidem thoracati habeantur.

Ubicunque ἐυκνήμιδες vocentur milites Robert censet fieri non posse quin spectaverit poëta ocreas aëneas, has autem unice convenire ad thoraces clipeosque aëneos [1]). Hoc non diiudico, illud nego. Concedendum est ubi milites proponantur armati thorace aëneo, clipeo, ocreis, vix dubium esse quin intellegi poëtae voluerint ocreas aëneas. Sed ocreas scorteas quoque iis notas fuisse, inde apparet, quod Laërtes ω 228 eiusmodi ocreas induit. Eiusmodi ocreas sine necessitate Robert infitias it ad usum bellicum ad-

1) Il. p. 44 sqq.

hibitas fuisse. Quae enim in hanc sententiam profert v. d. partim pertinent ad locos ubi aliis de causis apparet thoracatos fingi milites, cetera levissima sunt. Contendit enim, quod ocreae dicantur ἐπισφυρίοισ' ἀραρυῖαι, easque qui induat „περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε", argumento esse aëneas fingi: quod quam verum sit ne refert quidem rogare, cum non legatur id nisi Γ 330 sq. de Paride, Λ 17 de Agamemnone, Π 132 de Patroclo, Σ 45 sq. et Τ 369 sq. de Achille, quibus locis, id quod supra vidimus [1]), aut cogimur aut minime vetamur credere eorundem heroum commemorari thoracem aëneum. Quid? cum e stanno confectae narrentur Achillis quas a Vulcano accepit ocreae Σ 613 Φ 592, uno tantum loco totidem verbis aeris hac in re mentio fit, Η 41, ubi Achivi nuncupantur χαλκοκνήμιδες, is autem locus, cuius auctorem nihil vetat credere thoracibus quoque aëneis indutos illos proposuisse, nullam omnino vim habet ad alios aliorum auctorum locos. At, inquit Robert, ocreae scorteae nullo modo dignae sunt propter quas ἐυκνήμιδες appellentur milites. Quod nemini credo persuadebit. Itaque, ut recte se habeat, ocreas aëneas quicunque bellatores induerunt, hos thoracatos fuisse, e voce ἐυκνήμιδες hac de re nihil discimus. Contra rectissime monuisse videtur Reichel [2]), ocreas ab origine non tam fuisse αἰχμῆς καὶ πετρῶν προβλήματα quam eo consilio adhibitas ne tibias laederet margo scuti talaris, quemadmodum de Hectore legimus Ζ 117 ἀμφὶ δέ μιν σφυρὰ τύπτε καὶ αὐχένα δέρμα κελαινὸν ἄντυξ ἣ πυμάτη θέεν ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης.

§ 11.

Duo esse galearum genera; qui galeis scorteis induti vel capite nudo in aciem prodeant, thoracatos non esse.

Galearum duo praecipue genera in carminibus Homericis discerni probabiliter Robert statuit [3]); quarum quae ad alterum genus pertinent scorteae sunt, munitae labro aëneo, στεφάνῃ [4]), et fistulis aëneis,

---

1) Supra p. 127. 2) H. W.² p. 57 sq.

3) Il. p. 47 sq.

4) Voce στεφάνη, quatenus ad galeam pertineat, designari labrum aëneum quo munita esset galea scortea ostendit Reichel H. W.² p. 100 sq. Duo autem modo

φάλοις [1]) sive φαλήροις [2]) — unde eiusmodi galea nuncupatur αὐλῶπις [3]) et τετράφαλος [4]) vel τετραφάληρος [5]), alterae cassides instructae genarum nasique tegumentis, unde audiunt χαλκοπάρῃοι, utraeque ornatae cristis, sed illae etiam sine cristis, ἄλλοφοι. Hoc genus aptius tribui militibus scutis vel clipeis scorteis non vero thoracibus aëneis armatis, per se perspicuum est. Neque tamen plus quatuor loci sunt, ubi manifesto bellatores eidem èt sine thorace aëneo prodeant èt cum galea scortea. Paridem volo, cuius cum Menelao certamen supra pertractavimus; cui Γ 371 legimus galeae a Menelao arreptae — quae etiam vs. 362 munita dicitur φάλῳ — lorum anxisse guttur: loris autem non opus erat cassidi; tum Ulixem et Diomedem, qui, somno experrecti alter K 149 solum ποικίλον ἀμφ' ὤμοισι 'θέτο σάκος, alter vs. 177 solum ἑέσσατο δέρμα λέοντος, deinde in castra Troiana explorandi causa profecturi alter vs. 260 a Merione, alter vs. 257 a Thrasymede accipiunt galeas quas, ample descriptas, apparet confectas nullo adhibito aere [6]),

apud Homerum loci sunt quibus ea sententia occurrat H 12, Λ 96. Nam K 30, ut Reichelii verbis utar „ist die στεφάνη als pars pro toto für den Helm gebraucht". Addit autem v. d.: „das ist ganz verständlich wenn sie der einzige oder hauptsächliche Metallschutz daran war. Einen Metallhelm nach dem an ihm unauffälligen Reifen zu benennen hat wenig Sinn." Contra Robert ad K 30 hoc (Il. p. 50): „die στεφάνη χαλκείη, die sich Menelaos in der Doloneia aufsetzt (ist) gewiss als Bronzehelm gedacht". At si στεφάνη hic est ipsa galea, nihil vetat χαλκείην intellegere „aëre munitam"; cf. supra p. 112.

1) Cf. Reichel H. W.² p. 98.

2) Eandem esse sententiam vocum φάλος et φάλαρον ostendit Robert Il. p. 48.

3) Cf. Reichel H. W.² p. 96 sq.

4) Cf. Reichel H. W.² p. 98.

5) τετράφαλος et τετραφάληρος non differre ostendit Robert Il. p. 48. At „ἀμφίφαλος" esse *fulgens*, cf. Schultze Quaest. Ep. p. 464. Legimus E 743 Minervam induere κυνέην τετραφάληρον χρυσείην ἑκατὸν πολίων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν. Locum impeditum vLeeuwen in ann. ad hunc locum corruptum censet. Cui nolim obloqui. Sed interpolatum esse vs. 743 inde apparet quod vs. 284 sq. dea Orci galeam induit. Itaque capite nudo in proelium ierat. — Diomedes Λ 350 sqq. Hectoris caput hasta petens 'βάλεν .... ἄκρην κὰκ κόρυθα, 'πλάγχθη δ' ἀπὸ χαλκόφι χαλκός, οὐδ' ἵκετο χρόα καλόν· ἐρύκετο γὰρ τρυφάλεια τρίπτυχος αὐλῶπις. Robert Il. p. 47 censet vs. 353 interpolatum, neque dubitat, quin de casside hic sermo sit. At nihil prohibet sumere hastam icisse galeae cristam aëneam. — Ceterum animadvertendum e voce κυνέη, non aliter atque e vocibus ῥινός et βοῦς (cf. supra p. 156 in ann. 2) de materia unde galeae eo nomine designatae confectae sint, nihil apparere.

6) Supra apparuit (p. 160) poëtam videri Diomedi vs. 498 tribuere thoracem aëneum. Id tamen hac in re non magni momenti esse puto. Nam vs. 257 haud dubie nihil

postremo Dolonem speculatorem Troianum, qui K 333 sqq. *ἀμφ' ὤμοισιν ἐβάλλετο καμπύλα τόξα, ἕσσατο δ' ἔκτοσθε ῥινὸν πολιοῖο λύκοιο, κρατὶ δ' ἐπὶ κτιδέην κυνέην, ἕλε δ' ὀξὺν ἄκοντα.* Ab altera parte Agamnon Λ 41 *κρατὶ ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον ἵππουριν,* qui tamen vs. 19 thoracem aëneum a Cinyra rege Cypri acceptum induit. Et Patroclo Π 793 Apollo galeam ademit, *ἡ δὲ κυλινδομένη καναχὴν ἔχε ποσσὶν ὑφ' ἵππων αὐλῶπις τρυφάλεια,* cuius deinde vs. 804 solvit thoracem aëneum [1]). Et Achilles Χ 314 *κόρυθι ἐπένευε φαεινῇ τετραφάλῳ,* cinctus armis quae ei praebuerat Vulcanus. Credibile est, id quod posthac demonstrabo [2]), alterum et tertium locum i. e. vss. Π 793 Χ 314 restitisse e carminibus vetustioribus, quibus non thoracati proponerentur Patrocles et Achilles, sed quoquomodo hoc se habet, prudenter egerit, qui, nomina *αὐλῶπις, τετράφαλος, τετραφάληρος* sententia exoleta etiam cassidibus tribui posse opinatus, eis tantum locis revera galeis scorteis milites tectos statuerit sibi proposuisse poëtas, ubi e rebus narratis hoc concludatur. Quapropter etiam *κόρυθ' αἰόλος* si interpretaris „vibrans galeam" [3]), quod aptius de galea scortea dicitur, quae cum prematur pondere cristae moto capite vibretur, quam de casside, quippe quae rigida sit neque vibrari queat, tamen, neglecta illa proprietate adhiberi potuit de bellatore hac armato. Ipse versus *δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευε,* quamvis ob eandem illam causam potius galeam scorteam intellegas [4]), tamen non eiusmodi

---

minus spectavit auctor quam ut Diomedem thoracatum fingeret, quippe cui vs. 178 pellem leonis pro solo vestitu dedisset, neque quidquam mutasset cum Ulixe ad speculandum proficiscenti, nisi quod galerum a Thrasymede accipientem faceret. Manifesto igitur parum horum memor vs. 498 eum hippobatae vice fungentem fecit.

1) p. 145.

2) Vide infra § 14.

3) Sed aequo iure intelleges „munitus galea variegata" (quemadmodum *αἰολομίτρης* est „munitus mitra variegata") quod, non minus quam ad cassidem, pertinet ad galeam scorteam quae quidem aere munita sit.

4) Miror Robertium l.l. p. 50 ita disserere: „Allerdings die Formel *δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν* schildert mit so lebendiger Anschaulichkeit den nach vorn herabnickenden Busch des Korinthischen Helms, während der des Mykenischen entweder nach hinten zurückfällt oder kammartig absteht, dass es schwer fällt, hierbei nicht an den Bronzehelm zu denken". Cristas tam resupinas quam pronas ostendunt imagines èt cassidum èt galearum scortearum. Neque id hic agitur, sed utrum crista nutet an immota stet.

esse videtur, praesertim cum in formulam abierit [1]), ut negare liceat de casside adhiberi potuisse [2]). Ceterum perpauci sunt loci, quibus pro certo statuere liceat de casside aënea agi. Nam praeter locos M 183, P 294, Υ 397, ω 522, ubi *χαλκοπάρῃος*, θ 403, λ 574, σ 378, ubi *πάγχαλκος* dicitur *ἡ κυνέη*, nulli alii huc pertinent nisi Π 411 sqq. ubi Patroclus Erylai, Π 577 ubi Hector Enipei galeam postquam percussit, caput *ἄνδιχα πᾶσ' ἐκεάσθη ἐν κόρυθι βριαρῇ*, unde apparere videtur ipsam galeam non fissam fingi [3]). Quod autem deciens occurrit *κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ* Δ 495, E 562, 681, N 305, P 3, 87, 592, Υ 111, 117, Φ 434, nihil aliud eo designari videtur nisi „armatus aere fulgenti" [4]). Nam Φ 434 Telemachus, qui nudo capite ibi est, arreptis gladio et hasta dicitur *κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ*. Neque repugnat, quod Γ 18, Λ 43, χ 125 iacula dicuntur *κεκορυθμένα χαλκῷ* i. e. praefixa aere et Π 802 iaculum *κεκορυθμένον* tantum, i. e. praeacutum vocatur. Restat ut moneam, ubi casside muniti milites describantur, inde non sequi ut thorace aëneo fingantur induti, ut σ 378, quod mox apparebit [5]), de milite agitur non thoracato. Ab altera parte non thoracatos esse consentaneum est, qui capite nudo in aciem procedant.

---

1) Propterea alia est causa versus Z 470 *δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας*, quo non dubito quin galea scortea designetur. Conferre licet N 805 *ἀμφὶ δέ οἱ κροτάφοισι φαεινὴ σείετο πήληξ* et O 608 *ἀμφὶ δὲ πήληξ σμερδαλέον κροτάφοισι τινάσσετο*.

2) Sic Λ 42 ubi de Agamemnonis galea sermo est, quem thoracatum ibi fingere poëtam vidimus supra p. 145. Versus bis redit, Γ 337, quem versum supra demonstravimus (p. 126) interpolatum esse, et Π 138. Hic Patroclus depingitur arma induens, inter quae est etiam thorax aeneus (cf. supra p. 126 in ann. 1).

3) Υ 387, qui locus ceteroquin non differt, absunt verba *ἐν κόρυθι βριαρῇ*, quapropter res ibi alia est. Ceterum Ξ 496 ubi Peneleus Ilioneo, Υ 478 ubi Achilles Deucalioni, gladio cervice caesa, *τῆλ' αὐτῇ πήληκι κάρη* '*βάλε*, Robert (l.l. p. 236) fieri non posse ait ut agatur de galea scortea. At non video cur eiusmodi galea, quam vidimus (p. 163) sub mento loris aptari, non possit capite praeciso una cum eo in terram decidere.

4) Cf. supra p. 154.

5) Vide infra § 12.

§ 12.

Recensentur loci, quibus depinguntur vel bellatores vel arma bellica, ita ut neque mentio fiat neque ratio haberi videatur thoracis aënei.

Nunc locos conferam quibus vel bellatores vel arma bellica ita depinguntur ut thoracis aënei neque mentio fiat neque rationem auctores habuisse videantur.

Et primum quidem huc referendi sunt loci, quibus „*παρ' ἀσπίδος*" (*παρ' ἀσπίδα*) vel „*στρεφθέντι*" nudari dicuntur ad vulnera: *latus* Δ 468 sq., *pectus* Π 312, 399, *tergum* Μ 428, quae nudari non diceret poëta si thorax aëneus ea tegeret [1]), et similiter res se habet ubi non „nudari" quidem sed mere „vulnerari" narrantur *pectus* Δ 480 sq., 527 sq., Ε 19, 145 sq., 392 sq., Θ 121, 302 sq., 313, Λ 108 sqq., 144, 321, Ν 186 sq., Ο 419, 523, 577, 650, Π 481, 597, *venter* Δ 525, Ε 539, 616, 856, Ζ 64, Λ 423 sq., 579, Ν 411 sq. Ξ 447 sq., 517 sq., Π 318 sq., 465, 821, Ρ 349, Υ 469, 486, Φ 180 *tergum* Ε 40, 56, Θ 258, Λ 447, Ν 546 sqq., Υ 402, 488; quae tegit thorax aëneus [2]), quem minime est credibile perfodi quemquam sine verbis intellegi voluisse [3]). At haec ratio nonnisi caute ad-

1) Ab altera parte, quod Lycaonem Φ 50 *γύμνον ἄτερ κόρυθος καὶ ἀσπίδος* poëta dicit, item quod Hector Χ 124 secum meditatus, utrum praestaret cum Achille pugnare an positis armis conari eum placare, reiecto hoc consilio ait *οὐδέ τί μ' αἰδέσεται, κτενέει δέ με γύμνον ἐόντα*, alia res est, neque enim aliquam corporis partem nudari sed inermes Lycaonem et Hectorem esse poëta voluit, quae res eadem manebat, sive thoracati essent, sive minus.

2) Cum balteus tegat *τὴν νέαιραν γαστέρα* (vide supra p. 114), sequitur ut eam tegat etiam thorax aëneus. Hoc igitur tegitur etiam *νείατος κενέων* (Ε 867 sq. Π 821) et *λαπάρη* (Ζ 63, Ξ 446 sq. 516 sq., Π 318). Alia res est ubi vulneratur *βούβων* (Δ 491) vel ubi (Ν 567) *αἰδοίων τε μέσηγυ καὶ ὀμφαλοῦ* vulnus infligitur, quas partes non tegit thorax nisi recte Aristarchus censet zoma thoraci affixum eiusque partem esse, quod negamus (vide supra p. 117, p. 121 sq.).

3) Robert cum censeat (l.l. p. 63 sq.) *λαπάρην* et *γαστέρα νέαιραν* thorace non tegi, nihil vetare putat Thrasymelum Π 465, Satnium Ξ 447, Hyperenorem Ξ 517, Atymnium Π 318, quorum in numero Thrasymelus *νέαιραν κατὰ γαστέρα*, ceteri *κατὰ λαπάρην* vulnerantur, thorace indutos credi et revera Thrasymelum ita fingendum esse quoniam *νέαιρα γαστήρ* — aliter quam *λαπάρη* — tegatur scuto talari, quod si perfossum esset, poeta non omisisset narrare. At nullo modo cogimur sumere Thrasymelum nisi thoracatus fuerit, armatum fuisse scuto talari (cf. supra p. 161). —

hibenda est. Nam bis legimus *στέρνον γυμνωθέντα παρ' ἀσπίδα* Π 312, 399, quater *'βάλε στῆθος παρὰ μαζόν* Δ 480, Θ 121, 313, Ο 577, ter *κατὰ στῆθος 'βάλε δουρί* Λ 108, Ν 186, Ο 420 (et *κατὰ στῆθος 'βάλεν ἰῷ* Θ 303), ter *ὑπὸ μαζοῖο* Δ 528, Ε 145, Λ 108, ter *στῆθος μέσον οὔτασε δουρί* Ν 438, Ο 523, Π 597, bis *παρ' ὀμφαλόν, ἐκ δ' ἄρα πᾶσαι 'χύντο χάμαι χολάδες* Δ 525, Φ 180, ter *νείατον ἐς κενεῶνα* Ε 856, Π 821, ter *οὖτα κατὰ λαπάρην* Ζ 64, Ξ 447, 517, ter *ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων, εἶθαρ δ' ὑπὸ γούνατ' ἔλυσεν* Λ 579, Ν 412, Ρ 349, ter *μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξε* Ε 40, Θ 258, Λ 447, bis *μετάφρενον οὔτασε δουρί* Ε 56, Υ 402, quae qui excogitaverunt, quamvis haud dubie non thoracatos sibi proposuerint milites, fieri tamen potest ut qui ea ab aliis excogitata in suum usum converterent, illud non curaverint. Ex quibus excipio eos locos, i. e. Δ 480 sq., 528, Ε 856, Ν 438, Ξ 517, Π 598, quibus singulis ea adduntur, ab aliis locis diversa, unde appareat velut ante oculos habuisse auctores imaginem eorum, quae depingerent. Ab altera parte

---

Tum Λ 579 Apisaonis *ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων*, Ο 523 Croesmi *στῆθος μέσον*, Π 481 Sarpedon *ἔνθ' ἄρα τε φρένες ἔρχαται ἀμφ' ἁδινὸν κῆρ* vulnus mortiferum accipiunt. Has corporis partes thorace tegi etiam Robert, ut par est, assentitur. Sed putat illos, quamquam thorax non commemoratur, tamen hoc indutos fingi (l.l. p. 62), eorum enim arma cum deinceps narrentur ab humeris demi (Apisaonis Π 581, Croesmi Ο 524, Sarpedonis Π 663), sequi inde putat ut aut thoracati fuerint aut scuto talari armati, cumque huius nihilo magis quam illius mentio fiat, etiam durius censet illud sine verbis intellegi perfossum quam hunc. At non video cur arma quibus spoliari traduntur, non credi possint fuisse clipei, vel scuta minora, ita ut thoracibus caruerint (cf. supra p. 161). Clipeus vel scutum minus aliter quam scutum talare ita tegit corpus et ventrem ut tamen inconsultiore bracchii quo sustinentur motu, haec nudari possint. Robert ita agit, quasi clipeus vel scutum minus non possint ab humeris demi, i. e. quasi non possint pendere *ἐκ τελαμῶνος* (cf. supra p. 155). — Porro Odio Ε 39, Scamandrio Ε 56, Agelao Θ 257 tergum *ὤμων μέσσηγυ* percutitur. Quisque eorum cecidit, deinde autem *ἀράβησε τεύχε' ἐπ' αὐτῷ*. Rursus hoc Robert negat (l.l. p. 64) fieri potuisse, nisi aut thorace aëneo induti fuerint, aut scutum talare converterint in tergum, quorum neutrum cum commemoretur fingendos eos esse thoracatos. At clipeum *ἐκ τελαμῶνος* pendentem a tergo habere potuerunt, ita ut tamen locus inter humeros expositus restaret telis. Etiam Hippodamantem a tergo perfossum Υ 402 Robert thoracatum fingi censet (l.l. p. 66) licet non addat poëta in eo concrepuisse arma, sed quia exemplo fuisse videatur Ε 56. — Periphetem Ο 649 scuto talari impeditum ea quoque ipsa res arguit thorace aëneo non indutum (cf. supra p. 153 sq.) et Troi cum tunicae sinus sanguine impleri dicatur Υ 469, etiam inde apparet thorace non indutum fuisse (vide supra p. 109).

unus tantum locus est [1]) ubi non modo fidenter negare non liceat thoracis aënei rationem haberi, sed statuendum etiam sit contrarium: Φ 180 Asteropaeum *παρ' ὀμφαλόν* vulnerat Achilles, quem nihilo minus thorace indutum credere oportet, propterea quod Pelides ibi armis a Vulcano acceptis cinctus totidem verbis dicitur vs. 165, Asteropaeum autem, virum principem non secus quam Achillem, cum hic thoracatus proponatur, non licet credere nudum a thorace sibi proposuisse poëtam [2]).

Deinde animadvertendum est, quoniam scutum talare cum thorace aëneo non conveniat, quibuscumque locis illo milites armati appareant, hunc iis abrogandum esse [3]). Neque repugnat quod Λ 32 Agamemnonis *ἀσπίς* nuncupatur *ἀμφιβρότη*, cui tamen tribuitur thorax aëneus vs. 19 sqq. Nam quamvis aptius scutum talare quam clipeus vel scutum minus ita appelletur, potuit tamen, vocis vi propria neglecta, ea appellatio in hunc translata esse. Cuius rei documentum esse vidimus Τ 281 [4]). Atque in eadem causa, qua Λ 32, est Π 803, ubi Patrocli *ἀσπίς* dicitur *τερμιόεσσα* [5]), quod ad scutum talare melius con-

---

1) Nam N 191 Hectorem thorace aëneo indutum fingi ostendunt quidem verba *οὔπω χρὼς εἴσατο, πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ σμερδαλέῳ 'κεκάλυφθ'*, neque tamen inde sequitur ut Amphimachum, quem vs. 186 Hector *κατὰ στῆθος 'βάλε δουρί*, thoracatum sibi huius loci auctor proposuerit. Nam verum quidem est fieri non posse ut is qui Troianorum principes thoracatos fingat aliam rationem sequatur in Graecorum principibus fingendis, in numero autem principum Amphimachum habendum esse apparet quia nepos dicitur Neptuni („*Κτεάτοι' υἱὸς 'Ακτορίωνος*"). Sed pro certo constituere non licet ab eodem auctore esse vs. 191 sq. atque ea quae praecedunt. Non quod ullo modo cogamur hoc sumere. At nihilo magis vetamur, res igitur incerta. Atque in eadem causa est locus O 523, ubi Meges vulnerat Croesmum *στῆθος μέσον*. Nam ex eis quae sequuntur post 529 sequitur ut Meges fingatur thoracatus (vide supra p. 110 sq.); quod si ita est, non licet aliter iudicare de Laomedontis nepote. Verum ecquis pro certo statuere audeat vss. 529—534 non a recentiore poëta insertos esse? Propterea quoque de vs. 577 (nam 515—591 cohaerent, nisi excipiendi sunt vss. 529—534) res incerta manet.

2) Asteropaeum Robert propterea thoracatum fingi censet (l.l. p. 63) quod vs. 175 narratur frustra conatus esse Achillis hastam humo evellere, quod scuto talari impedito ne conari quidem licuit. At clipeo armatus esse potuit ita ut tamen non thoracatus esset (cf. supra p. 155). — Ceterum, quod Ψ 560 Asteropaei thoracis aënei mentio fit, quem ludicri circensis praemium Antiocho dat Achilles, nullius hic momenti est, quoniam minime constat *ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ* eidem deberi auctori atque *μάχην παραποτάμιον*.

3) Supra p. 153.

4) Vide supra p. 156.

5) De voce obscura *τερμιόεσσα* cf. Reichel H. W.[2] p. 23, Robert l.l. p. 3.

venire videtur, quam ad clipeum vel scutum minus, cum tamen vs. sequenti illius thoracem aëneum Apollo solvere narretur [1]). Nisi praestat sumere hunc versum deberi poëtae recentiori [2]). Quoquo modo autem hoc se habet, etiam Λ 485, P 128 ubi Aiax dicitur sustinere σάκος ἠύτε πύργον, Λ 245 ubi idem tergum vertit ὄπιθεν de σάκος 'βάλεν ἑπταβόειον, res non certissima est. Nam etiam clipei antiquissimi et scuta minora, cum ex fasciis penderent [3]), in tergum conici poterant, appellationes autem illas σάκος ἠύτε πύργος, σάκος ἑπταβόειον, quamvis clipeis minus proprias, tamen locis nostris, cum nihil addatur, unde appareat quid sibi proposuerint auctores, nihilo magis vetamur quam cogimur credere aliunde desumtas esse, propria earum vi neglecta [4]). Porro B 388 sq., M 402 utrum ἀσπὶς ἀμφιβρότη intellegenda sit clipeus vel scutum minus, an scutum talare non apparet quamquam hoc apparet thoracum aëneorum rationem non haberi. Nam altero loco Agamemnon, milites cohortatus ut arma ad pugnam expedirent, diversis enumeratis, neque tamen thoracis facta mentione, ita pergit vs. 388 sq.: ϝιδρώσει μέν τευ τελάμων ἀμφὶ στήθεσφι ἀσπίδος ἀμφιβρότης, quod prohibet thorax aëneus, si quis eo inductus est. Altero autem loco Teucer sagitta icit Sarpedonis τελαμῶνα περὶ στήθεσφι φαεινὸν ἀσπίδος ἀμφιβρότης, ἀλλὰ Ζεὺς κῆρας ἄμυνε παιδὸς ϝεοῦ, qui si thorace indutus fuisset, non fascia diceretur praesidio fuisse. Sed duobus tantum locis ἡ ἀσπίς sive τὸ σάκος eis nominibus nuncupatur, quae cum natura scuti talaris, non vero clipei vel scuti minoris congruant, ita ut simul e rebus ipsis narratis appareat illud spectari. Etenim in certamine singulari cum Hectore H 17—40, 43—131, 161—196, 200—205, 219—312, haec enim cohaerent [5]), èt σάκος ἠύτε

1) Cf. supra p. 155.

2) Cf. infra § 14.

3) Cf. supra p. 127, p. 155.

4) Etiam clipeos antiquissimos vel scuta minora e compluribus coriis sibi superimpositis constructos esse documento est clipeus Achillis a Vulcano confectus Σ 478, cf. supra p. 156. Aiacis sodales qui eum expectant vs. Λ 593 clipeis armatos fingi vidimus p. 159.

5) Nolim perhibere fieri non posse ut etiam vss. qui intercedunt inter eos quos edidi, eidem debeantur auctori, sed puto fieri posse ut inserti sint. Itemque sciri nequit an ea quae praecedunt et quae sequuntur ab alio auctore oriunda sint. De

πύργος, σάκος ἑπταβόειον Aiaci praesidio est èt scutum talare intellegi inde patet quod hostem petit Telamonius vs. 224 τὸ πρόσθε στέρνοιο φέρων, clipeus autem vel scutum minus in proelio non „ante pectus" fertur, sed sustentatur bracchio laevo; accedit quod in eodem certamine etiam Hector scuto talari armatus est testibus vss. 238, 272 (de quibus vide infra in hac pagina). Atque O 646 Periphetes cadit impeditus τῇ ἀσπίδι, τὴν αὐτὸς 'φορέεσκε ποδηνέκε' ἕρκος ἀκόντων, in cuius ἄντυγ' ἐπᾶλτο, quod accidere non poterat clipeo vel scuto minore armato [1]). Praeterea autem de scuto talari agi per se perspicuum est Z 116 sq., ubi Hector armatus incedit ἀμφὶ δέ μιν σφύρ' ἔτυπτε καὶ αὐχένα δέρμα κέλαινον ἄντυξ ἣ πυμάτη 'θέεν ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης [2]); H 238 ubi idem in certamine cum Aiace gloriatur ϝοῖδ' ἐπὶ δεξιά, ϝοῖδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βοῦν, et 272 ubi humi deiectus dicitur ἀσπίδ' ἐνιχριμφθείς, quod utrumque luculenter ostendit Reichel [3]) aptissime convenire ad scutum talare, non vero ad clipeum vel scutum minus; M 389 ubi Glauci bracchium nudatum videt Teucer; ei autem qui manubriis sustentat clipeum vel scutum minus, bracchium laevum numquam nudum est, dextrum semper [4]); N 405 sq. ubi Idomeneum frustra conatur vulnerare Deïphobus, 'κρύφθη γὰρ ὑπ' ἀσπίδι πάντοσ' ἐϝίσῃ, τὴν ἄρ' ὅ γε ῥινοῖσι βοῶν καὶ νώροπι χαλκῷ δινωτὴν 'φορέεσκε δύω κανόνεσσ' ἀραρυῖαν· τῇ ὑπὸ πᾶς ἐϝάλη [5]); Π 611 sq., P 527 sq. ubi verba πρόσσω γὰρ κατέκυψε nihil dubii relinquunt, quin agatur de scuto talari, nam ut

---

versu 41 sq. vide supra p. 162. Achivos universe non posse thoracatos proponi ab eo qui Aiacem a thorace aëneo nudum proponat, perspicuum est. Sed ne hoc quidem certum est, eum qui χαλκοκνήμιδας vocet thoracatos eos fingere. Ceterum revera insertos puto vss. 206—218, non tantum quod haud dubie Aiax vs. 207 thoracem aëneum induere significatur verbis πάντα περὶ χροῒ τεύχε' ἐϝέσσατο, sed praeterea quod in contextum narrationis non quadrat Aiacem se armare, quippe qui armatus in aciem processisset. Nam quod de Menelao dicitur vs. 122 θεράποντες ἀπ' ὤμων τεύχε' ἕλοντο nihil obstat quominus τεύχεα intellegamus scutum cum fascia, ut vs. 193 ἀλλ' ἄγετ' ὄφρα κ' ἐγὼ πολεμήια τεύχεα δύω.

1) De hoc loco vide etiam supra p. 166 ibique in ann. 3 s. f.

2) Cf. supra p. 154 in ann. 3.

3) H. W.² p. 15, p. 28.

4) Cf. Robert l.l. p. 150.

5) Robert l.l. p. 9, p. 20 sq. spurium censet vs. 406, infitiatus scilicet scutum alare δινωτόν appellari posse; qua de re vide supra p. 157.

tueatur se a telo capiti imminenti is, qui clipeo vel scuto minore utitur, non caput inflectit, sed illud tollit quo telum excipiat (cf. N 163, Υ 261, 278 vide supra p. 143). Et quamquam non est certum, cum alter horum locorum manifesto alteri exemplo fuerit, utrius auctor verba illa excogitaverit, utrius imitatus sit, satis constat neutrum cogitasse de thoracatis. Nam loci Π 611 auctorem quid vellet probe scivisse eo patet quod duobus versibus ante Hectorem, quem vs. 611 caput inflectentem facit, ὑπασπίδια προβιβάντα fingit, quod rursus in eum quadrat qui scuto talari, non in eum, qui clipeo vel scuto minore armatus est; locus autem Ρ 527 manifesto eidem auctori debetur atque Ρ 519, quo loco thoracis aënei rationem non haberi infra (§ 12) ostendam. Porro eiusdem generis sunt Ρ 354 ubi Patrocli sodales Asteropaeus vulnerare nequit, σακέεσσι γὰρ εἴρχατο πάντῃ; tum Ε 452, Μ 425 ubi legimus Τρῶες καὶ δῖοι Ἀχαιοὶ δῄοον ἀλλήλων ἀμφὶ στήθεσφι βοείας [1]), quod ad clipeos vel scuta minora quae bracchio laevo sustentantur non convenit, sed ad scutum talare, quod totum virum adversum tegit; at horum locorum rursus alter manifesto alteri exemplo fuit, animadvertendum autem vs. Μ 425 cohaerere cum vs. 428, ubi milites fingi non thoracatos vidimus (supra p. 166), cuiusmodi nihil cernitur in vicinia loci Ε 452 (nam Ε 452—460, 462—507 minime incredibile est recentiores esse quam ea quae praecedunt vel sequuntur, cf. infra § 14), quo loco igitur num auctor rem penitus perspexerit non certum est (cf. supra p. 167); Λ 526 ubi Hectori auriga indicat Aiacem, additque εὖ δέ μιν ἔγνων, εὐρὺ γὰρ ἀμφ᾽ ὤμοισιν ἔχει σάκος, quod rursus unice ad scutum talare convenit [2]); Π 360 ubi Hector proelium intueri dicitur ἀσπίδι ταυρείῃ κεκαλυμμένος εὐρέας ὤμους, itaque rursus eadem ratio valet; itemque Ρ 492 ubi progredi Hector et Aeneas, ξ 479 ubi in insidiis dormivisse milites narrantur σάκεσιν τετλυμένοι ὤμους. Atque Odysseae loci vis

1) Quae versu sequenti commemorantur λαισήια, Reichel (H. W.² p. 52) opinatur esse pelles a coriario non subactos eoque πτερόεντα i. e. fluxa. „Das Fell" inquit vir doctus „ist um den Hals befestigt und hängt ausser Gebrauch lose über den Rücken herab; um es als Schutzwaffe zu verwenden, wird es nach vorne gezogen und hängt dann vor der Brust."

2) l.l. p. 80.

confirmatur eo quod in eadem Ulixis narratione ipsum non thoracatum proponi mox videbimus (infra § 12), locus autem P 492 manifesto cohaeret cum locis P 519, 527 quorum auctorem supra monui (p. 171) thoracis aënei rationem non habere; porro N 420 ubi Antilochus mortuum defendens Hyperenorem *τοι σάκος ἀμφεκάλυψε*; P 132 ubi Aiax in simili causa *ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας* constitit, quod rursus nisi scuto talari apte fieri non posse monuit Robert; neque minus in aperto est res M 105 ubi legimus *ἀλλήλους ἄραρον τυκτῇσι βόεσσι*, N 130 *φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ*, Π 214 *ὣς ἄραρον κόρυθές τε καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι*, quibus locis demonstravit Reichel [1]) de testudine sermonem non esse, sed militum in acie stantium ingentia scuta talaria proximis quaeque contingi; atque N 543 ubi Apharei ab Aenea iugulati *ἐκλίνθη ἑτέρωσε κάρη, ἐπὶ δ' ἀσπὶς ἑάφθη*, quo versu significari vidit Reichel [2]), capite in pectus prolapso scuti fasciam trans caput de humero excuti, eoque scutum ruere; clipeus vero scutumve minus manubriorum ope sustentatum, etiamsi fascia instructum sit, si haec de humero delabatur, non propterea casurum est. Ut etiam Ξ 419, ubi, Hectoris pectore lapide percusso, quem ibi a thorace aëneo nudum fingi propterea sumere oportet quod de adversario, Aiace Telamonio, vs. 404 idem statuendum mox videbimus (infra § 12), recurrunt eadem verba *ἐπὶ δ' ἀσπὶς ἑάφθη*, poëta voluisse videtur saucii caput in pectus prolabi, ceteraque quemadmodum N 543 sq. Porro Ξ 380 ubi Tydides, Agamemnon, Ulixes militum arma in acie permutant ita ut optima optimis, deterioribus deteriora obveniant, ne res prorsus absurda sit, de scutis non de thoracibus egisse poëta intellegendus est; quocum congruit quod in proxime superioribus vs. 370 sqq. Neptunus ad arma vocans, cetera enumerat arma silet de thoracibus [3]). Tum Z 319, Θ 494 Hectori armato hasta praelonga undecim cubitorum, quae manifesto nisi duabus manibus tractari nequit, clipeum nulli usui

---

1) H. W.² p. 24.

2) l.l. p. 35 sq.

3) Mitto quod vs. 376 sq. totidem verbis deus monuerat *ὃς δέ κ' ἀνὴρ μενέχαρμος, ἔχῃ δ' ὀλίγον σάκος ὤμῳ, χείρονι φωτὶ δότω ὃ δ' ἐν ἀσπίδι μείζονι δύτω*, quos versus soloecismis laborantes omisit Zenod., damnavit Arist.

futurum fuisse patet, sed scutum, quod ante pectus e fascia pendeat (sed alter horum locorum i. e. Z 319 alteri haud dubie exemplo fuit)[1]; neque aliter iudicandum est O 677 de Aiace qui 'νώμαε ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσι κολλητὸν βλήτροισι δυωκαιϝεικοσίπηχυ, et O 388 de Achivis, qui a navibus pugnent μακροῖσι ξυστοῖσι τά ῥά σφ' ἐπὶ νηυσὶν ἔκειτο ναύμαχα κολλήεντα κατὰ στόμα ϝειμένα χαλκῷ, nisi quod utrobique res propterea minus certa est, quoniam pugnatur inusitatis armis, quae arripi potuerunt clipeis positis. Porro huc referendi sunt loci quibus heroes dicuntur ὑπασπίδια προβαίνειν sive προποδίζειν N 158, 806, Π 609. Demonstraverunt Reichel[2]) et Robert[3]) scutum talare milites fere cogere pedetentim prodire, cum praeterea ipsum τὸ „ὑπό" in „ὑπασπίδια" illuc spectare videatur potius quam ad clipeum vel scutum minus. Quapropter etiam „ὑπασπίδιοι ἑπόμεσθα" Λ 754[4]) de militibus scutis talaribus armatis dictum videtur[5]). Atque N 806 sq. haec ratio confirmatur eo quod Hector qui ibi fingitur προποδίζων et ὑπασπίδια προβιβάς,· versu superiore galea indutus describitur quae κροτάφοισι 'σείετο i. e. galea scortea (vide infra § 12), quam supra monuimus (p. 163) aptius tribui militibus non thoracatis quam thorace aëneo indutis. Tum Π 606 cohaeret cum Π 611, ubi verba πρόσσω γὰρ κατέκυψε rursus ad scutum talare spectant, et quamquam hic locus recurrit N 671, P 617, tamen eo ipso quod τὸ ὑπασπίδια προβαίνειν et τὸ πρόσσω κατακύπτειν in eodem viro coniungit noster ostendit sententiam verborum quibus utitur se non fugere (cf. supra p. 171). Sed N 158 Deïphobus dicitur κοῦφα προβιβὰς καὶ ὑπασπίδια προποδίζων, quem tamen vs. 162 sq. docere vidimus[6]) clipeo vel scuto minore armatum. Robert spurios iudicat[7]) vss. 162ᵇ—164ᵃ Δηίφοβος δὲ ἀσπίδα ταυρείην 'σχέθ' ἀπό ϝεο 'δεῖσε δὲ θυμῷ ἔγχος Μηριόναο δαΐφρονος. At quamquam minime inepta haec coniectura est, pro certo sciri nequit non aliunde recepisse auctorem nostrum verba

---

1) Cf. infra § 14.
2) H. W.² p. 15, 33. 3) l.l. p. 5.
4) In libr. mss. legitur διὰ σπιδέος vel δι' ἀσπίδεος; correxit vLeeuwen.
5) Vs. 730 legimus καὶ κατεκοιμήθημεν ἐν ἔντεσι ϝοῖσι ϝέκαστος, sed nihil prohibet haec intellegere de scutis et galeis, non opus est cogitare de thoracibus aëneis.
6) Supra p. 144. 7) l.l. p. 109.

ὑπασπίδια προποδίζων, ita ut eorum vim non accurate perpenderit. Verum Σ 192, ubi Achilles Iridi respondens inquit *ἄλλου δ' οὔ τευ ϝοῖδα τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω* [1]), *εἰ μὴ Αἴαντός γε σάκος Τελαμωνιάδαο*, patet requirere Peliden scutum quod totum virum tegat, alioquin eius non interesset utrum aliquanto maius an minus esset illud quo se tegeret; itaque requirere scutum talare. Postremo huc pertinet versus notissimus ..... *ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χάμαζε.* Rectissime enim demonstravit Robert [2]) si quis, thoracatus an minus, cum clipeo vel scuto minore e curru desiliat, non esse cur armorum mentio fiat, sed hoc notatu dignum sive festinationis, sive robusti corporis documentum, si quis non haesitet cum praegravi scuti talaris onere desilire. Sed cum octiens ille versus occurrat Γ 29, Δ 419, Ε 494, Ζ 103, Λ 211, Μ 81, Ν 749, Π 426, hic quoque, ut in superioribus saepissime in simili re, distinguendus est is qui versum excogitavit ab eis qui eum imitati sunt. Inter hos enim, si res per se spectatur, ecquis scire potest quot fuerint, qui versum aliunde notum cum memoria tenerent, adhiberent neglegentius, suis si verbis usi essent rem enuntiaturi aliter [3])?

Iam vero supra monui [4]), a thorace aëneo nudos videri non modo qui cum scuto talari, verum etiam qui in aciem processisse tradantur aut nudo capite, aut galea scortea tecti, si satis appareat hanc revera spectari, non modo appellari nominibus sibi propriis. Itaque per se spectata huc non facere animadvertimus nomina *αὐλῶπις*, *τετράφαλος*, *τετραφάληρος*, neque appellationem *κόρυθ' αἰόλος*, neque ipsum versum *δϝεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευε*, quamvis haec ad galeam scorteam non ad cassidem proprie pertineant [5]). Sed Γ 362 sqq. Paridis, Κ 149

---

1) VLeeuwen suspicatur legendum esse *ἄλλον δ' οὔ τινα ϝοῖδα ὅο κλυτὰ τεύχεα δύω.*

2) l.l. p. 213.

3) Ad versum Δ 419 Robert animadvertit Diomedem thorace aëneo indutum videri propter versum sequentem *δϝεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσι ϝάνακτος.* Cui non assentiendum puto, de qua re vide supra p. 113. — Ab altera parte, quod de scuto talari agi censet Robert Π 367 *Ἕκτορα δ' ἵπποι ἔκφερον ὠκύποδες σὺν τεύχεσιν*, hoc addens: „bei einem gepanzerten und den Rundschild tragenden Krieger versteht sich das doch von selbst", rogare licet num hoc minus verum sit de bellatore scuto talari armato.

4) Supra p. 153 sq., p. 161.

5) Cf. supra p. 164 sq. Ab altera parte ad Ν 188 ubi Hector narratur erepturus

Ulixis, K 257 Diomedis, K 335 Dolonis galea ita describitur ut luculenter appareat agi de galea scortea, cum praeterea aliis quoque rationibus probari viderimus [1]) non thoracatos ibi proponi Paridem, Ulixem, Diomedem, Dolonem. Atque M 384, ubi Aiax lapide perfringit Epiclis τετράφαλον κυνέην σὺν δ' ὄστε' ἄραξε πάντ' ἄμυδις κεφαλῆς, nihil vetat propria sua sententia sumere vocem τετράφαλος. Tum Δ 459, Z 9, Λ 96 ubi frontem, Ξ 493 ubi supercilia, Π 739 ubi frontem simul et supercilia, E 291 ubi nasum, N 216 ubi èt frontem èt nasum vulnerari discimus, nulla frontis et nasi tegumentorum mentione facta quibus instructa est cassis aënea, porro Λ 109, Υ 472 ubi caeditur auris, O 433 ubi vulnus infligitur ὑπὲρ οὔατος, N 177, Π 339 ubi ὑπ' οὔατος, N 671, Π 606, P 617, ubi ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος, Π 405 ubi γναθμὸς δεξιτερός, Δ 501 ubi tempora feriuntur, cum omnes illae capitis partes tegantur casside aënea [2]), cuius ll. ll. nullum cernitur vestigium, constat fere de ea auctores non cogitasse. Atque in eadem causa sunt H 11, ubi perfringitur ἡ στεφάνη i. e. labrum aëneum galeae scorteae [3]) (cuius etiam mentio fit Λ 95) et N 132 Π 106, 216, 338 ubi commemorantur φάλοι sive φάλαρα i. e. fistulae [4]) (quae etiam Δ 459, Z 9, obviam fiunt). Ab altera parte N 615 sqq. ubi Menelaus perfodit Pisandri μέτωπον ῥινὸς ὑπὲρ πυμάτης, Pisander autem Atridae ferit κόρυθος φάλον ἱπποδασείης ἄκρον ὑπὸ λόφον αὐτόν, ipsa haec verba ὑπὸ λόφον αὐτόν suspicionem movent huius loci

---

Amphimacho mortuo κόρυθα κροτάφοισ' ἀραρυῖαν, Robert animadvertit ll. p. 48 verba κροτάφοισ' ἀραρυῖαν non apte nisi de casside aënea dici, contrarium enim designari eius quod legitur N 805 ἀμφὶ δέ τοι κροτάφοισι φαεινὴ σείετο πήληξ; galeam enim scorteam laxam esse circum tempora, cassidem arte ea complecti. At non ita distinguendum esse puto, sed galeam scorteam cum loris capiti adaptetur (cf. Γ 370) recte dici κροτάφοισ' ἀραρυῖαν, quod autem dicatur σείεσθαι N 805, vel τινάσσεσθαι O 608, propterea dici, quod cum prematur pondere cristae aëneae, vibretur capite moto, cassis autem aënea, quae rigida sit, vibrari nequeat.

1) Supra p. 163 sq.

2) Aliter Robert l.l. p. 70: „die Augenlöcher des Ionischen Metallhelms sind weit genug um der Speerspitze zu gestatten auch die Schläfe zu erreichen", quod tamen plurimarum cassidum antiquarum imaginibus non confirmatur, tempora paene tota tegentium. Etiam magis miror quod Robert l.l. vulnera ὑπ' οὔατος et ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος et διὰ γναθμοῖο casside aënea arceri negat, quod ex imaginibus aliter se habere perspicuum est.

3) Cf. supra p. 162 sq.

4) Cf. supra p. 162 sq.

auctorem vocem φάλον, neglecta eius sententia propria, fortasse obsoleta, de cono usurpasse galeae. Unde tamen minime sequitur ut constet Menelao eum cassidem tribuisse, non galeam scorteam qualem manifesto tribuit Pisandro. Sed Δ 459, Ζ 9 prorsus eisdem verbis legimus τόν ῥ' ἔβαλε πρῶτος κόρυθος φάλον ἱπποδασείης, ἐν δὲ μετώπῳ πῆξε, 'πέρησε δ' ἄρ' ὀστέον εἴσω αἰχμὴ χαλκείη· τὸν δὲ σκότος ὄσσ' ἐκάλυψε, itemque eisdem verbis Ν 671, Π 606, Ρ 617 τὸν 'βάλ' ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος, auctores igitur locorum Δ 459 aut Ζ 9, et Ν 671 et Π 606, aut Ν 671 et Ρ 617, aut Π 606 et Ρ 617, verba aliena imitati esse possunt re non penitus perspecta. (At vide de loco Π 606 supra p. 173). Etiam cum legamus Ε 584 ξίφει' ἤλασε κόρσην, Ν 576 ξίφεϊ σχέδον ἤλασε κόρσην, alter locus alteri exemplo esse potuit. Sed Mydon, qui caedi narratur Ε 580—586, auriga est regis Pylaemenis, et propter id ipsum verisimile est thorace aëneo et casside aënea caruisse, et Ν 576 verba ἀπὸ δὲ τρυφάλειαν ἄραξε ostendunt de casside non agi, utpote quae propter genarum tegumenta non possit a capite detrudi ictu temporibus illato. Loci autem Ν 132 et Π 216 quamvis inter se non differant, tamen propter versus praecedentes, utroque loco diversos, non dubium est quin milites scutis talaribus et scorteis galeis armati utrique auctori ob animum versati sint, de quibus locis egimus supra p. 172. Tum Ν 805 legimus ἀμφὶ δέ ϝοι κροτάφοισι φαεινὴ 'σείετο πήληξ et Ο 608 ἀμφὶ δὲ πήληξ σμερδάλεον κροτάφοισι 'τινάσσετο, quod pertinet ad galeam scorteam, non ad cassidem aëneam [1]). Postremo Υ 475, ubi gladio Achilles caedit Echeclum μέσσην κὰκ κεφαλήν, sanguine autem πᾶν ὑπεθερμάνθη ξίφος, eo ipso vix dubium est quin Echecli caput aut nudum aut tectum galea scortea icisse Peliden poëta voluerit.

Porro thorace aëneo carere videntur aliquot et Graeci et Troiani milites, qui tunicati in proeliis versari finguntur. Mitto, quod iuvenibus Troianis in flumine captis Achilles legitur Φ 30 sq. vinxisse ὀπίσσω χεῖρας ἐϋ τμητοῖσιν ἱμᾶσι τοὺς αὐτοὶ 'φορέεσκον ἐπὶ στρεπτοῖσι χιτῶσι, ubi haud dubie quidem voce χιτών significatur tunica (de qua re egi supra p. 107), sed fieri tamen potest, quamvis parum videatur verisimile, ut poëta

1) Cf. supra p. 174 in ann. 5.

illos — id quod sumitur in scholio A ad hunc locum (cf. supra p. 108) — thoracibus voluerit aëneis indutos supra tunicas. Sed E 539, 615, M 188, P 519, 578 balteo perfosso vulnus mortiferum infligitur. Credibile non esse supra vidimus [1]) balteum circumdari thoraci aëneo, at etiamsi aliter res se haberet, tamen si èt thorax aëneus et balteus perfoderetur, non hic sed ille, quippe qui multo maioris momenti in ea re esset, commemorandus erat. Tunicae igitur balteus hic spectatur et tunicati non thoracati fingendi sunt Deicoon E 539, Amphius E 615, Hippomachus M 188, Aretus P 519, Podes P 578. Tantummodo cum E 539 et P 519 inter se non differant, neque E 615 et P 578, non constat auctores utrorumque locorum E 539, 615 et P 519, 578 de tunicis cogitasse, sed alterutri fortasse alteros ita imitati sunt ut minus attenderent, quid enuntiarent. Ceterum vix dubium quin loco P 578 exemplo fuerit E 615. Illic enim Menelaus a tergo vulnerat Podem *κατὰ ζωστῆρα*, quod nescio quomodo friget. Et versui P 519 utrum exemplo fuerit E 539 an contra quamvis sciri non possit, tamen ex eis quae antecedunt apparet illius loci auctorem non inconsulte Aretum balteo perfosso occumbentem fecisse. Nam vs. 517 narrat Automedontem hasta perfregisse eius *ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην*, hanc autem simul et thoracem aëneum uno hastae ictu non perfodi fugere eum non potuit [2]). Porro autem Λ 620 Nestor et Machaon e proelio redeuntes antequam Nestoris tentorium intrant *ἱδρῶ ἀπεψύχοντο χιτώνων, στάντε ποτὶ πνοιὴν παρὰ θῖν' ἁλός*, quod quamquam fieri non poterat dum thoracibus induti erant, non tamen narrantur antea exuisse arma; et Υ 470 (de

1) p. 118 sq.

2) Robert l.l. p. 85, 63 locis E 539, P 517 voce *ζωστήρ* non balteum sed mitram intellegit, propterea quod vulnus sedet *νειαίρῃ ἐν γαστρί*. Nam his verbis imam partem ventris significari putat, eamque mitra non balteo tegi. Sed èt in Menelai vulneratione Δ 134 sqq. balteus et mitra eandem corporis partem tegunt — etenim tam illum quam hanc perforat Pandari sagitta — èt cum *γαστήρ* non tantum sit venter sed simul etiam stomachus, nihil vetat putare *γαστέρα νείαιραν* eandem esse atque *νηδύν* N 290 Υ 488, i. e. ventrem non imum sed totum, neque a solita vocis *ζωστήρ* sententia discedere opus est. Ceterum utrumcunque mavis, res eodem loco manet, nam etiam Roberti iudicio mitra nihilo magis quam balteus convenit ad thoracem aëneum. Obiter moneo levi errore sibi obloqui Robertum. Nam E 615 *ζωστῆρα* intellegit balteum, ubi etiam ἡ *νείαιρα γαστήρ* vulneratur.

quo loco supra egimus p. 109 sq.) Tros Alastoris filius, quem occidit Achilles αἷμα κατ' αὐτοῦ κόλπον ἐνέπλησεν, quod conspici non poterat si thorace aëneo indutus esset. Tum B 416, ubi precatur Agamemnon, ut sibi detur Ἑκτόρεον χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι, itemque Π 841, ubi Hector Patroclo morienti exprobrat in animo ei fuisse suum αἱματόεντα χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι, et Λ 100, ubi Agamemnon interfectos a se Bianorem et Oileum relinquit στήθεσι παμφαίνοντας ἐπεὶ περίδυσε χιτῶνας [1]), conspicuum est non praeter tunicam indutos fingi thorace aëneo Hectorem, ceteros. Neque aliter res se habet E 736, Θ 396, ubi Minerva in aciem progressura χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο τεύχεσιν εἰς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα, neque tamen inter τεύχεα quae deinceps enumerantur, aegis, galea, hasta, thorax aëneus est [2]). Postremo ξ 482, ubi Ulixes narrat, quantum frigoris in nocturnis insidiis toleraverit σάκος οἶον ἔχων καὶ ζῶμα φαεινόν, et, quod addit vs. 489, οἰοχίτων. Iamvero neutiquam incredibile puto a poëtis Homericis, recentioribus saltem, thoracem aëneum dictum esse χιτῶνα; atque in permagno numero locorum, ubi Graeci vocantur χαλκοχίτωνες, nonnullis, et N 439 ubi χάλκεος χιτὼν commemoratur, de illo forsitan auctores cogitaverint [3]). Sed nostris locis aut omnibus aut tantum non omnibus, parum verisimile id videtur. Nam locus B 416 manifesto ad idem carmen perantiquum pertinet ac vs. 382 sqq., ubi vidimus (supra p. 169) inter arma ab Agamemnone recensita thoracem deesse, deque loco Π 841, si quis animadvertit mirum esse si Hector ab eodem poeta a thorace nudus proponatur, qui teste Π 804 Patroclo ab illo interfecto thoracem tribuerit [4]), reputet fieri posse (de qua re agam infra p. 190 sqq.) ut versus Π 841 restiterit ex vetustiore Patroclea, quae neutrum heroem thoracatum habuerit [5]). Iovis

1) Locum corruptum esse ostenderunt Peppmueller v. d. alii. Cf. vLeeuwen in ed. Il. Requiritur vox qua significetur spoliis exui mortuos.

2) Aegidem non esse thoracem, quod suspicatur Vürtheim v. d. in hac bibliotheca XXX p. 56, ostendit Reichel H. W.[2] p. 54.

3) At recte etiam χαλκοχίτωνα dici, qui sit vestitus tunica laminis aëneis ad pectus muniendum instructa, quales reliquiae in sepulchris iuventae prodere videntur, demonstravimus supra p. 112.

4) p. 151 sq.

5) Supra p. 155, p. 160.

autem *χιτῶνα*, quem induit Minerva E 736, Θ 390, veremur pro thorace aëneo habere, si quidem nullus ex deis, ne Bellipotens quidem, usquam apud Homerum thoracatus obvius fit. Atque Oileum Λ 96 galea scortea tectum vidimus [1]), ad quam thorax aëneus parum convenit; neque Bianoris causam ab eo separari posse, docet ipse vs. 100. Nisi forte vs. 99 sqq. alii poetae debentur atque superiora, quod veri simile quidem non videtur, neque tamen utrum ita sit necne pro certo sciri potest. At hic saltem poeta neutrum thoracatum voluit. Restat locus ξ 481 sqq. Hic plerique interpretes censuerunt *ζῶμα φαεινόν* vs. 482 ipsum *χιτῶνα* intellegendum esse, cuius mentio fit 489, idque ita, ut utroque loco significetur tunica. Quibus libenter assentirer, cum praesertim apud recentiores quoque Graecorum scriptores *ζῶμα* sit tunica [2]), nisi obstaret vox *φαεινόν* ad tunicam parum apta. Itaque potius credam, id quod inesse videtur scholio A ad Δ 187 [3]), *ζῶμα* hic esse subligaculum simul et mitram, cui illud affixum est, et vs. 482 sileri potuisse de tunica, vs. 489 de scuto et zomate, cum utroque loco hoc tantum referret enuntiare, desiderari pallium. Sed quoquomodo illud se habet, de thorace aëneo hic non cogitari potest, nisi èt *χιτών* et *ζῶμα* hic idem est, et u t r o q u e nomine designatur thorax aëneus. At praepostere *ζῶμα* pro parte thoracis haberi, nedum de toto thorace aëneo sit intellegendum, ostendimus in pertractando loco Δ 132 sqq. (cf. supra p. 114 sq.). Postremo huc trahendus est Π 419. Ibi Sarpedonis sodales dicuntur *ἀμιτροχίτωνες*, eum autem qui thoracatus est per se patet mitra non uti (cf. supra p. 118 sq.), itaque quod memoratu dignum putat poëta *ἀμιτροχίτωνας* eos dicere, apparet eum non thoracatos fingere sed tunicatos idque ita ut mitram abrogaverint, quam alii multi sub tunica retinebant.

Reliqui loci ad res bellicas pertinentes, ubi thorax aeneus neque commemoratur neque eius mentio si de eo auctores cogitassent omitti potuit, non multi sunt. Inque eis minoris

---

1) p. 175.

2) Cf. supra p. 117 in ann. 2.

3) „*καὶ ζῶμα φαεινόν*" (ξ 489) „*διὰ τὸν χαλκόν· ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῇ ὑπάρχουσα*" (cf. supra p. 116 in ann. 1).

momenti esse patet B 41 sqq., K 21 sqq., 29 sqq. [1]), 131 sqq., 149 sqq., 177 sqq., quoniam non in acie versantes vel eo progressuri, sed e somno experrecti et e lectulo surgentes, ad consultandum cum sodalibus, vestiendi se magis quam armandi causa tunicas et pelles ferinas ibi sumere narrantur Agamemnon, Menelaus, Nestor, Ulixes, Diomedes. Aliquanto maioris momenti est quod ne Diomedes quidem ubi cum Ulixe speculatum proficiscitur thoracem aëneum induit K 255 sqq. [2]) — nam Ulixem arcu armatum thoracem aëneum spernere consentaneum est — quodque K 75 sqq. ubi enumerantur Nestoris arma prope lectulum apposita *ἀσπὶς καὶ δύο δοῦρε, φαεινή τε τρυφάλεια, πὰρ δὲ ζωστήρ*, desideratur thorax aëneus. Porro huc pertinent B 382 ubi Agamemnonem, Ξ 370 sqq. ubi Neptunum milites exhortantem ad arma expedienda cetera recensere vidimus, silere de thoracibus; N 714 ubi milites Aiacis Oilei cominus non pugnare neque gravibus uti armis, cum sic significet poëta: *οὐ γὰρ ἔχον κόρυθας χαλκηρέας ἱπποδασείας, οὐδ' ἔχον ἀσπίδας εὐκύκλους καὶ μείλινα δοῦρα*, apparet eum nullo loco numerare thoraces aëneos; Ξ 404 sqq. ubi Hector Aiacem hasta ferit *τῇ ῥα δύω τελαμῶνε περὶ στήθεσσ' ἐτετάσθην, ἤ τοι ὁ μὲν σάκεος, ὁ δὲ φασγάνου ἀργυροήλου· τώ ϝοι ἐρυσάσθην τερένα χρόα*, quo loco, non aliter atque M 401 sqq. ubi Sarpedonem Teucri sagitta ictum fascia praesidio fuit (de quo loco egimus supra p. 169), operae pretium non fuit commemorare fasciam si thorax aëneus ei subesset; O 125 ubi Martem armis exuens Minerva *ἀπὸ μὲν κεφαλῆς κόρυθ' εἵλετο καὶ σάκος ὤμων, ἔγχος δ' ἔστησε στιβαρῆς ἀπὸ χειρὸς ἑλοῦσα χάλκεον*, thoracis aënei nihilo magis mentio fit, quam E 707 ubi Oresbius ab Hectore interfectus dicitur *αἰολομίτρης* et E 855 sqq. ubi Mars vulneratur a Diomede *νείατον εἰς κενεῶνα ὅθι 'ζωννύσκετο μίτρην* [3]), mitram vero et thoracem aëneum non ab eodem indui vidimus supra p. 115 sq.; O 470 sqq. ubi Teucer, armatus ante arcu solo sagittisque, fracto arcu a fratre monitus ut cominus inter graviter armatos pugnaret, morem illi gerens *ἀμφ' ὤμοισι σάκος 'θέτο τετραθέλυμνον, κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ*

---

1) De hoc loco cf. supra p. 162 in ann. 4.
2) De hoc loco vide supra p. 160, p. 163.
3) Vide etiam supra p. 166.

κυνέην εὔτυκτον ἔθηκε, εἵλετο δ' ὄβριμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ, non vero thoracem aëneum induere narratur, quocum loco conferendus est E 238 sqq. ubi Pandarus arcum, quo ante in proeliis usus haud dubie thorace aëneo carebat, hasta mutat [1]), cetero habitu immutato Aeneae currum ascensurus ut cominus Diomedem petat; quocum congruit quod vs. 291 nasum ei Diomedes prope oculum hasta perfodere narratur nulla cassidis mentione facta, unde sumere licet neque hac armatum neque thoracatum eum fingere poetam (cf. supra p. 175). Postremo in Odyssea praeter locos supra pertractatos ξ 479 [2]), 482 [3]) alii nonnulli hic notandi sunt. Nam α 255 sq. Mentes, sive Minerva, Ulixis desiderium ita enuntiat: εἰ γὰρ νῦν ἐλθὼν δόμου ἐν πρώτῃσι θύρῃσι σταίη ἔχων πήληκα καὶ ἀσπίδα καὶ δύο δοῦρε, qua in re acute animadvertit Reichel [4]), ipsum illud δύο δοῦρε ostendere plene armatum, neque tamen thoracis mentionem fieri. Cui frustra obloquitur Robert [5]) monens etiam ensem desiderari. Ensem autem gerunt etiam qui non plene armati sunt, non igitur opus erat eum hic commemorare. Eiusdem autem generis est σ 637 sqq. ubi Ulixes, quo significet quam non sit invalidus, haec profitetur: εἰ δ' αὖ καὶ πόλεμόν ποθεν ὁρμήσειε Κρονίων σήμερον, αὐτὰρ ἐμοὶ σάκος εἴη καὶ δύο δοῦρε καὶ κυνέη πάγχαλκος ἐπὶ κροταφοῖσ' ἀραρυῖα, τῷ κε ϝίδοις πρώτοισιν ἐνὶ προμάχοισι μιγέντα, ubi rursus thorax desideratur; porro π 284—298, τ 32, 33, quorum locorum altero Ulixes filio mandat ut ceteris remotis armis quibus conclave regiae domus ornatum sit, ipsi sibique reservet duos enses, duas hastas, duo scuta, nullos

---

1) Sive potius dicit se mutaturum; et mox, vs. 280 mutavisse apparet. Sed subobscurus locus est. Unde enim Pandarus cepit hastam qua petivit Diomedem? Et scutum, quod significatur vs. 294, ubi legimus: „ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ, αἰόλα, παμφανάοντα"? Sagittarii enim haec non secum ferunt. Ab altera parte Meriones, quem ceteroquin nonnisi hasta pugnantem offendimus, N 650 sqq. sagitta vulnerat Harpalionem regis Pylaemenis filium. Ex his efficias sagittariorum et gravis armaturae militum aut non distinxisse habitum huius ἐπεισοδίου auctorem, aut discrimen non curasse. Neque repugnat, quod Paris qui Γ 16 Τρωσὶν μὲν προμάχιζεν ..... παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων καὶ καμπύλα τόξα, certamen singulare cum Menelao initurus thoracem induere narratur Γ 330—338, hos enim versus apparuit interpolatos esse; cf. supra p. 125 sq.

2) Supra p. 179.

3) p. 178.

4) H. W.² p. 69.

5) l.l. p. 32.

thoraces, altero pater et filius auferunt κόρυθάς τε καὶ ἀσπίδας ὀμφαλοέσσας ἔγχεα τ' ὀξυόεντα, nihil aliud; tum χ 180 ubi Melanthius, postquam vs. 144 sqq. e cubiculo attulit duodecim scuta totidem hastas galeasque, rursus eo profectus θαλάμοιο μυχὸν κάτα τεύχε' ἐρεύνα reditque cum una galea unoque scuto. Robert [1]) ad hunc locum animadvertit propterea thoraces a poëta omitti quod induendi eos spatium non daretur, neque igitur referret ea quaerere. Sed hoc argumentum, etiamsi forsitan sufficiat ad explicandum cur Telemachus vs. 110 sqq. nonnisi scuta et galeas petat, quapropter illum locum omitto, ad Melanthium non pertinet, utpote qui cubiculum perlustrasse dicatur ad arma investiganda, ita ut dubitari nequeat quin poëta si voluisset eum offendisse quidem thoraces at nihili fecisse, significaturus fuerit.

§ 13.

Recensentur loci, quibus ita milites describuntur, ut quamvis thoracis aënei nullo mentio fiat, tamen thoracatos fingi appareat.

Perpauci sunt loci quibus ita milites describuntur ut quamvis thoracis nulla fiat mentio, tamen appareat thorace aëneo indutos fingi. Nam, id quod supra monui [2]), nego nisi alia accedant huc pertinere locos, quibus clipeis vel scutulis minoribus armati proponantur, quos locos in superioribus recensuimus [3]), vel quibus θωρήσσεσθαι dicantur [4]), vel quibus θωρηκταί [5]) vel χαλκοχίτωνες vel ἐυκνήμιδες audiant [6]). Neque χάλκεος Ἄρης Ε 704 huc facit, nam ut χρυσείη Ἀφροδίτη metaphorice sic dicitur. Atque eadem est causa Υ 102 ubi Aeneas gloriatur modo aequi sint dei non facile Achillem se superaturum: „οὐδ' εἰ παγχάλκεος εὔχεται εἶναι". Neque Paris „ἐπεὶ κατέδυ κλυτὰ τεύχεα παμφανάοντα Ζ 504, atque τεύχεσι παμφαίνων ὥς ἠλέκτωρ ἐβεβήκει Ζ 512, propterea sumendus est induisse thoracem aëneum. Quodque Hippolochi filius Ζ 235

1) l.l. p. 31.
2) p. 160.
3) p. 157 sqq.
4) Vide supra p. 152 sqq.
5) Vide supra p. 154.
6) p. 161 sq.

πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε χρύσεα χαλκείων, non licet infitiari fieri posse ut alterius scutum et galeam aere, alterius auro instructa fingi voluerit poeta, non opus esse ut credatur voluisse mutare Diomedem thoracem aëneum aureo. Atque eodem modo res se habet K 438 sqq. ubi de Rheso Thracum rege speculator Troianus: ἅρμα δέ ϝοι χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται, τεύχεα δὲ χρύσεια πελώρια, θαῦμα ϝιδέσθαι, vel ubi de Hectore legimus Λ 65 πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ 'λάμφ' ὥς τ' ἀστεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο. Etiam M 396, N 181, Ξ 420, ubi legimus ἀμφὶ δέ ϝοι 'βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ, quamvis Robert censeat [1]) ἀμφὶ .... βραχεῖν rectius dici de thorace aëneo quo indutus bellator concidat, quam de scuto quo obruatur occisus, huius enim lapsum aptius significari verbis ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ, nihil tamen obstare puto quominus ἀμφὶ .... βραχεῖν dicatur de scuto, galea, ense, quibus humi quis prolapsus velut circumdetur, ut revera de Marte, qui nusquam thoracatus proponitur, hoc invenimus Φ 408: τεύχεα δ' ἀμφαράβησε.

Sed B 578 in navium catalogo Agamemnon narratur induere („ἐδύσετο") νώροπα χαλκόν. M 463 sq. Hector fulgens dicitur χαλκῷ σμερδαλέῳ τὸν ἕϝεστο περὶ χροΐ; N 191 idem proponitur tectus („'κεκάλυπτο") πᾶς χαλκῷ σμερδαλέῳ [2]); N 245, ubi Idomeneus, X 32, ubi Achilles in pugnam procedit χαλκὸς ἔλαμπε περὶ στήθεσσι θέοντος [3]); N 497 sq. militum pugnantium περὶ στήθεσσι χαλκὸς σμερδαλέον κονάβιζε; P 376 de Achivorum militibus armorum pondere laborantibus legimus τείροντο δὲ νηλεϊ χαλκῷ; Σ 522 in clipeo a Vulcano confecto cives urbis obsessae depinguntur in insidiis sedentes ϝεϝλυμένοι αἴθοπι χαλκῷ; Ψ 129 sq. Achilles Myrmidones, quos armatos vult, χαλκὸν ζώννυσθαι iubet, quibus locis omnibus vix dubitare licet, quin auctores voce χαλκός arma aënea, corpus totum tegentia significare voluerint, quod unice militibus tho-

1) Il. p. 23.

2) Aliter res se habet Λ 65 πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ 'λάμφ' ὥς τε στεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.

3) Quod Robert censet l.l. p. 23 etiam Δ 420 δϝεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσι ϝάνακτος de thorace aëneo accipiendum esse, non necessarium videtur; cf. supra p. 112.

racatis proprium est. Eiusdem autem generis est H 207 Αἴας δὲ κορύσσετο νώροπι χαλκῷ, αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ πάντα περὶ χροῒ τεύχε' ἕεσσε[1]); I 596 βῆ ῥ' ἴμεναι (Μελέαγρος) χροῒ δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανάοντα[2]); N 241 δύσετο (Ἰδομενεὺς) τεύχεα καλὰ περὶ χροΐ; Ξ 383 αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἕσσαντο περὶ χροῒ νώροπα χαλκόν; P 210 Ἕκτορι δ' ἥρμοσε τεύχε' ἐπὶ χροΐ; X 322 τοῦ (Ἕκτορος) δὲ καὶ ἄλλο τόσον μὲν ἔχε χρόα τεύχεα καλά[3]), χάλκε', ἃ Πατρόκλοιο βίην ἐνάριξε κατακτάς, quae nemo nisi de thoracatis apte dici contenderit. Porro huc referendi sunt vss. K 499, 513, 527, 530 ubi apparet hippobatae vicem Diomedi tribuere poëtam[4]). Postremo Υ 265, Φ 165, quoniam arma Achillis dei donum appellantur, haud dubium est quin arma a Vulcano accepta i. e. arma aënea poeta significaverit, et quia altero ex his locis cum Aenea, altero cum Asteropaeo Pelides proelium conserere narratur, neque credibile est poetam qui Achivorum principem thoracatum proponat, nudos fingere thoracibus Troianorum principes, nisi quos totidem verbis tales describat, fidenter licebit constituere nostris locis Aeneam quoque et Asteropaeum thoracibus aëneis indutos sibi proposuisse auctores.

§ 14.

Distinguuntur Iliadis Odysseaeque partes, ubi thoracati proponuntur bellatores ab iis, quorum auctores rationem non habuisse videntur thoracum aëneorum.

Videamus nunc de eis locis apud Homerum, qui incertum relinquant lectorem, utrum auctores thoracis aënei rationem habuerint necne. Quorum genus triplex est. Nam aut res narratae ne ansam quidem poëtis dabant huiuscemodi quidquam significandi; ut per tota carmina A et Ω vix ullus est locus qui eam occasionem offerat; ad quorum genus etiam referimus locos, quales per totam Iliadem occurrunt, ubi vulnus infligitur in aliquam

1) Cf. supra p 169 in ann. 5.

2) Aliter O 120 αὐτὸς δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανάοντα, qui locus tamen forsitan loco nostro exemplo fuerit.

3) Locus impeditus, vLeeuwen coniecit τοῦ δ' ἔκτοσθ' ἄλλον.

4) Cf. supra p. 160.

corporis partem, quam neque thorax aëneus, neque cassis vel galea tegit [1]), ut ubi vulneratur ima pars ventris, vel clunis, vel femur, vel tibia, vel humerus, vel bracchium. Aut occasionem datam spreverunt auctores; quemadmodum saepissime, ut hoc unum afferam, milites cum occiduntur, neque narratur qua in parte corporis vulnus sedeat, neque quibus armis vulnera defendere conati sint, cuius rei exemplo sunt inter alia Ε 677 ubi Ulixes, 703 sqq., Λ 299 sqq. ubi Hector, Π 692 sqq., 785 sqq. ubi Patroclus magnum hostium numerum obtruncat, quorum partim nomina recensentur, nihil amplius, partim ne recensentur quidem nomina. Aut militum arma designaverunt quidem auctores vel indicia dederunt, unde ea colligi possint, dummodo quid voluerint percipias, sed hoc ipsum, quid voluerint non constet; ut ubi χαλκοχίτωνες dicunt neque tamen perspicuum est, utrum his verbis thoracibus aëneis, an tunicis laminis pectoralibus instructis eos indutos voluerint, vel ubi θωρήσσεσθαι eos tradant, neque tamen sciri potest utrum eos thoraces aeneos induere an universe armari voluerint, vel ubi thoracem eis tribuunt, perspicuum autem non est, utrum voce θώρηξ thoracem aëneum an amictum linteum designare voluerint; vel ubi clipeis vel scutulis minoribus, vel ubi cassidibus aëneis armatos proponunt, quae tam thoracatos quam non thoracatos credere sinunt; vel ubi eos vulnerari narrant ita ut ex ipsis, quibus describitur vulneratio, verbis sequatur ut vulnerati nudi fuerint a thoracibus aëneis, sed verba illa cum saepius eadem per diversa carmina obviam fiant, incertum relinquant utrum ipsi ea excogitaverint, an imitati sint et utrum eorum vim ponderaverint an inconsiderata receperint. Ceterum vix opus est dici, fieri non posse quin inter locos qui per se spectati dubium relinquant utrum auctores thoracis aënei rationem habuerint necne multi sint qui ita cohaereant cum locis, quibus id satis apertum sit, ut eisdem tribuendi sint auctoribus, itaque de iis non aliter quam de his sit iudicandum.

Hinc autem necessario sequi videtur ut si quis recte atque

1) Si tamen scutum talare eam tegit, nullius momenti est ea res, hoc enim inconsulto aliquo motu tolli potuit, ita ut exposita telis fieret.

ordine expositurus sit, quas partes thorax aëneus in carminibus obtineat Homericis, in quibus quantisque eorum partibus regnet, in quibus aut ignoretur aut negligatur, in quibus hac de re nihil certi statuere liceat, facere non possit quin investiget quot cantores suam operam navaverint in Iliade et Odyssea condendis et qui sit cuiusque eorum operis ambitus. Nam si constaret utrumque carmen unius poëtae deberi ingenio, unus fere utriusque carminis locus, dummodo antiquus et genuinus esset, ubi princeps quispiam Graecus vel Troianus thoracatus proponeretur, sufficeret ad probandum nullo loco poetam thoracis usum heroïbus prorsus abiudicasse, unus locus ubi nudus a thorace aëneo in proelio cum hasta atque scuto talari princeps aliquis versaretur, argueret, dum genuinus esset, omnes locos quibus idem proponeretur thoracatus interpolatos esse. Sed neque illud constat, imo miratio fit quod post tot summorum virorum demonstrationes gravissimas etiamnunc ulli inveniuntur viri docti quibus non constet contrarium, neque ullo modo quicunque loci thoracatos ostendunt heroes, interpolatos habere licet. Interpolata dicenda sunt Πατρόκλεια, Ἕκτορος ἀναίρεσις, Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ? An ab eodem auctore cum Aiace pugnans Hector non thoracatus, cum Achille thoracatus fingitur? ab eodem Diomedes vulneratus a Pandaro non thoracatus, at cum Aiace certamen ludicrum agens? Aiax in hoc certamine thoracatus, non vero ubi cum Hectore dimicat?

Illud autem, ut singulorum auctorum singulas Iliadis partes, sive qui thoracis aënei rationem haberent, sive minus, distingueret ac divideret, egit Robert in libro utilissimo cui titulus „Studien zur Ilias". A quo tamen non modo multifariam censui discedendum esse in utriusque generis signis notisque constituendis [1]), sed de toto incepto dissentiendum puto. Quod quam verum sit, aliis diudicandum relinquo, mihi dicendum est id quod sentio. Neque vero, reor, definire licet

---

1) Robert verba *θωρήσσειν*, *θωρήσσεσθαι*, *θωρηκτής* usurpata censet post inventum thoracem aëneum (de qua re vide supra p. 152 sqq.); *χαλκοχίτωνας* et *ἐυκνήμιδας* nonnisi thoracatos dici putat (vide supra p. 161 sq.); scutum talare negat dici *ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην* vel *εὔκυκλον* (vide supra p. 154 sqq.), quique clipeo vel scutulo minore vel casside aënea armatus sit, non dubitat quin thoracatus fingatur (vide supra p. 156, 182); alia eiusmodi.

Iliadis et Odysseae partes quo quaeque ambitu, quot auctoribus distribuendae sint; singula multa ita cohaerentia cernimus, ut manifesto debeantur iisdem auctoribus, ab aliis ita discrepantia ut diversis tribuenda sint, circumscribere pleraque non licet.

At tamen ita hac in re aliquid profici posse puto, si omnia persequentes, cetera mittimus, retinemus vero quaecunque ita cohaerent ut a nullo negari possint ab iisdem auctoribus oriunda esse, idque non quo contendamus fieri non posse ut ad singulos hos non multo plura pertineant, quam quae nos iis assignemus, verum ne statuamus incerta. Ordiendum videtur ab iis locis, qui thoracis aënei usum bellatoribus tributum habeant.

Huius generis locos in carmine A nullos invenimus. In carmine B obviam factus est huius generis vs. 578 (cf. supra p. 183). Praeterea alicuius momenti sunt vs. 529 ubi Aiax Oilei filius et vs. 830 ubi Amphius Percosius λινοθώρηξ dicitur. Nam ex ea appellatione sequitur, ut auctor, cum operae pretium censeret notare principes qui thoracibus linteis induti essent, in universum tribuerit principibus thoraces aëueos. Is enim qui utitur voce λινοθώρηξ non ignorat usum thoracum aëneorum, is autem qui huius usus gnarus paucos aliquos λινοθώρηκας appellat, manifesto ceteris, si non omnibus at tamen plerisque qui cum illis in eodem bello versentur, manifesto vult thoracatos esse. Iamvero et B 578 et 529, 830 in „Catalogo" leguntur, qui nemo dubitat quin aut totus ab uno, aut ita a duobus confectus sit, ut quae pars ad Graecos pertineat alteri, quae ad Troianos alteri debeatur. At illius partis sunt versus 529, 578, huius vs. 830. Statuendum igitur per totum catalogum regnare thoracem aëneum, itaque etiam B 544, ubi Abantes dicantur longis suis hastis θώρηκας ῥῆξαι δηίων ἀμφὶ στήθεσσι, de thoracibus aëneis agi aut tam de his quam de tunicis linteis.

In carminibus Γ Δ E Z nullus est locus qui per se spectatus thoracis aënei usum prodat; sed Γ 332, quem locum supra demonstravimus (p. 126) interpolatum esse, cum auctorem viderimus ob oculos habuisse Ψ 813, ubi thoracati proponuntur Aiax et Diomedes, cumque praeterea manifesto ei exemplo fuerit T 371, ubi Achilles induit arma aënea a Vulcano accepta,

quin idem spectetur non est dubium [1]). In carmine autem H unus eiusdem generis est locus 207—218, quem item demonstravimus interpolatum esse (vide supra p. 184). Porro unus in carmine Θ vs. 194 (cf. supra p. 151). Carmen autem Θ aut totum, aut paene totum (nam de postrema parte abinde vs. 489 dubitare licet) ab eodem poeta confectum esse post Naberum vulgo consentiunt vv. dd. Itaque vs. 62 χαλκεοθώρηκες utrum de thoracatis accipiatur an de militibus munitis laminis aëneis pectoralibus nullius est momenti. Neque repugnat quod vss. 121, 258, 306, 494, bellatores fingi videntur non thoracati. Nam horum locorum nullus est, quin alibi recurrat (121 = 313 = Δ 480 = O 577; 258 = E 240 = Λ 447; 306 = Λ 108 = N 186 = O 420, tantum nostro loco legitur διστῷ ceteris δουρί; 494 = Z 319; vide supra p. 166, p. 172 sq.) cumque satis constet poëtam nostrum alia expilasse carmina quo opus suum conflaret, minime dubitandum est, quin illis versibus alii ita nostro exemplo fuerint ut quid auctores voluerint non accurate perpenderit. Tum in carmine I rursus unus est locus eius generis quod nunc spectamus, vs. 596 (cf. supra p. 184). Hic autem locus pertinet ad Phoenicis in Achillis tentorio orationem, quam cum ceteris, quae in eodem carmine ad Phoenicem spectant ab uno poëta insertam esse constat. Sequitur Δολώνεια, cuius omnes consentiunt auctorem unum esse, cui cum propositum fuisse videatur heroes nudos fingere a thoracibus aëneis (cf. supra p. 180), tamen inconsultius, reor, Ulixi hippostrophi, Diomedi hippobatae vices tribuentem vss. 499, 513, 527, 530 arguunt probe novisse thoracis aënei usum (cf. supra p. 161, 184). Porro in carmine Λ rursus unus locus est, ubi haud dubie agatur de thorace aëneo, vs. 19 (cf. supra p. 151). Sed versus 1—46 uni auctori deberi patet, quem locum nec non ea quae sequuntur usque ad vs. 83 [2]), cum clades Graecorum, quae deinde narratur, ab initio

---

1) De versu parallelo Π 133 vide infra p. 193.

2) Versibus 47 sq. exemplo fuerunt M 84 sq. Nam cum Troianorum principes, ne in fossa ducta ante Graecorum castra navalia equi et currus haereant, Polydamante ductore ad pedes desiluissent, rectissime sequebatur ut quisque mandaret equos prope fossam retinendos; nostro vero loco hoc sine iusta causa fit, et repugnant Λ 192, 207, 280, ubi Agamemnon vulneratus curru e proelio vehitur; quod facere non

pertinuisset ad proelium quod statim post Agamemnonis somnium in B consereretur, postquam alia interposita sunt, non obscurum est insertum esse ne illa careret introitu. Sequitur carmen M, ubi rursus uno loco bellator thoracatus proponitur, Hectorem volo 463 sq. (vide supra p. 183). In hoc autem carmine aut duas aut plures manus distinguendas esse, ita ut recentior ab Hectore, vetustior, ab illa praecisa, a Sarpedone Graecorum murum captum habuerit, et in ipso carmine sunt quae suspicionem moveant et probatur eo quod auctor loci Π 538 hanc solam cognovit; quod ostendunt eius verba κεῖται ἀνὴρ (i. e. Sarpedon) ὃς πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν. Cohaerent manifesto 437—471, quae praecedunt non cogimur eidem auctori tribuere, vss. 428 sq. ratio non habetur thoracatorum (cf. supra p. 166) itaque hi saltem versus ad eum non pertinent. Tum in carmine N quattuor sunt loci, ubi thoracis aënei ratio habetur, vs. 191 ubi Hector, vs. 241, 245 ubi Idomeneus thoracatus prodit, vs. 497 ubi militum pugnantium circum pectora aes concrepuisse narratur (cf. supra p. 183). Versus 191 sqq. nihil vetat credere recentiores esse quam qui praecedunt. Atque 195 sq. quidem satis recentes esse videntur propter Atheniensium ducem Stichium, cuius ne in catalogo quidem mentio fit; cumque vs. 206 parum apte se habeat ad versum praecedentem, multoque melius iungatur vs. 187, totus locus 188—205 insertus videtur. Porro vs. 345 aptius applicatur ad 209 quam ad 344, et vs. 290 sq. offendunt, cum ineptum sit in medio proelio Idomeneum in tentorio suo arma induere, neque id satis explicetur eo quod sodalem vulneratum convenit (vs. 211). Itaque etiam locus 210—344 vix dubium quin insertus sit. Postremo vs. 497 separare non licet ab eis quae praecedunt abinde vs. 420, ab iisque quae sequuntur usque ad 539; quod ne primo quidem adspectu quemquam fugiet. Sed vs. 405 sqq. Idomeneus fingitur armatis scuto talari (vide supra p. 170) itemque vs. 420 Antilochus (vide supra p. 172) et vs. 543 Aphareus (vide supra p. 172), permirum autem sit qui principes nudos a thoracibus

---

potuit, si currus ad fossam restitisset. Etiam vs. 56 recurrit Υ 3, ubi melius se habet. Hic enim post „Τρῶες" aegre desideratur verbum, quod ibi facillime suppletur e vs. 1.

depingat milites in universum thoracatos fingere, cumque vs. 424—539 sine ceterorum detrimento tollere liceat, verisimillimum rursus est hunc locum insertum esse [1]). Obiter moneo versu 265 ubi commemorantur *θώρηκες λαμπρὸν γανάοντες*, 342 ubi mentio fit *θωρήκων νεοσμήκτων*, 439 sq. ubi Idomeneus narratur perfringere Alcathoi *χιτῶνα χάλκεον*, 507 ubi idem traditur Oenomai scindere *θώρηκος γύαλον*, quibus locis supra animadvertimus (p. 112 sq. p. 127 sq.) si per se eos spectes, non constare utrum auctores thoraces aëneos an linteos intellegi voluerint, nunc apparere de illis agi. Sequitur carmen Ξ, in quo unus locus est huc pertinens. Nam legimus vs. 383 sqq. milites Graecos a regibus vulneratis in aciem instructos in hostem contendere *ἐπεί ῥ' ἐϝέσαντο περὶ χροΐ νώροπα χαλκόν*, quod vix aliter nisi de thoracibus aëneis accipere licet (cf. supra p. 184). Verum cum hoc èt ipsum, quippe quod in medio proelio fiat, absurdum sit èt repugnent quae praecedunt (vide supra p. 172), suspicio in promtu est interpolatos esse vss. 383—387. Tum in carmine O rursus locus est quem hic afferre oportet vs. 529 sqq., ubi Megetis thorax describitur et laudatur ea ratione qua credere cogamur agi de thorace aëneo. Cohaerent vs. 515—565. Vs. 515 commemoratur Schedius Perimedis filius Phocaeensium dux, repugnante catalogo B vs. 517, ubi Schedius Phocaeensium dux est filius Iphiti, quem Schedium occidit Hector P 306. Vs. 501—512 Aiax Telamonius adhortatur Graecos, et idem rursus 560—564 idque versibus undique conflatis. Omnia igitur eo tendunt ut censeas insertos esse vss. 514—565. Deinde Π 804 legimus *'λῦσε δέ ϝοι* (i. e. Patroclo) *θώρηκα ϝάναξ Διὸς υἱὸς 'Απόλλων*. Perspicuum esse vidimus (cf. supra p. 151) de thorace aëneo hic agi; tunica enim non opus fuisse Apollini exuere Patroclum quo inermis fieret. Sed Σ 192 sq. Achilles dicit *ἄλλον δ' οὔ τευ ϝοῖδα τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω εἰ μὴ 'Αίαντός γε σάκος Τελαμωνιάδαο* [2]).

---

1) Tangitur hic locus O 110 sqq., hunc autem locum, qui aut pertinet ad *Διὸς ἀπάτην* aut etiam recentior est, nihil vetat credere aut eidem poetae deberi atque N 424—539 aut recentiorem etiam esse.

2) VLeeuwen in Ed. Iliad. versum 192 sq. expungit èt quod obscuri sint et quod in iis offendant novicia *τευ, τεῦ*. Sed ipse vir cl. tentavit *ἄλλον δ' οὔ τινα ϝοῖδα ὅο κλυτὰ τεύχεα δύω*; obscuri autem versus ei modo sunt, qui persuasum habeat auctorem huius loci non dubitasse quin Achilles soleret thoracatus in proelia prodire.

Supra vidimus (cf. p. 174) requirere hic Achillem *σάκος* quod totum virum tegat i. e. scutum talare, alioquin eius non interesse utrum aliquanto maius vel minus illud sit. Huius igitur loci auctor Aiacem non thoracatum finxit. At minime credibile est qui Aiacem non thoracatum finxerit, Achilli tribuisse thoracem aëneum. Neque igitur hic poëta voluit Patroclo mutuum dedisse Achillem thoracem aëneum. Ipse vs. Π 804 mire friget, quis enim fert deo, postquam tergum humerosque viri percussit — quo solo planae palmae ictu galeam a capite, scutum ab humeris deiecit, hastam fregit — opus fuisse ut thoracem solveret? Accedunt alia. Nolim urgere quod, cum inter Patrocli arma quae Ρ 210 induit Hector, appareat esse thoracem aëneum — dicit enim ibi poëta *Ἕκτορι δ' ἥρμοσε τεύχε' ἐπὶ χροΐ* (cf. supra p. 184) — ipsa spoliationis ratio, qualis in carmine Π significatur magis quam narratur, parum convenit ad Π 817, ubi legimus Patroclum ab Apolline armis exutum et ab Euphorbo vulneratum recessisse ad sodalium gregem, unde sequitur ut ab interfecti corpore arma aliquo spatio seiuncta fuerint, neque opus fuerit Hectori, id quod narratur Ρ 105—114, Menelaum corpus tuentem proturbare quo arma raperet, quod deinde fecisse significatur Ρ 125 [1]). Quod tamen propterea mitto quoniam non constat vel Hectoris permutationem armorum, vel ipsam spoliationem, quales nunc in Iliade leguntur, quibus fieri potest ut vetustior earundem rerum narratio extrusa sit, non recentiorem esse quam ipsum versum Π 804. Verum in carminibus Π et Ρ nonnulli loci obviam fiunt, ubi principes Graecorum a thoracibus nudos esse apparet. Inter quos rursus praetermitto locos Π 106 ubi Aiax non thoracatus proponitur (cf. supra p. 175), quem locum credibile est non venire in *Πατροκλείας* partem sed vetustiorem esse, et Π 215 ubi Myrmidonum aciem vidimus thoracibus aëneis carere (cf. supra p. 172), qui eis carere potuerunt etiamsi principes eis induti essent. Sed in certamine singulari cum Patroclo Sarpedonem vs. 481 apparet (vide supra p. 166) thorace non indutum esse, principes autem sive Graecorum sive Troianorum

---

1) Cf. Ρ 205 sq. *τεύχεα δ' οὐ κατὰ κόσμον ἀπὸ κρατός τε καὶ ὤμων εἵλε'*. Sed haec etiam recentioris originis forsitan sunt quam Ρ 125.

alios thoracatos alios a thoracibus aëneis nudos proponi ab eodem poëta — nisi hoc aut cum aliqua emphasi notatur (ut B 529 Aiax Oïlei filius, 830 Amphius Percosius λινοθώρηξ vocatur), aut arcu sagittisque illi uti finguntur — negandum censeo. Itaque in eo certamine de Patroclo non aliter quam de Sarpedone iudicandum videtur. Tum thoracibus aëneis caret Peneleus dux Boeotorum Π 337 sq. (cf. supra p. 175), Hector 358—363 (cf. supra p. 171), Meriones 609 sqq. (cf. supra p. 173), itaque etiam Aeneas a quo ille petitur 608, Patroclus qui eum alloquitur vs. 626 sqq.; porro Aiax P 132—139 (cf. supra p. 172), Hector et Aeneas 492 (cf. supra p. 171), Aretus 519 (cf. supra p. 177), qui cum θεοειδής dicatur 493 (manifesto autem cohaerent 459—542) ad principes referendus est; Automedon 527 (cf. supra p. 171). Omitto locos qui aut minus certi sunt, aut ubi milites e numero, non principes a thoracibus nudi proponuntur. Sed locus Σ 192 sq., ceterique loci quos recensui, cum repugnent Patroclo thorace aëneo induto, aut restiterunt e Patroclea quae thoracum aëneorum usum non haberet, aut inserti sunt. At omnes illos locos insiticios esse minime verisimile, praesertim cum P 459—542 [1]), Σ 192 sq. antiquissimi esse videantur. Quid autem? Credibile est eos qui inventa sua insererent carmini quod Patroclum thoracatum haberet, eum proposuisse a thorace aëneo nudum? Mitto quod versus insiticii recentioris sunt originis quam carmen cui inseruntur, cum tamen poetae qui thoracis aënei rationem non habuerint in universum vetustiores sint iudicandi quam qui habuerint. Omnibus autem de causis statuendum est in Patroclea quam nunc habemus aut plures aut duas manus distinguendas esse, quarum recentiorem demum vel recentiores thoracatos fecisse bellatores [2]).

---

1) De hoc loco vide ann. 2.

2) Ben. Niese, cui complures vv. dd. assensi sunt, si recte vidit (Die Entwickel. der Hom. Poesie p. 92 sqq.) in antiquissima Patroclea non Achillis, sed sua arma induisse Patroclum, aut plures, aut *tres* manus in nostra Patroclea distinguendae sunt, quarum *vetustissima* Patroclum habuit *sua* arma induentem, inter quae *non* esset *thorax aëneus*, recentissima *Achillis* arma, inter quae *esset*, *media Achillis* arma, inter quae rursus *non* esset. Verisimiliter Robert demonstrat (Il. p. 16) secundum *hanc* scuto Aiacis talari Achillem tectum, non armis a Vulcano acceptis, occidisse Hectorem, Patrocli autem caedem Achilli nuntiasse *Automedontem*, non *Antilochum*, Automedontis autem ad Achillem verba pro parte superesse in Iridis oratione Σ 170 sqq.

Quo praeter locos Π 804 et P 210 (i. e. 210—214, an plura, sciri nequit; saltem quae praecedunt de Patrocli armis vs. 191 sqq. non necesse est eidem poetae tribuere, neque ibi cogitare de thorace aeneo; ceterum cf. supra p. 191), referendi videntur Π 133 (i. e. 131—139 vel 131—143), ubi Achillis thoracem induere narratur Patroclus; P 314 (i. e. 311—319), ubi Aiax Phorcynem *μέσην κατὰ γαστέρ' ἔτυψε· ῥῆξε δὲ θώρηκος γύαλον*; P 605 sqq. (i. e. 605—625 vel etiam 597—625, nisi etiam plura, sed optime cohaerent 596 et 626). Quibus locis etsi supra (p. 127 sq.) monuimus per se spectatis sciri non posse an de tunica agatur (modo postremo loco sumas eam laminibus pectoralibus munitam esse, percussa enim ea frangitur hasta), tamen eo ipso quod in Patroclea recentiore thorax aëneus regnat, satius videtur illuc referre eos; accedit quod locus Π 131—136 non differt a T 369—373, ubi Achilles induit arma aënea a Vulcano accepta [1]). Alii loci ubi de thorace aëneo agi appareat in Π aut P nulli sunt. Reliqua autem paucis absolvere licet. Ὁπλοποιΐα, quamquam in hac quoque plures cernuntur manus, tamen cum thoracem Σ 460 a Vulcano Thetidem petentem faciat, et hunc fabricantem 610, nihil dubii relinquit, quin thoracem aëneum spectet. In clipei descriptione, quae forsitan inserta sit, obsessae urbis cives thoracibus aëneis indutos proponi Σ 522 vidimus (supra p. 183). Tum Ἕκτορος ἀναίρεσις quamvis nullum offerat locum, qui obstet quominus credamus thoracis aënei usum tribuisse auctorem militibus, atque haud dubie thoracatus depingatur Achilles X 32 (cf. supra p. 183), Hector 322—325 (cf. supra p. 184), tamen cum Patrocleam nullam cogitare liceat nisi cui Hectoris caedes iuncta fuerit [2]), antiquissima autem Patroclea thoracis aënei rationem non habeat, colligere debemus, illam ab initio in eadem causa fuisse. Sic autem etiam hoc explicatur, quod in proeliis, quae inter Πατρόκλειαν et Ἕκτορος ἀναίρεσιν intercedunt et cum utraque cohaerent, etiamnunc duo loci restiterunt, ut omittam

1) Totum locum Π 131—143 insiticium esse puto, ita ut versibus 131—136 exemplo fuerint vss. T 369—373. De loco parallelo Γ 330 sqq. vide supra p. 125 sq.

2) Ab altera parte credibile est, antiquissimam aliquam fuisse Ἕκτορος ἀναίρεσιν, quae Patrocli nullam rationem haberet.

Polydori vulnerationem (cf. supra p. 117), et alia minus certa, ubi thorax aëneus negligitur [1]). Nam T 463—477 Troem Alastoris filium, Molium, Echeclum Antenoris filium; 484—489 Rigmum filium Piroi nudos fingi a thoracibus aëneis vidimus (supra p. 166, 175, 176), inter quos Echeclus propter patrem, et Rigmus cum curru vehatur in principum numero habendi sunt. Ab altera parte T 367b sqq., T 156—352, Φ 139—208, ubi arma a Vulcano accepta memorantur, manifesto Achilles habendus est thoracatus (cf. supra p. 184). Itaque etiam T 361 vocem θώρηξ intellegendam esse apparet thoracem aëneum, cohaerere enim 357—424 perspicuum est. Postremo Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ tres praebent locos Ψ 129 sqq., 560 sqq., 811 sqq. (cf. supra p. 150 sq., p. 183) ubi bellatores proponuntur thoracati, quod carmen quamvis vix dubium sit quin auctum et dilatatum habeamus, nihil tamen est cur credas id ab origine thoracis aënei expers fuisse.

Succedant nunc loci ubi thorax aëneus negligitur. Praemonendum autem, non aeque multum singulos hos valere, sed rursus tria horum esse distinguenda genera. Nam si quis e numero militum nudus a thorace aëneo fingitur, inde non sequitur, ut idem poëta cui talia debentur, non principes potuerit fingere thoracatos; ab altera autem parte is qui vel unum militem gregarium thoracatum depinxerit non dubitandum videtur quin in usu communi belli Troiani temporibus sibi proposuerit thoraces aëneos. Huiusmodi locus vix unus est apud Homerum; illi quoque perpauci, nullos repperi nisi Δ 473 sqq., E 49 sqq., 584, Λ 95 sqq., M 188 sqq., N 545 sqq., 601 sqq., 663 sqq, O 430 sqq., 575 sqq., 638 sqq., Π 312 sqq., 338 sqq., 463 sqq., 737 sqq., Φ 26 sqq., σ 376 sqq. [2]). Ceteroquin ubicumque milites e numero

---

1) Etiam Achillis certamen cum Scamandro Φ 212—382 cum ipsa natura sua antiquissimum esse pateat, quamvis nunc nihil praebeat unde dignoscere possis utrum in eo thoracatus necne pugnet Achilles, olim eum nudum a thorace habuisse iudicandum est.

2) De his locis egi supra p. 166, 167, 170, 171, 174, 175, 176. Simoisi Δ 473 sqq., Scamandri E 49 sqq., Hippomachi M 188 sqq., Lycophronis O 430 sqq. Melanippi O 575 sqq. cum patris nomen addatur, fortasse tamen hi inter principes referendi sunt Sed malui vero maiorem sumere numerum locorum e quibus nihil demonstrare liceat, quam e quibus colligendum sit auctores ignorasse vel neglexisse usum thoracis aënei. Euchenoris (N 663 sqq.) quamvis addatur nomen patris et hic dives dicatur, tamen cum μάντις esse tradatur, ad principes non refero. Etiam Ple-

caedi narrantur, siletur de eorum armis, siletur de vulnere quo occumbant; contra ubicunque ea commemorantur, etiamsi bellatores occisi non sint in numero heroum nobilium et notorum, etiamsi, ut ita dicam, in scenam modo prodeant ut statim evanescant, tamen eo quod cognati referuntur heroïbus illustribus (ut nulli inter eos crebriores sunt, quam filii sive genuini sive spurii Priami) vel deis, vel nympharum filii sunt, vel quod vocantur duces, vel „spectati ac divites", vel quod curribus vehuntur, alia eiusmodi, apparet eos inter principes habendos esse. Ubi vero aut Graecorum aut Troianorum, aut utraque acies in universum ita describitur ut poeta thoracum aëneorum usum ei non tribuisse videatur, ut ubi Agamemnon (B 382 sqq.), Neptunus (Ξ 370 sqq.) milites adhortantur ad arma expedienda [1]); Diomedes, Agamemnon, Ulixes militum arma in acie permutant (Ξ 380 sqq.) [2]); militum in acie scuta se invicem contingunt (M 105, N 130, Π 214) [3]); Troiani et Achivi scuta circum pectora alteri alteris scindunt (M 425) [4]); ei qui terga vertunt in pugna terga nudare dicuntur (M 428) [5]); Aiacis Oïlei militibus quae arma desint enumerantur (N 714) [6]); Sarpedonis sodales vocantur ἀμιτροχίτωνες (Π 419); Patrocli commilitones frustra conatur Asteropaeus vulnerare, σάκεσσι γὰρ εἵρχατο πάντῃ (P 354); milites in insidiis dormire narrantur σάκεσιν πεπλυμένοι ὤμους (ξ 479), ex omnibus his locis iure tantum hoc quis contendat sequi, ut ab auctoribus vulgus militum a thoracibus aëneis nudum fingatur, sequi igitur ut noluerint horum usum communem esse, non sequi ut etiam principes voluerint eis carere. Utrumque igitur locorum genus in sequentibus praetermittere licebit. Verum aliter res se habet ubi e principum numero sive Graecorum sive Troianorum thoracis aënei aliquem expertem fingi apparet. Etenim, id quod supra iam monui (p. 191 sq.),

---

riphetis pater commemoratur O 639, sed hunc apparet ministrum fuisse Eurysthei. De loco σ 376 monendum est Ulixem mendici partes agentem, cum glorietur se si armis induatur (inter quae desideratur thorax aëneus) in prima acie pugnaturum, non tamen veri simile esse se principibus adscribere. — Simoïsium Δ 473 sqq., Scamandrum E 49 sqq., Euchenorem N 663 sqq., Thoonem Π 312 sqq. ne certum quidem est nudos fingi a thoracibus aëneis; cf. supra p. 167, 175

1) Cf. supra p. 169 sq., 180.
2) Cf. supra p. 172.
3) Cf. supra p. 172.
4) Cf. supra p. 171.
5) Cf. supra p. 166, 171.
6) Cf. supra p. 180.

credibile non videtur habitum eorum bellicum antiquis temporibus aut ita variari potuisse aut varie ab eodem poeta depingi, ut promiscue thoracati et non thoracati in proeliis congredi traderentur. In proeliis certaminibusque ludicris equitum medii aevi, quod dicitur, eiusmodi extitisse varietatem quis unquam legit apud huius aetatis scriptores? Immo quibus temporibus nobiles fere soli graviter armati sunt, graviter armatorum arma vix differunt. Idque in nostra causa etiam eo confirmatur, quod Catalogi auctor ab usu thoracis aënei duos principes Aiacem Oïlei filium et Amphium Percosium nominatim excipit (vide supra p. 187 sqq.). Tertii igitur nunc illius generis locos inspiciamus.

Nulli autem in carminibus A et B cum obviam fiant, primum huc referendum est certamen singulare inter Paridem et Menelaum Γ 245—382, quod ita describi vidimus supra (p. 124—126), modo excipiantur vss. 330—338, 340—343, quos interpolatos esse demonstravimus (supra l.l.), ut luculenter appareat Paridi a poëta thoracem aëneum non tributum esse. Neque igitur hic Menelaum thoracatum sibi proposuit. Porro nemo dubitabit quin vss. Γ 15—120 eundem auctorem habeant atque 245—382, unde rursus sequitur ut ne ceteri quidem Achivi Troianique, quos vs. 89 Hector iubere narratur *τεύχεα κάλ' ἀποθέσθαι ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ* (cui obsecuti vs. 114 *τεύχεά τ' ἐξεδύοντο*) thoracibus aëneis induti fingendi sunt. Ex reliquis autem carminis Γ partibus nihil colligere licet de eo quod nunc quaerimus. In carminis Δ ea parte quae continetur vulneratione Menelai, i. e. 105—122, thoracis aënei rationem non haberi supra ostendere conati sumus (p. 117 sqq.). Porro nudos a thoracibus aëneis proponi heroes apparet ab auctoribus vss. 468 sq., 480, 501, 528 (vide supra p. 166 sq., 175). Minus certum est quid voluerit auctor vs. 420 (vide supra p. 174) et vs. 459 sqq. (vide supra p. 175). Patet autem vss. 463—472 unius auctoris esse, item vss. 473—487, item vss. 487—504 (unde sequitur ut *αἰολοθώρηξ* vs. 489 sit „indutus tunica variis signis picta" [1]), non „indutus thorace aëneo fulgenti"), item

1) Eiusmodi tunicas in monumentis Mycenaeis conspici monuit Robert ll. p. 39 sq. vide supra p. 112.

vss. 505—516, item vss. 517—538. Sed utrum cuncta illa uni an duobus an pluribus poëtis tribuenda sint, et quae praecedunt quaeque sequuntur quatenus ad hunc vel ad hos pertineant, sciri nequit.

In carmine E Diomedem demonstravi (supra p. 105 sqq.) a thorace aëneo nudum proponi èt ubi vulneretur a Pandaro atque hunc interficiat vulneretque Aeneam et Venerem, quae dividi non posse patet, etenim uni deberi auctori vss. 1—8, 85—143, 166—191, 384, 405—431, 445 [1]), èt in suo cum Marte certamine, i. e. 461, 508—511, 596—600, 607, 711—909, quod neque cogit neque vetat quidquam credere ab alio poëta additum. Congruit quod etiam Pandarum apparet carere thorace aëneo vs. 291 (vide supra p. 175, p. 181 sq.). Ex eis quae intercedunt, sive ab eodem poëta oriunda sunt atque illa (vel, si illa duobus debentur, ab altero horum), sive ab alio vel aliis, uni saltem poetae debentur 9—26, item 37—42, item 144—151, item 615—626, item 703—710, qui loci omnes propter vss. 18 sqq., 40, 45, 615, 707 (vide supra p. 166 sq., 177, ibique in ann. 2, 180) ostendunt thoracis aënei rationem non haberi; quibus fortasse adiungere licet 533—544 (propter vs. 539), ubi tamen res non certissima est (vide supra p. 177). Cetera huius carminis ad propositum nostrum non faciunt.

In carmine Z ei loci, ubi sine thoracibus aëneis in proelia

---

1) Robert negat (Il. p. 182 sqq.) vss. 259—273, 319—329, quibus agitur de Aeneae equis a Diomede captis, ad veterem Διομήδους ἀριστείαν referendos esse. Cui non assentiendum puto. Antiquitus enim in fabulis, quae de Diomede ferrentur, equos divinos aliquas partes egisse, inde colligendum puto, quod Diomedes ille Bistonius, quem a Tydei filio primitus non fuisse diversum — utrumque autem in deorum numero fuisse antequam pro regibus mortalibus haberentur — multi viri docti graves ob causas, quas hic non attinet referre, opinati sunt, insignis erat propter equos. Quod Troïs equi semine ab aetherio orti, quos in Iliade Diomedes capere narratur, ad Diomedeos initio minime pertinuerint, hac in re nullius momenti est. Porro Bergk (Griech. Literaturgesch I 576), quem sequitur Robert Il. p. 183 sqq., Veneris interventum et vulnerationem interpolata censet: „Dass jetzt zwei Götter bemüht werden" inquit vir clar. „ist wunderlich und nicht geschickt". Causam non video Robertiique rationi obstare puto, quod cogitur expungere vs. 131 sq., quibus eiectis friget vs. 130, manifesto enim ne in alios deos impetum faciat unice propterea ei praecipit Minerva ut excipiat Venerem. Praeterea cur Aeneam arcessiverit poeta nisi ut matrem a Diomede vulnerari narraret non intelligitur; Diomedes autem Venerem vulnerans et certamen cum Marte iniens propterea antiquissimae arti tribuendus videtur, quod manifesto oriunda sunt haec e fabulis, quibus Diomedes celebraretur inter deos. Sed minime constat certamen cum Marte ab eodem poeta in Iliadem insertum esse atque Veneris vulnerationem.

ire fingantur bellatores, ita distribuendi videntur ut uni auctori tribuantur vss. 73—118, 242—278, 286—310 et uni rursus vss. 312—342, 503—505, quorum alter quid sibi proposuerit hac in re, cognoscitur vss. 117 sq. (cf. supra p. 170) alter vs. 318 sqq. (cf. supra p. 172 sq.). Itaque vs. 322 θώρηξ non est thorax aëneus, sed tunica (vide supra p. 128). Minus certa res est vs. 10 sq. i. e. 5—11 (cf. supra p. 175 sq.), 64 i. e. 37—64 (cf. supra p. 167). De ceteris nihil statuere licet, quod ad propositum nostrum pertineat.

Carminis H eam partem, quae continetur certamine singulari inter Hectorem et Aiacem, i. e. 17—40, 43—131, 161—196, 200—205, 219—312, neutrum pugnatorem habere thoracatum, supra ostendimus (p. 124 sqq., p. 169). De ceteris carminis partibus non est cur hic agatur. Neque vero de carmine Θ, de quo toto egimus supra (p. 188); neque de I, neque de sequenti (vide supra p. 188).

Sed in carmine Λ nonnulli loci, quales quaerimus, obviam fuerunt. Atque primo quidem loco, teste vs. 96 sqq., non thoracatos heroës finxit is qui confecit vs. 99—121 (vide supra p. 179); neque qui 122—147 teste vs. 144 (vide supra p. 166); neque qui 218—283, teste vs. 236 (vide supra p. 122 sqq.); neque qui 310—327 teste vs. 321 (vide supra p. 166); neque qui 401—488 teste vs. 457 (vide supra p. 127 sq.); neque qui 521—539, teste vs. 527 (vide supra p. 171); neque qui 596—668[a], 763[b]—805, teste vs. 621 sqq. (vide supra p. 177); neque qui 669[b]—688, 696—763[a] teste vs. 754 (vide supra p. 173). Nam singula haec cohaerere nemo negabit. Minus certa est res vs. 570—580 (vide supra p. 167).

In carmine M aut plures aut duas cerni manus ostendimus (cf. supra p. 189 sq.), quarum recentior Hectorem habebat thoracatum, vetustior Sarpedonem a thorace aëneo nudum. Utriusque etiamnunc statuere fines non licet, cum praesertim altera mutilata sit. Sed quoquomodo hoc se habet, praeter locum de Sarpedone non thoracato teste vs. 401 (vide supra p. 180) i. e. 400, sive potius 397—429, eiusdem generis sunt 187—189 teste vs. 189 (vide supra p. 177), 387—399 teste vs. 389 (vide supra p. 170).

Carminis N qui ad nostrum propositum pertinent loci sunt

hi: vss. 169—187 propter vs. 177 (vide supra p. 175); 402—420, propter vss. 405, 408, 420 (vide supra p. 170, 172)[1]; 540—544, propter vs. 543 (vide supra p. 172); vss. 545—554, propter vs. 546 sq. (vide supra p. 166); 576—580, propter vs. 577 (vide supra p. 176); 802—808, propter vs. 805 (vide supra p. 173, 176). Minus constat de loco 660—672 (vide supra p. 176)[2].

In carmine autem Ξ nonnisi tres loci commemorandi sunt. Vs. 402—439, propter vs. 406 (vide supra p. 180), et 516—519, propter vs. 517 (vide supra p. 166 sq.), et 442—448, propter vs. 447, quorum tamen postremus non certissimus est (cf. supra p. 167).

Tum in carmine O notandi sunt 419—457, propter vs. 433 (vide supra p. 175) 458—483, propter vss. 474 sq., 479 sqq. (vide supra p. 180 sq.); 606—622, propter vs. 608 (vide supra p. 176). Verisimile autem videtur eidem poetae deberi 419—512, 565—567[3]. Locis 381—389 (vide supra p. 173), 520—542 (vide supra p. 167), 676—678 (vide supra p. 173), sintne heroes fingendi nudi a thoracibus aëneis non prorsus certum, quod tamen primo saltem et postremo horum locorum verisimile est, cum antiquissimi esse videantur[4].

In carmine Π unus locus est, quem a Patroclea separandum putem 102—111, vel 123, ubi manifesto Aiax non thoracatus proponitur (cf. supra p. 175). De Patroclea autem iisque quae post eam in Iliade nostra sequuntur supra disserens (vide supra p. 190 sq.) omnium locorum, quibus apparet thoracis aënei rationem non haberi, mentionem feci; sunt hi Π 335—341, 358—363, porro pugna Patrocli cum Sarpedone i. e.

1) O 9, 15 sqq., 42 hic locus tangitur, neque tamen inde sequitur ut eidem auctori sit tribuendus.

2) De loco 156—168 vide supra p. 173, de loco 424—495 vide supra p. 159 178.

3) De loco 514—564 vide supra p. 190.

4) Vs. 125 Mars manifesto nudus fingitur a thorace aëneo, neque tamen inde quidquam de hominum habitu bellico colligere licere opinor. Aliter Reichel H. W². p. 84: „vielleicht noch schwerer fällt in's Gewicht, dass selbst der Kriegsgott Ares, der als solcher nur die vollkommenste Rüstung tragen kann, augenscheinlich ohne Panzer gedacht ist.

419—430, 477—491[a], 503[b]—507, 659—660 [1]); tum 604—632; P 132—139, 459—542, Σ 192 sqq., Τ 460—483, 484—489, quibus addere licet etiamsi non certissimus est locum P 346—349 (vide supra p. 166 sq.).

Postremo huc referendi sunt Odysseae totum carmen α, quod dividi posse nemo censet, quo in carmine vs. 255 sq. huc pertinet (vide supra p. 181), deinde ξ 457—510, propter 479—482 et 489 (vide supra p. 181); τ 1—59, propter vs. 32 sq. (vide supra p. 181); postremo χ 126—204, propter vs. 184 (vide supra p. 182).

Videamus autem nunc, quid ex eis quae indagavimus proveniat. Atque Iliadis quidem, de Odyssea enim mox agam, apparet aliquanto crebriores esse locos ubi ignoretur vel negligatur thorax aëneus, quam ubi prodeat eius usus, cum praesertim Τειχομαχία, Πατρόκλεια, Ἕκτορος ἀναίρεσις vetustiore forma quam qualem earum nunc habemus in illorum numerum referendae sint. Iamvero haud obscurum est, locorum qui ad neutrum genus pertineant maiorem quam ceterorum esse ambitum. Quo maioris momenti est animadvertere eas Iliadis partes in quibus regnet thorax aëneus recentissimae esse originis. Quod de iis locis quo posterior demum manus eum invexit sine verbis perspicuum est. Sed Βοιωτίαν, κόλον μάχην, Phoenicem legationis ad Achillem socium, carminis Λ introitum, Idomenei in carmine N cum Neptuno cumque Merione colloquia, eiusdemque γενεαλόγημα N 449 sqq., tum carminum N et O locos ubi Stichius dux Atheniensium, Schedius Perimedis filius in scenam prodeunt, postremo Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ — omittenda enim est Δολώνεια, cuius auctor uno tantum loco ibique sibi repugnans Diomedem thoracatum facit [2]) — illos locos quis nescit ab omnibus viris doctis, qui quidem distinguant Iliadis partes vetustiores et recentiores, iam dudum iudicatos esse recentissimos? Ab

1) Vix opus est memorari, post ea quae iam saepius monui, neque aliis locis quorum fines et ambitum descripsi, neque hoc loco ullo modo infitias me ire fieri posse ut sive quae antecedunt, sive quae sequantur locum a me descriptum, sive quae intercedant, ab eodem poeta oriunda sint, sed tantum hoc significare me velle ea saltem quae eidem auctori tribuam a nullo negari posse eidem deberi, de ceteris dubitari posse.

2) Supra p. 188.

altera parte inter eos locos quibus thoracis aënei ratio non habetur non desunt quos neutiquam ad antiquissimas Iliadis partes referre liceat. Nam ne vetustissimam quidem Patrocleam pertinuisse ad antiquum de Achillis Ira carmen aliis omissis inde efficitur quod Achilles per matrem a Iove petit Α 411 sq., 508 sqq. ut Troianos iuvet donec Agamemnonem superbiae poeniteat, quod excogitare non potuit qui Atridem aut frustra temptaturum Achillem donis placare aut omnino non temptaturum vellet [1]); unde sequitur ut in antiquo illo carmine Patrocleae locus quo stet nullus relinquatur, sed credere oporteat huius auctorem veterem carminis exitum repudiasse in eiusque locum alium constituisse qui ipsi pulchrior videretur [2]). Praeterea recentioris etiam originis quam Patrocleae, vetustissimae saltem, est Patrocli missio ad Nestorem in Λ, nam ad Achillem reversus Patroclus et popularium cladem miserans id ipsum propter quod ab illo missum erat ne verbo quidem tangit [3]); at in iis quae cum Patrocli missione cohaereant, vidimus supra (p. 198) nihilo magis quam in Patroclea ipsa thoracis aënei rationem haberi. Tum *τειχομαχίαν*, cuius antiquissimam partem a thorace aëneo nudum habere Sarpedonem vidimus (supra p. 189), non fuisse partem antiquissimae Iliadis iam dudum multi vv. dd. probabiliter demonstraverunt [4]).

---

1) Fusius egi de ea re in hac Bibliotheca 1895 p. 403 - 407, 409—414 et in Societate Ultratraiectina A. et D., vide Aanteekeningen v. d. Verhandelingen in de Sectie voor Letterk. en Wijsbeg. 1897 p. 27 sqq. Ceterum fac ne ipsum quidem locum A 411 sq, 508 sqq. antiquo cantori deberi, sed postea insertum esse, id quod minime verisimile, res tamen suo loco manet, nemo enim inserere potuit qui Patrocleam cognovisset.

2) Propterea is, qui utrumque carminis exitum copulavit, invito antiqui vatis proposito, *πρεσβείαν* et *Μήνιδος ἀπόρρησιν* dissociavit, illius mutato exitu, itemque *Πατρόκλειαν* et *Ἕκτορος ἀναίρεσιν* et cladem Graecorum, quae ab initio *πρεσβείαν* antecederet, post eam posuit, deinde *Πατροκλείαν*, tum *μήνιδος ἀπόρρησιν*, postremo *Ἕκτορος ἀναίρεσιν*. Atque *κόλον μάχην* addidit ne *πρεσβεία* careret causa.

3) Recentiorem non esse posse Patrocleam, vetustissimam saltem, quam Patrocli legationem patet. Itaque si male cohaerent, haec est recentior. Si vero quis censet fieri posse ut cum vetustissima Patroclea melius cohaeserit Patrocli missio quam cum nostra, reputet quam non sit credibile eum qui Patrocleam reformaverit perturbasse sine causa ea quae cohaererent.

4) Optime Ben. Niese v. cl. (l.l. p. 96): „richtig sagt Bergk dass die ursprüngliche Dichtung nicht nur keinen Mauerkampf, sondern auch überhaupt keine Mauer um das Schiffslager gekannt habe. Wäre diese ursprünglich, so würde

Quibus de causis statuere licet, dum excipias partes quarum origines constat aetate succedere aut non praecedere eis in quibus thoracem aëneum regnare ostendimus, Ἕκτορος λύτρα volo, neque non Πρέσβειαν et Μήνιδος ἀπόρρησιν, quales eas nunc habemus (perantiquum enim in eis latere nucleum sequitur ex eis, quae de Patroclea supra disputavimus p. 201), tum fortasse Διὸς ἀπάτην et γερόντων βουλὴν in B, quibus locis non recuso quominus ei adiungantur, ubi non certum quidem sed verisimile sit auctores principes finxisse thoracatos [1]) — his igitur exceptis statuere licebit ceteris locis tantum non omnibus, qui per se spectati incertum relinquant, quem sibi antiquorum heroum habitum bellicum proposuerint auctores, hos ipsos hac de re interrogatos inter arma thoracem aëneum non fuisse commemoraturos. Quapropter sic concludendum videtur: per totum corpus Iliadis nostrae, non tantum in iis quae ex antiquo de „Ira" carmine ducta sint, i. e. fere tota

---

gewiss nicht der Kampf um die Schiffe, sondern der Kampf um die Mauer der entscheidende Moment sein". Praeterea neque ulla fit muri mentio aut in B aut in Λ, ubi in proelium Graeci proficiscuntur, neque ubi Agamemnon vulneratos commilitones in campo certantes hortatur Λ 276 his verbis: „nunc vos defendite naves, cum me non amplius Iuppiter sinat cum hoste pugnare", neque Λ 310 ubi futurum fuisse dicit poëta, ut Graeci e campo fuga se in naves conicerent, nisi Ulixes advocasset Diomedem; neque Λ 557, ubi invitus dicitur Aiax e campo recessisse metuens navibus. Fac autem nullum ex his locis antiquissimae „Irae" partem fuisse, quod minime verisimile est, tamen horum auctor vel auctores, muro in antiquo carmine commemorato, non ita rem proposuissent, quasi nullus esset. Ceterum ne Patrocleam quidem murum cognitum habuisse propterea verisimile est, quod ubi Patroclus Troianos a navibus propellit Π 369 sqq. sola fossa eorum fuga impediri narratur, nulla muri mentione facta, qui multo etiam magis eos prohibere debebat; et rursus ubi mortuus ad naves reportatur P 760, fossa sola nullus murus commemoratur. Patroclus autem ubi miserum popularium casum Achilli exponens, vulneratos Agamemnonem, Diomedem, Ulixem docet, id tacet quod si accidisset multo gravius esset, murum expugnatum esse, commemoratur quidem murus Π 397, 558, Σ 215, sed nullo modo certum est hos locos non esse insiticios. Locum Π 558 si constaret veteri assignandum esse Patrocleae, sequeretur ut haec recentioris etiam originis esset quam Tichomachiae pars antiquissima.

1) Sed horum complures cohaerent cum locis ubi constat thoracatos proponi. Hos volo: B 544 (vide supra p. 187), Θ 62 (vide supra p. 188), N 265, 342, 439, 507 (vide supra p. 190), Π 131—139 (p. 193), P 314 (p. 193), P 605—625 (p. 193), T 361 (p. 194). Soli loci ubi dubium maneat θώρηξ quid sibi velit sunt Δ 448 sq. (quam interpolatum esse ostendi p. 112 in ann. 3), Λ 373, N 371 sq., 397, 591, Π 173 (vide supra p. 127 sq.). Voces αἰολοθώρηξ Δ 489 et θώρηξ Z 322 de tunica intellegendae videbantur (cf. supra p. 127 sq. p. 198).

rhapsodia Α et partibus quibusdam rhapsodiarum Β, Λ, Ν et Ο nec non Ι et Τ, sed etiam in additamentis, exceptis quae recentissimae sint originis, thoracis aënei nullam rationem haberi.

Haec autem conclusio eo confirmatur, quod Odysseae ratio cum ea congruit. Discrepat utrumque poëma, quod neque in Odyssea ullum omnino thoracis aënei reperitur vestigium neque loci obviam fiunt, nisi perpauci, id quod in superioribus ostendimus (vide supra p. 181), ubi non thoracatos appareat prodire milites. In his nullus est, qui pertineat ad mythos perantiquos, quales sunt quibus agitur de Ulixis erroribus, neque unquam fuit qui eorum origines aetate antecedere putaverit originibus vetustissimae Patrocleae vel Tichomachiae. Sed Iliadem quicunque poëtae postremi auxerunt vel reformaverunt (ut additamenta minus cum antiquo carmine vel cum aliis additamentis cohaerentia cum iis consociarent) non temperaverunt ab inserenda imagine sui temporis, quo thorax aëneus vulgatus esset: cuius rei Odysseae amplificatoribus et diasceuastis, etiam qui postremi ei operam navarunt, quorum aetatem haud dubie antecessit Iliadis perfectio, ipsa poëmatis natura minus praebebat opportunitatis.

§ 15.

Quaeritur utrum illi cantores, qui thoracis aënei rationem non habuerint, eius usum ignoraverint, an noverint quidem sed spreverint.

Oritur postremo quaestio, utrum illi cantores, qui in heroum antiquorum rebus gestis celebrandis thoracis aënei rationem non habuerint, ipsi eius usum ignoraverint, an noverint quidem sed de eo tacuerint consulto, ne suos mores inmiscerent memoriae antiqui temporis. Qua in re satis fidenter contendere licebit, eos qui voce *θώρηξ* usi sint ad tunicam linteam significandam, aut thoraces aëneos nondum cognitos habuisse aut ita rarum horum usum fuisse eorum temporibus, ut homines cum eam vocem audirent, non de his sed de tunicis cogitarent statim. Nam posteriore tempore, cum thoracum aëneorum usus vulgatus esset, quamvis viderimus ne tum quidem prorsus obsolevisse priscam vocis sententiam (vide supra p. 109 sq., p. 153 in ann. 3), tamen hanc qui spectaret, haud

dubium est quin apertius significaverit, quemadmodum inde quod in „catalogo" Aiax Oïlei filius et Amphius Percosius λινοθώρηκες vocantur, iure nostro effecimus quo tempore Catalogi auctor floreret plerosque milites fuisse thoracatos. Sed qui conderent carmina quo tempore voce θώρηξ significari inciperet praecipue thorax aëneus, memoria autem tenerent alienum esse eius usum ab antiquis bellatoribus, eos non inepte conicias maluisse aut omnes aut plerosque illa voce prorsus abstinere in illorum armis describendis, deinde vero, cum iam evanesceret priscorum temporum imago, irrepsisse imaginem temporis recentioris, idque eo facilius, quod in ipsis antiquissimis carminibus vox θώρηξ se offerret, in omnibus autem vel θωρηκτής vel θωρήσσειν. Facile sic explicatur quod ex omnibus locis ubi vetamur credere thoracatos proponi milites, ne decem quidem numero sunt quibus assignetur iis θώρηξ. Ea autem ratio si valet, sequitur ut saeculi fere spatium intercesserit inter thoracis aënei originem et mentionem de eo factam in carminibus. Neque enim cogimur credere ante medium saeculum X vocem θώρηξ evanuisse e carminibus, neque post medium saeculum sequens apparuisse denuo. Quod temporis spatium intercessisse minime incredibile erit ei qui perspexerit non aliter neque minus pertinaciter obtinuisse in poetarum arte sermonem priscum, in usu cotidiano iamdudum oblitteratum. Neque repugnant artis monumenta e solo effossa. Nam quamvis in vasis geometricis inque imaginibus muralibus Mycenaeae aetatis extremae, quae vulgo viri huius rei periti assignant saeculis X—VIII, nulla thoracum aëneorum vestigia cernantur, neutiquam inde concludendum esse vidimus (supra p. 160 sq.) tum temporis eorum usum ignotum fuisse [1]).

---

1) Ridgeway solus, quantum scio, vasorum geometricorum originem saeculo XII tribuit (Il. 109, cf. p. 206, p. 265 sq.). Si res ita se habet, ne opus quidem est sumere, thoracis aënei usum cognitum habuisse artifices.

INDEX LOCORUM.

CORRIGENDA.

p. 105 vs. 6 a s. ei, leg.: eum.
p. 113 „ 15 ab i.: transfigere simul et laminam, leg.: transfigere simul humerum et laminam.
p. 123 vs. 7 ab i.: 152, leg.: 252.
p. 126 „ 11 a s.: ψ 813, leg.: Ψ 813.
p. 128 in ann. 2: Λ 251, leg: Α 251.
p. 151 vs. 5 ab i.: Π 304, leg: Π 804.
p. 152 „ 12 a s.: Κ 71, leg.: Κ 78
p. 158 „ 13 „ „: Σ 418, leg.: Σ 478.
p. 158 „ 16 „ „: Σ 468, leg.: Σ 458
p. 159 vs. 6 a s.: Χ 186, leg.: χ 186.
p. 166 in ann. 2: Ε 867, leg.: Ε 857.
p. 169 „ „ 4: s. f. supra p 156, leg.: supra p 158.
p. 175 vs. 9 a s.: Ν 216 leg.: Ν 616.
p. 178 „ 1 „ „: Tros Alastoris filius, leg.: Troïs Alastoris filii.
p. 178 „ 11 „ „: Θ 396, leg.: Θ 387.
p. 179 „ 1 „ „: Θ 390, leg: Θ 387.
p. 189 „ 6 ab i.: 420, leg.: 424.

COMMENTUM AELI DONATI AD TERENTIUM.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

I.

DE PRAECIPUO SCHOLIORUM AUCTORE POST DONATUM.

Plurima scholia quae Aeli Donati nomen prae se ferunt ex illius commentario perpetuo ad Terenti fabulas derivata esse inter omnes constat, nec minus apertum est ipsius commentum ad nos pervenisse truncatum laceratum aliorum additamentis identidem interpolatum. „Si quaeritur (sic Wessner in praef. ed. p. XLVI), num fieri possit, ut aliqua ex parte genuinum Donati commentum ex hac scholiorum farragine eliciatur, equidem hoc non prorsum negaverim, sed res mihi videtur admodum lubrica et intricata". Attamen temptata est et temptari debebit, donec genuina a spuriis, quantum fieri potuerit, separaverimus. Fuerunt qui certa scholiorum genera Donato plerumque addicenda, alia ab eo in genere abiudicanda esse censerent, sed ii parum profecerunt, cum de his generibus varium et anceps sit iudicium. Alii formularum quarundam et coniunctionum usum („ut diximus", „ego puto", „sed", „nam", „et simul', alia permulta) interpolatorum nationem vulgo prodere aestimaverunt; atqui ne Donatus quidem occasione oblata ab his formulis aut coniunctionibus, ut par est, abstinuit. Verissime olim Wessnerus, in Bursiani Ann. a. 1902 p. 176 sqq., hos virorum doctorum conatus adhuc irritos fuisse iudicavit atque ita conclusit: „Ein annäherndes Ergebniss lässt sich nur erwarten von

einer sorgfältigen Analyse des Kommentars durch Zerlegung der Scholienconglomeraten in ihren einzelnen Bestandtheile unter strenger Berücksichtigung der überlieferten Anordnung bezw. Unordnung und durch Ausscheidung der sicheren Interpolationen". Hanc viam ego quoque ingrediendam esse credidi, cum in Albo gratulatorio in hon. Herwerdeni (Trai. ad Rhen. 1902) p. 129 specimina quaedam scholiorum componerem, quorum forma et indoles ostenderent ea profecta esse ab uno aliquo magistro cum a Donato tum a reliquis interpolatoribus prorsus diverso. Sed ea res cum fructu tractari tandem potuit post fidam scholiorum editionem egregio Wessneri labore nunc perfectam. Itaque inquisitionem retractare institui et in genere confirmata vidi, quae tunc de magistro illo ita declaraveram: Decorabo eum nomine Philosophi [1]), non quo revera dignus sit hoc titulo, sed quia laborat immodica philosophandi cupidine ac paene furore, unde factum est, ut eius adnotationes, communi sensu saepe destitutae, adfectent nescio quem interiorem rerum ac verborum intelligentiam, quae a sano et simplici Donati iudicio [2]) mirum quantum est remota. Abstinuit ille ab iis interpretis officiis, quae requirunt sinceram doctrinam: vix tetigit artem grammaticam, criticam, rhetoricam, scenicam, nihil habet de exemplis Graecis, sed scripsit maxime de sententiarum interpretatione et de verborum etymologia, significatione, differentia. In manibus habuit commentum Donati, quem modo supplet, modo tecte aut aperte cavillatur et corrigit, lubenter ita, ut contra illum non unam opinionem proferat, sed plures atque optionem faciat lectori, ut eligat adhibitis particulis *aut — aut, vel — vel, utrum — an, an quia, potest — potest etiam*, similibus. Eximendus tamen est ex illorum numero, qui levibus brevibusque adnotatiunculis minoris pretii commentum onerarunt. Immo pro suo ingenio dedita opera in textu explicando laboravit <usus scribendi ratione perplexa quidem, sed quae adfectat elegantiam et ubertatem; fecit hoc> perverso

1) Scholia philosopha fere solus observavit Usener in Mus. Rhen. 1868 p. 495, qui ea tamen perperam Donato attribuit. (Cf. Gerstenberg de Eugraphio, p. 70).

2) Iustas prudentesque Donati adnotationes identidem laudavit J. J. Hartman in comm. de Terentio et Donato a. 1895.

quidem iudicio, sed sedulo et ita ut sibi aliquid praestare videretur, quod cognitu esset dignissimum et lucem afferret Terentium legentibus.

Cum huius magistri lucubrationes, qui a reliquis interpolatoribus non minus distat quam a Donato et medium quendam locum inter utrosque obtinet, cuique post ipsum commenti auctorem scholia, non dicam optima, sed plurima et longissima adsignanda esse videntur, huius igitur lucubrationes cum persequerer, aliorum quoque magistrorum duorum vel trium vestigia satis certa repperi, de quibus postea agendi locus mihi dabitur. Nunc unius Philosophi scholia, quae deprehendi, omissis dubiis et incertis tripartito referam, nempe quae tractant sermonis differentias, vocabulorum significationes et etyma, sententiarum interpretationes. Addam etiam duo scholiorum genera, quae has peculiares formulas ostendunt: *non* (*nec*) — *sed* et *utrum* — *utrum an* sim., quas ille non quidem solus, sed praeter ceteros adamavit ita ut in scholiis originis dubiae patronum suum quasi designent. Initium faciam ab Andria.

De hominis aetate hoc tantum adfirmari potest, eum scripsisse post Donatum, qui teste discipulo Hieronymo circa a. 353 Romae insignis habebatur, et ante medium saeculum VI, quo tempore nostra commenti recensio orta esse videtur (Wessner praef. p. XLV). Puto autem eum non multo post Donatum laborasse, cum huius aemulatio, quam affectat, inter aequales aut suppares probabilior sit quam inter aetate nimis distantes.

Sed alia res est gravissima. Ex peculiari scholiorum condicione ad Phormionem II 3, ubi non omnia in unum congregata leguntur ut in reliquo commento, sed divisa in duos ordines inter se diversos, quorum prior scholia Donati et interpolatorum continet a vs. 7 ad finem scaenae vs. 93, alter alia eorundem a vs. 5 ad vs. 93, Wessnerus post Sabbadini (Stud. Ital. II p. 4 sq. 12 sq.) de commenti origine sic concludi posse suspicatur, praef. p. XLVI: „Genuinum Donati commentum in duorum excerptorum manus incidit, qui servato auctoris nomine (cf. praef. p. XXXVIII de schol. Victor.) scholia maximam partem plus minusve transformata in Terentianorum codicum margines transtulerunt. Procedente tempore evenit, ut variae adnotationes

diversae originis sive ab ipsis excerptoribus [1]) sive ab aliis adicerentur. Tum sexto saeculo nescio quis duo illa scholiorum corpora admodum aucta in unum cogere studuit atque rem ita instituit, ut primum singulos scholiorum ordines binis columnis iuxta positis ex codicibus transscriberet, deinde Terentianorum versuum ordinem secutus confunderet; id quod ei non semper contigit (cf. praef. p. XLVII infer.). Simul commissuras quam maxime occultare conatus est, ut unius et simplicis operis speciem efficeret; fortasse etiam alia nonnulla de suo addidit. Compilator vero „cum per quattuor [vel quinque, scilicet Andr. Eun. Heaut. Ad. Hec.; cf. supra § 5, 1] fabulas id egisset, ut duos commentarios in unum concinnaret et contaminaret, in Phormionis II 3 abiecta subito industria integros posuit, primum alterum a vs. 7 (nam huc usque contaminati sunt) ad vs. 93, deinde alterum a vs. 5 ad vs. 93; dehinc autem quae sequuntur scholia usque ad finem fabulae, ea ita comparata sunt, ut unum commentarium adhiberi intelligas. Quare certum est Phormionis commentum fuisse ultimum, ad quod cum pervenisset compilator, fastidio concepto destituerit quam usque dederat operam (Rabbow p. 331 cett.). Hinc igitur numerosissimae illae repetitiones, hinc saepenumero perturbatus scholiorum ordo, hinc porro mira illa ad Phorm. II 3 commenti forma, hinc denique rarescentia ad Phorm. III—V scholia!"

De postrema conclusione, quam Wessnerus protulit secundum Rabbovium hoc observo, diversam commenti formam inde a Phorm. II 3 etiam sic oriri potuisse, ut duo compilatores fuerint, quorum alter compilaverit commentum nostrum ab initio Andriae ad Phorm. II 3, ibi quacumque de causa subsistens, idque fecerit ex aliis fontibus, quam quos W. descripsit (duas editiones Terentianas scholiis munitas), alter vero postea ea ratione iisque ex fontibus quos indicavit W., commentum ad finem perduxerit. Sed aliud est, quod imprimis cognoscere nunc refert, hoc scilicet: Sintne in scholiis ad Phormionem II 3, quae adsignari Philosopho debeant et invenianturne ea in uno tantum ordine an in utroque. Cum hac mente scholia lustrarem

---

1) Hinc igitur bis in commento laborarunt, antea cum transferrent, postea eum supplerent?

non pauca repperi in utraque serie, quae eundem auctorem proderent atque ea quae ex Andria referam nec minus ut illa Donatinis nonnumquam sunt affixa, quod ut appareat, haec quoque scholia in fine disquisitionis ordine proponam. Iam si Wessnerum audimus, excerptores illi genuinum Donatum transtulerunt, itaque philosophus sua additamenta postea demum in ipsis marginibus subiunxisset Donatinis. Sed hoc non unam ob causam parum verisimile est. Primum refragatur quod modo de aetate Philosophi suspicatus sum; deinde non intelligitur cur adnotationes suas non omnes in unius editionis margine appinxisset, sed partim in una editione partim in altera; tandem obstat scholion, quale legitur in serie *b* ad vs. 20 (Sabbad. p. 111) [1]). Hoc de philosopho. Fuerintne iam in commento, quod excerptores transferebant, aliorum quoque magistrorum adnotationes postea inquiram. Sed aliud est in quo magnopere haereo. Excerptores illi nimirum scholia in suam quisque editionem transferebant in utilitatem lectorum, unde consentaneum esset, utrumque excerpsisse optima et utilissima ac non raro eadem. Sed res aliter se habet. Uterque sedulo vitavit ea quae alteri placuerant, nam ordines numquam fere eadem exhibent [2]). Diceres eos operam praestitisse ex compacto, nisi haec coniectura nimis esset inepta. Duo illi ordines sese invicem explentes ita tantum explicari possunt, ut sumamus excerptorem aliquem ex commento in editionis marginem continua scriptura transportasse quae sibi maxime placerent et postea alterum, vel potius eundem, in eiusdem editionis marginibus vacuis reliqua quoque adiunxisse scriptura continua, sed inde a II 4 haec supplementa addere supersedisse taedio captum, unde factum, ut dehinc unus tantum scholiorum ordo legeretur. Si res ita accidit, compilator in describendis scholiis Phormionis (inde a II 3) unam modo editionem adhibuit, qualem dixi, et hoc veri similius est, quam ut putemus hominem, qui per IV vel V fabulas indefessam operam praestiterat, repente defecisse cum

1) Don. „in vita" explicuerat „in moribus". Phil. subiunxit: „utrum „in vita" in moribus, an „in vita" hoc est cum viveret?" Haec scholia procul dubio partes fuerunt unius scholii in commento, quas divellerunt demum excerptores. Cf. quae disputavi infra p. 227 ad I 1.11.

2) Concinunt tantum in quatuor levissimis: 16 opera VII casus est; 25 male loqui pro maledicere; 26 Lucilius: carcer vix carcere dignus; 62 pro ob id.

ad carceres appropinquasset et ea quae in editionum marginibus praesto erant ad finem usque describere noluisse.

Hinc sequitur quid aestimem de reliquarum fabularum scholiis. Hic quoque credere nequeo duos excerptores ex composito operam sic divisisse, ut uterque e commento in suam editionem optima pessima, sed numquam eadem transportarent. Nec tamen ab altera parte contendo unum illum excerptorem, quem posui, ab Andria ad Phormionem in singulis fabulis prius temeraria adscripsisse excerpta primi ordinis, dein identidem intulisse supplementa; id nimis ineptum esset credere. Ut res nunc se habet, tutius videtur ex Phormionis scholiorum forma inde a II 3 nihil adhuc statuere de commenti origine in reliquis comoediis.

Ceterum nequaquam omnes adnotationes quae in commento ad Andriam philosopho adiudicandae videbuntur exhibui: harum enim magna pars etiam latet in iis scholiis, in quibus eaedem res verbis fere similibus bis ter quater tractantur. Haec scholia duplicia, triplicia, quadruplicia nonnumquam, quod ad originem et auctores attinet, omnium longe difficillima sunt. quocirca eorum indagatio post simpliciorum naturam et auctoritatem satis bene perspectam meliore eventu instituetur.

§ 1. Differentiae verborum.

Prol. 4. Verum aliter evenire multo intelligit.

Inepte adnotat philosophus: quod credimus plerumque falsum est, quod intelligimus certum est. (Iam Wessnerus haec inclinatis litteris expressit.)

Ibid. 8. Quam rem vitio dent.

Donatus: vituperent, culpent. Philosopho praeter textum scholion Donati hanc mirabilem differentiam suppeditavit: vituperare est mala, vitio dare etiam bona. (Wessner. ut supra.)

Scholii quadruplicis exemplum praebent, quae leguntur

Ibid. 12. Dissimili ratione sunt factae et stilo:

Proferuntur quattuor differentiae:

Oratio in sensu est, stilus in verbis.

Oratio ad res refertur, stilus ad verba.

Stilus non est in pectore sed in prolata oratione, oratio autem et in cogitatione et in prolatu.

Orationem in sententiis dicunt esse, stilum in verbis, argumentum in rebus. Ergo et poema oratio.

Prima et secunda ad Donati commentum referenda videntur. Tertia philosophi ingenio maxime respondet. Quarta a magistro quodam ex scholari doctrina addita videtur. Unde alius denuo magister conclusit: ergo et p. o.

I 1. 3. Curentur recte.

Don.: diligenter coquantur. Idem denuo V 4. 52 (3) „recte" interpretatur diligenter. Vide praeterea ad I 144. Sequitur Phil.: curatio proprie medicorum est, cura reliquorum; sed coquina medicinae adulatrix. (Cf. Platonis Gorg. 465 D sq. Wessn. haec iam dedit inclin. litt.)

Hoc praesertim philosophi proprium est, aberrare a textu rebusque propositis et undecunque insanientem sapientiam corradere.

4. „Efficere" facere est in opere esse, efficere autem perfectionem desiderat.

7. Donatus breviter: fide ad complenda, taciturnitate ad celanda mandata. Philosophus loquaciter: fides est commendatorum fida exsecutio vel observantia, taciturnitas vero observantiae genus, in silentio constituta et in celando secreta. Quaerit autem taciturnitatem ne prodat Pamphilo secretum, quod ei commendaturus est. (Cf. Don. ad Eun. III 2. 23.)

13. Don.: plus dixit „in memoria habeo", quam si dixisset „scio". Addit Phil.: nam quae scimus, possumus oblivisci, quae vero memoriae mandamus, numquam amittimus.

33. Don.: non dixit „laudabam", sed „gaudebam". Addit Ph.: laudat enim etiam alienus, gaudet qui pater est.

35. „Perferre ac pati". Phil.: ferre est cum certo tempore, perferre finem exspectat effectus. His magister alius addidit: feruntur onera et sustinentur supplicia.

47. Don.: „duriter" contra rationem regulae: „dure" ab eo quod est durus dicere debuit. Phil. ipse differentiae repertor hic exstitit, cum subiungeret: tamen est differentia: est enim duri-

ter sine sensu laboris, dure autem crudeliter: illud ad laborem hoc ad saevitiam relatum est. Dein alius magister haec addidit: Sed dure in alterum, duriter in nos aliquid facimus.

Scholii initium esse Donati, docet Servii Comm. in Don. G. L. IV 439: nam Terentius ait duriter, cum dure dicere debuit. Ceterum Gramm. Latini nullam de his vocibus praebent differentiam, sed citant duriter iuxta humaniter, ignaviter, largiter. Igitur philosophi doctrina propria fuit et sine auctoritate.

75. Don.: „despondi proprie". Addit Ph.: nam desponsa dicitur, quia spondet puellae pater, despondet adulescentis. Falsa differentia ab ipso inventa.

93. Don.: „modestus" ad probitatem vultus et morum pertinet, „venustus" ad naturam corporis. Ph. observat: atque adeo vultum sibi fingere multi possunt, formam nemo. Idem mox ad 96, Donatum inepte imitatus: „honesta" ad formam, „liberali" ad vultum rettulit.

I 2. 28. Don.: dare est quod repetas, dedere ad perpetuum. Ph. addit: et damus etiam amicis, dedimus tantum hostibus. Cf. I 1. 36 Don.: plus est dedere quam consentire, ubi Ph. addit: quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt; et V 3. 26 Don.: bene „dedo", quasi hostilia et contraria volenti (scil. patri). Ubi Ph. pergit: „nam deditio in hoste fieri solet".

29. Don.: bene „lege atque omine", quia leges auspiciis servatis ferebantur. Ph. autem: „lege" ad homines, „omine" ad rem divinam refertur, id est firmamentum per humana et divina.

I 5. 22. Ineptum est, quod a quovis reprehendi potest, falsum est, quod etiam prudentem possit fallere. Haec quoque inepta et falsa differentia philosopho assignanda est [1]). Nec minus quae legitur in

II 1. 12. Oramus quae bona sunt, supplicamus in adversis malis vel cum lacrimis, nec non quae sequitur

1) Vid. Eun. I 2. 24 schol. Donati (1) et Philosophi (2).

34. Fit quod verum est, fingitur quod falsum est, invenitur, ne temere fiat. „Invenite" ergo cogitate dixit, post cogitationem „efficite" (scil. dixit), id est in effectum perducite. Sallustius (Catil. 1. 6); exemplum parum commodum.

Donatus apte haec tantum: „Facite, fingite, invenite" mire exprimit animum Pamphili nuptias metuentis, cui quicquid dixerit parum est. Cf. Don. ad Eun. V 8. 5.

II 5. 1. Phil.: Observatio duplex est, vel captationis vel obsequi.

Obversabatur ei quod Don. dederat ad I 1. 142: observatio in duabus rebus est in obsequio et in speculando.

III 2. 16. Veretur liber, metuit servus. Mirabile dictu vereri hoc ipso loco adhibetur de servo.

III 3. 2. Et „adierunt" non „accesserunt", quia aditus arduus difficilisque est. Don.: „adierunt" sic alibi „adeon ad eum" (vs. 315). Cf. Phil. ad Eun. II 2. 28. 3.

III 4. 20. Plus est nullum esse quam perisse; nam qui perit vel corpus habet reliquum, qui vero nullus est, ita non est, ac si non natus sit.

IV 1. 9. Post Donatum sic pergit: Et melius „timent", quam si diceret „pudet eos"; nam timor etiam malorum, pudor tantum bonorum. Atqui mox de iisdem hominibus adhibetur pudet, vs. 13.

15. Don.: expostulatio est adversus eum, quem incusamus, quod Ph. sic illustrat: nam expostulare est querellam dicere de altero apud alterum.

IV 3. 20. Tu ut subservias orationi, utcumque opus sit, verbis.
Don.: recte „ut subservias" dicit, non enim tantum loquetur Mysis quantum Davus.

Phil.: „orationi" meae, tuis „verbis"; plura enim loquetur Davus, inde „orationi" dixit, illa subsequetur, ideo „verbis".
Donati adnotationem insulsa distinctione amplificat.

V 3. 20. Et „inventi" non „geniti", secundum illud: „hoc ergo scio, neminem peperisse hic" (vs. 506). Non raro doctri-

nam suam munivit exemplis, sed plerumque falsis, ut h. l., ubi „inventi" subiecta habet „domus, uxor, liberi."

4. 36. „Gaudemus nostris, gratulamur alienis, ut Sallustius: „ei voce magna vehementer gratulabantur (fr. Hist.)". Differentia inepte illata, nam in textu legitur tantum „gaudeo" proprio sensu; porro exemplum nihil probat; denique Ph. gaudeo h. l. pro gratulari sumpsit perperam, ut apparet ex eius scholio quod sequitur (5): incertum utrum qui gratulatur Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat: potest enim pater et Chremes videri. Quam totum hoc falsum sit, nemo non videt. Ad vs. 43 idem repetit: supra adnotavimus: nostris gaudere, alienis gratulari. Sallustius etc. Ampliavit hoc alius magister addendo: plus est ergo gaudere quam „laetari".

Differentiarum agmen claudat insigne exemplum philosophantis magistri. Ad verba Charini:

V 5. 3. Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sint,

adnotavit haec:

Omne quod habemus aut mutuum est aut proprium. Mutuum est, quicquid ad tempus habemus nec postmodum nostrum futurum sit, ut villa, domus, uxor, filii et cetera in hunc modum, proprium, ut virtus animi, est bonum sempiternum, quod proprie de diis dicitur, non enim aliunde venerunt, sed apud se ipsos sunt semper. Et Epicurum secutus hoc dixit. Proprie ergo de diis „sempiternum" dixit, nam inter sempiternum et perpetuum hoc interest, quod sempiternum ad deos, perpetuum proprie ad homines pertinet.

Similia iam dederat ad IV 3. 1 ubi Mysis:

Nilne esse proprium quoiquam!

Omne quod habemus aut mutuum est aut proprium, ergo „proprium" perpetuum [1]), ut „propria haec si dona fuissent" (Verg. VI 871). Ergo nihil nobis proprium esse potest — quod enim non fuit, ne esse quidem potest, aut quod eripi potest, non est nostrum — nisi illa quae eripi non possunt, ut sa-

1) Wessn. haec tria verba alii magistro dedit, minus recte, ut opinor.

pientia, iustitia, prudentia, quae fortuna neque dare neque eripere cuiquam potest.

Utrobique autem philosophi contemplatio pendet ex simplicissimis Donati notis, qui ad V 5. 3 et 4 („Ego deorum vitam sqq.") haec dedit: non dixit quod sit, sed quod verum putet et est dogma Epicureum, quod a ceteris philosophis repudiatur, de otio deorum ac perenni voluptate. Dein (ad v. „propriae sunt"): perpetuae, sempiternae, quae non sint accommodatae ad tempus ac mutuae. Sic et supra „nihilne esse „proprium cuiquam." Idemque ad IV 3. 1: „Proprium" perpetuum, non temporale ac mutuum. Donatus inter perpetuum et sempiternum non distinxit.

Neminem fugit has differentias omnes esse ficticias, et argumenta atque exempla quibus fulciuntur, vana et inepta. Stilus hominis, quamquam affectat structurae elegantiam et aliquam orationis copiam, peccat inani prolixitate et sententiarum obscuritate, veluti in his: „fida exsecutio vel observantia", „in silentio constituta et in celando secreta" (I 1. 4), „finem exspectat effectus" (35), „sine sensu laboris ... crudeliter ... illud ad laborem, hoc ad saevitiam" (47), „id est firmamentum per humana et divina" (I 2. 29), „querellam apud ipsum deponere" seqq. (IV 1. 15), „non enim aliunde venerunt" seqq. (V 5. 3), „quod enim non fuit" seqq. (IV 3. 1).

Pleraeque differentiae scholiis Donati adiunctae sunt, pauciores libere interpositae. Quaedam aliorum magistrorum observatiunculis ansam dederunt.

§ 2. Definitiones verborum.

Transeo ad scholia philosophi, quae vocabulorum definitiones et nonnumquam derivationes continent. In his peculiare hominis ingenium non minus facile agnoscitur quam in differentiis.

Prol. 7. Qui malevoli veteris poetae maledictis respondeat. Vetus plerumque refertur ad laudem, interdum ad vituperationem.

Haec Donati esse ostendit scholion ad Eun. IV 4. 21 (4).

Philosopho mecum tribues hoc: „Veteris" pro cariosi et

rancidi posuit, atque ideo malevoli. Et ad Eun. l.l. hoc (7): senex utrum senex an quia ita videtur ob deformitatem?

8. Animum attendite (v. l. advertite)

Don.: legitur et „attendite". (Cf. Eun. prol. 44: nos ἐλλειπτικῶς dicimus <„advertite" ut> „attendite", veteres plene „animum advertite".) Addit ille: unde(!) manifestum est et attendite et advertite non esse plenum, nisi addideris animum.

Hausit hac ex scholio Donati ad Eunuchum.

16. Contaminari non decere fabulas

(1) „Contaminare" proprie est manibus luto plenis aliquid attingere et polluere. Vergilius: linqui pollutum hospitium (Aen. III. 61).

(3) „Contaminari" tangi [et relinqui] polluta manu ac per hoc foedari aut maculari, ut ipse ait: ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua. (Cf. Eun. III 5. 4).

Illud Donato hoc propter formam prolixiorem philosopho dederim. Ex exemplo Vergiliano Donati in (3) irrepsisse videtur emblema „et relinqui".

I 1. 12. Simo: Quod habui summum pretium, persolvi tibi. Phil.: quia „pretium" dixerat, „persolvi" dixit proprie.

18. Don.: „uno verbo" uno ἀξιώματε, una sententia. Phil. ita pergit: nam ἀξίωμα sententia est vel enuntiatio uno verbo nexam continens et perfectam intelligentiam; ἀξίωμα enim constat ex nomine et verbo. Cf. ad I 5. 5 et ad Eunuchum I 2. 95, ubi haec leguntur:

(1) „Istuc verbum" pro tota sententia.

(2) „Verbum" pro dicto. Sed proprie ἀξίωμα id est sententia vel enuntiatio, quae uno stringitur et ligatur verbo, „verbum" a veteribus dicebatur.

Et ibid. 98 „istuc verbum" (vs. 95) et „uno verbo" (vs. 98), ut diximus, sic accipe, ut „verbum" dictum intellegas, quod verbo complectitur completae sententiae pronuntiationem, quod ἀξίωμα nominabatur.

Ex hac postrema axiomatis definitione Donati, quae planis verbis enuntiata est, fluxerunt definitiones perplexae philosophi cum ad Andriam, tum ad Eunuchum (2).

22. Don.: „pacto" modo. Phil.: hoc ita explicat: quoniam antecedit pactum, sequitur modus: ergo ab eo quod sequitur, id quod praecedit.

Hanc regulam ei in deliciis fuisse docent haec eius scholia: ad III 2. 22: „dicas" pro credas, non enim dicimus nisi quod credimus: ab eo quod sequitur, id quod praecedit. Idem ad Eun. IV 6. 24: ab eo quod praecedit („prospicere") id quod sequitur („cavere"); ibid. IV 7. 10. Don.: „servat" pro remanet et observat. Ille: vel pro sedet et servat: ab eo quod sequitur id quod praecedit: nam non servat nisi qui prius in eodem loco sederit.

Usurpaveritne hoc Donatus nondum cognovi.

46. Don.: bene „apportet". Ph.: quia *apportare* ignotis est.

56. Don.: „Habet" sic dicitur de eo qui letaliter vulneratus est, Vergilius (Aen. XII 296). Phil.: proprie de gladiatoribus dicitur „habet", quia prius alii vident, quam ipsi sentiant se esse percussos. Notandum est hoc non coniunctum esse cum scholio ipsius Donati, quod citavi, sed excerptoris alicuius Donati, ut videtur.

66. Don.: „Conflictatur" id est atteritur. Ph.: *conflictatio* est tactus invicem corporis et collisus.

80. Don.: Sic „una aderat frequens", ut supra „cum quibus erat cumque una". Phil: possumus enim et adesse et frequentes non esse, si praesentes non adhaereamus his, quibus adsumus.

84. Don.: „Familiariter <fert>" quasi familiaris. Phil.: „familiariter" id est graviter, nam quae nobis sunt familiaria, gravia sunt animo nostro.

90. „Efferre" Graecum est, quod vitans Vergilius, ne diceret „efferunt", „exportant (scil. apes) tectis, inquit, corpora luce carentum" (Georg. IV 255).

100. „Et bene „funus procedit, nos sequimur" dixit quasi „post ipsum morituri". Haec allegorica comici sermonis interpretatio omne tulit punctum.

101. „Sepulcrum κατ' ἀντίφρασιν dicimus, quod sine pul-„chra re sit". Sic Donatus secundum Varronem (C. Gloss. V 481. Charis. I 73), cui suum etymon opponit philosophus per interrogationem, ut saepe: „An quod ibi sine pulsu sint, id est mortui?" Quod dein sequitur: „an quod illuc animae a vivis sepelantur, id est separentur?" sitne eiusdem an alius magistri non discerno.

102. Don.: bene hic impersonaliter „fletur": ab omnibus. Ille subiungit: extrema enim quaeque mortuorum omnes commovent ad lacrimas.

105. Ad verba „bene dissimulatum", Don.: „bene" multum. Ille pergit ex interpretatione prorsus falsa: an quasi dolens, quia etiam negaturus sit Chremeti, dixit „bene"?

119. Quomodo „sedulo", si negabat? an „sedulo" ... id est simpliciter?

120. Quid „denique"? Ad summam properat et ad finem dictorum. Don.: „denique" i. e. postremo.

137. Ad verba „mala mens malus animus". Don.: „animus" voluntas est. Addit alter: „mens" etiam ratio.

I 2.4. Quid sit „eri semper lenitas" Don. bene indicavit loco Lucretii I 125 „semper florentis Homeri". Phil. putat talem lenitatem simulatam esse debere, quod sic expressit: ac per hoc (i. e. propter τὸ semper?) simulata usque nunc lenitas; nam nemo in diversis actibus semper lenis est nisi forte fictus adsimilator et callidus.

I 4.2. Don.: „sane" multum, valide. Pergit ille: namque validus est, qui multum rerum necessariarum habet ad salutem. Non poetam, sed Donatum explicat, ut I 1.22. Cf. I 2.24 et V 2.7: „sane" valide, quia „qui sanus, et validus est".

II 2.14 et 15.

Pamph.: quam primum hoc me libera miserum metu. Dav. Em, libero: uxorem tibi non dat iam Chremes.

Scholiasta ad 14: bene „libera": perfecta enim securitas liberatio nominatur. Ad 15: bene „iam", quod si non dixisset,

intelligeret Pamphilus vel postea Chremetem filiam esse daturum; sed addito „iam" plena securitas est, iam enim renuntiatio est perpetuitatis.

Haec omnia propter res et dicendi rationem Philosopho tribuenda esse videntur, qui identidem particulae iam peculiarem vim adsignavit. Sic ad III 5. 11 „iam expediam" adnotat: duo promisit simul: et tempus cum celeritate et effectum. IV 2. 1 „iam ubi ubi erit" cett., hoc adscribit: non solum se adducturum promisit, sed et tempus addidit. V 4. 19 „iam sciri potest" addidit et temporis celeritatem et magna maturitate dixit. Ibid. 50 „Davo istuc dedam iam negoti": addidit et temporis celeritatem. II 3. 8 „Cito": Donatus adnotat: „illo admirante hic (Davus) etiam confirmavit", quibus Phil. adnectit: addidit etiam tempus celeritatis.

Nostro loco particulae significationem dedit „perpetuitatis" prorsus insolitam. Donatus de significatione particula tritissimae in Andria, quantum vidi, siluit, nec non in Eunucho, ubi scholia III 2. 39: „τὸ iam increpatio morae est" et IV 5. 8: „quia „iamdudum" infinitae mora est, addit „aetatem", ut ostenderet multum abiise temporis, ut factus est," etiam ad philosophum referenda esse docent Donati scholia iuxta posita.

Quod II 2. 14 ad verba „obsecro te quam primum" cett. adnotatur: „cum precibus et tempus admiscuit" eiusdem notae est et originis.

16. De significatione verbi aio hoc finxit: ait proprie, quia contemnenda dicuntur. Cf. Eun. I 2. 59, unde hoc fortasse sumptum est.

II 4. 7. Don. „commutaturum verbum" recte interpretatur „altercaturum" addito exemplo Phorm. IV 3. 33. Phil. suam opinionem diserte sic opponit: „Ego puto „commutare verba" esse pro bonis dictis mala ingerere, hoc est iracundia in maledicta compelli", quod falsum. Ceterum usum pronominis ego (nec magis at mihi sim.) non certum indicium esse scholii genuini aut spurii docent loci ubi ipsum Donatum habemus sic loquentem: III 2. 1 (4) „quod ego non probo", et in Eunucho IV 4. 22 „at ego", ibid. 7. 16 (2) „ego ... puto"; contra philosophum in Eun. V 1. 7 „sed ego agnosco".

II 5. 1. Ad Byrriae verba:

Erus me relictis rebus iussit Pamphilum observare

Phil. doctrinam sic ostentat falsisque exemplis exornat: Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod coeperit, ut Verg. „imponit regina manum" (VII 573); relinquuntur vero res, cum imperfectae relinquuntur, ut Verg. „atque opere in medio defixa relinquit aratra" (Georg. III 519).

Ibid. 12. Valde suspectum est hoc: Cadere spe dicuntur, qui levati a summo ad inferiora labuntur.

II 6. 5. Don.: εἰρωνικῶς „virum" dixit defessum senem. Phil. id sic explevit: vir enim modo ad vituperationem cum ironia, modo ad laudem sumitur sine ironia. Incredibili confidentia identidem talia ex tempore fingit et h. l. imitari videtur quae dedit Donatus ad Eun. II 3. 16 et IV 3. 18.

III 1. 2. Don.: „Ferme" pro facile posuit. Phil.: et ferme facilitatem significat, quia sunt adverbia aestimationis.

11. Et bene „adeo", quia iam demens est, quod amat.

21. Don.: „Adortus" aggressus. Phil.: „adortus" dicitur, qui ex insidiis repente invadit: dictum ab eo, quod corpora aggredientium exsurgant subito atque increscant. Rerum causas reddendi furore laborat.

III 2. 1: Sic veteres scribebant „adhuc", quando incerti futurarum rerum ex praesentibus firmum intimabant, quod est genus cautissimae promissionis et certae.

III 3. 40. „Don.: „Quid istic?" concedentis et veluti victi verbum, tamquam si diceret „quid?". Phil.: vel potius „quid istic?" significat hominem de loco ac sententia secedere, ut e contrario perstare ac resistere dicitur, qui aliquid negat.

„Vel potius" ut in eiusdem scholio IV 2. 13.

III 4. 21. Bene „proficiscar": proficisci enim in rem aegram et difficilem dicimus.

III 5. 3. Non „commendasse", sed „commisisse": committimus enim, quae magno cum periculo volumus esse servata.

IV 1. 32. „Apparari" cum dativo casu iunctum semper cladem et perniciem significat, ut „mihi sacra parari" (Verg. Aen. II 132). Ecce scholion ad illustrandum hunc versum: „Haec nuptiae non adparabantur mihi". Repetitur ad IV 2. 7.

43. Semper τὸ „dic mihi" iniuriosum est, ut ille: „dic mihi Damoeta, cuium pecus?" (Ecl. III 1).

IV 2. 24. Ad verba: „hinc vos amolimini, nam mi impedimento estis", Don.: amoliri dicuntur ea quae cum magna difficultate et molimine submoventur et tolluntur e medio. Phil.: molestum impedimentum ex rei magnitudine iacentis in medio, et ideo impedientibus se „amolimini" dicit, non abite.

V 2. 1: Animo nunc iam otioso esse impero. Don.: „otioso" securo. Phil. addit: quia negotium sollicitudo est.

Ibid. Don.: „impero" pro volo. Phil.: An ut statim fiat tanquam illud quod imperatur? Et „impero" superbe dixit: summum enim indicium securitatis est superbia.

15. Videtur esse quantivis pretii,
Don.: ad magnitudinem refertur „quantivis", <non> ad parvitatem pretii. Phil.: sed interest inter quivis et quantivis, nam alterum contemptionis est, alterum laudis.

V 3. 6. „Num facti piget" philosophus dictum esse putat: quia „praedicant" dicit, non „dicunt"! Legitur nempe vs. 5 hoc:

Ain tandem, civis Glyceriumst? PA. Ita praedicant.

25. „Peccare" secundum Phil. h. l. dicitur: quia amor deus est, non voluntas. Cf. Donati scholion (3).

§ 3. Interpretatio sententiarum.

In sententiarum interpretatione eadem vitia aliaque insuper auctorem nostrum coarguunt: sermo prolixus et fucatus, argutiae cuiuscumque generis, impudens audacia in excogitandis et promendis argumentis ineptissimis et in exemplorum usu quae nullius momenti et saepe perperam adhibita sunt. His subsidiis

Donati interpretationes sanas et utiles interpolat, corrigit, evertit, dum totum commentum philosophematis suis onerat et depravat.

Prol. 22. Dehinc ut quiescant porro moneo.

Don.: moneo terribiliter dixit. Cicero in Verrem: moneo, praedico, ante denuntio (I 1. 36). Quae autem sequuntur: „liberatus culpa etiam terret alibi criminaturus adversarios", haec haud scio an Donato dari etiam possint pro supplemento praecedentis scholii.

I 1. 3. „Ars" ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta est per συγκοπήν.

Sic Donatus docebat, teste Servio in arte Don. IV 405, Isidoro Orig. I 1. Philosophus hoc ita explet: ἀρετή autem virtus est; virtutis vero quattuor generales sunt species: prudentia iustitia patientia fortitudo; sed prudentia in multis rebus descendit.

Idem ad vs. 6 haec adnotat: ipse hic signatissime ostendit multas variasque artes esse, id est ἀρετὰς, quae virtutes intelliguntur.

10. Dulcem libertatem fecit operatione et tractatione verborum dicendo: „ex servo libertum"; non enim tantam haberet gratiam, si dixisset „feci libertus ut esses", sed „ex servo ut esses libertus", ac si quis dicat „feci ut esses sanus", non tantam haberet gratiam, quam si dicat „feci ut ex aegro sanus esses".

Paulo post sequitur: aut ideo „mihi" additum, quia libertus ad aliquid dicitur. Sitne hoc nostro an alii magistro tribuendum, non discerno. Simile legitur ad III 1. 18: nomen est ad aliquid discipulus, ut magister. De hoc dogmate confer Priscianum I 60, II 218: ad aliquid dictum est, quod sine intellectu illius, ad quod dictum est, proferri non potest, ut filius, servus, e. q. s.

Propterea quod servibas liberaliter

(1) „Liberaliter" bene, quia omne bonum libero aptum est, malum servo. Idem alibi (Ad. IV 5. 28—30): factum est a nobis .... inliberaliter". (2) Et bene admonuit, cur dederit beneficium, eadem et nunc officia

quaesiturus. Non enim dixit „artificiose", quia supra (vs. 5) ait „nihil istac opus est arte". (3) „Quod serviebas" bene imperfecto tempore, non perfecto, ut ostendat [1]) potuisse eum etiam atque etiam servire, quale est illud Vergilianum (Aen. VI 113): atque omnis p. m. c. f. i., ut ostendat [1]) eum, quamvis invalidus esset, tamen adhuc potuisse laborem exitiumque ferre.

Ecce tria scholia quorum eae partes, quas laxatis litteris exprimendas curavi, Donato dandae sunt, reliqua omnia Philosophi cerebro debentur.

Scholiorum ordo frequenter is est, ut in mediis Donatianis legantur interpolata philosophi vel aliorum [2]). Hinc quaestio oritur utrum compilator nostri commenti ea interposuerit per errorem, an hunc ordinem in exemplari iam invenerit. Locus, quem supra descripsi, ostendit compilatorem interpolationes philosophi iam firmiter ita insertas invenisse, uti hodie leguntur. Adhibuit igitur exemplar commenti a philosopho interpolati. Confirmant hoc loci permulti supra tractati et mox tractandi, in quibus Phil. per varias coniunctiones (et, sed, nam, enim simul, al.) suas notas Donatianis subiunxit.

13. Ad Simonis verba: „haud muto factum" post notam Donati (2) hoc legimus: An secundum ius, quod adversum libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? Sed hoc non convenit senem dicere. Deprehendimus Philosophum, qui adamat huiusmodi interrogationes cum vel sine responsione [3]). Refutat autem explicationem, quae invenitur apud Eugraphium: Mihi videtur iuris rationem respicere, ingratus enim libertus a patrono revocari in servitutem potest.

Ecce nova questio, quae ratio intercedat inter Eugraphium et philosophum reliquosque interpolatores, nec non inter illum et Donatum, quocum aliquoties convenit.

---

1) Ostendit, ut ostendat, sim. identidem Phil. adhibuit, nec tamen inde ille agnosci potest, nam hoc quoque sumpsit a Donato in cuius scholiis frequens est hoc verbum.

2) Cf. Sabbadini Stud. Ital. III 342 sq.

3) De hoc scholiorum genere vide infra.

14. Et fecisse se et adhuc facere ostendit, quamvis manu emissus sit. Adnotatio nimis otiosa.

19. „Ita faciam" hoc est, uno verbo dicam. Sic Donatus. Phil. hoc sic ampliavit: et quod verbum promisit? <illud>, ubi dicit „nunc tuum est officium" e. q. s. (vs. 141).

24. Donatus: necessario positum „is" pronomen, ἀναφορᾷ ad illud „gnati vitam". Pergit alter: nam si non posuisset hoc pronomen, Sosia erat intelligendus. (!)

33, 34. De verbis Sosiae ad Simonem:

Non iniuria: nam id arbitror adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis

Phil. observat: intempestive Sosiae respondet, sed prudentia tantae sententiae (n. q. n.) compensavit importunitatem.

Huiusmodi reprehensionem respexit Eugraphius: Quidam arguunt Terentium, quod istam sententiam dixerit servus, quam sapientum summus ex septem protulisse dicitur e. q. s.

Donatus (2): sententia non incongrua servo, quia et pervulgata <est> et non refertur ad personam domini dicentis (i. e. non ad Simonem, sed ad filium). Dein philosophus pergere videtur per interrogationem contra Donatum: Sed de quo dicitur? [1]) an magis quia convenit Sosiae cor (i. e. audacia) eiusmodi, χαρακτήρ in verbis est?

Usurpat ille nonnumquam verba Graeca male intellecta. De characteribus cf. Gloss. V 175. 13. Sabbadini l.l. p. 339.

Eugraphius cum Donato fere: Fieri potest, ut ista sententia a sapiente dicta percrebuerit et omnium in ore versetur.

41. Obsequium amicos veritas odium parit

Phil.: Huius versus pars (l.l. per) improbior est „veritas odium parit". Falsum est autem, quod Cicero putat (Lael. 89) „obsequium" primo dixisse Terentium cum et Plautus et Naevius ante dixerint.

Hanc culpam Ciceroni stulte imputavit ex eius verbis male intellectis: „In obsequio autem, quoniam Terentiano verbo libenter utimur". Ceterum locum Tullii debebat Donato, ut ap-

1) Hoc modo codicum lectio servari posse videtur. Cf. Wessner.

paret e scholio sequenti (2): Sententia παράδοξος et magis theatro apta quam officio, de qua Tullius multa dixit. Scholion (3): „ἀμφίβολος sententia et probabilis magis quam necessaria aut honesta", auctorem habere debebit ab utroque diversum, quod ideo moneo, quia reliqui magistri raro observationibus ethicis operam dederunt.

Sed quid faciendum est scholio quod de eadem re legitur ad vs. 40? „Improbatur a sapientibus haec sententia, nam obsequium adsentator debet, amicus veritatem; sed in theatro dicitur, non in schola"?

Convenit fere cum scholio, quod Donato adsignavi (2). Estne huius ampliatio ab alio denuo magistro? Locum agitasse interpretes demonstrat adnotatio Eugraphii ab illis denuo diversa: „hoc tempore" (vs. 40) mihi videtur ad omnia tempora spectandum; nusquam enim non valet ista sententia. Vide etiam Donatum opportuna philosophantem de hoc adagio ad Eun. II 2. 20.

42. „Mulier quaedam" sic dixit <non> quasi ignoraret nomen eius paulo post Chrysidem nominaturus, sed ideo, ut gratam exspectationem faciat simulque avidum lectorem nominis audiendi reddat, ut Vergilius paulo post nominaturus ait „ecce manus iuvenum interea" e. q. s. (Aen. II 57).

Ut philosopho hoc adscribam facit illa grata (cf. supra ad 10) exspectatio et aviditas lectoris, et quod Vergilius Simonem statim nominare omnino non potuit.

58. Andriae illi id erat nomen

Donatus scite: attico more peregrinis meretricibus a patria nomen imponit. Cf. idem ad III 1. 11 (3). Philosophum esse credo, qui speciose sic pergit: et simul celebrat nomen comoediae dicendo (vs. 43!) „ex Andro commigravit" et nunc „Andriae illi id erat nomen".

63. Ad Simonis verba: „Gaudebam .... comperiebam nil ad Pamphilum quicquam pertinere (scil. meretricem)", Donatus egregio animi candore nihil adnotavit nisi hoc: vide, si non patris verba sunt. Phil. corrupit et horum verborum candorem et loci sententiam addens: et de rebus veneriis circa filii mentionem agentis.

75. „Placuit" συντομία. Sic Donatus. Quae adduntur: adeo bona condicio fuit, ut quamvis ultro obiceretur, tamen statim placeret — non explicant συντομίαν, nec veram causam continere videntur cur propositio Chremetis Simoni placuerit.

83. Parvae consuetudinis causa
Donatus: hoc est convivii tantum. Phil. otiose adiungit: et quia dixerat puer, hoc solum egisse Pamphilum nihil aliud: „symbolam dedit, cenavit" (vs. 61).

86. Haec ego putabam esse sqq.
Adnotatur: cum adhuc nihil peccationis ostenderit, tamen dolor in futura prorumpit, ut „gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat" (Aen. II 344). Quid haec adnotatio et exemplum Vergilianum commune habeat cum verbis Simonis, alius viderit.

105. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Don.: bene dissimulatum amorem et celatum indicat: adcurrit, mediam mulierem complectitur.

Phil.: omnia significanter: non „ostendit", inquit, sed „iudicat", non „accedit" sed „accurrit", non „vestem aut manus" sed „mediam mulierem", non „tenet" sed „complectitur".

Amat antitheses cum alias tum praesertim per sed ... non, quas infra recensebo.

107. Mea Glycerium, inquit, quid agis? Cur te is perditum?
Phil.: „mea" quasi amator, [hoc] „Glycerium" quasi familiaris dixit, „quid agis" quasi perturbatus, „cur te is perditum" quasi consolatus.

Ecce nova quaesitarum et inanium oppositionum species per particulam quasi quater repetitam.

117. Chremes indignatus iis quae Pamphilus egit in sepultura Chrysidis adit Simonem, recusaturus filiam.

Adnotat ille: Ergo hic causa iusti doloris (Simonis) ostenditur, quando dolet etiam Chremes; nam potuit non daturus filiam non venire. Dolor Simonis nequaquam pendet e dolore Chremetis. Et quomodo ille cognosceret filiam Chremetis non datum iri, nisi hic venisset id dicturus?

118. Ad verbum „comperisse" adnotat: ergo ab aliis (sane! nam Chremes sepulturae non interfuit), ut appareat eversum, quod ait „tum uno ore omnes" (69) et „hac fama impulsus Chremes" (72).

Quid sit „eversum" non intelligo. Legendumne „esse verum"? Tum adnotatio non quidem falsa est, sed tamen otiosa.

121 (3). Nonne sic legendum: adhuc superest ut ostendat, quam non sit irascendum <sibi> quin iuste irascatur?

125. Prope adest, cum alieno more vivendumst mihi

Donatus simpliciter: prope adsunt nuptiae. Philosophi ampliatio esse videtur quod sequitur: id est in proximo sunt metae libertatis et ideo avidius voluptuaria sub fine carpenda sunt.

135. Non enim, inquit, prodest filio amare meretricem.

Adnotatio prorsus fatua.

137. Mala mens, malus animus.

Don.: argumentum a natura. Addit ille: et an aliquis <sit> sine causa malus an ab impulsione.

I 2. 14. Meum gnatum rumor est amare

Graviter constanterque senex nondum se fatetur credere (scil. quia dixit „rumor est") nec verum scire, ne amittat vim vindicaturi, si rescierit. Adnotatio a veritate prorsus aliena.

23. Davus sum non Oedipus

Don.: facete se negavit Oedipum, ut senem Sphinga esse confirmet. Phil.: Multiplex contumelia: potest enim senem quasi Sphingam dixisse, id est deformem monstrique similem; potest etiam inhumanum et ferum, ut Sphinx; potest etiam per Oedipodem se ultorem promittere futurum atque oppressorem sapientiae senis.

Et forma, triplex potest, et totius loci vaniloquentia coarguit philosophum auctorem.

I 3. 6. „Difficile est", non dixit „impossibile est", ergo ostendit partem se sequi, quae pro Pamphilo est. Ineptum.

I 5. 13. Acta [1]) ac transacta.

Don.: proverbiale est in id negotii, de quo nihil supersit ad agendum. Phil.: „facta" a Pamphilo, „transacta" a Chreme.

Distinctio falsa.

15. Aliquid monstri alunt

Duplex contumelia est [2]) et „monstri" et „aliquid"; minus enim esset „aliquod monstrum". Sic alibi „quid hominis uxorem habes?" (Hec. IV 4. 21).

Codd. h. l. omnes „hominis" pro „mulieris", per librarii errorem, opinor. Nam idem ille ad Hecyrae locum hoc dedit: „Quid mulieris" dixit, ne diceret, „qualem mulierem" aut aliquid gravius. Ibidem Donatus: Totum percunctative potius quam pronuntiaret et diceret: „Pessimam mulierem et male moratam uxorem habes", et reprehensio est cum contemptu, sic et „quid hominis?"

44. Adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum,
Ut neque me consuetudo neque amor neque pudor
Commoveat

Don.: „consuetudo" adversus feritatem, „amor" adversus inhumanitatem, „pudor" adversus ingratum animum. Ille philosophice: non ordinem reddidit, „ferum" enim reddidit ad consuetudinem (codd. mansuet.), qua etiam ferae mansuescunt; „neque amor" ad illud „inhumanum": amor namque vehementior est in homines, Vergilius: „quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem durus amor?" (Georg. III 258); „pudorem" ad „ingratum" rettulit.

46. Ut memor esses sui

De imperfecto „esses" Donatus scite: invidiose quasi oblito: adeo commovetur hoc dicto Pamphilus. Alter: bene praeterito effert, quoniam quae praeterita sunt, in recordatione magis lacrimabilia et miserabilia sunt, ut Vergilius: „cui parvus Iulus, cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?" (II 677); idem alibi: „per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat" (IX 300).

---

1) Sic Don. legisse videtur.

2) Cf. supra I 2. 23.

Ineptam distinctionem studiose exemplis munivit, et confer quae dixit de imperfecto ad I 1. 11. Ceterum antea quoque pathetice disputantem audivimus de verborum significatione, e. g. ad 1. 84 „familiariter", I 100 „nos sequimur", II 4. 7 „commutare verba" IV 1. 32 „apparare".

47. O Mysis Mysis!

Primum vocandi, alterum increpandi est. Immo utrumque exprobantis est. Distinctio falsa denuo ut ad vs. 13.

49. Iam ferme moriens me vocat

Don.: ex tempore probavit locutam vera esse. Phil. sic perrexit: et non ficta et simulata, nam [1]) qui sani sunt, spe longioris vitae adulantur.

51. Bene Donatus: vide redditam voci morientis densis intervallis intersumptam orationem utpote lasso anhelitu interveniente. Hinc alter haec finxit: amat compendium lassitudo: „formam" enim dicendo pulchritudinem significat, „aetatem" quod parva.

56. Ad „fidem" ne segreges rettulit, ad „solitudinem" neu deseras. Et mox (5 et 6) „Hanc segreges" propter formam et aetatem — „neu deseras" propter amorem.

Antitheses et distinctiones falsae.

60. Amicum, tutorem, patrem

Potest enim (cf. I 2. 23) et maritus esse et non amicus: sed ‹ad› affectum mariti rettulit „amicum".

Ibid. (4). „Virum" ne segreges, „amicum" ne deseras ‹ad illud quod ait „ad rem tutandam" (53) „tutorem"› [2]) et ‹ad› illud quod ait „et ad pudicitiam" (53) „patrem".

Haec omnia aeque inepta sunt.

II 1. 15. „Quidni? si nihil impetres?" recte per ironiam dictum esse ait Donatus. Philosophus hoc ita explicat: „nihil" ironia videtur dictum: „quidni? si nihil petas (sic)?" Quoniam petitionem saepe impetratio sequitur.

De „sequitur" cf. supra ad I 1. 22.

---

1) Longa series est additamentorum per *nam*, *enim*, quae lector facile deprehendet

2) Sic recte explevit Wessn. cum Rabbow.

18. Donatus: non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, sed ut fiduciam det Charino loquendi, quod et Vergilius eleganter (Aen. I 321). Philosophus eum sic imitatur: ad hoc prior incipit Pamphilus, ut ad confessionem Charini non nimis clausa sit via.

20. Similem paraphrasin habemus h. l., cum enim Don. adnotasset: „neque pol consili locum habeo" quia amo, „neque auxili copiam", quia sum miser, — alter ille: <neque consili locus> apud amantem neque auxili facultas apud inopem.

22. Si id facis, hodie postremum me vides
Donatus: nihil prius (i. e. potius) quam moriturum dixit pudenda dicturus. Inde datum est, ut ille instantius quaereret causam.
Respondet nempe Pamphilus: quid ita?
Phil. hoc inepte auget scribens: plus dixit, quam si moriturum dixisset.

24. Sponsam hic tuam amat
Phil.: Callide et „sponsam" et „amat", hoc est: neque adhuc uxor tua est neque aliquid admisit, qui amat tantum. Putide et argute.

37. Fugin hinc? Ego vero ac lubens
Adnotatio philosophum redolet: nemo liber fugit nisi necessitate coactus, hic (Byrria) etiam „libens" dixit, quod est libenter.

II 2. 10. Char. Interii. Pamph.[1]) Mea quidem hercle certe in dubio est vita
Donatus: bene „certe", quasi illud „interii" falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit periturum se esse dicendo quam Charinus interiisse.
Philosophus impugnat: certa sententia est: videtur Charinus plus dixisse „interii", quam Pamphilus „mea quidem" etc. Sed non est hoc; plus enim Pamphilus dixit, nam qui vivit, non potest interisse, is autem qui vivit, potest in dubio vitam

1) Sic haec dividebant scholiastae, perperam.

habere; ideo et iuravit „hercle" et adfirmans iusiurandum „certe" addidit.

Ratiocinatio pro se loquitur. Cf. 22 supra. Illud quod est plus, amplius, minus est vel dixit, quo saepe utitur, etiam sumpsit a Donato.

30. Opinor narras?

Scholion rhetoricum Donati: quoniam argumenta sunt ex coniectura „opinor" dixit.

A philosopho hoc sic expletur: nam contra opinionem „certa res est" (31); quae autem opinamur, putamus, quae putamus incerta sunt.

Donatus scholiis rhetoricis numquam aliquid eiusmodi interpretationis addidit.

34. Ridiculum caput

Don.: pro toto homine. Phil.: nemo enim ore contempto ex aliis membris hominem velit significare!

II 3. 6. Pater est Pamphile

Don.: hoc vultuose pronuntiandum est et [1]) mire „pater" dixit, ut in ipso nomine videatur habere auctoritatem. Phil.: veluti dormitantem (!) et oblitum potestatis paternae his tribus excitat: „pater est, Pamphile", „difficile est", „haec sola est mulier".

12. Hoc (i. e. huc) concludar

Ex ferarum translatione „concludar" dixit, ut alibi „conclusam hic habeo uxorem saevam" (Phorm. V 1. 17). Hoc Donatum ipsum dedisse, tametsi falsum est (cf. Spengel ad h. l.), puto propter scholium simile ad Phormionem: illaturus „saevam" bene „conclusam" praetulit, ut si diceret, „feram". Cf. etiam mox 25 (2).

24. Interea aliquid acciderit boni

Don.: nota „acciderit" etiam pro bono et ab hoc et apud veteres frequentatum.

Philosophus fuit, opinor, qui hoc negligens adscripsit: mortem patris adulescentis in delicto pro bono servus ostentat.

1) Ipse Don. haec per „et" coniunxit, opinor, ut alibi non raro.

Item alius magister: „acciderit" et ad causam refertur(?) et certe, quia mortem patris bonum denuntiat.

25. Quin taces?

Don.: correptio est silentium praecipientis de eo dumtaxat, ne timeat de nuptiis.

Phil.: „quin taces?" cur non securus es? significat, nam nunc tacere <est> securum esse, ut in Adelphis (II 2. 1): tace, egomet conveniam Pamphilum. Et ideo ille (Pamph. vs. 25) ut consentire dicenti „taces" videretur, „dicam" <ait>, ut scias illum non silentium, sed securitatem imperasse.

Postremum argumentum imprimis auctorem scholii ostendit corrigentem Donatum.

Ceterum prima verba: „quin taces? c. n. s. e.? significat" initium esse potuerunt scholii Donati supra positi.

Alius magister cum philosopho, sed breviter (6):

Id est: esto securus, nam tacere securi est [1]).

26. Puerum autem ne resciscat mi esse ex illa

Scholiasta: videtur hoc illi contrarium esse, quod dixit (I 3. 14) „quicquid peperisset decreverunt tollere". Sic ergo solvitur: quod ibi servus cum stomacho dixit, hic tamen Pamphilum verecunde locutum accipimus.

Scholion pertinet potius ad sequentia Pamphili verba „nam pollicitus sum suscepturum". Contrarium igitur in eo positum, quod Davus I 3. 14 cum stomacho „decreverunt" dixit, cum Pamphilus consilium tollendi verecundius expressisset. Est igitur prudens observatio Donati.

II. 4. 1. Donatus: quod supra dixit, non paenituit idem repetere „observes filium, quid agat, quid cum illo consilii captet" (I 1. 142).

Sic ille concise, ut solet. Philosophus asserit: quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere; actio tamen (Bentley recte: autem) ex his tribus consistit: cogitatione, dicendo, gerendo.

---

1) De „tacere" et „taciturnitas" cf. Eun. III 2. 23, V. 1. 4.

3. Venit meditatus alicunde ex solo loco:
Orationem sperat invenisse se

Don.: „solo" deserto, ubi meditari facilius possit. — Dein haec sequuntur: et „orationem" dixit, quod quasi ad plenum cogitari potuisset, quippe „meditatus alicunde ex solo loco". — Menander εὑρετικὸν εἶναί Φασι κ. τ. λ.

Interpolatio lineolis inclusa, quam deprehendit Sabbadini (II 14), philosopho deberi videtur.

III 1. 12. Vix tandem sensi stolidus.

Etiam Donatus nonnumquam philosophatur, sed opportune et vere, ut h. l. in scholio primo:

Pulchro colore vitae inducto poeta ostendit non minus falli suspiciosum, quam qui stultus est; huic (Simoni) enim veritas fallacia videtur, dum nimis est acutus ac perspicax. Et hoc est, quod ab eventu fingit poeta (scil. Simonem nimis acutum sic falli); non enim in Davo est sic errare nunc senem (i. e. non Davi astutia factum est, ut sic erraret).

Sequuntur autem quinque scholia inter se satis similia, quorum 3 et 4 dubitanter Donato dederim, 1 et 5 Philosopho, qui illius adnotationes suis circumsaepsit, hunc in modum: Don.: (3) „Sensi" quasi ad tactum rettulit, quo etiam pecora impelluntur ad sensum. (4) Duabus ergo rebus scimus: aut ratiocinatione aut sensu, quibus maxime praestamus ceteris animalibus.

Phil. praemisit locum communem de sensibus, ut supra I 1. 3 de virtutibus, cum exemplo ineptissimo et de pecoribus stulte aemulatus Donatum: (2) Quinque sunt sensus, quorum duo, visum et auditum, magis nos sensibiles habemus quam pecora. Unde(!) Cicero: non solum videam, sed etiam audiam planeque sentiam (Cat. 1. 8). Idem subiunxit conclusionem suam ex Donati scholio (4): Ergo senex se non sensu, non ratione sensisse ait, sed veluti calcaribus et stimulis (scil. ut equi et armenta!) punctum.

In hoc postremo scholio nimis delirat.

III 2. 30. Exempla Vergiliana a Wessnero recte inclinatis litteris reddita a philosopho derivanda videntur, a quo iam multa exempla temere addita cognovimus.

III 3. 12. Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat

Don.: haec plena vox est et caritatis et officii. (Cf. eius verba ad I 1. 63, 111, alia.)

Phil. corrupit adnotationis nativum candorem addens: quod enim amicus ab amico petit, iustum esse debet, nec pro eo quod est iustum supplicare oportet.

III 5. 1. Ubi illic est scelus?

Nimium terribile est saevire, antequam videas eum, contra quem irasceris!

5. Posthac incolumem sat scio fore me, si devito hoc malum

Donatus (1): sic dicere solemus in magno periculo positi: numquam nos periclitaturos, si illud periculum potuerimus evadere.

Phil. (2) in Davi verbis nimiam fiduciam reprehendendam esse censet: audacter se incolumem in futurum promittit (!) fore, cum vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta.

Dein magister aliquis [1]) philosophi interpretationi suam opposuit per particulam adversativam (3): Sed hoc dicit: sic, inquit, periclitor: si hoc evasero, scio me postea non periclitaturum. Hic igitur Donati interpretationem pro viribus vindicavit.

Sed quid faciendum scholio postremo (4): Et est sensus: tam difficile est hinc evadere, ut qui hinc evaserit, videatur immortalis futurus?

Aut ipsi philosopho dandum est, qui tum post (2) sic perrexit, aut alii magistro, qui eius interpretationem suis verbis rettulit et ornavit. Sed talis magistri vestigia nusquam inveni. Quaestio cohaeret cum altera illa gravissima de scholiorum multiplicium dispositione. Et superest etiam adnotatio Graeca: Menander sic: ἂν θεὸς etc., quae legitur inter (3) et (4).

IV 1. 4. ex incommodis alterius sua ut comparent commoda

Don. recte: „comparent" hoc est adquirant.

Phil., opinor, addidit: vel aestiment, hoc est: non intelligunt commoda sua, nisi ex alterius incommodis ea aestimaverint. Interpretatio falsa, quam etiam Eugraphius habet: numquam se felicem credat, nisi sit cui comparatus insultet.

---

1) Iam Wessnerus hoc scholion cursive reddit.

9. „Res" malitia scilicet: id est quia mali sunt ad rem, quam praestare non possunt.

Spengel recte: „res" durch die Sachlage gedrängt.

55. Davus se excusat arguendo: parum succedit quod ago.

Don. (2): Bene „succedit", ut quod agimus ostendat successus esse atque fortunae.

Phil. idem generaliter (1): Si nostrum est officia praebere, at nostrum non est fortunam posse praestare.

IV 2. 12.

Per omnis tibi adiuro deos numquam eam me deserturum,
Non si capiundos mihi sciam esse inimicos omnis homines

Don.: mira verecundia „omnes homines" maluit dicere, ut in his parentes quoque significaret, quam aperte dicere „patrem", cuius metu promisit nuptias.

Phil. sic genio indulget: ita dixit de uno, hoc est patre, „omnis homines", ut idem alibi: „o caelum, o terra, o maria Neptuni!" (Ad. V 3. 4): numquid et caelum Neptuni est? Non utique, sed omnia haec mare vult esse, ut Vergilius, „omnia vel medium fiant mare" (Ecl. VIII 58).

13. Valeant qui inter nos discidium volunt

Don.: „valeant" hoc est abeant, recedant; et attende quam moderate pluraliter dixerit, cum significaret patrem.

Phil. mediis hisce suam doctrinam interposuit; nempe post „recedant" sic pergit: quia et discedentibus et mortuis „vale" dicitur, ut Vergilius: „salve aeternum" e. q. s. (XI 97); vel potius τῷ εὐφημισμῷ: cum male optaturus esset, considerato patre παραδόξως locutus est et non dixit, quod intenderat, „pereant".

Haec omnia ei reddenda esse videntur.

Eugraphius: „valeant" ἀκυρολογία, id est „pereant".

20. Scio, quod (v. l. quid) conere

Dubitabatur hocine Charinus diceret an Pamphilus, hinc Donatus: Si Pamphili est persona, cum ironia dicitur, si Charini, simplex laudatio est.

De ironia perperam ei obloquitur philosophus: Sed si Pamphili est, hoc significat, quod supra „ex unis geminas mihi

conficies nuptias" (IV 1. 50). Hunc denuo alius magister (ut supra III 5. 1 (3)) impugnat ipse tamen aliter errans: Sed non esse personam Pamphili ex subiectis ostenditur.

21. Huic, non tibi habeo, ne erres

Post bona scholia Donati (1 et 2) hoc sequitur philosophi per triplex „vel": vel ut etiam Charinus pro se sentiat, hoc dicit, vel ut solent servi contumaciores adversus amicum domini, quia nuper a Charino accusatus est (IV 1. 45), vel quia et quid dicat non habet et videt tacendum non esse!

IV 3. 11. Ex ara hinc sume verbenas tibi

Don.: ex ara Apollinis scilicet, quam Ἀγυιαῖον Menander vocat. Dein hoc legitur: aut quod Apollini comoedia est dicata, in cuius honorem aram statuebant comoediam celebrantes.

Videntur haec esse philosophi. Alius magister dein sic conclusit (3): Apollini ergo comoedia, Libero patri tragoedia.

IV. 4. 16 impudenter mulier si facit meretrix

Phil.: bono ordine locutus est: primo enim causa impudentiae natura (scil. muliebris) est, deinde condicio (scil. meretricia).

IV 5. 3. Verba a Wessnero inclinatis litteris expressa (et nota — paupertatem) a philosopho Donati scholio interposita sunt. Cf. simile V 3. 8 (4).

Similiter in V 2. 3 verba: „et commodum — potest", atque iterum extrema: „etenim propter sensum verba sunt, non propter verba sensus", a Wessnero iam notata sunt.

V 2. 25. pol hodie, si vivo, tibi ostendam

„Si vivo tibi" qui certa minari volunt, incertam faciunt vitam suam. Ecce elegans sagacitas!

V 4. 3. Andrium ego Critonem video?

(1): Bonum initium cognituri filiam, itaque compendii causa non laborat de agnitione personae Critonis, ut ab eo (a quonam?) facile doceri possit (quid vel quis doceri possit?).

(2): ne laboret ad persuadendum, miro compendio poetae iam Crito notus est Chremi.

Media verba: itaque — possit, interpolationem exhibent

Philosophi, obscure repetentis verba Donati in (2), cui etiam initium scholii debetur.

34. Vix sum apud me, ita animus commotust metu spe gaudio, mirando tanto tam repentino hoc bono

Don. (2): non sum apud me consuetudine magis quam ratione dicitur.

Additur: aut forte sic dicit, quasi abierit animus et rursus redierit.

Praecedit (1): hoc est argumentum sapientibus laetitiam vehementem in bonis moderandam, cum unusquisque gaudens ita perturbetur, ut apud se ipsum iam non sit.

Utrumque valde suspectum et philosopho dignum.

Tertium scholion sic se habet:

Duo carnifices futurarum rerum: spes et metus, dolor enim et gaudium praesentium rerum intelliguntur. Vergilius: „hinc metuunt" e. q. s. (VI 733); sed dolorem hic in laetitia non posuit. Et mire ordinem servavit, sic enim se invicem secuntur.

Videtur esse Donati, sumptum ex doctrinae copia Varroniana (cf. Servius ad Aen. l. l.).

Eugraphius de vocabulorum ordine loquacius idem docet.

37 (4). Aut dignus „odio", aut accusativus pro ablativo est positus, pro odio, aut separatim „odium" legendum, ut sit: dignus qui male habearis.

Mediam sententiam iam inclinatis litteris expressit Wessnerus. Sed initium quoque a Donato adiudicandum videtur, qui lectionem variam accurate indicare solet per „legitur et", nec minus tertia sententia (aut — habearis), cum ille significationem convicii „odium" iustius expressisset quam per „dignus q. m. h." Philosophus amat ter quater repetitum „aut".

52. Pater non recte vinctus est. Sim. Haud ita iussi

Amphiboliam in „non recte" designavit Donatus, cuius postrema verba sunt (3): Pamphilus enim dixerat „non iuste", ille sic respondit, quasi dixerit „non diligenter vinctus est".

Repetitur (3) in (1): id est „non iuste", sed hic ad causam rettulit „non iuste"; senex vero ad rem rettulit. Sunt igitur haec philosophi aut alius magistri.

§ 4. Formula „non — sed".

Transeo ad scholia quae cum tractant argumenta varia, enuntiantur communi formula, quae est antithesis per non (vel nec) ... sed. Donatus hanc formulam opportunitate data non fugit, veluti I 1. 108 et 118, sed apud philosophum abiit in morem ineptum.

Prol. 7. Non criminibus, sed „maledictis". Quid autem inter maledictum et crimen intersit docet Cicero in Tusculanis.
Locum in Tusculanis frustra quaesiveris.

Ibid. (9). Et non obsistat sed „respondeat".

I 1. 105. locum supra iam rettuli (cf. sub § 3).

I 5. 40. non paupertate, sed egestate, cui contrarium(!) inopia et cognatorum negligentia.

57. nec fratris solum, sed etiam germani.

II 1. 1. Ecce scholii genus ubi iuxta verba Terentii, exemplum a Donato aliove scholiasta allatum illustratur. Donatus attulit Vergilii locum Aen. IV 421, de quo haec adscripsit philosophus: Ergo non Aeneas, sed „ille" et item non hic Philumena, sed „illa" dixit.

II 1. 12. Nec studium aut voluntatem, sed „amorem", nec aperiam, sed „narrabo" dixit: totum magnifice.

35. Non dixit ego non instabo ut ducam, sed quod est amplius <„ego id agam, mihi qui ne detur">.

II 3. 29. „Curabitur": non curabo, sed impersonaliter cum difficultate, quod quasi arduum est et grave, dixit.

II 4. 2. Non dixit „senex" aut „pater", sed „hic" cum odio, quoniam averso animo loquitur.
Haec omnia inepta esse brevis reputatio docebit.

II 5. 14. Nullane in re esse quoiquam homini fidem!
Non in nullis rebus, sed neque in rebus neque in persona,

ut Vergilius „nusquam tuta fides" (IV 373), cum in amore fracta esset ab eo, „quem subiisse umeris confectum aetate parentem" (IV 599) audierat. Alibi Terentius „cuius tu fidem in pecunia perspexeris, verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri est?" (Phorm. I 2. 10 sq.); et hic ad rem „perspexeris".

Doctrina longe quaesita et mihi saltem in postremis obscura. Donatus a textu sic late vagari non solet.

III 4. 23. Nec immisi, sed „conieci" quod impetum iniuriamque significat.

24. <Nec solum> „feci", verum etiam addidit tempus „hodie", ut ne diecula quidem eius sit, quod fecerit, mali.

III 6. 1. Bene „patri", non Simoni, ut de auctoritate huius nominis summus terror exsurgat.

IV 1. 17. Atque aliquis dicat „nil promoveris":
Multum: molestus certe ei fuero atque animo morem gessero

Ex sex scholiis ad hos vss. Donati esse videntur:

(3) Multum: subauditur „promovero".

(4) Molestus c. e. f. hoc est: si nihil aliud promovero, certe ei molestus fuero.

(5) Atque a. m. g.: erit fructus iracundiae ex vindicta.

His praecedunt et subiuncta sunt scholia quae inter se non multum discrepant:

(1) Non subiunxit quomodo „multum", sed: aliud faciam.

(2) Transitum fecit (scil. ad aliud) dicendo „mol. c. e f."

(6) Et per iracundiam atque turbationem non invenit, quid sit „multum", aliud ergo invenit „mol. c. e. f.".

Postremum (6) adiunctum duco a Philosopho praecedenti (5) Donati, cum ansam caperet a vocabulo „iracundiae".

Primum et alterum unum scholion esse videtur, in quo „transitum fecit" explicat „aliud faciam".

Eugraphius: „multum" hoc est m. promovero, dum meam compleam voluntatem.

IV 4. 47. nec in crucem, sed „in cruciatum".

V 2. 28. O, Chremes, pietatem gnati!
Don.: ἔλλειψις et est ironia pro „impietatem".

Phil.: et vide invidiam quasi parricidam accusantis: non enim pudorem dixit, sed „pietatem".

V 3. 15. Non me sed „meam senectutem", quod plus est et miserabilius, dicit.

28. Don.: „hunc senem" Critonem scilicet. Phil.: et non Critonem sed „senem" dicit, ut de hac appellatione pondus adiceret testimonio. Cf. III 6. 1.

29. „Sine pater": „ut me purgem", non „adducam".
Immo: „ut adducam".

V 4. 36. Non „multis modis inveniri", sed „tuam inveniri"; alii „multis modis tuam inveniri".
Ille perperam, hi alii recte intelligunt.

§ 5. Formulae interrogativae.

Accedant tandem scholia prolata per interrogationem et praesertim per an vel utrum ... an. Donatianis plerumque sunt adnexa, dum indoles philosophum auctorem ostendit.

I 1. 13, 19, 34. Vide supra sub § 3.

56. Certe captus est: habet
Don.: „habet" sic dicitur de eo qui letaliter vulneratus est. Verg. (Aen. XII 296). His additur: Ergo quid sequitur captum nisi occidi? Praeterea vide supra 101, 105, 119, 120.

137. „Mala mens, malus animus" argumentum a natura. Additur: et an aliquis sine causa malus an ab impulsione.

I 2. 21. „Tum si quis magistrum" μεταφορικῶς. Sic recte Donatus. Additur: an quia et paedagogus est Geta? (Wessner: ‹ut› Geta).

I 5. 50. Don.: habuit fidem, quod soli fuimus, quod nemo testis. Pergitur: an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognosceret? Falsum.

II 2. 27. Interea intro ire neminem video, exire neminem
Phil. ad „intro ire neminem": Quid si intus erant? ideo ait „exire neminem".

32. Phil. post Donatum: quid si „minutos" sed omnibus? Intelligere videtur: si numerus minutorum piscium fuisset sufficiens omnibus.

II. 6. 18. Donatus recte: apparet Davum nunc quaerere, quid respondeat e. q. s.

Inepte Ph.: utrum magis ideo suspendit, ut senex audire desideret, an quia necdum commentus est causam contra rependendam propositioni senis? (cf. IV 2. 21 (3)).

III 1. 3. Don.: simpliciter dixit „ab Andria est" pro „Andriae est", nam ex usu sic dicere solemus.

Phil.: an „Andriae favet", ut cum dicimus ab illo sto, hoc significamus: illi faveo, illi accommodo suffragium?

III 2. 14. „Si resciverim" utrum pro cum resciverim an quia stultum me putas?

IV 2. 3. „Si hic non insanit" ironia est (Don.). An laus ad mitigandum Pamphilum?

24. „Nam mihi impedimento estis" utrum hoc verum dicit an fingit, quia adhuc consilium non invenit, quod narrare possit? (cf. supra II 6. 18).

25. „Verum vis dicam?" pro initio sedulae narrationis hoc sumimus, an sic respondet Charinus, tamquam qui intellegat non dici sibi velle Davum quo eat, sed id agere ut abscedat?

Donatus ad 26: „initium" narrationis scilicet quo eat, quia „verum vis dicam" velut prooemium narraturi est.

IV 5. 23. „Veni huc", inquit, „ut videam"; cur autem „ut videam"? quia timet.

V 2. 1. „Impero" pro volo (Don.). An ut statim fiat tamquam illud quod imperatur? et [„impero"] superbe dixit: summum enim indicium securitatis est superbia.

24. „Quadrupedem constringito".

Utrum genus ligaturae sic dicitur „quadrupes" an quadrupedem ut ferum?

An „quadrupedem" id est cum pedibus et manibus?

An „quadrupedem" pro cervo ac fugitivo posuit? Sic Vergilius: „saucius at quadrupes (cervus) nota intra tecta refugit" (VII 500).

Tertium scholion cum exemplo Vergiliano philosophi acumini sine dubio debetur.

Sitne primum Donati dubito. Scholiastae desudarunt in his verbis, ut docet Eugraphius:

Hoc est, ita eum ... vinculis colligato, ut quadrupedem..., cum eius manus retrovertens compedum ligaturis efficias quasi quadrupedem. Quidam hoc aliter: quasi dominus iracundiam suam derivaverit et leni voce dixerit, ut non ipsum, sed iumentum aliquod alliget!

V 4. 18. Non tu tuum malum aequo animo feras?
Don.: „malum feres?": „non filium, sed amorem in filio.
Addit ille: an quia iratus est?

26. Don.: „Perii" hoc Pamphilus propter iracundiam patris.
Addit ille: an Chremis est dolentis vel eius mentionem vel quod in filium paene peccarat?

36. Incertum, utrum qui gratulatur Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat; potest enim [1]) „pater" et Chremes videri.
Nihil incertum est.

§ 6. Philosophi scholia ad Phormionem II 3.

1. Differentia.

In serie *a*.
33. 1. (Sabb. II p. 113)

Quem amicum tuom ais fuisse istum, explana mihi,
Et qui cognatum me sibi esse diceret

„Ais" dicimus de his, qui vana loquantur, „dicere" autem de his, qui validiora.

Differentia hausta ex ipso versu, quae tamen quam falsa esset, docere hominem potuit v. sequens ubi „diceret" non minus vana loquentem indicat. Confer praeterea quae de verbo „aio" adnotavit ad Andr. II 2. 16, supra p. 223.

1) Cf. I 2. 23 „potest enim".

2. Definitio verbi.

In serie *a*.

4. 1 (Sabb. p. 110).

„Iam ego hunc". Iam signum celeritatis est.

Ecce auctorem scholiorum, quae supra p. 222 sq. rettuli ad Andr. II 2. 15, de „iam" celeritatem significante.

24. 1 (Sabb. p. 111)

„Aspernari" est averti non solum corpore sed etiam animo.

Don.: „aspernari" est recusare, avertere, non agnoscere.

67 (Sabb. p. 115).

Itan tandem, quaeso, item ut meretricem ubi abusus sis,
Mercedem dare lex iubet ei atque amittere?

Bene „amittere" quia finis cupiditatis amissio est.

In serie *b*.

23. 2 (Sabb. p. 121).

„Inimicitias caperem" capere dicimus cum id quod in nobis est assumimus. Legendumne: quod non nobis est?

3. *Non — sed* et *utrum — an*.

In serie *a*.

87 (Sabb. p. 116).

Habebis quae tuam senectutem oblectet.
Non se sed senectutem tuam.

In serie *b*.

15. 2 (Sabb. p. 119).

Si illum minus norat. Non dixit „non norat", sed „minus norat", quasi et ipse nosse debuerit. — Argutiae. Ibid. 4: Et „grandior" non „grandis", quasi dicat: qui grandior fuit, quam ut illum adolescens optime nosse posset.

Otiose repetit quae in ipso textu sunt.

Donatus (in serie *b*) utiliter et simpliciter, ut solet, adnotavit hoc: hic comparativus non habet significationem, quae magis sive minus a positivo significat. Verg.: iam senior sed cruda deo viridisque senectus (Aen. VI 304).

20. 2 (Sabb. p. 120).

Utrum „in vita" in moribus, an „in vita" hoc est cum viveret?

Haec in commento coniuncta fuerunt cum scholio Donati in serie *a* (20): „modo „in vita" in moribus", ut docent scholia interrogativa quae dedi p. 244 sqq. Cf. etiam p. 211.

4. Interpretatio sententiarum.

In serie *a*.

11. Vide avaritia quid fecit

Donatus adnotavit (ser. *b* 11. 2): „Vide" stomachantibus convenit, qui indignatione coguntur cum aliquo colloqui. Sic ipse in Adelphis „illud sis vide exemplum disciplinae (V 1. 4). Sunt qui putent illum alicui de corona circumstantium dicere moraliter „vide".

Philosophus vel ex hac ipsa adnotatione Donati vel e fonte, quem ille designat, sic adnotat: Haec conversus ad circulum et coronam circumstantium conqueritur et dicit. Nulla enim re magis populus concitatur, quam si quis egenum contemnat; inde „et bonis invident et malos extollunt" inquit Sall., et cetera (Catil. 37).

Synonyma „circulum et coronam", „conqueritur et dicit" stilum hominis repraesentant et indolem eius hoc, quod philosophatur extra verborum sententiam et inepte, nam nullus est populus qui concitari hic debeat et in exemplo Sallustii non ut apud Terentium dives inopem spernit, sed contra inopes sunt, qui bonis h. e. divitibus invident „more suo" et quia „odio suarum rerum mutari omnia student".

30. „Ohe iam desine" [1]). Donatus (ser. *b*): hac voce ostendit plus iusto pro se locutum videri Getam. Nam „ohe" interiectio est satietatem usque ad fastidium designans. Horatius (citatur Sat. II 5. 96 sq.).

Philosophus: imponit silentium Getae, quasi validiora dicturus sit (h. e. quasi ipse minus vana dicturus sit quam Geta? Cf. quae rettuli supra ad vs. 33 p. 246).

---

1) De hac lectione vide Umpfenbach ad h. l.

33. 2. „Mihi ut respondeas". Adnotat: bene „mihi", utpote patri adolescentis, vel domino Getae, vel etiam seni.

Nota *vel — vel*. Et merae nugae sunt; „mihi" necessario additur.

Non minus suspecta sunt quae sequuntur Vergilianis exemplis exornata: Et verbum (scil. „mihi") est scrupulose aliquid interrogantium, sic Verg.: „mihique haec edissere vera roganti" et „dic mihi Damoeta cuium pecus" (Aen. II 149. Ecl. III 1).

In serie *b*.

5. 2b. Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?

Donatus adnotat (5. 2a): magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit, nam et prior incipit et prior accusat.

Alter hoc sic explevit: et quia non potest dicere „expellit Phanium Demipho?" „negat cognatam?" inquit.

De expellenda Phanio sermo esse hic nondum potuit; sub finem colloquii hoc demum minatur Demipho vs. 78, postquam mitioribus argumentis Phormionem frustra commovere studuit.

7. „Sequimini". Sic Demipho breviter monet advocatos: secundum Donatum (ser. *a*): quia properantius et concitatiore gradu pergit iratus. Ille loquax ita argutatur: Apparet Demiphonem ut patrem familias perturbari non mediocriter, quippe qui et advocatos conquisiverit adversus hominem sine advocatis agentem et progredi non audeat (!), nisi illi sequantur.

Rectius de utroque litigatore iudicavit Donatus (ser. *a* 1. 1): Meminisse autem debemus in omni contentione ea maxime dici, quae simplici patri familias et calumnioso sycophantae improbissimoque parasito congrua poetae visa sunt esse.

10. 3. Donatus: „parens" pater. Addidit, opinor, ille alter: nam ut variaret parentem dixit quem supra (vs. 7) dixerat patrem.

13. Hic iam ostenditur persuasum Demiphoni esse vim adhibitam filio suo uxorem ducere (corr. uxorem ut duceret?): uno, cum hunc audacem appellat, altero, quod dicit „etiam", quae coniunctio et Antiphonem complectitur et sic „accusatum".

Verba Demiphonis quae explicantur sunt:

O audaciam! etiam me ultro accusatum venit

quorum sententia simpliciter haec est: quae haec est audacia, ut ultro etiam Phormio nullo verbo lacessitus me accuset?

Vide igitur quantopere deliret.

Scholium ad hunc vs. in serie *a*: „haec exclamatio ostendit quid absente patre defenderit filius" sitne genuinum dubito.

14. Nam iam adulescentulo nihil est quod succenseam

Falso philosophi acumini deberi videtur haec adnotatio: Sic subtiliter et latenter purgatur a Phormione apud patrem Antipho. Nam cum dicit „iam a. n. e. q. s.", ostendit adhuc succensuisse et inimico fuisse animo, cumque addit „si illum minus norat", ostendit contra dixisse sibi et restitisse iudicio. Et sic dicit: quodsi adolescens non adgnoscens puellam veniam non meruerit, pater negata cognata ferri non possit.

Donatus (ser. *a*): Vide, ut veteratoria ostendat contradixisse adulescentem.

Quae in priore scholio dicuntur minus vera sunt. Phormio non hoc agit ut Antiphonem purget apud patrem, sed ut patri avaritia peccanti opponat filium qui praetexerat ignorantiam. Hoc igitur Don. recte veteratorium nominavit. Nec Phormio „subtiliter" aut „latenter" loquitur, sed aperte dicit se peracto iudicio non amplius succensere Antiphoni, cuius ignorantia excusari possit. Itaque neque haec adverbia nec sententia causalis quae sequitur („nam cum dicit" etc.) iustam habent rationem. Porro verba „si illum minus norat" non ostendunt Antiphonem sibi restitisse iudicio, hoc per se palam erat, sed quid Ant. defenderit. Tandem postrema argumentum a fortiori exhibent, sed falsum, nam adulescens veniam meruit secundum Phormionem. Attende demum synonyma „succensuisse et in. f. animo", „contradixisse et restitisse".

18. 2. Donatus (ser. *a*) de veteratoris narratione adnotavit: „habet misericordiam odiosa narratio". Alter, pro more urgens singula verba, hoc sic mutavit et auxit: Miserabiliter et invidiose positum „senex", et maiore fide, quia „narrabat" dixit non „quaerebatur".

28. Donatus (ser. *a*) recte: Mire servus finxit se non vidisse senem, ut ea, quae dixerit in Phormionem, sincere dixisse credatur.

Philosophus denuo ex uno verbo innocentissimo multa elicit: ita mira dissimulatione additum „homo", ut videatur nihil de praesentia domini cogitasse.

75. Tuos est damnatus gnatus, non tu; nam tua
Praeterierat iam ad ducendum aetas

Ludit Phormio cum dicit „non tu", nam praeterierat iam ducendi aetas. Haec vera sunt et leguntur in ipso textu. Sed falso acumine denuo laborant quae sequuntur:

Et contemptibiliorem in hac causa sibi senem quam Antiphonem fuisse ait simulque aetatem in illo esse despectam.

79. Tute idem melius feceris.

Quidam sic intelligunt „tute i. m. f.", ut senex potius exeat quam eiciat filium; artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis et coniventiae inter parasitum et filium.

Non „quidam", sed omnes nimirum sic intellexerunt. Verba plana sunt et sine artificio, nec Phormioni adimi potest suspicio, qua caret etiam in III 1. 10: „Numquid pater subolet? Ant. Nil etiam". Continet scholion falsam philosophi doctrinam.

Scholion ad h. l. in ser. *a*: „locus est hic, ut sic ostendat Phormio de compacto egisse cum Antiphone" nec forma nec sententia mihi liquet.

Non lac lactis similius est, quam haec Phormionis scholia iis sunt, quae ex Andriae commento Philosopho adsignanda esse vidimus.

VERBORUM MONSTRA.

Duobus novis verbis portentosissimis *αὐτολίπειν* et *αὐτοφαείνειν* auctum est lexicon Graecum, si fides habenda viro docto qui BCH 1901 p. 21 et 25 duas edidit Bithyniae inscriptiones funebres metricas, in quarum priore (n^0 154) de Iuliano quodam defuncto legisse sibi videtur verba: *τέσσαρας αὐτολιπὼν υἱούς*, in posteriore (n^0 157) de recens nupta et statim deinde mortua muliere: *δαίμων γὰρ ἀπηνὴς | αὐτοφαεινομένην ἔσβεσε δᾷδα γάμων*. Quam vellem ipse lapides inspicere, ut scirem annon alter habeat: *αὖθι* (*hic*, in terra) *λιπών*, alter *ἄρτι φαεινομένην*!

H. v. H.

APULEIANA.

SCRIPSIT

CAROLUS GULIELMUS VOLLGRAFF.

Anno 1900 duce Ioanne van der Vliet viro humanissimo Apulei Metamorphoses legenti nonnumquam mihi evenit ut scriptoris locum aliquem aut non aut minus recte hucusque intellectum in pristinum restituisse mihi statum viderer. Quorum εὑρημάτων tunc temporis non nisi cum ipso communicatorum hodie iam unum et alterum publici iuris facere liceat.

I, 13. Infelicem Socratem sagae duae dormientem iugulant vulnusque gladio factum spongia praecludunt, quam simul ita adloquuntur: *heus tu, spongia, cave in mari nata per fluvium transeas*. At ille mane vegetus experrectusque domo exit; ubi vero ad proximum fluvium pervenit, ecce repente vulnus in iugulo dehiscit spongiaque illa in aquas devolvitur (I, 19). Haec facilia sunt ad intellegendum. Nonne tamen apertum est in sententia, qua spongia incantatur, desiderari aliquid? Dictum oportuit *quo* illi per fluvium transeundum esset. Quidni igitur leni admodum medela adhibita reponamus: *heus tu, spongia, cave* ⟨IN MARE⟩ *in mari nata per fluvium transeas*, sive alio verborum ordine: *cave in mari nata ⟨in mare⟩ per fluvium transeas*. Genus emendationis est, quod cum in quovis scriptore locum habeat, tum egregie salutare fuit Apuleio. Cuius opera multifariam corrupta esse acute vidit Vlietius hac in re vel maxime de Apuleio bene meritus quod diligentissime animum advertit ad lacunas, quibus nunc in libris MSS. permultis locis hiat inconcinna oratio.

III, 11. In civitate Thessaliae, quo Lucius devenit, mos erat deo Risui per annua reverticula sollemniter celebrare lusum semper commenti novitate florescentem. Cuius lusus victimam factum hospitem suum postea consolantur magistratus hisce verbis: *Iste deus auctorem* [1]) *suum propitius ubique comitabitur amanter.* Cum tamen moneamur in codice F scriptum esse *auctorem et aorem,* duobus ultimis vocabulis postea expunctis, considerandum est num Apuleius scripserit: *auctorem et actorem suum.* Haud male enim Lucius risus non auctor tantummodo, sed etiam actor id est ὑποκριτής diceretur. Satis notum est veteres scriptores inter se similia vocabula qualia sunt auctor et actor libenter consociare. Cf. Cic. pro Sest. § 61: *dux auctor actor illarum rerum*; Nep. Att. 3, 2: *hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant.*

III, 24. Lucius postquam vidit Pamphilen unguedine quadam illitam in bubonem mutari, idem in se ipso experiri aggreditur. Cuncta igitur corporis sui membra se perfricasse narrat *iamque,* inquit, *alternis conatibus libratis bracchiis in avem similem gestiebam.* Mire dictum illud *gestire in avem.* Nec Bursiani vera est coniectura: *in avem simulari gestiebam,* siquidem per avem similem recte bubo ille significari videtur, in quem Pamphile abierat. Nisi fallor, hic quoque excidit in codicibus verbum, quod nunc aegre desideramus, scripsitque Apuleius: *in avem similem <reformari> gestiebam,* ut verbum inseram, quo scriptor et alibi et in his ipsis capitibus aliquotiens utitur.

IV, 25. Vetulae cuidam puella a latronibus rapta custodienda simul et blanditiis delenienda traditur. Quae tamen eo usque sortem suam lamentari pergit, donec tandem *fatigata marcentes oculos demisit ad soporem. An commodum coniverat, nec diu cum repente lymphatico ritu somno recussa <denuo plorare> longeque vehementius adflictare sese ... incipit.* Verba quae sunt *denuo plorare* inseruit Vlietius idque optimo iure, cum manifestum sit in verbis traditis desiderari eiusmodi aliquid. Eidem vero cum Eyssenhardtio voculam *an* excludenti minime assentior;

1) Non recte vulgo legitur *et auctorem.* Cf. Vlietius, Mnem. 1897 p. 395.

cum enim terminatio *us* compendiose per parvam virgulam scribi soleat, locum constituendum esse puto hoc modo: ANUS *commodum coniverat, nec diu cum repente lymphatico ritu somno recussa* ⟨*denuo plorare* PUELLA⟩ *longeque vehementius adflictare sese ... incipit.*

VI, 9. Venus Psychen e filio suo gravidam factam contumeliosis probris excipit: *Felix vero ego, quae in ipso aetatis meae flore vocabor avia et vilis ancillae filius nepos Veneris audiet.* Singularis profecto sententiarum connexus, manifestum, me iudice, lacunae indicium. Iam e sequentibus apparebit quid hoc loco exciderit. Sic enim pergit irata dea: *Quamquam inepta ego* ⟨*quae?*⟩ *frustra filium dicam. Impares enim nuptiae et praeterea in villa sine testibus et patre non consentiente factae legitimae non possunt videri ac per hoc spurius iste nascetur* ... Cuiusnam quaeso filium non dictum iri infantem, quem in utero gestat Psyche, minitari potest Venus? Psyches? an sui filii Cupidinis? Huius profecto. Ergo mecum sic corrige: *Felix vero ego, quae in ipso aetatis meae flore vocabor avia.* ⟨*Iamiam Cupidinis*⟩ *et vilis ancillae filius nepos Veneris audiet! Quamquam inepta ego* ⟨*quae?*⟩ *frustra filium dicam* etc.

VII, 5. Depingit Apuleius latronem quendam corporis mole stupendum, *sed plane centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictum, inter quos pectus et venter crustata crassitie reluctabant.* Quid sit quod venter et pectus *inter centunculos* luctari sive reluctare crassitie dicuntur, vereor ut intellegi possit. Forsitan scripserit Apuleius *relucitabant.* Verbi quod est relucitare hodie nullum quod sciam in litteris occurrit vestigium. Esto. At quidni probabile sit, quemadmodum certa analogia ducti ab *habere habitare*, a *latere latitare*, a *tueri tutari* similia formarint Romani, sic Apulei aequales a *lucere* et *relucere* formasse *lucitare* et *relucitare?*

HESYCHIANA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

ἐκκολαβήσαντα· ἐκλακέντα, ἐκφρονήσαντα.

Tam lemma quam alterum interpretamentum dudum correctum est in ἐγκοληβάσαντα et ἐκροφήσαντα, sed nemo dum quod sciam repperit veram lectionem pro ἐκλακέντα, sub quo nihil aliud delitescere videtur quam ἐκλάψαντα.

ἐκπεφανωμένος· ἀπόπληκτος.

ἐκπεφάνωται· ἀπό<πληκτος γέγονεν>.

Nescio an sub his glossis lateat novum verbum ἐκπανοῦν, formatum ut βακχοῦν, aut, si mavis, ἐκπανεύειν, formatum ut ἐκβακχεύειν, *panico terrore percitare.* Ita corrigendum sit ἐκπεπανωμένος et ἐκπεπάνωται sive -νευμένος et -νευται. Cf. παν[ό]λημπτος in Mimo, papp. Ox. III 413, 173.

ἐκρᾳστωνῆσαι· εὐχερῆ ποιῆσαι. Imo ἐκρᾳστωνίσαι.

ἐλᾶν· αψειν, ἐλαύνειν. Ingeniosius quam verius Schmidt coniecit ἐλάναν ἀψεῖν· ἐλαύνειν, ut sit glossa dorica. Obstat enim grammatici interpretatio ἐλαύνειν. Vix aliud subest literis αψειν quam ἐλάσειν. Voluit scil. significare formam ἐλᾶν et futurum denotare posse et praesens.

ἐλάστρει· ἐκακοπάθει, ἐδίωκεν, ἐκυνήγει.

Manifesto aut ἐκακοπάθει depravatum est ex ἐκακοποίει, aut pertinet ad glossam deperditam, quae fuit ἐλαστρεῖτο. Cf. mox ἐλαστρεῖται· ἐλαύνεται, διώκεται. Ex augmento omisso apparet esse hanc gl. poeticam. Dorica est quae subsequitur ἐλαστρίων (male vulgo ἐλαστριῶν)· διαγιγνώσκων (imo διώκων).

ἔλματα· [ὁμιλήματα] ἐνειλήματα.

Prior explicatio, quam nemo facile expediet, dittographia nata esse mihi videtur e sequenti.

ἐμβατήρ· παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσι τόπος.

Nisi forte post τόπος nonnulla exciderunt, haec vocula sana esse nequit. Num forte latet ὀδός, *limen*? Cf. Poll. II 200 βατὴρ ὁ οὐδός, ἐφ' οὗ βαίνομεν. Quo sensu ἐμβατ[ῆρας] recte supplevisse videtur Fraenkel in titulo Nemeae IGP IV I 481, 3.

ἐνειΔημένους· πορθήσαντες.

Corrigatur: ἐνειΛημένους· πολιορκηθέντας.

ἐνειματιῶν· ὁ τὰ ἐνπάσματα τοῖς ἀνδράσιν ἐντιθείς.

Vera lectio videtur:

ἐνεματί<ζ>ων· ὁ τὰ ἐγκλύσματα τ. ἀ. ἐντιθείς.

Scil. ἔνεμα, de quo consulatur Thesaurus s. v., a medicis vocabatur τὸ ἔγκλυσμα. Pro ἐντιθείς dubitari potest an praestet ἐνιείς.

ἐξεκοδίαξεν· ἐξέχεεν.

Legendum ἐξεκοχύεσκεν.

ἐξιθυίω· ἔξω καθίσω.

Vere, ut videtur, Meineke ἐξεῖ θύσω· ἔξω καθ<αγ>ίσω, nisi quod in glossa dorica scriptum oportuit θυσῶ, aut fortasse melius θυ(σ)ίω.

ἐπαμέτραιον· μέτρον τι παρὰ Κνιδίοις.

Scripserim ἐπαμέριον, i. e. *quod homini in unum diem sufficiat*, ut servis χοῖνιξ. Simili vitio insequens glossa ἐπαμερσφάντῳ· ἐπὶ ἡμέρ[αν] φ[ανέντι] correcta a Schmidtio in ἐπαμετροφανίῳ abierat.

ἔπαρμον· σῶμα κάθυγρον.

Huic glossae fortasse proderit papyrus Amherst. II 36, 9 sqq. (a. 135 a. C.): ὑπαρχόντων γάρ μοι ἐν Διοσπόλει τῆι μεγάληι καὶ ἐν τῶι Παθυρίτηι ἐπαρδίων, modo prius vocabulum nihili, quod *agrum irrigatum* significare videtur, in ἐπαρδμῶν mutetur, collatis vocabulis alibi in papyris obviis ἐφαρδμός et ἐπαρδμευτής. Scilicet reddendum Hesychio

ἐπαρ<δ>μόν· <χ>ῶμα κάθυγρον.

διεναντίας· ἔχθρας.

Conieci: δι' ἐναντιώσ<εως· δι'> ἔχθρας.

AD TIBULLUM
I, 7, 39 SQ.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Variae et multiplices sunt vitiorum, quibus poetarum scriptorumque laborant libri, causae: modo librarius quod in exemplari suo habebat non bene dispexit, modo invitus, labente calamo, scripsit quod noluit. At multo graviores existunt mendae, ubi scribentis *mens* in errorem inducitur. Illud tamen vitiorum genus non tam facile deprehenditur, quamquam ex ipsa mentis humanae indole nasci saepe nos usus docet. Cui enim homini, cum describeret aliquid, non saepe evenit ut pro vocabulo, quod ante oculos haberet, aliud poneret, quod sibi cogitatio parum vigilans subministraret, cognatum quidem aliquo modo illi, quo opus esset, sed tamen eiusmodi ut tota loci sententia eo pessumdaretur? Quin etiam fieri sic potest ut in textum irrepat vocabulum prorsus contrarium illi, quo opus est. Insigne huius rei exemplum hicce Tibulli praebet locus. Cum enim poëta dedisset:

Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora *laetitiae* dissoluenda dedit

labor ille, quo pectus agricolae *conficiatur*, intempestive librario, pentametrum scribenti, *tristitiae* subiecit notionem. Et nunc apud Tibullum legitur:

Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora *tristitiae* dissoluenda dedit

et sic editur, sine ulla corruptelae suspicione. Solus Lachmannus annotat in codice P pro *tristitiae* legi *tristitia*. Quo modo nunc

viri docti lectionem traditam explicent nescio, suspicor autem omnes in Dissenii et Wunderlichii acquiescere annotationibus, docentium *tristitiae dissolvendum* eodem modo dictum esse, quo apud Ciceronem *legum solvere* et apud Horatium *operum solutus*. Quasi vero nihil intersit *quae* solvendi verbi *forma* sic genitivum adsciscat. Nam quod aiunt *dissolvendum dare* idem esse quod *dissolvere*, id quidem plane nihili est. Confert Wunderlichius Lygdami versum (III, 6, 28 apud Tib.):

Venti temeraria vota
Aeriae et nubes diripienda ferant.

Quod de *ventis nubibusque* rectissime dicitur, at plane diversa est *vini* ratio. Et Ovidii Fast. II, 521:

Usibus admoniti flammis torrenda dederunt (farra),

qui versus vel maxime Wunderlichium redarguit: docet enim *dandi* verbum, cum adiunctum sibi habet *gerundivum*, suum sibi flagitare *dativum*. Perstabit, sat scio, in editionibus Tibulli lectio tradita, at ego semper posthac vel invitis omnibus editoribus legam:

pectora laetitiae dissoluenda dedit.

Bacchi iussu laetitia pectora *dissolvit*, curis nimirum et sollicitudine, cf. Ov. Met. VII, 186

Homines volucresque ferasque
Solverat alta quies

et X, 369

Corpora somnus solverat.

AD PLUTARCHUM.

Marc. 3 (Sint.). Romani iussu librorum Sibyllinorum Graecum Graecamque, Gallum Gallamque vivos in foro boario defoderunt, *οἷς ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ Νοεμβρίῳ μηνὶ δρῶσιν Ἕλλησι καὶ Γαλάταις ἀπορρήτους καὶ ἀθεάτους ἱερουργίας*. Non, ut opinor, miserae illae victimae honore illo afficiebantur, et, si afficiebantur, cur Graecum Gallumque adesse nefas erat? Non retinet me hiatus metus quominus pro *οἷς* legendum censeam *οὗ*.

J. J. H.

AD SOLONIS FRAGMENTUM XIII.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

Nuper cura benevola viri clar. Menrad — *μεγάλη χάρις τῷ τε πέμψαντι καὶ τῷ γράψαντι!* — in manus meas pervenit commentatio, qua Nicolaus Riedy vir doct. indicavit vestigia dictionis epicae, quae praebent carmina Solonis [1]). Qui improbo labore quaecunque huc faciunt collegit, disposuit, diudicavit, utile denique peregit opus. Non tamen esset cur huius libelli nunc facerem mentionem, nisi uno certe loco ab eo dissentiendum mihi viderem. Sunt versus Solonis in Stobaei florilegio cum vicinis servati (fr. 13, 33 sqq.):

θνητοὶ δ' ὧδε νοεῦμεν ὁμῶς ἀγαθός τε κακός τε·
δεινὴν εἰς αὑτοῦ δόξαν ἕκαστος ἔχει
πρίν τι παθεῖν· τότε δ' αὐτίκ' ὀδύρεται. ἄχρι δὲ τούτου
χάσκοντες κούφαις ἐλπίσι τερπόμεθα.

Viro sapiente digna sententia — modo verbis aliquanto magis perspicuis esset enuntiata. Quapropter verba „*δεινὴν εἰς αὑτοῦ*", quae in Stobaei codicibus etiam „*ἐν δὴν εἰς αὐτὸς*" et „*ἐκ δὴν ἣν αὐτὸς*" et „*ἐν δη ην αὐτὸς*" extant scripta, multi critici coniecturis tentarunt, alius alio audacior, denique Riedy „*εἰς ἀνέδην αὐτὸς*" scripsit. Sed hanc quoque *quaesitam*, non *inventam* esse coniecturam sentimus; nempe adverbium in -*δην* inesse postquam sibi persuasit, lustravit horum adverbiorum catalogum, melius autem quam cetera in nostrum locum quadrare censuit „*ἀνέδην*" illud, quod „*ἐκκεχυμένως*" sive *effuse* significat (Aesch. Suppl. 15 etc.).

Sed, ingenue fateor, nisi latine vertisset: „unusquisque fiducia sua vel opinione effuse sive effrenate utitur", fortasse latuisset me quid sibi vellent verba ita mutata. Neque satis intellego cur locum audacius refingendum censuerit; nam postquam aliorum conamina attulit, haec addit: „Hill.-Crusius *εὖ δεινήν* pro-

1) *Solonis elocutio quatenus pendeat ab exemplo Homeri* (Programm des K. Wilhelms-Gymnasiums in München) 1903.

posuit". — En verum repertum! nisi quod sua vineta caedere mihi videtur qui hoc potius proponat quam δεινὴν εὖ, servato verborum ordine tradito. Quam frequenter inter se permutentur litterae Θ-Ο-Є-С nemo nescit; id quod hoc quoque loco obtinuit: ЄΙΟ in ЄΙС abiit, Solon autem scripserat:

δεινὴν εἶ' αὐτοῦ δόξαν ἕκαστος ἔχει,

quilibet sibi admodum prudens videtur, δεινὸς εἰς τὰ πάντα ἕκαστος εἶναι δοκεῖ ἑαυτῷ.

Quartum quoque versum vitium contraxisse non contendam; suspicor tamen verum latere in lectione altera: τρεφόμεθα pro τερπόμεθα, interpretamentum enim id esse verbi genuini:

χάσκοντες κούφαις ἐλπίσι βοσκόμεθα.

AD PLUTARCHUM.

Caes. 38 (Sint.). De nota illa Caesaris navigatione, qua Brundisium rediens naves inde erat arcessiturus, et alia leguntur et haec: ὡς δὲ ἦν ἄπορα, δεξάμενος πολλὴν θάλατταν καὶ κινδυνεύσας ἐν τῷ στόματι συνεχώρησε μάλα ἄκων τῷ κυβερνήτῃ μεταβαλεῖν. Utcumque intelligi possunt haec, si στόμα dictum accipimus de fluminis (Anii) ostio; sed vel sic inepte denuo indicatur locus, ubi fiant ea quae hic narrantur, qui paulo ante accuratissime est descriptus. Praeterea, cum recte dicatur *navis* θάλατταν δέχεσθαι, de ipso Caesare illud sic nude dici nequit. Sed lenissima transpositione omnia restituuntur in integrum. Lego enim δεξάμενος πολλὴν θάλατταν ἐν τῷ στόματι καὶ κινδυνεύσας. Magno fluctu superante navis latera, tantum aquae ore exceperat Caesar ut parum abesset quin intercluderetur spiritus. J. J. H.

AD XENOPH. ANAB. IV C. 6 § 1.

ἐπεὶ δὲ ἡμέρα ἦν ὀγδόη, τὸν μὲν ἡγεμόνα παραδίδωσι Χειρισόφῳ, τοὺς δὲ οἰκέτας καταλείπει τῷ κωμάρχῃ.

Verba τῷ κωμάρχῃ praeterquam quod abundant, ne recte quidem se habent. Nam pagi praefectum abducit Xenophon, non ei igitur suos relinquit, sed *eius domi*. Sed obscurum non est ea verba quomodo irrepserint. Nam qui inseruit non tenuit ἡγεμόνα praedicative, quod dicunt, appositum esse, verba autem τὸν μὲν per se sufficere ad eum significandum qui in proxime superioribus (c. 5 § 36) aliquas partes egisset. Vel potius eum fugit verbis τὸν μέν pagi praefectum spectari, quapropter non dubitavit quin huic suos relinqui narraret Xenophon idque desiderari censuit. M. V.

ANIMADVERSIONES AD DUAS FABULAS ARISTOPHANIS NUPERRIME A IANO VAN LEEUWEN EDITAS.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Ex coniecturis doctissimi editoris, quas LYSISTRATAE *Argumenti* textui intulit, probare non dubito quod haud procul ab initio reposuit τὰς μὲν ἔξωθεν παρούσας (Rav. ἐξωπίους) ὁμήρους τινὰς καταλιπούσας <ἀποπέμπει> ὀπίσω (cf. vs. 244) et in fine paginae ἡ δὲ κερτομοῦσα αὐτὸν ἐπεγγελᾷ (Rav. ἐπαγγέλλεται) μέν, κτέ., sed egregie falli mihi videtur paullo post, ubi e libro Ravennate edebatur: ἀφικνοῦνται δὲ καὶ παρὰ Λακεδαιμονίων περὶ σπονδῶν κήρυκες, ἐμφανίζοντες ἅμα καὶ τὰς σφετέρας (Rav. προτέρας, corr. Rutherford) γυναῖκας, pro ἐμφανίζοντες de suo reponens ἀπαιτίζοντες (verbum in unico Odysseae loco occurrens), quae neque facilis est mutatio, neque apta, si contuleris fabulae locum quo respicitur vss. 999 sqq., ubi Lacedaemoniorum praeco minime gentium reposcit Lampitonem caeterasque, sed *quales sint indicat* (ἐμφανίζει), nempe coniurationis muliebris auctores. Conferatur notissima locutio ἐμφανίζειν ἑαυτόν, *prodere suam indolem.* Est autem hoc verbum proprium de legatorum relationibus et saepe occurrit in titulis aetatis hellenisticae, v. c. G D 5163 b, 7; 5167, 10; 5176, 6.

Lysistratae vs. 31 ἐπ' ὀλίγου γὰρ (τἄρ') εἴχετο.
Mihi quidem valde arridet Dobraei coniectura ᾤχεῖτ' ἄρα, nec movet me dissimilis, quem editor affert, Herodoti locus VI 11 ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς ἔχεται ἡμῖν τὰ πρήγματα de vitio suspectus et ipse. Iam pridem ibi conieci legendum esse ὀχέεται.

Vs. 42. τί δ' ἂν γυναῖκες φρόνιμον ἐ ρ γ α σ α ί α τ ο,
ἢ λαμπρόν, αἳ καθήμεθ' ἐξανθισμέναι κτέ.

Haec omnium librorum lectio doctior videtur quam quae mero errori debeat originem, quare non ausim cum editore recipere Clementis Alexandrini scripturam ἐργασαίμεθα, cuius testimonium altero eius loco, ubi ἐργασαίατο recurrit, destruitur. Potius crediderim vs. 42 integrum e tragoedia aliqua (Euripidis?) a poeta petitum esse et lectionem ἐργασαίμεθα deberi alicui grammatico de vulgari syntaxi nimis sollicito.

Vs. 63. ἡ γοῦν Θεογένους
ὡς δεῦρ' ἰοῦσα τ ἀ κ ά τ ε ι ο ν ἤ ρ ε τ ο.

Facillima sane correctio pro τἀκάτιον ἤρετο (Rav.) (Cf. Meisterhans[3] p. 50), in cuius fidem miror Leeuwenium non attulisse Plutarchum de aud. poet. I (et alibi) ἀκάτιον (l. ἀκάτειον) ἀράμενον φεύγειν, licet h. l. de fuga praecipiti sermo non fiat. Suidae et schol. Rav. lectio vulgo recepta θουκάτειον (Hecatae signum) ita tantum vera esse potest, si quando constabit Acharnensium aliorumve mulieres rem graviorem aggressuras Hecaten consultasse. Quidquid scribitur, locus manet obscurissimus.

Vs. 84. ἅπερ ἱ ε ρ ε ῖ ο ν τοί μ' ὑποψαλάσσετε.

Dialecti ratio postulat ἱ α ρ ε ῖ ο ν.

Vs. 106. π ο ρ π α κ ι σ ά μ ε ν ο ς Φροῦδος ἀμπτάμενος ἔβα.

Non *oblitus* (sic v. Leeuwen), opinor, peregrinae dictionis, sed metro cohibitus, ita scripsit Aristophanes pro πορπακιξάμενος. Eodem sensu ipse Ach. 368 utitur verbo ἐνασπιδοῦσθαι.

Vs. 133. ἀλλ', ἀλλ' ὅ τι βούλει, κἤν με χρῇ, διὰ τοῦ πυρὸς
ἐθέλω βαδίζειν· τ ο ῦ τ ο μᾶλλον τοῦ π έ ο υ ς.
οὐδὲν γὰρ ο ἷ ο ν, ὦ φίλη Λυσιστράτη.

Adnotatum „τοῦτο] malim πᾶν τι, suspicor autem olim τοῦτο superscriptum esse voci οἷον, deinde huc irrepsisse." Satis sane probabiliter, sed praeterea haereo in mira breviloquentia μᾶλλον τοῦ πέους pro μᾶλλον τοῦ ἀπέχεσθαι τοῦ πέους, cum praesertim verbum ἀπέχεσθαι decem fere versuum intervallo hinc distet. Legitur enim vs. 124 ἀφεκτέα τοίνυν ἐστὶν ἡμῖν τοῦ πέους.

Quapropter videndum est annon poeta dedisse censendus sit vs. 134:

πᾶν τι μᾶλλον τουτουΐ.

ut etiam τοῦ πέους fuerit huius pronominis glossema.

Vs. 143. γυναῖκάς ἐσθ' ὑπνῶν ἄνις ψωλᾶς μόνας.
In nota editor de ὑπνώττειν citat Eur. Cycl. 454, ubi codices habent ὑπνώσῃ a verbo ὑπνοῦν et ὑπνώσσῃ est Hermanni coniectura. Ὑπνώσσειν autem, quod extat Orest. 172, Aesch. Eum. 121, 124 Sept. 287, comparandum cum λιμώττειν, πυρέττειν, similibusque.

Vs. 149. εἰ γὰρ καθήμεθ' ἔνδον ἐντετριμμέναι,
κἂν τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις
γυμνοὶ παρίοιμεν δέλτα παρατετιλμέναι,
στύοιντο δ' ἄνδρες κἀπιθυμοῖεν σπλεκοῦν,
ἡμεῖς δὲ μὴ προσίοιμεν ἀλλ' ἀπεχοίμεθα,
σπονδὰς ποιήσαιντ' ἂν ταχέως, εὖ οἶδ' ὅτι.

Saepius iam monui nec monere desistam contra syntaxin graecam peccare amici mei desideratissimi Halbertsmae προσείμεθ', quia in re identidem repetita necessario requiritur *imperfecti optativus*, qui numeris excluditur. Nihilominus infelicem coniecturam textui intulit vLeeuwen. Equidem ambigo reponendumne sit προσέχοιμεν, *adverteremus animum*, quae lenior ratio, an παρέχοιμεν, verbum de coitu admittendo usitatissimum et saepe in hac ipsa fabula obvium, quod propter sententiam longe praetulerim. Utrumque propter assonantiam ad ἀπεχοίμεθα aptissimum.

Vs. 175. ἀλλ' ἔστι καὶ τοῦτ' εὖ παρεσκευασμένον·
καταληψόμεθα γὰρ τὴν ἀκρόπολιν τήμερον.
ταῖς πρεσβυτάταις γὰρ προστέτακται τοῦτο δρᾶν,
ἕως ἂν ἡμεῖς ταῦτα συντιθώμεθα,
θύειν δοκούσαις καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν.

Suspectus mihi ultimus versus parum numerosus, quia τοῦτο δρᾶν referendum est ad verba καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν, quae continentur versu antecedenti καταληψόμεθα κτέ., itaque verba θύειν — τὴν ἀκρόπολιν e glossemate ad τοῦτο δρᾶν ficta videntur. Unde vero, obiecerit quispiam, eius auctor noverat mulieres

hoc praetextu in arcem adscendisse? Ex ipso Aristophane, respondeo, qui satis clare id significavit infra vs. 240 τίς ὠλολυγά; κτέ., quae vox sollemnis est de mulieribus in sacris ululantibus. — Pro πρεσβυτάταις non dubitaverim in textum recipere Lentingii emendationem πρεσβυτέραις, quia comparativus, qui passim a librariis cum superlativo confunditur, hic unice aptus est. Vana contra videtur Cobeti coniectura Aristophani ubique τὴν πόλιν pro τὴν ἀκρόπολιν reddendum esse; saepe enim plenior nominis forma in bonae aetatis titulis atticis legitur. Sed praegressa praepositione boni scriptores constanter sine articulo utuntur forma breviore.

Vs. 198. Φεῦ δᾶ, κτέ. Vide, si tanti est, quae s. v. δᾶ congessi in lexico meo suppletorio et dialectico pag. 182.

Vs. 201. ταύτην μὲν ἄν τις εὐθὺς ἡσθείη λαβών. Nescio an εὐθύς artius coniungendum sit cum participio λαβών quam cum verbo ἡσθείη, ut sit *simulac* (poculum) *sumserit*. Ceterum cf. Alexidis fr. III 485, 4 Mein. ἅπαντες ὀρχοῦντ' εὐθὺς ἂν οἴνου μόνον | ὀσμὴν ἴδωσιν.

Vs. 262. κατὰ μὲν ἅγιον ἔχειν βρέτας,
κατὰ δ' ἀκρόπολιν ἐμὴν λαβεῖν,
μοχλοῖς δὲ καὶ κλήθροισί <μου>
τὰ Προπύλαια πακτοῦν.

Non solum κλήθροισι et πακτοῦν, quae notat editor, paratragoediae indicia sunt, sed etiam articulus bis omissus ad substantiva βρέτας et ἀκρόπολιν.

Vs. 175. (Cleonymus) ἀπῆλθεν ἀ ψ ά λ α κ τ ο ς, ἀλλ'
ὅμως Λακωνικὸν πνέων
ᾤχετο θὤπλα παραδοὺς ἐμοί κτέ.

Fortasse poeta de industria voce laconicae originis ἀψάλακτος (cf. vs. 84) utitur pro attica haec scribens de rege Spartanorum. Pro ψαλάσσειν atticum est ψηλαφᾶν.

Vs. 308.
τῆς ἀμπέλου δ' εἰς τὴν θύραν κρηδὸν ἐμπέσωμεν,

κὴν μή, καλούντων, τοὺς μοχλοὺς χαλῶσιν αἱ γυναῖκες,
ἐμπιμπράναι χρὴ τὴν πυρὰν καὶ τῷ καπνῷ πιέζειν.

Digna fuisset, ni fallor, quae saltem commemoraretur vetus mea coniectura 'μβαλόντων, i. e. ἐμπεσόντων, pro καλούντων, quod iusto debilius h. l. verbum est pro βοώντων sive κεκραγότων.

Vs. 315.

σὸν δ' ἔργον ἐστίν, ὦ χύτρα, τὸν ἄνθρακ' ἐξεγείρειν,
τὴν λαμπάδ' ἡμμένην ὅπως πρῶτον ἐμοὶ προσοίσεις.

Audacissime editor de sua coniectura dedit

καλῶς ὅπως ἐμοὶ παρέξεις.

Licet sententiae aptam esse non negem, nullam tamen adeo gravis mutatio, cuius origo explicari omnino nequit, habet πειθανάγκην, et longe aliud latere habeo persuasissimum. Et lenius et apte conieceris, ni fallor:

τὴν λαμπάδ' ἡμμένην ὅπως τοῖς πρεμνίοις προσοίσω.

Ligna quae infra vc. 336 στελέχη vocantur, hic apte πρέμνοι sive πρέμνια dici potuerunt. Illo v. c. utitur noster vs. 267 et Av. 321, hoc habet Hesychius: πρέμνια· τὰ πάχος ἔχοντα ξύλα, fortasse ex hoc ipso loco, ut πρέμνα citavit e vs. 267. Olim proposui ὅπως τάχιστ' ἐμοὶ παρέξεις, sed hoc longe praefero.

Vs. 340.

ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς γυναῖκας ἀνθρακεύειν.

Vitium metricum facillime sic tolli posse videtur, ut deleto glossemate γυναῖκας, corrigatur:

ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς <τάσδε> κατανθρακεύειν

quo ducit Leidensis codicis, qui saepissime laboranti textui subvenit, lectio κἀνθρακεύειν. In sequenti versu cum Bergkio malim ἐγὼ <'μ>πιμπραμένας, quia Aristophanes abstinet a verbis simplicibus πιμπράναι et πιμπλάναι.

Vs. 395. ἡ δ' ὑποπεπωκυῖ' ἡ γυνὴ ἐπὶ τοῦ τέγους
„κόπτεσθ' Ἄδωνιν" Φησίν.

Adeo durum est iungere verba Φησὶν ἐπὶ τοῦ τέγους ut necessarium iudicem corrigere cum Meinekio ἡ γυνὴ ἡ 'πὶ τοῦ τέγους aut transponere ἡ 'πὶ τοῦ τέγους γυνή.

Vs. 398. *τοιαῦτ' ἀπ' αὐτῶν ἐστιν ἀκολαστάσματα.* Videndum est annon defendi queat Ravennatis lectio *τοιαῦθ' ὑπ' αὐτῶν κτέ.* = *τοιαῦτ' ὑπ' αὐτῶν ἀκολασταίνεται*, ut passim nomina verbalia graece sumunt verborum, unde ducuntur, regimina. Nam sin minus, praepositionem prorsus omissam esse expectares. Lectio cod. Leidensis *τοιαῦτ' ἀπ' αὐτῶν* facile nasci potuit ex simili initio vs. 406.

Vs. 416 sq. In adnotatione critica scribit vLeeuwen „*δακτυλίδιον* est *anellus*, *δακτυλῐδιον* vero *digitulus*". Hoc sane docet analogia, nec video quo pacto *anellus* aliter graece significari potuerit, verum tamen nusquam, quod sciam, neque in titulis neque in papyris hoc deminutivum scriptum extat. Quin aliquando ex inscriptionibus aut e papyris proditurum sit vix dubito.

Vs. 424. *φέρε τοὺς μοχλούς,*
ὅπως ἂν αὐτὰς τῆς ὕβρεως ἐγὼ σχέθω.

Sublimioris dictionis est *σχέθω*, quae forma aoristi (*σχεθεῖν* etc.) passim apud tragicos, nusquam alibi in comoedia aut apud scriptores pedestres occurrit. Probulus igitur auctoritatem suam vindicans grandiloquentiam affectare videtur.

Vs. 449. *οἴμοι κακοδαίμων. ἐπιλέλοιπεν ⟨ὁ στρατός⟩.* Felicissima me iudice editoris coniectura pro *ἐπιλέλοιφ' ὁ τοξότης*, quam librorum scripturam glossatori deberi intellexit. Nam collective quidem dicitur *ἡ ἵππος*, *ἡ ἀσπίς* similiaque pro *οἱ ἱππῆς*, *οἱ ὁπλῖται* etc., dicitur etiam *τὸ ἱππικόν*, *τὸ τοξικόν*, *τὸ ὁπλιτικόν* etc., sed inaudita sunt *ὁ ἱππεύς*, *ὁ τοξότης*, *ὁ ὁπλίτης* pro numero plurali. Et festivissime *exercitum* probulus vocat paucos suos sagittarios.

Vs. 516. Prob. *κἂν ᾤμωξάς γ', εἰ μὴ 'σίγας.*
Lys. *τοίγαρ ἔγωγ' ἔνδον ἐσίγων.*

Adnotat editor „Brevius dictum est „*ἔνδον ἐσίγων*" pro „*ἐσίγων καὶ ἔνδον ἔμενον*".

Dissentire liceat. Lysistrata dicens *domi tacebam* indicat „sed foris libere eloquebar quae sentirem".

Vs. 517. Lys. ⟨ταχέως δ'⟩ ἕτερόν τι πονηρότερον βούλευμ' ἐπεπύσμεθ' ἂν ὑμῶν.

Ita de suo supplevit vLeeuwen, postquam Dobree αὖθις δ', Dindorf κᾆπειτ' proposuerunt. His omnibus mihi propter correctionis facilitatem praeplacet:

ἕτερον ⟨δ' ἑτέρου⟩ τι πονηρότερον κτέ.

Vs. 536. κᾆτα ξαίνειν ξυζωσάμενος,
κυάμους τρώγων·
πόλεμος δὲ γυναιξὶ μελήσει.

Nullam hic video difficultatem et prorsus repudio editoris coniecturam Φρύγων, quod quomodo probulus facere potuerit eo ipso tempore, quo *carminaret* aut *neret*, aenigmatis instar mihi est.

Vs. 598. Prob. ἀλλ' ὅστις ἐστὶ στῦσαι δυνατὸς —

Hanc librorum scripturam vLeeuwen emendare sibi videtur edendo de suo:

ἀλλ' ὅστις στύσασθαι δυνατὸς —.

Si suspectam cum ipso haberem formam στῦσαι, scriberem potius, quia verbi στύεσθαι frequentissimi nusquam alibi apparet aoristus,

ἀλλ' ὅστις στύεσθαι δυνατὸς —.

Sed non video quidni aoristus, si genuinus est, activus esse possit, quemadmodum ubique activa est perfecti forma ἕστυκα et inauditum est ἕστυμαι. Cf. v. c. ἵσταμαι, ἔστην, ἕστηκα. Omnino acquiescendum arbitror aptissimae (quam sibi consulens ineptam vocat) simul et lenissimae Florentis Christiani emendationi:

ἀλλ' ὅστις ἔτι στῦσαι δυνατὸς —.

De re cf. vs. 661 ὅστις γ' ἐνόρχης ἔστ' ἀνήρ.

Vs. 671.
Coryph. εἰ γὰρ ἐνδώσει τις ἡμῶν ταῖσδε κἂν σμικρὰν λαβήν,
οὐδὲν ἐλλείψουσιν αὗται λιπαροῦς χειρουργίας.

Editor adnotans „αὗται] sanum?" sensit opinor quam languide hic additum sit pronomen demonstrativum. Spero fore ut ipsi placeat quantum mihi αὖθις, *posthac*.

Vs. 695. ἀετόν. Recipienda fuerat librorum scriptura αἰετόν, quam formam ante a. 300 a. C. unice genuinam constanter obtulerunt tituli attici (vid. Meisterhans[3] 31 N. 160; 33. 5), et saepe codices Aristophanei.

Vs. 699. ὅστις, ὦ δύστην', ἀπήχθου πᾶσι καὶ τοῖς γείτοσιν i. e. ἄλλοις τε πᾶσι καὶ δὴ καὶ τοῖς γείτοσιν.

Vs. 734. Mul. I. ἀλλ' ἐῶ 'πολέσθαι τἄρι';
Lys. ἢν τούτου δέῃ.
In responso de more malim: ἢν τούτου <γε> δέῃ. Particula fortasse expulsa est a grammaticis formae δέῃ synizesin ignorantibus.

Vs. 761. κικκαβαζουσῶν. Leeuwenium edere voluisse cum Dobraeo κικκαβαζουσῶν apparet ex adnotatione critica, sed fefellerunt virum oculatissimum typographi.

Vs. 851. Lys. ἰδού, καλέσω 'γὼ Μυρρίνην σοι. σὺ δὲ τίς εὖ;
Cin. ἀνὴρ ἐκείνης, Παιονίδης Κινησίας.
Obtemperandum fuerat Meinekio corrigenti ἀνὴρ ἐκείνης, quod etiam Blaydes recepit.

Vs. 940. εἴθ' ἐκχυθείη τὸ μύρον, ὦ Ζεῦ δέσποτα.
Efficacius Cinesiae morae remedium foret, si scriberetur:
εἴθ' ἐξεχύθη <σοι vel πᾶν> τὸ μύρον, κτέ.

Vs. 942. οὐχ ἡδὺ τὸ μύρον μὰ τὸν 'Απόλλω τουτογί,
εἰ μὴ διατριπτικόν γε κοὐκ ὄζον γάμων.
Ex his adeo gravibus Cinesiae querelis apparet Myrrhinen de industria non verum unguentum, quod in arce haud facile invenisset ut arbitror, ei praebuisse, sed nescio quid grave olentis liquoris.

Vs. 980. πᾶ τᾶν 'Ασαναᾶν ἐστιν ἁ γερωχία. Praeter γερωχία = γερωΐα et ῥυχάχετος = ῥυάχετος, de quibus legatur docta editoris adnotatio, fortasse eodem pertinet glossa Hesychii νεώχερμος· γῆ νεωστὶ εἰργασμένη, coll. χέρμα· ποίημα, ut ha-

beantur haec vocabula pro laconicis = νεώ(ό?)ἑρμος et = ἕρμα (a verbo ἕρδειν), nec minus χρεῦμα· ῥεῦμα apud eundem = ῥεῦμα, pro qua glossa contra litterarum ordinem χεῦμα corrigebat Ruhnkenius, et in Russia pro omni *h* initiali ponitur *g*. Similiter plebecula Florentina pro *cavallo* modo *chavallo*, modo *havallo* pronuntiare consuevit.

Vs. 1013. πωτάόμαι. Sic (scil. πωτάομαι) Rav., sed fortasse praeferenda aliorum codicum lectio ποτάομαι (i. e. ποτάόμαι). Cf. lexicon meum suppletorium et dialecticum s. v. ποτῆται et πωτάόμαι.

Vs. 1031. ἦ μέγ', ὦ Ζεῦ, χρῆμ' ἰδεῖν τῆς ἐμπίδος ἔνεστί σοι. Tantum non certa mihi videtur Blaydesii emendatio τοῦτ' pro τῆς.

Vs. 1056. ὅστις ἂν νυνὶ δανείση-
ται παρ' ἡμῶν,
ἂν λάβῃ μηκέτ' ἀποδιδῶ.

Mihi quidem prorsus satisfacit Mazonis lenissima simul et facetissima emendatio:

ἂν λάβῃ γ' οὐ μὴ ἀποδῷ,

quae cur minus perspicua videatur Leeuwenio non intellego. Hanc multo potius in textum receperim quam ingentem ipsius editoris mutationem

μηδὲν ἀποδότω πάλιν

quae tam misere corrumpi potuisse quis quaeso sibi persuadeat?

Vs. 1078. βαβαί. νενεύρωται μὲν ἤδε ... συμφορὰ
δεινῶς τεθερμῶσθαι τε χεῖρον φαίνεται.

Egregie traditam lectionem tuetur et interpretatur vLeeuwen.

Vs. 1154. καὶ ξυμμαχοῦντες pro ξυνεκμαχοῦντες optima est editoris emendatio.

Vs. 1175. ἐπὴν διαλλαγῆτε. Ἐπὴν pro ἐπειδάν nusquam legitur in tragoedia, ter in comoedia, sed apud solum Aristophanem (praeter h. l. Av. 984 et 1355), nusquam in titulis atticis, ubi ἐπάν non occurrit ante a. 265 a. C. (cf. Meisterhans[3] p. 252).

Vs. 1238. ἐπῃνέσαμεν ἂν καὶ προσεπιωρκήσαμεν.
Sine sensu, si audimus editorem, qui de sua coniectura substituit πρὸς ἀνεκροτήσαμεν, addens „lenior foret correctio ἐπεκροτήσαμεν, sed id apud Atticos non invenio." Non igitur Atticus est Menander, ex quo schol. Plut. 689 citat verba ἐξάραντες ἐπικροτήσατε? Quare, si quid mutandum, scripserim πρὸς ἐπεκροτήσαμεν. Et durum sane est nimisque artificiosum verba tradita sic interpretari: „non laudabamus tantum sed etiam per deos iurabamus haud temere nos id facere, i. e. peierabamus."

Vs. 1242. ὦ πολυχαρείδα, λαβὲ τὰ φυάτήρια.
Magis etiam laconicum sonat φουάτήρια.

Vs. 1275. Ταΰγετον αὖτ' ἐραννὸν ἐκλιπῶά.
Ἐραννός vox epica et aeolica est, sed vix dorica aut laconica, itaque communi omnium poetarum iure h. l. usus est Aristophanes.

Vs. 1280. ψιάδδοντ'. Vide, si tanti est, quae de hoc verbo congessi in lexico meo s. v. pag. 915 sq. Quo quia Lacones pro παίζειν utebantur et incertum est an praeterea παίδδειν usurpaverint, mox vs. 1291 potius παδωᾶν (παδδοᾶν Rav.) scripserim cum Koenio, ut vs. 1295, quam παιδδω(')ᾶν cum editore ex parvae auctoritatis codice Parisino.

Vs. 1292. ἀγῆται δ' ἁ Λήδας παῖς.
Fortasse praestat ἄγηται, perft., ut apud Pindarum Pyth. IV 218 πολλοῖσι δ' ἄγημαι σοφίας ἑτέροις et in tit. Syracusio GD 3230 ἀγημένων = ἡγουμένων. Similiter Herodotus (rarius Athenienses) ἥγημαι dicere solet pro ἡγοῦμαι.

Thesmoph. 1 sqq. Editoris loci constitutio et nota, quam exscribere longum est ad h. l., ut libere dicam, mihi quidem non satisfacit, nam ut verba χελιδὼν ἆρά ποτε φανήσεται sint notae cantilenae initium, quod contendere quam demonstrare

facilius est, ea verba minime „laetum et alacrem animum" sed contra tristem ac demissum et paene despondentem exprimunt, nec aliud significare videntur quam: „Num umquam ex his tam gravibus molestiis emergam", ita ut non tam procul a sententia aberraverit ad h. l. scholiasta quam vLeeuwen arbitratur, licet non χειμῶνα (tempestatem) κακῶν, sed veram *hiemem* imagini subesse existimem. *Ecquando ver apparebit?* figurato dictum pro *Numquamne miseriis liberabor?* quid quaeso absoni habet aut absurdi? Nec vero verba vs. 3 οἷόν τε, πρὶν τὸν σπλῆνα κομιδῇ μ' ἐκβαλεῖν, quae non minus quam reliqua *affinis* impatientiam indicant, alta voce dicta secundum ipsum editorem, novae loci constitutioni favere contendere quisquam poterit.

Vs. 12. τοῦ μήτ' ἀκούειν μήθ' ὁρᾶν εὖ ἴσθ' ὅτι.
Spurium esse nemini facilius vLeeuwen persuadebit, quam mihi persuasit, qui ante hos XX vel plures annos idem, idque non semel, ni fallor, contenderim.

Vs. 46. πτηνῶν τε γένη κατακοιμάσθω,
θηρῶν τ' ἀγρίων πόδες ὑλοδρόμων
μὴ λυέσθων.
Frustra speraveram, id quod nemo mihi explicuit neque umquam potui intelligere, Leeuwenium mihi expediturum esse quid hic sibi velit addita negatio. Notissimo enim inde ab Homero usu *solvi membra* dicuntur animantium, quae aut *moriuntur* aut *animo deficiunt* aut, quod hic requiritur, *obdormiscunt*. Fallebarne igitur olim corrigens ὑπολυέσθων? Nihil hic tamquam in re expeditissima adnotavit editor.

Vs. 74. οὐ χρῆν σε κρύπτειν, ὄντα κηδεστὴν ἐμόν.
Si quid mutandum, lenius corrigas σε κρύπτειν ⟨μ'⟩, quod eodem redit, quam cum Leeuwenio με κρύπτειν (σ'). Si quid mutandum: saepe enim apud scriptores graecos et romanos in re per se satis perspicua pronomen obiecti omissum esse videbis.

Vs. 80. ἐπεὶ τρίτη 'στι Θεσμοφορίων ἡ μέση.
Absurdam lectionem haud improbabiliter editor correxit scribendo ἐπεὶ ἔσθ' ἑορτή, κτέ. Ipse olim suadebam ἐπεὶ 'στιν ἥδε vel ἡδὶ Θ. ἡ μέση.

Vs. 117. σέβομαι κλῄζουσα σεμνὸν
γόνον ὀλβίζουσα Λατοῦς
Ἄρτεμιν ἀπειρολεχῆ.

Miror asyndeton κλῄζουσα ὀλβίζουσα. Num forte fuit:
σεμνὸν
γόνον ὄλβι<όν τε> Λατοῦς κτέ.?

Vs. 120. †Λατῶ τε, κρούματά τ' Ἀσιάδος
ποδὶ παράρυθμ' εὔρυθμα Φρυγίων†
δινεύματα Χαρίτων.

Recte verba non certa ratione sanabilia, ut in libris extant, edidit vLeeuwen. Hoc tamen perspicere mihi videor prima verba Λατῶ τε esse dittographema eorundem in vs. 123
σέβομαι Λατῶ τ' ἄνασσαν
et olim in lacuna fuisse imperativum iungendum cum subst. κρούματα, v. c.
<κροῦσόν τε> κρούματ' Ἀσιάδος.
Cf. ἄεισον vs. 116.

Vs. 206. ἰδού γε „κλέπτειν". νὴ Δία βινεῖσθαι μὲν οὖν
ἀτὰρ ἡ πρόφασίς γε, νὴ Δί', εἰκότως ἔχει.

Ut altero loco νὴ Δία optime se habet, ita priore dubito an rectius legatur:
ἰδού γε „κλέπτειν". μὰ Δία, βινεῖσθαι μὲν οὖν
scilicet furari! non ita per Iovem, imo subagitari. Facillime prior versus ex posteriore potuit corrumpi.

Vs. 232. οἴμοι κακοδαίμων, ψιλὸς αὖ στρατεύσομαι.
vLeeuwen de Blaydesii coniectura pro αὖ dedit οὖν, adnotans tamen „an εἶ?" Diligentius si meas copias perscrutatus esset, vidisset etiam hanc correctionem, quam hodieque praefero, dudum a me occupatam esse.

Vs. 240. πλήν γ' ὅτι κάομαι et 280 καομένων.
Veteris Atthidis esse καίειν, non κάειν docent tituli. Cf. Meisterhans[3] p. 178, 24, ut αἰετός etc. Idem valere de verbo κλαίειν suspiceris, licet hucusque desint lapidum testimonia, quae aliquanto firmiora sunt, ut arbitror, quam codicum aut serorum grammaticorum.

Vs. 284. *ὦ Θρᾷττα, τὴν κίστην κάθελε, κτἑ.*
Obscurissimum mihi est, quo argumento editor tueatur h. l. verbum *καθελεῖν*, quae enim *in capite gerimus* non *depromimus*, sed *deponimus*, *κατατιθέμεθα*, non *καθαιροῦμεν*, itaque hodieque necessariam arbitror veterem meam coniecturam *κατάθου*, quod verbum labem passum est e subsequenti *ἔξελε*. Aperte non sufficit lenior Bergkii mutatio *καθελοῦ* coll. Vesp. 936, ubi de *depromendo*, non ut h. l., de *deponendo* sermo fit.

Vs. 288. *ἔχουσαν* fortasse recte defenditur a coniecturis.

Vs. 294. sitne spurius, ut Meinekio fortasse non temere videbatur, an genuinus haud dirimam, sed neutiquam mihi persuasit editor perhibens versu 293 *σὺ δ' ἄπιθ', ὦ Θρᾷττ', ἐκποδών* „orationem desinere apte non posse".

Vs. 498. *οὐδ' ἐκεῖν' εἴρηκέ πω*
ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
ὑπ' αὐγὰς οἷόν ἐστιν, ἐγκεκαλυμμένον
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν, οὐκ εἴρηκέ πω.

Locum corruptissimum non male sic refinxit editor:
οἷον πρὸς αὐγάς ἐστιν (cum Blaydesio), *⟨ἐκ τῆς οἰκίας⟩*
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν ⟨οὐχ ὁρώμενον⟩.

Verba *οὐκ εἴρηκέ πω* librarii errore repetita ante eum delens ipse in unum versum duos contraxeram scribendo:
ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν ἐγκεκαλυμμένον

abiectis etiam verbis ametris *ὑπ' αὐγὰς — ἐστιν*, quae ad versum supplendum interpolata esse suspicabar. Leeuwenio utrum recte necne haec ita nimis abrupte narrari videantur, aliorum esto iudicium, verum hoc facile ei concedo participium *ἐγκεκαλυμμένον* ferri non posse, „nam aut nihil proderat adultero caput obvolvisse, si tamen cerneret eum maritus, aut si non cerneret, inutilis".

Quare nunc proposuerim:
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψε τὸν κεκρυμμένον

quae scripta more antiqua *τὸγ κεκρυμμένον* facillime in *ἐγκεκαλυμμένον*, quod nemo interpolator facile de suo additurus

fuisset, abire potuerunt. Interea vide annon sufficiat sine articulo scribere ἐξέπεμψεν ἐγκεκρυμμένον.

Vs. 574. Φίλαι γυναῖκες, ξυγγενεῖς τοὐμοῦ τρόπου.
[ὅτι μὲν Φίλος εἶμ' ὑμῖν, ἐπίδηλος ταῖς γνάθοις]
γυναικομανῶ γὰρ κτέ.

Scite vLeeuwen observat, nisi hic vs. cum Cobeto deleatur, voculam γάρ non habere quo referatur. Addo, si genuinus esset, poetam non paucis post versibus similiter (sed quanto melius!) iocaturum fuisse:

τί δ' ἔστιν, ὦ παῖ; παῖδα γάρ σ' εἰκὸς καλεῖν,
ἕως ἂν οὕτως τὰς γνάθους ψιλὰς ἔχῃς.

Vs. 616. στραγγουριῶ γάρ· ἐχθὲς ἔφαγον κάρδαμα.

Otiosae quam editor commemorat Lentingii coniecturae χθὲς γὰρ vel hoc obstat, quod, ut olim Meineke, ni fallor, observavit, brevior forma χθές nusquam apud Aristophanem numeris postulatur.

Vs. 655.

ἡμᾶς τοίνυν μετὰ τοῦτ' ἤδη τὰς λαμπάδας ἁψαμένας χρὴ
ξυζωσαμένας εὖ κἀνδρείως τῶν θ' ἱματίων ἀποδύσας
ζητεῖν εἴ που κἄλλος τις ἀνὴρ ἀνελήλυθε, κτέ.

Quamvis satis leni, perinfelici tamen coniectura editor pro verbis corruptis substituisse mihi videtur τῶν θ' ἱματίων ἀμελούσας, quia τ. ἱ. ἀμελεῖν recte tantummodo dicuntur qui pallia exuta non induunt, sed hic sermo est de mulieribus, quae quo expeditiores fiant, pallia deponant, itaque multo probabilius me iudice Blaydes proposuit καὶ θαἰμάτι' <ἐξ>αποδύσας. Nihil enim me movet quod hoc composito lexica (quae continuo novis compositis augentur et augebuntur) hucusque carent, quoniam passim apud poetas verba composita cum duplici praepositione (ἐξαπο) variant cum iis, quae cum sola praepositione ἀπό copulata sunt. Ceterum, etiamsi plerumque „non promiscue usurpari ἐκδύειν (*uitdoen*) et ἀποδύειν (*afdoen*)" facile Leeuwenio assentiamur, non semper anxie utrumque verbum distingui docere videtur Lysistratae locus 1021 sqq., ubi mulierum duci dicenti

ἀλλὰ τὴν ἐξωμίδ' ἐνδύσω σε προσιοῦσ' ἐγώ

coryphaeus respondet:

τοῦτο μὲν μὰ τὸν Δί' οὐ πονηρὸν ἐποιήσατε·
ἀλλ' ὑπ' ὀργῆς γὰρ πονηρᾶς καὶ τότ' ἀπέδυν ἐγώ,

ubi quod expectes ἐξέδυν metro excluditur.

Quamquam hoc ad nostrum locum vix pertinet, ubi ἐξαποδύσας non idem quod ἐκδύσας sed quod ἀποδύσας significabit.

Vs. 719. ἀλλ' οὐ, μὰ τὼ θεώ, τάχ' οὐ χαίρων ἴσως
ἐνυβριεῖ κτέ.

Non solum ἐνυβρίζειν, ut animadvertit vLeeuwen, est sublimioris dictionis, sed etiam οὐ χαίρων, cui formulae dictio comica et vulgaris constanter addit voculam impersonalem τι (οὔ τι χαίρων), neque minus synizesis vocis θεός, qua tragicis usitatissima comoedia abstinet.

Vs. 743. τί μ' εἰργάσω.

Bonae aetatis tituli attici docuerunt augmentum imperfecti et aoristi verbi ἐργάζεσθαι non ει esse, sed η, ει contra perfecti reduplicationem. Cf. Meisterhans[3] pag. 171, 11. Unica exceptio a. 325 a. C. κατειργάσθησαν fortasse iam est τῆς κοινῆς.

Vs. 799. οὕτως ἡμεῖς ἐπιδήλως
ὑμῶν ἐσμὲν πολὺ βελτίους. βάσανός τε πάρεστιν ἰδέσθαι.
βάσανον δῶμεν, πότεροι χείρους. κτέ.

Pro verbis procul dubio depravatis editor dubitabundus proponit καὶ μὴν βάσανός γε πάρεστι vel βάσανον δ' ἔξεστι παρασχεῖν, quae apta quidem sententiae sunt, sed a traditis iusto remotiora. Ipse tentaverim:

βασάνου <δ' ἦν πού> τι δέησθε,
βάσανον δῶμεν, κτέ.

Vs. 811. κλέψουσα pro κλέψασα est evidens Leeuwenii emendatio, quam olim h. l. tentantem me fugisse miror et hodie pudet.

Vs. 822. τἀντίον vox editori suspecta „quod vox aliunde non sit cognita”. Quot igitur vocabula graeca suspecta sunt!

Vs. 841. κόμας καθεῖσαν.
Fortasse haud inutile est observare constanter antiquos et probos scriptores in hac similibusque formulis uti verbo activo, sequiores vero iuxta hoc plerumque forma media καθίεσθαι.

Vs. 874—883. Mireris mulierem probe atticam confundere nomina diversissima Πρωτεύς et Πρωτέας. Num igitur poeta *surdam* eam fingere censendus est? Videndum an vs. 974 ποίου Πρωτέα vel Πρωτέου corrigendum sit pro Πρωτέως. Nam sibimet ipsa certe constare debebat. Iam olim hac de re monui, sed nihil adnotat ad h. l. editor.

Vs. 889. τί δὴ σὺ θάσσεις κτέ.
„Verbum θάσσειν poeticae est dictionis". Ita est; item θακεῖν: quo magis mireris substantivum θᾶκος = θρόνος nec pedestrem sermonem (Xenophontis et Platonis) aspernari nec comoediam (Ran. 1511. 1518. Nub. 980, in heroico versu Cratin. II 18, 4 Mein.). — Θοάζετε a Sophocle O. R. 2 dici potuisse pro θακάσσετε, i. e. θάσσετε, semper dubium admodum mihi visum est et potius cum Hermanno Suidae interpretationem θοῶς προσκάθησθε amplectendam esse censeo.

Vs. 1004. οἴμοι κακοδαίμων, μᾶλλον ἐπικρούεις σύ γε.
Cur vLeeuwen malit ἐπέκρουσας prorsus me latet.

Vs. 1181. Φέρε θοἰμάτιον ἄνωθεν, ὦ τέκνον, τοδί,
καθιζομένη δ' ἐπὶ τοῖσι γόνασι τοῦ Σκύθου
τὼ πόδε πρότεινον, ἵν' ὑπολύσω.

Primum versum, in quo nihil corruptum videtur praeter ἄνωθεν, immutatum relinquere me iudice multo praestat quam cum editore in textum recipere gravissimam Blaydesii mutationem Φέρε ⟨νυν⟩ κατάθου θοἰμάτιον, quae verba quo pacto sic corrumpi potuerint, nemo facile expediat. Vix autem dubito quin sub depravato vocabulo delitescat imperativus aliquis. Fueritne

Φέρε θοἰμάτιον ἄνες μέν, ὦ τέκνον, τοδί,

quod dubitabundus propono dictum eo sensu, quo vernaculo sermone dixeris *„laat schieten, laat vallen, maak los"*, an aliud lateat, aliorum esto iudicium. Hoc unum video, facillimam hanc esse neque ineptam mutationem.

Locis quam plurimis mihi convenire cum sagacissimo et doctissimo collega tam interpretem quam criticum agenti vix opus est dicere. Quia vero merum assensum significare nihil habet utilitatis, de his quidem (paucos supra tetigi) silere praestiterit. Coniunctis viribus ut maior semper ubique lux affulgeat obscurioribus corruptisve veterum scriptorum locis hoc opus, hic labor esto!

DUAE COBETI CORRECTIONES INEDITAE IN SCYMNUM CHIUM.

Immortalis magister meus tam eleganter litteras Graecas exarabat, ut ne ab optimis quidem calligraphis Italis saeculi XV ea in re superaretur, nec quisquam eius discipulorum hodie vivit quem manus Cobeti alicubi facta obviam punctum temporis fallere possit.

Nuper autem in manus mihi venit eximiae Scymni editionis, quam Meineke curavit Berolini a. 1846, exemplar, quod Leovardiae asservatur in Bumae quae dicitur bibliotheca (A 107), procul dubio oriundum ex ipsa Cobeti librorum collectione.

Ad carminis initium

πάντων ἀναγκαιότατον ἡ κωμῳδία,
θειότατε βασιλεῦ Νικόμηδες, τοῦτ' ἔχει
τὸ καὶ βραχέως ἕκαστα καὶ Φράζειν σαφῶς
καὶ ψυχαγωγεῖν πάντα τὸν ὑγιῆ κριτήν

in margine dextra Cobeti manu (plumbo, ut solebat) adnotatum reperio Φράζ'' καὶ, quae procul dubio vero est emendatio.

Non minus probandam arbitror eiusdem correctionem marginalem ibidem ad vs. 343 ἧι δὴ pro codicis lectione ἤδη, unde οἶ δὴ fecerat Boissonade, quod in textum dubitabundus recepit Meineke, alia ipse coniciens, ut mihi quidem videtur, minus probabilia.

Tertiam his adderem Cobeti coniecturam in vs. 521

τὸ πρὸς μεσημβρίαν δὲ καὶ νότον κλίμα

ubi in margine superiore adnotavit κλῖμα καὶ νότον, nisi invito magistro me hoc facturum esse persuasum haberem, quippe qui optime novisset, quod in scholis suis docere solebat, aetate hellenistica substantiva in $\overline{\mu\alpha}$ brevem habere paenultimam.

H. v. H.

AD LIVIUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

T. Livi ab urbe condita Libri.
Ed. A. Zingerle 1885.

XXI. 5. 8: *adortique Hannibalem regressum ex Vaccaeis haud procul Tago flumine, agmen grave praeda turbavere. Hannibal proelio abstinuit castrisque super ripam positis, cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado traiecit valloque ita producto, ut locum ad transgrediendum hostes haberent, invadere eos transeuntes statuit.*

Rerum igitur ordo hic fuit:

1. Hostes adorti Hannibalem agmen eius turbant
2. Hannibal proelio abstinuit
3. posuit castra super ripam
4. amnem vado traiecit
5. vallum ita produxit ut locum ad transgrediendum hostes haberent.

In quibus recensendis mirum videtur admodum, Hannibalem cum agmen eius turbaretur neque tamen iustum proelium ille inire vellet, castra ponendi invenisse occasionem: exspectares eum ab hostium incursionibus suos protexisse, donec tegentibus tenebris discedere atque amnem traicere liceret. Sed fac, revera eum tam propinquis hostibus castra muniendi opus et supervacuum et periculosum susceptum perfecisse, quid deinde? *Amnem vado traiecit valloque ita producto ut* e. q. s. At priusquam vallum productum esse auctor inferret, sane narrare debuit factum illud esse, cuius valli productio tantummodo pars fuit

exigua; dico: Hannibalem amne traiecto *castra posuisse.* Ita iam in hac ripa id factum videmus quod in illa, ubi hostes erant, factum esse minime videtur credibile; itaque verba quae sunt *castrisque super ripam positis* loco, ubi nunc leguntur, nihili sunt, alibi opus est iis quam maxime. Quae cum ita sint, sic locum restituendum esse censeo: *Hannibal proelio abstinuit. Cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado traiecit, castrisque super ripam positis valloque ita producto, ut* e. q. s.

XXI. 6. 4: *Hannibali denuntiarent, ut ab Saguntinis, sociis populi Romani, abstineret, et Carthaginem in Africam traicerent ac sociorum populi Romani querimonias deferrent.*

Vocabula *in Africam* addita esse videntur ab homine, ne quis de Carthagine nova cogitaret, metuente, cum praesertim in eodem capite haec sint: *legatique .... Saguntum ad Hannibalem atque inde Carthaginem, si non abstineretur bello, ad ducem ipsum in poenam foederis rupti deposcendum.*

XXI. 28. 12: *excidere etiam saevientes quidam in flumen; sed pondere ipso stabiles deiectis rectoribus quaerendis pedetentim vadis in terram evasere.*

Verba *deiectis rectoribus* non suum locum obtinere puto, quippe quae ita quidem posita omni sensu cassa videantur. Nempe e lectione tradita effeceris aut elephantos alias stabiles esse si haberent rectores, tunc vero pondere ipso, aut beluas deiectis rectoribus pedentim vada quaesivisse, cum rectoribus insidentibus flumen raptim percurrere solerent. At referenda verba sunt ad sententiam, quae proxime antecedit, nam deiecerunt rectores eo, quod saeviebant, vel eo, quod ipsi in flumen excidebant e rate elephanti, neque dubito quin ita verba transponenda sint: *excidere etiam saevientes quidam in flumen deiectis rectoribus, sed pondere ipso stabiles quaerendis pedetentim vadis in terram evasere.*

XXI. 34. 1: *ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude et insidiis, est prope circumventus. magno natu principes castellorum oratores ad Poenum veniunt, alienis malis, utili exemplo, doctos memorantes amicitiam malle quam vim experiri Poenorum.*

In his verbis v. d. H. W. van der Mey putidum emblema unum iam sustulit, sc.: *utili exemplo* (in Mnemosynes Vol. XX p. 224), risum movere observans legatos ultro philosophantes Hannibalemque docentes felicem esse quem faciant aliena pericula cautum. Equidem alterum quoque quam primum tolli malim, quod est *fraude et insidiis*. Verba *non bello aperto* satis diserte indicant, quales artes fuerint quas praeterea in huius libri capite IV § 9 fuse scriptor exposuit. Accedit quod XXII. 16. 5: *nec Hannibalem fefellit suis se artibus peti* sine interpretamento illo scriptum est.

XXI. 53. 2: *restitutos ac refectos militibus animos, nec quemquam esse praeter conlegam, qui dilatam dimicationem vellet; eum animo magis quam corpore aegrum memoria vulneris aciem ac tela horrere.*

Quantocius vocabula *memoria vulneris* inducantur, ascripta ab aliquo, qui cum Cornelii aegritudo sibi non satis spectata esset, tandem eius causam detexisse sibi visus est et puerile inventum nescio an cum gloriatione aliqua in margine memoriae prodidit. Cf. XL. 56. 9: *sed animo tamen aegrum magis fuisse quam corpore constat.*

XXIII. 4. 1: *hoc modo Pacuvius cum obnoxium vitae beneficio senatum multo sibi magis quam plebi fecisset, sine armis, iam omnibus concedentibus, dominabatur.*

Si non illico cuivis pateret verba *vitae beneficio* prorsus inutilem, immo molestissimam, verborum antecedentium *hoc modo* interpretationem esse, ipse locus quo nunc posita iustum ceterorum verborum ordinem interrumpunt, iam ostenderet insiticia ea esse quamque primum eicienda e contexta oratione.

XXIII. 5. 8: *coeptumque propter vos cum Samnitibus bellum per centum prope annos variante fortuna eventum tulerimus.*

Hoc loco cognito assentiendum non videtur editoribus, qui ad XXIII 13. 4: *quod si, id quod di omen avertant, nunc quoque fortuna aliquid variaverit* adnotant, vocabulum *aliquid* exemplum esse accusativi pronominis neutrius generis, adverbialiter ad verbum intransitivum vel passivum positi. Cuius rei cum permulta apud Livium exstent exempla, tum verba *fortuna aliquid*

variaverit pro argumento afferre non licet. Ceterum de verbo variandi apud nostrum Riemann (Etudes etc. p. 204) egit, quem unus locus XXIII. 13. 4 fugisse videtur.

XXIII. 5. 13: *his infandis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit,* e. q. s.

Aliquando ad Curt. V. 12. 18: *Artabazus cum his, qui imperio parebant, Graecisque militibus Parthienen petebat, omnia tutiora parricidarum contuitu ratus* haec ascripsi: Quid parricidarum contuitus nocere potuerit Artabazi militibus non video, sed potius contactu scribendum arbitror (Progr. Gymn. Leid. 1894 p. 24). Bentley olim contubernio — Hedicke comitatu coniecerat, Stangl edidit convictu. Locus Livianus meam coniecturam haud parum confirmat neque minus Taciteus, qui est in Hist. II. 60: *simul ceterae legiones contactu et adversus Germanicos milites invidia bellum meditabantur.* Cum praesertim codices mss. praebeant *contuitu,* non leviter in editione mea Curtiana a. 1897 meam coniecturam recepisse etiamnunc mihi videor.

XXIII. 9. 7: *vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequivere, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? ut ab aliis auxilia desint, me ipsum ferire corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis [sustinebis?*

Idem verbum spatio tam exiguo ter repetitum: *sustinere* — *sustinebis* — *sustinebis* lectionem traditam in suspicionem adducere potest, at vero quicumque cognoverit verba *sustinere nequivere* e coniectura scripta esse, *ut* a Drakenborchio pro codicis ms. *it*, *ab aliis* a Mayerhoefero pro *alis* esse restitutum, ei magis etiam verbi triplex repetitio suspecta videbitur. In codice ms. est: *sustinere̅n,* quod iam I. F. Gronovius in *sustinere nequeunt* — postea Woelfflin in *s. nequivere* mutavit. At si semel observaveris, bis deinde verbum iterari, non iam id agendum esse putabis, ut infinitivus *sustinere* quoquo modo servetur, sed multo magis contendendum ut e scriptura *sustineren* aliquid eruatur quod Livius scribere potuerit. Quibus consideratis attentione dignissimum est id quod Weissenborn monuit, fieri posse ut noster scripserit *timuere,* cl. VI. 8. 5, VII. 33. 17.

XXIII. 11. 3: *Pythio Apollini re publica vestra bene gesta servataque de lucris meritis donum mittitote deque praeda, manubiis spoliisque honorem habetote; lasciviam a vobis prohibetote.*

Weissenborn, servata lectione tradita: *lucris meritis,* ablativum absolutum esse credidit sic explicans: si lucra feceritis, si dignos vos iis reddideritis. Deinde cum Riemanno praepositionem excidisse maluit. Quae medendi ratio — nam locum vitio laborare satis manifestum est — mihi quidem semper visa est perversissima: *Lucra* illa *merita* nunc quodammodo explicantur, sed probabiliter numquam. Accuratius oraculum considerantes videmus moneri Romanos ut de praeda, i. e. de manubiis spoliisque, Apollini honorem habeant — qualem vero? nempe sollemnem. Honor ille usu satis erat definitus sive vicesima sive decima fuit (cf. Preller I. p. 351). Donum tamen, quod re publica bene gesta servataque mittere iubentur, prorsus indefinitum est, qua de causa pro *lucris meritis* aliquid restituendum esse puto quale est: *pro tantis meritis* vel *pro eius meritis.*

XXIII. 14. 2: *M. Iunius Pera .... praeter duas urbanas legiones .... et servorum dilectum .... ad ultimum prope desperatae rei publicae auxilium, cum honesta utilibus cedunt, descendit edixitque* e. q. s.

Et locus, ubi leguntur, et verbi tempus satis ostendunt, verba *cum honesta utilibus cedunt* in marginem releganda esse, unde quondam in contextam orationem irrepserunt. Cf. ea quae ad XXI. 34. 1 observavi.

ib. § 7: *plebs novarum, ut solet, rerum atque Hannibalis tota esse metumque agrorum populationis et patienda in obsidione multa gravia indignaque proponere animo.*

Quid est: *plebs metum agrorum populationis proponebat animo*? Weissenborn adnotat *metumque a. p.* scriptum esse pro *populationem — metuendam* et conferri iubet IV. 21. 6: *metum vastitatis.* Sed hic locus nihil ad nostrum, nam legitur ibi: *Pestilentior inde annus — tantum metum vastitatis in urbe agrisque fecit, ut* e. q. s. Potuit plebs agrorum populationem animo sibi proponere, sed non metum ipsum, itaque emendare velim *metuensque,* quo facto sententia fit haec: plebs metuens i. e. dum metuebat,

animo proponebat agrorum populationes et multa gravia indignaque, quae patienda sunt in obsidione.

XXIII. 47. 8: *huic pugnae equestri rem — mirabilem certe adiciunt quidam annales: cum refugientem ad urbem Tauream Claudius sequeretur, patenti hostium porta invectum per alteram stupentibus miraculo hostibus intactum evasisse.*

Vocabulum *miraculo* deleatur ut ab aliquo adscriptum ac deinde male in textum receptum cui non satis liqueret verbi *stupentibus* significatio. Miraculum fuit, Claudium ex hostium urbe incolumem evasisse, non fuit, quod patenti porta in eam invectus est. Si Livius verbum *stupentibus* illustrare voluisset, addidisset *tanta audacia* vel tale quid.

XXIV. 8. 5: adversus Gallum quondam provocantem in ponte Anienis T. Manlium fidentem et animo et viribus misere maioris nostri. *eandem causam haud multis annis post fuisse non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur adversus similiter provocantem arma capienti Gallum ad certamen.*

De insolito verborum ordine constat inter editores omnes, quorum verba *ad certamen* alii ad *arma capienti* — alii ad *provocantem Gallum* referenda esse monent — P. R. Mueller (Jahrb. f. Class. Phil. 1868 p. 48) verba *ad certamen* ut glossema inducenda esse censuit. At fugit virum doctum his verbis deletis vocabulum *Gallum* transponi necesse esse inter vocabula *adversus* et *similiter*. Cum vero causa nulla sit, cur de loco suo id nomen detrusum esse credamus, verba *ad certamen* inducta locum nostrum minime reddunt luculentiorem. Verum nuper vidit E. H. Renkema, litt. class. in nostra Universitate candidatus et discipulus mihi dilectissimus. Rectissime perspexit expungenda esse verba *Gallum ad certamen,* ita ratiocinatus: cum in sententia, quae proxime antecedit, scripserit auctor *adversus Gallum quondam provocantem,* ad verba *adversus similiter provocantem* idem non iterum nomen *Gallum* addidit, at addidit librarius, qui èt hoc interpretamentum èt illud *ad certamen* de margine iuxta et male in textum recepit. Quae cum ita sint, quam primum rursus in marginem relegentur.

XXV. 6. 1: *hi permissu Lentuli primores equitum centurionum-*

que et robora ex legionibus peditum legatos in hiberna ad M. Marcellum miserunt.

Robora peditum iungenda esse editores fere monent, sed haec non est apta oppositio primoribus equitum centurionumque, cum hi quoque pedites fuerint. Exspectaveris: robora e legionariis, quod nescio an Livius verbis *robora ex legionibus* reddiderit, vocabulum *peditum* adiectum esse credo quo *robora ex legionibus* disertius opponerentur primoribus *equitum.*

XXV. 18 i. f.: *Crispinus equum armaque capta et cruentam cuspidem insignis spoliis ostentans cum magna laude et gratulatione militum ad consules est deductus laudatusque ibi magnifice et donis ornatus.*

Verba *insignis spoliis* si post *ostentans* legerentur, ferri possent; ita vero, cum praesertim cruenta cuspis ipsius Crispini sit, loco ipso coarguuntur.

XXV. 41. 3: (Marcello) *instruente exercitum decem effusis equis advolant ex hostium acie Numidae nuntiantes populares suos .... quieturos in pugna. gens fallax promissi fidem praestitit. itaque et Romanis crevit animus nuntio celeri per ordines misso, destitutum ab equite hostem esse,* e. q. s.

Miror neminem adhuc perspexisse, verba *gens fallax promissi fidem praestitit* Livio abiudicanda esse atque deberi alicui qui iam ea quae sequuntur perlegisset. Narrationis cursum totum turbant, nam èt rei eventum intempestive praecipiunt èt faciunt ut omnia, quae deinde narrantur, *itaque et Romanis* cet. cum antecedentibus minime cohaereant et prorsus iam facta sint supervacua. Contra deleto additamento demum omnia bene procedere videbis.

XXVII. 27. 3: *Numidis speculator, nequaquam in spem tantae rei positus, sed si quos vagos pabuli aut lignorum causa longius a castris progressos possent excipere, signum dat, ut pariter ab suis quisque latebris exorerentur.*

Editores alii pro *possent* scribendum censuerunt *posset,* scilicet ut et ad *posset* et ad *positus* subiectum esset *speculator,* sed *possent* non mutandum esse, verum pro *positus* emendandum *positis* nuper vir doctus quidam sagaciter perspexit.

ΟΔΥΣΣΕΥΣ.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

Versus τ 399—466 optimo iure a variis editoribus ut a loco alienos et postmodo insertos obelo esse notatos infitiabitur nemo. E quibus versibus illi, opinor, quam maxime lectorem movent memoriaeque repositi manent, ubi Autolycus nepotis originem nominis explicat hisce verbis:

πολλοῖσιν γὰρ ἐγώ γε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω,
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν·
τῷδ' Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον.

Ecquis est quin hanc etymologiam seriori imputet aetati? Neque miramur ardorem quo veteres in celeberrimi herois nomine explicando desudarunt, nam nos quoque δαιμόνιον illud nomen cruciavit sescenties. Varia autem post conamina Fick-Bechtel in lexico de nominibus propriis derivationem a stirpe δυκ reiecerunt, quam si probassent, equidem de vocis significatione nil doctior abiissem.

Kretschmeri vero librum „Die griechischen Vaseninschriften" quicunque vel raptim percurrit mirabundus notabit modos varios quibus pictores appictis literulis Ulixis imaginem designarunt accuratius. Nam praeter vulgatum illud „Ὀδυσσεύς" reperiuntur Ὀλυττευς, Ὀλλυττευς, Ὀλυτευς, Ὀλυττης, Ὀλυτευ, Ὀλυσσευς, Ὀλισσευς, Ὠλυσσευς. Singula vascula e museorum catalogis indicare, cum facili negotio apud Kretschmerum inveniri possint, nunc supersedeo. Observavit v. d. p. 146: „die attischen Vasen bieten den Namen Ὀδυσσεύς vorwiegend in der Form Ὀλυττεύς oder Ὀλυσσεύς." Suspicatur praevaluisse formam populari e lingua petitam, quam opinionem corroboratam iudicat testa quadam in Cabirio Thebano reperta, cui nomen simile est inscriptum

(Mitt. Ath. Inst. 1890). Mutavit igitur lingua popularis literam δ in λ, vel potius (nam nullum aliud inveni exemplum praeter glossam hesychianam λάφνη· δάφνη. Περγαῖοι) iuxta formam Ὀδυσσεύς exstitit altera Ὀλυσσεύς.

Revera Eustath. ad Iliad. p. 289. 39 commemoravit: ὁ Ὀδυσσεὺς δέ που Ὀλυσσεύς καὶ ἡ Ὀδύσσεια Ὀλύσσεια; nec non apud Quinctil. I, 4, 16 legimus: „sic Ὀδυσσεύς, quem Olissea fecerant Aeoles ad Ulixen deductus est." Formae quoque graeco-italica Οὐλίξης (Plut. Marc. 20) et romana *Ulixes* demonstrant Graeciae in partibus occidentalibus herois nomen per λ non per δ esse pronuntiatum.

Ecquid forma Ὀλυσσευς est antiquior, ab Aeolibus creata, servata in ore popelli, sed docta fere oblitterata pronuntiatione quae e verbo ὀδύσσομαι stirpem petebat? Si annuis, herois nomen a stirpe λυκ derivandum esse, conicere pergo. Nam o initiale quod apud viros ἐτυμολόγους audit o formativum (lautlicher Vorschlag) item reperitur in nomine proprio „Oileus" cuius formam alteram „Ileus" tradiderunt Hesiodus, Stesichorus, Pindarus. Annon ipse Zenodotus in homericis scribi maluit Ileus? (schol. N 203 A; cf. schol. O 336 Twl.). Qua de re copiosam doctrinam sedulo collectam reperies apud Rzach Hesiod. fr. 116.

Decretum quoque aetolicum (B. C. H. VI 469; debeo locum Bethio Neue Jahrb. 1904 Part. prim.) pro Creticae urbis nomine Ὄαξος tradidit Ϝαξος, quod oppidum tam ex inscriptionibus quam e Stephano nobis innotuit sub forma Ἄξος.

Tertium praebet exemplum Hesiod. Theog. 617 ubi iuxta Βριάρεως exstat lectio altera a Rzachio accepta Ὀβριάρεως.

Quare, si haec omnia non prorsus ad vanum redigunt peritiores, nomen Ὀλυσσευς vel potius Ὀ-λυκ-јευς interpretor „*Lucidum*", „den Lichtenden". Quod arridebit iis praesertim, qui cum Seeckio et aliis in Odysseae nucleo latere mythum solarem persuasum sibi habeant. Neque fortasse abs re erit observasse Ulixi indidisse nomen avum Αὐτόλυκον; illum igitur, cuius nomen, si Usener non frustra disputavit de radice λυκ (lucēre), posthac trademus „*ipsam Lucem*". Venantur autem et Autolycus et Ulixes ad Parnassum montem Soli semper sanctum; luctantur ibi cum apro, qua venatione antiqui saepius expresserunt certamen tenebras inter et lucem.

COMMENTUM AELI DONATI AD TERENTIUM.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

(*Continuantur e pag.* 128.)

II.

DE QUATUOR SCHOLIORUM INTERPOLATORIBUS PRAETER PHILOSOPHUM.

§ 1. Magister A.

Quod in prima huius disquisitionis parte promisi [1]), id nunc praestabo, ut scholiorum interpolatores persequar, qui praeter illum, quem Philosophi nomine distinxi, satis certo indicari possunt.

Initium facio ab illo, quem appellabo A cuiusque quasi facies omnium facillime discernitur. Est fidus Achates Donati, obsequens et modestus, qui illius adnotationes varie adfirmat, amplificat, breviter repetit, nihil novi ipse usquam addere ausus nisi inventu facillima. Adiunxit additamenta sua per particulas ergo, nam, enim, et est, id est, al. Non necesse est ut omnia eius scholia describam, sed subsistam in fine Act. III. Ea scholia, quae genuinum Donati medium interrumpunt, nulla opera agnoscuntur et pleraque iam indicata sunt a Wessnero.

---

1) Mnemos. XXXII p. 211.

a. Scholia per „ergo".

Prol. 6 Don. (2): „Qui" pro ut. A: *ergo non est modo* (= hoc loco) *pronomen.*

Notavit Wessnerus.

24 Don. (2): „Favete". Quasi dicat: haec adversarii faciunt, vos autem, quod in vobis est, favete. A addidit: *vos ergo favorem facite.*

Notavit W.

25. Don. (3): „reliquum" quasi diceret „postremum" — *est ergo quasi adverbium* — id est *τὸ λοιπόν.*

Notavit W.

I 1, 13 (8): Ergo „haud muto factum" non me paenitet facti. Repetit haec conclusio id, quod Don. dixit in (2).

15 (3) Ergo „adversum te" dixit pro apud te. Cf. (1).

Uterque locus (13 et 15) probare videtur magistrum A iam Philosophi aliorumque interpolationes, quae praecedunt, ante oculos habuisse.

28 (1) „Quod plerique omnes faciunt adulescentuli" haec adiectio dicitur in primo posita loco — *adiectiones vero aut in prima parte orationis aut in ultima adiciuntur, hic ergo „plerique" ex abundanti positum est, „omnes" vero necessario additum est* — ut alibi (Eun. I 2. 5) „iam calesces plus satis"; in ultimo, sicut (Eun. I 2. 46, Heaut. II 3. 16) „interea loci", *id est interim.*

Sic optime locum expressit Wessnerus. Verba cursiva τοῦ A scindunt denuo scholium concinnum Donati et in fine explent.

Ibid. (5) „Quod faciunt" pro „quae faciunt", id est: quae faciunt plerique adulescentuli, horum ille nihil egregie p. c. s. *est ergo figuratum, quod rectum esset, si diceret: quae plerique omnes faciunt adulescentuli, horum ille nihil praeter cetera studebat.*

Sic Wessnerus. Cursiva pertinent ad A, qui doctrinam de figurato sumpsit e scholio (2), cuius posterior saltem pars Donati est. Sed etiam quae praecedunt: id est .... egregie p. c. s. a Donato abiudicanda sunt, secundum quem in (1) et ad Eun. I 2. 5 „plerique omnes" non intelligendi sunt plerique, ut est

in hoc scholio, sed omnes adulescentuli, idque probavit, ut vidimus, A (1). Igitur „id est" sqq. alii denuo tribuenda sunt. Hinc etiam initium, „quod faciunt" pro „quae faciunt", a Donato adiudicaverim; secundum hunc „quod" erat figurata locutio, nihil amplius, quam illustravit exemplis in (2).

31 Horum ille nihil egregie praeter cetera studebat.

Don.: egregium dicitur, quod ex grege eligitur, sed hic „egregie" valde, nimis. A: non est ergo ad laudem positum: haec, inquit, ut cetera, similiter studebat.

42 Don.: artificiose „triennium" dixit, cum posset plus minusve temporis ponere, ut sit verisimile unum annum fuisse pudicae parcaeque vitae, sequentem condicionis acceptae, tertium mortis. Ex hac idonea triennii distinctione aut A aut alius magister, nisi fuit ipse Philosophus, ansam cepit ludendi ita: *primo ergo anno ignorata est Pamphilo domus Chrysidis, secundo est Glycerio cognitus, tertio nupsit Glycerium Pamphilo et pariter invenit parentes.*

Interpolationem iam notavit W.

50 „Unus et item alter": praeter unum duo, ex quibus alter, ut sint tres, nam „hi tres simul amabant" (vs. 60), ut Vergilius (Ecl. VIII 39) „alter ab undecimo". A conclusit: ergo alter non est secundus sed tertius.

Eugraphius verbose, ut vulgo, similia praebet et exemplum Vergilianum. Servius ad l.l.: „id est tertius decimus, „alter" enim de duobus dicimus".

91 Unam aspicio adulescentulam

Don.: ex consuetudine dixit „unam", ut dicimus „unus est adulescens": tolle „unam" et ita fiet, ut sensui nihil desit, sed consuetudo admirantis non erit expressa. A: „unam" ergo τῷ ἰδιωτισμῷ (= consuetudine) dixit.

I. 2. 29 Bene „lege atque omine", quia leges auspiciis servatis ferebantur — *ergo sic intellige, quasi diceret: ea condicione* — et antiqui auspicato omnia faciebant, quae rata esse vellent.

Sic optime haec distinxit W. Iam agnoscimus auctorem interpolatoris.

33 Bona verba, quaeso

Don.: εὐφημισμός, quasi dicat: meliora loquere, rogo te. A: ergo cum admonitione „bona verba", inquit, rogo te.

I 3. 2 (3) Quae si non astu providentur

Don.: provisio rerum duas significationes habet: providemus enim nobis tam bonum negotium quam malum; malum, sicut si quis eminus veniens telum providerit atque caverit. A: ergo hic „providentur" caventur, vitantur. Idem (4): est ergo μεταφορά, confer. praec. vv. Donati.

I 5. 35 „Egon istuc conari queam"? (1): ideo sic Pamphilus, quia illa invidiose non „deserere cogaris", inquit, sed „deseras". (2): non perficere sed conari: velle aliquid ad scelus effectio (corrige affectio coll. Cic. de Off. III 29) est, etiamsi non potest fieri; hic enim voluntas, non factum damnatur, ut Vergilius: ausi omnes immane nefas ausoque potiti (VI 624). A (3): ergo „conari" levius est quam facere.

Descripsi haec omnia non tantum ut appareat scholium (3) pertinere ad Donatum in (1), sed etiam ut novum scholium Philosopho vindicem, quem deprehendimus in (2) propter non — sed et propter exhibitionem doctrinae a loco Terentiano prorsus alienae atque exemplum ineptum.

II 1. 10 Tu si hic sis aliter sentias

Don.: „hic" gestu scaenico melius commendatur, nam haec magis spectatoribus quam lectori sunt. *„Hic" ergo se ipsum ostendens dicit.*

Interpolationem iam notavit W.

33 Aut tu aut hic Byrria

Don.: „hic" δεικτικῶς: quasi efficaciorem ostendit. A: ergo ad comparationem alterius refertur.

III 1. 3 Don.: simpliciter dixit: „ab Andria est" pro „Andriae est", nam ex usu sic dicere solemus. A: ergo „ab Andria est" hoc est: „Andriae est". Sequitur scholium Philosophi per an.

III 2. 2 „Signa esse ad salutem": deest „haerentia" aut „pertinentia"; sic in Heautontimorumeno (I 2. 23) „atque haec

sunt ad virtutem omnia", — (2): absolute ergo dixit, ut desit aliquid tale. — unde et nos dicimus quid ad rem? vel quid ad me.

Dividitur Donati scholium conclusione lineolis indicata.

III. 3. 1 Si. Iubeo Chremetem ... Chr. O te ipsum quaerebam

(2) Ferme aliquid iubere velle est — *„iubeo" ergo: volo.* (3) *Et deest: „salvere", quod opprimitur ab alterius personae interventu* — ut Vergilius (V 386) reddique viro promissa iubebant.

Interpolationes notavit W. Prior per ergo debetur τῷ A, altera per deest peculiari magistro tribuenda est, quem postea cognoverimus.

38 Principio amico filium restitueris,
Tibi generum firmum et filiae invenies virum

Don. breviter: „principio", nec intulit „secundo". A conclusit: restitueris — invenies, ergo ἀνακόλουθον duplex.

44. Ipsus mihi Davus, qui intumust eorum consiliis, dixit

Don.(?)[1]): rhetorice adnotat: est commendatio testis, ut „in foro modo e Davo audivi" (vs. 302). Addidit A: ergo „ipsus" quasi qui maxime sciat.

III 4. 27. Utinam mihi esset aliquid hic quo nunc me praecipitem darem!

Don.: Non dixit „gladium" aut „laqueum" ne esset tragicum. A: Ergo bene pressit dicens „praecipitem darem".

IV 1. 54. Si quid praeter spem evenit

Don.: „evēnit" producta magis, quia hoc perpetuo non vult accidere Pamphilo. A: Ergo „evēnit", non „eveniet" aut „evĕnit" media correpta.

IV 5. 14 [2]). Exemplum Donati e Ciceronis Verr. II 87: „ita habeantur itaque dicantur" cum versu Terentiano comparans adnotavit A: *„habita" ergo plus est quam „dicta".*

Locum notavit W.

---

1) Huiusmodi scholia rhetorica a Donato adiudicanda esse videbimus.

2) Reliqua huius magistri scholia per ergo inveniuntur IV 3. 11 (3), 4. 24. V 4. 34.

b. Scholia per „nam", „enim".

I 1. 1 (6) Sosiae persona protatica est — *non enim usque ad finem perseverat* — ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis et Syrae.

Verba a Wessnero iam inclinatis litteris expressa quasi glossema sunt τοῦ A. Eiusdem notae sunt quae sequuntur:

2 (1) Don.: „adesdum", „ades" imperativum est, „dum" παρέλκον. *Est enim productio.* Notavit W.

13 (2) „Haud muto factum" Donatus recte adnotat: vetuste: non me paenitet. Noster fuit, opinor, qui adiecit: nam si quid paeniteret infectum velle dicebant. Hoc autem derivasse videtur ex exemplo Donati in (7) „nollem factum" (Ad. II 1. 11). Eidem supra (p. 288) tribui schol. (8) per ergo.

30 „Aut ad philosophos": mira ἔλλειψις est et familiaris Terentio. Sic Donatus, unde A: nam possumus subaudire „audiendos" sive „sectandos". Haec supplementa recte se habent, sed Donatus talia nusquam addit, nisi ubi prorsus sit necessarium.

42 „Interea mulier" e. q. s. Don.: hic digressio est (cf. Eugraphius ad h. l.), addidit A: nam proposuit gnati vitam dicere. Cf. quae modo scripsi ad vs. 30. Supra vidimus (p. 289) etiam schol. (4) ab eodem auctum esse adnotatione per ergo.

93 „Ut nihil supra" ἔλλειψις Terentiana. A: nam non necesse est subiungere duos versus. Solus A huius modi supplementi duorum vss. a quibusdam, ut videtur, temptati memoriam nobis servavit. Cf. Hartman de Ter. et Don. p. 131.

102 „In ignem imposita est" ἔλλειψις. A: non enim quae.

119 „Pro uxore habere hanc peregrinam": ut alibi (III. 1. 11) „adeone est demens? ex peregrina?" Sic Don., sed A: nam hoc nomine etiam meretrices nominabantur, — quod sumpsit ex Donati adnotatione ampliore ad III 1. 11.

121 „Ita tum discedo": proprie, — non enim „abeo" — unde discessio. Interpolavit A.

125 Prope adest cum alieno more vivendumst mihi
Don.: „cum" pro quando. A: hoc enim significat „cum". Supplementa magistri, ceteroquin non stupidi neque indocti, nonnumquam tam puerilia sunt, ut in tironum usum, quibus Terentium et Donati scholia interpretaretur, dictata esse credas[1]).

I 3. 6 (4) „Primum iam": ὑφέν. Sic simpliciter Donatus, ut I 2. 9: „necopinantis": ὑφέν. A perperam addidit: est enim ἀναστροφή pro iam primum. De hac figura vide Donatum ad I 1. 144.

I 5. 7 Id mutavit, quia me immutatum videt?
Don.: παρόμοιον. A: nam quotiens verba sunt παρόμοιον dicitur, quotiens nomina, παρονομασία, — quae sumpsit a Donato ad I 3. 13: amabant veteres de proximo similia dicere, ut Cicero (exempl. Verr. IV 27), et quidem si in verbis sunt παρόμοια dicuntur, si in nominibus παρονομασίαι. Denuo A ad IV 4. 37 post Donati vv.: „de proximo παρόμοιον repetivit", subiunxit: „*quando nomina sunt* π α ρ ο ν ο μ α σ ί α, *quando verba*, π α ρ ό μ ο ι ο ν *dicitur*", quam interpolationem iam notavit W.

56 (7) „Te obtestor" sextum παρέλκον. Addit A: dixit enim iam „quod ego te per hanc dexteram oro" (vs. 54)[2]).

II. 1. 28 Char. Sed si id non potest aut tibi nuptiae haec sunt cordi
Don.: hoc (scil. postrema vv. „aut tibi" sqq.) ad Pamphilum pertinet, non enim unum et idem est (nempe cum eo quod praecedit „si i d n. p."). Addit A: nam si idem esset, „tibi nuptiae hae sunt cordi" supervacuum esset additum.

II 3. 13 Nempe hoc sic esse opinor: dicturum patrem
„Ducas volo hodie uxorem"; tu „ducam" inquies
Don. (?) rhetorice: ab imitatione. A: *mimesis enim dicitur.*
Verba notavit W.

II 6. 4 „Nihil prorsus" dicitur in quo nulla est ambiguitas. A: est enim confirmatio negantis.

---

1) Hinc eidem magistro alia fortasse leviora scholia addici possunt, quale est e g. I 3. 5 (5): subauditur timeo.

2) Cf. supra I 1 2.

5 „Hoc male habet virum": *εἰρωνικῶς* „virum" dixit defessum senem — *modo* [1]) *enim iocular iter dixit „virum"* — „vir" enim modo ad vituperationem cum ironia, modo ad laudem sumitur sine ironia.

Interpolatio a W. notata est.

22 „Meorum aequalium potissimum": aequalium <ab> aetate, potissimum a dignitate. A: *etenim potis potior potissimus facit.*

Interpolationem notavit W., sumptam a Donato ad II 6. 6: est autem nomen potis et facit potior potissimus.

III 2. 6 „Scitus" elegans, pulcher, quam Graeci *κομψόν* dicunt. A: *quod enim quis scit, hoc scitum et pulchrum est.*

Notavit W.

III 3. 17 Quasi si illa tua sit Pamphilique ego sim pater

Don.: Nota suavissimam varietatem. A: non enim dicit „quasi illa tua sit et ille meus".

V 4. 52 (4): „Haud ita iussi": sic enim praeceperat: „quadrupedem constringito" (V 2. 24). A breviter repetit initium Don. (2) [2]).

c. Scholia per „et est", „id est", aliasque particulas et formulas.

Haec quoque scholia eidem modesto interpretatori Donati et asseculae reddenda esse ipsorum natura demonstrabit.

I 1. 10 Don.: „Mihi" *ἔμφασιν* habet. A: quod mihi libertus factus sis, non filio.

48 Lana et tela, victum quaeritans

Don. (1): Subdistingue „tela", finis enim laboris est „victum quaeritans", ut Vergilius: „cum femina primum" e. q. s. (Aen.

---

1) Modo sic positum apud Donatum significat hoc loco, sequitur hunc usum magister A.

2) Reliqua scholia per nam et enim inveniuntur IV 2. 2, 25. 2 (in medio Don.), IV 3. 14 IV 5. 8 (nam *πρός*). V 2. 7 (non est enim), 29 (assum. est enim). V 3. 8 (nunc enim), 26 (nam deditio).

VIII 408 sq.), — et deinde (i. e. post „tela") finem laboris intulit.

Postrema „et deinde ... intulit" ab A addita videntur.

54 Ut una esset

Don. (4): „Una" simul. A: id est: una cibum capturus. Cf. vs. 61.

100 Don. (2): „Funus" a funalibus dictum est, ut supra (81) notavimus. A: et est funus pompa exsequiarum. Repetivit hoc indidem.

108 Ut consuetum facile amorem cerneres

Don.: Mire non „suspicarere" dixit sed „cerneres". Pergit tironibus A: et est ordo: „facile cerneres".

120 Don. (3): „Ille instat factum": Plautus: „instare factum simia" (Merc. II 1. 18), et est *ἀρχαϊσμός*. A: „instat factum" vetuste, id est: instat dicere factum esse.

Talia igitur non ab excerptore Aelii Donati repetenda sunt, sed ab eiusdem commentatore.

129 Ea primum ab illo animadvertenda iniuria est

(1): Nota participium a passivo „animadvertenda", id est castiganda ac vindicanda est.

(2): „ab illo ... iniuria", id est quam facit, non quam patitur.

(3): „Ea p. a. i. an.": ut iam hoc sit peccatum, quod recusat nuptias, non quod amat adulescens. — Ideo ergo „primum" dixit.

(4): „animadvertenda i. e.": vindicanda, exsequenda.

(5): *Et* bene „ab illo" dixit „iniuria", certissimam enim notavit personam, quae debeat pro iniuriis poenas solvere. Quodsi dixisset „iniuria eius", amphiboliam fecisset, utrum, quam passus est ab alio an, quam ipse aliis intulit.

Ex his scholiis sanum Aelii iudicium et doctrina agnoscitur in exegetico (3) et in grammatico (5), praeterea ex semasiologicis ei dandum videtur (4) propter formam magis exquisitam „exsequenda". A ad (3) conclusiunculam addidit: Ideo ergo pr. d., quam redactor commenti perperam illic inseruit, cum pertineat ad (5). Denique (1) fere repetitio est scholii Don. (4),

sed ita ut pro „exsequenda" magister ille, qui ideo A non fuisse videtur, suum inventum substituerit. De hoc igitur postea videbimus.

131 Ut per falsas nuptias vera obiurgandi causa sit
Don. nihil amplius dedit quam: „ἀντίθετον", sic enim solet in huiusmodi formulis, cf. IV 5. 3, al. A interpretatur: quia „falsas" dixit, intulit „vera".

144 „I prae". Don.: figura ἀντιστροφή. A: quod nos „praei" dicimus. Cf. p. 293, I 3. 6.

I 2. 10 „Oscitantes". Don. (3): oscitatio est animi otium et securitas, dicta ab ore ciendo. (4): „oscitantes" securi, id est nihil providentes Hoc alii potius magistro tribuerim, qui non tam anxie Donati vestigia pressit, de quo postea.

I 2. 30 „An nondum etiam". Don.: quartum παρέλκον. A: quia abundat etiam. Cf. I 1. 2.

I. 3. 5 „Opitulor". Don. (4): Opitulatio dicta ab opem tollendo. A: hoc est ferendo.

12 Don.: „Operae pretium" dicitur de mirificis et laudabilibus, nam et ea quae magna sunt, etiamsi mala, tamen admiramur et libenter audimus. A: et hoc pretum est operae i. e. audiendi.

I 5. 5 Quod verbum audio!
Don.: „verbum" pro ἀξιώματε more suo posuit. (Cf. I 1. 18). A: *id est „uxorem dare" quod ait* (vs. 3). Notavit W.

36 Exemplum a Donato citatum ex Eunucho I 1. 20: „egone illam, quae illum, quae me", explicatur ab A: *„quae illum" id est amat, „quae me" id est non amat.* Notavit W.

51 „Huius formam atque aetatem". Don. (4): duplex causa commendationis, formae et aetatis. Parum opportune addidit A: et supra: „una forte adspicio adulescentulam forma" (I 1. 91).

54 „Quod te per hanc dexteram". Don.: „quod" propter quod, ut „quod te per superos" (Aen. II 141). A: *et ordo: „propter quod oro"*. Notavit W., et vide supra ad I 1. 108.

60 (6) „Te isti virum do amicum tutorem patrem" apparet (scil. eam solemniter dare), quod iungens dexteras haec dicebat. A: ideo et supra „per hanc dexteram obtestor" (vs. 54).

II 1. 10 Praeter interpolationem supra (p. 290) indicatam, duo aliae etiam ad magistrum A revocandae videntur, quas notavit W:

(2) *Pro: atque eccum Pamphilum*, et dein: *ut si dicas: sapiens sed miser: hoc enim discretivum erit.*

II 1. 15 (3). Si „quidni" legeris, subaudiendum „adeas". A: ut sit, „quidni adeas, ut" e. q. s.

31 (5) „Id gratiae poni (pro: apponi) sibi" addi in gratiam suam. Quod A adscripsisse videtur: „id est: sibi gratiam mereri" — nititur falsa lectione „poni".

32 Nuptias effugere ego istas malo quam tu adipiscier

Don.: Interposita distinctione vultuose hoc dicitur. A: *hoc est cum gestu.* Notavit W.

II 3. 7 (7) „Dictum ac factum": proverbium celeritatis. A: id est cito.

24 Ne resciscat mi esse ex illa cautiost

Don.: cautione opus est. A: hoc est, cavendum est.

Igitur in huiusmodi scholiis altera adnotatio non est repetitio scholii Donatiani nec debetur excerptori alteri, sed interpretatio est illius.

II 4. 7 (3) et (4): „Commutaturum patrem ⟨unum esse verbum⟩" iurgium habiturum, — *hoc est enim „verba commutare"* — [1]) altercaturum; in Phormione sic (IV 3. 33): „tria non commutabitis verba hodie inter vos" — quod est dabitis atque accipietis, id est, iurgabitis.

W. iam distinxit interpolationem priorem, ego addidi posteriorem, non minus certam per quod est.

II 6. 4. Post (1) et (2), quae constituunt scholium unum

---

1) Exclusi lemma „commutaturum". Ad Phorm. l.l. Don. similiter: proprie „v. c." est quod altercari dicimus.

continuum Donati, A pergit: et est *εὐφημισμός* antiquorum pro „nihil".

III 2. 13 Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?

Don.: *δύο δι' ἑνός* cito (i. e. oratione festinata). A: et „fallere" et „aperte".

28 (2) et (3) Id ego iam tibi renuntiabo, ere, futurum" Don. (2): „re" syllaba apud veteres interdum abundat, ut modo — *renuntio pro nuntio* — et Cicero „renuntiatur mihi" (Verr. II 149).

Interpolationem notavit W. Ex hac autem et consimilibus interpolationibus verisimile fit, magistri additamenta stetisse olim in margine commenti alicuius Donatiani (iam ab excerptore contracti?) idque cum sigillo indicante locum quo pertinerent, eaque deinde in textum fuisse recepta.

III 3. 40 „Quid istic?" Don.: concedentis et veluti victi verbum, tamquam si diceret „quid?" A: abundat „istic".

IV 1. 29 „Cum patre altercasti": legitur et „altercatus es". Donatus lectionem variam indicare solet, per „legitur et", quod praetervidens A inscite adscripsit: non enim alterco dicimus.

IV 2. 11 „Per omnes tibi adiuro deos". Don.: „ad" auctiva particula est, ut admirabiliter valde mirabiliter, *et adverto, addo*. Cf. IV 1. 39 (3).

14 „Hanc nisi mors mihi adimet nemo". Don: perseverat (nempe in ea modestia, quam Don. designavit ad vs. 13 (4) et (5)), ne dicat „pater". A: pro: non adimet pater.

IV 3. 3 „Amicum amatorem virum". Don.: Amicus animi est, amator corporis: non enim continuo amator et bene vult, ut Dido amavit quidem Aeneam, sed non et amica fuit, quae ait: „non potui" e. q. s. (Aen. IV 600), et idem Catullus (72. 8): „cogit amare magis, sed velle minus".

Elegantissimo scholio Donati A perperam addidit: „et est hic officium et blandimentum", — neutrum est, sed exprobratio Pamphili, qui descivit ab amore et amicitia.

13 Quia, si forte opus sit ad erum iurato mihi [1])

Don.(?): Sic locutus est, ut explicari atque intelligi non possit: aut enim deest „ius", ut sit: ius iurandum. — *Iurandum pro iusiurandum* — aut ut vulgo dicitur „iuramentum".

Interpolationem notavit W.

IV 5. 5 „Sed quos perconter video". Don.: Interrogatio est, cui necessario respondetur aut etiam aut non, percontatio, cui nihil horum, ut si quis dicat: ubi habitabat Chrysis? dicatur: ecce hic. — *Percontatio, ut si quis dicat: cur adulterium commisisti?* — Simul etiam modeste et mature et de se nihil interrogaturus coepit a blandimentis.

Verba notavit W. Inter duo scholia Donati se insinuavit adnotatio alicuius magistri, qui A esse potest.

15 „Nunc me hospitem lites sequi". Don.: et „me" et „hospitem" et „lites sequi" mire dicit, — *„me" cum emphasi, id est senem et remotum a litibus, „hospitem" hoc est peregrinum, „lites sequi" id est pauperem* — totum <μετ'> ἐμφάσεως.

Lepidum exemplum, quomodo magister breve scholion Donati tironibus explicuerit. Verba notavit W.

19 „Grandiuscula iam profecta est". Don.: ad partem aetatis refertur grandis, — *id est: grandis natu est* — maior autem generaliter et ad summam aetatis refertur et ad comparationem aetatis pariliter positum.

Notavit W. Postrema vv. „par. pos." non intelligo.

V 1. 15 „Per ego te deos oro u. n. a. i. i. c." Don.(?) rhetorice: defensio per coniecturam. A: et est ordo: per deos oro te ego.

18 „Ubi ea causa quam ob rem haec faciunt". Don.: ἀνακόλουθον, nam non intulit „ob quam causam", cum supra dixerit „ea causa", sed quasi dixerit „ubi ea res", intulit „quam ob rem". A: aut „rem" abundat, aut „causa".

V 2. 14 „Nescio quis senex modo venit". Don.: bene „nescio quis": etenim si notus esset, videretur gratificari. Donati verbum „gratificari" sic interpretatus est A: *id est gratiosus esse testis et minus verus.* Notavit W.

---

1) Cf. lectionis varietas apud Umpfenbach.

V 3. 6 „Num cogitat" e. q. s. Don. (4): ut solent irascentes, avertit orationem a secunda ad tertiam personam. A: ab ea cum qua loquebatur ad aliam.

16 „Sollicito". Don.: sollicitam reddo. A: id est contristo et perturbo.

V 4. 10 „Ac meretricios amores <nuptiis conglutinas?>" Don.: Peius lenocinio crimen ingessit, non amicam facere de meretrice, sed coniugem. A: „nuptiis conglutinas" hoc gravius est lenocinio.

27 „Rhamnusium". Don.: Piraeum, Rhamnus et cetera huiusmodi maritima Atticae proprie intellegenda sunt. A: Rhamnus pagus Atticae est.

V 6. 3 „More hominum evenit" e. q. s. Don.: Quia fama mali celerior est quam boni. A: id est: ut facilius mala quam bona nuntiantur.

Satis exemplorum dedisse mihi videor ut cognoscatur ludi magister, non tam Terentii quam Donati interpres fidelis et modestus, aeque diversus a Philosopho atque ab aliis interpolatoribus ad quos iam transeo. In his autem distinguendis non tam certa res erit, cum non ita inter se differant, ut alter ab altero liquido discerni semper possit.

Initium facio ab illo, quem insignibo littera B. Dictiones ellipticas, etiam simplicissimas, sedulo indicare studuit, usus certis formulis: deest, deest ... ut sit, aliis, et non raro plura supplementa suppeditavit ac saepe minus apposita.

§ 2. Magister B („deest").

Prol. 10. 4 (4). „Utramvis", deest „harum".

I 1. 2 „Paucis <te volo>". Deest „colloqui" aut „verbis", et est figura σύλληψις. Postrema tantum: „e. f. σ." Donati sunt, cf. ad vs. 20, III 5. 1, V 2. 3 et 29.

3 Nempe ut curentur recte haec? Immo aliud

Don.: (2) „haec" δεικτικῶς — et (4): bene ἀντέθηκεν τῷ

nempe τὸ immo. B: (3) „nempe ut curentur" deest „vis", ut sit: „nempe vis"; idem post (4): et deest „volo".

7 (3) „Exspecto quid velis". „Don.: „exspecto", desidero, ut Vergilius: „exspectate venis" (Aen. II 283). B: (4) „quid velis" deest „scire", nam si dixisset „quod velis", nihil desideraret. Supplementum et reddita ratio aeque inepta sunt. Ceterum quod habet „desideraret" id indicat eum hoc subiunxisse scholio Donati.

25 Liberius ⟨vivendi⟩". Don.: non est comparativus gradus, non enim libere ante vivere potuit „dum aetas metus magister prohibebant" (vs. 27), *ergo deest „aliquanto", ut sit „aliquanto liberius"*. (2): „vivendi" deest „ei".

Prius additamentum, quod falsa continet, iam deprehendit W.

34 Adprime in vita esse utile ut ne quid nimis
(4): deest „agas", ut sit „n. q. n. agas".

38 Numquam praeponens se illis, ita ut facillume
Sine invidia laudem invenias et amicos pares

Magister ignarus sermonis comici (cf. Spengel ad h. l.): „ita ut" deest faciens, volens, agens.

55 „Egomet continuo mecum": deest volvebam, cogitabam, versabam.

56 (6) „Observabam": deest tamen, hoc est: quamvis captus erat et iam habebat (cf. praecedentia „certe captus est, habet"), tamen observabam. Falsum.

111 „Nec satis ad obiurgandum causae": deest habui vel erat, ut Vergilius: „nec sat rationis in armis" (II 314). Haec Donatus, quae B sic supplevit: et hic (i. e. apud Verg.) „est" vel „habui" deest ad sententiam.

Etiam Don. supplementa dedit, sed certa de causa, velut h. l. propter exemplum Vergilianum, et 118 „deest se" propter ambiguam structuram.

122 „Non tu ibi gnatum?" Don. recte: ἀποσιώπησις (cf. 138, II 3. 7 sq.). B: vel ἔλλειψις, deest invasisti, obiurgasti, adortus es.

I 2. 15 Hocine agis an non? Ego vero istuc
Deest „ago" vel „audio"!

17 (1) Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum

Deest „se", ut sit: dum se tempus praebuit, quia supra (vs. 151) dixit „tute his rebus finem praescripsti, pater". Vide quam perplexe mentem suam exprimat: vs. 151 comparari potest cum sententia, non cum forma huius versiculi. Et falsa est suppletio pronominis reciproci (cf. Spengel ad h. l.).

Sed operae pretium est adscribere reliqua scholia ad h. v.

(2) „Sivi, animum ut expleret suum" mira [1]) ratio cur siverit, ut et hoc, quod permisit, ad bonam frugem permiserit, non ad luxuriam.

(3) „Ad eam rem tulit": „tulit" absolute.

(4) Et deest „se".

(5) „Sivi" autem distingue: est enim modo „sivi" permisi cessavi.

(6) „Sivi" antique. Aliter in Adelphis: „non siit egestas facere nos" (I 2. 24).

Donati doctrinam et acumen habemus in (2) (3) (5) (6) et ex (3) apparet secundum illum nihil deesse ad „tulit". Itaque qui scripsit (4) partim repetivit magistrum nostrum ex (1), quae re confirmari videtur illorum opinio, qui redactorem commenti nostri ex duarum saltem editionum Terentii marginibus opus suum compilasse putant, quarum in altera erat longius schol. (1), in altera compendium (4). Ceterum haec quaestio intricatior est, quam ut in transitu tractari possit. Tantummodo hic illic indicia notare iuvat, quae ad eius solutionem pertineant. Donatus in suo commento prius dedisse videtur (3), quod initium versiculi respicit, dein de altera versus parte prius (6) de archaismo, tum (5) de interpunctione, tandem (2) de sententia. Magister sine respectu Donati suum (1) dedisse videtur.

I 4. 7 Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid siet

---

1) Mira, mire, similia laudem habent apud Donatum.

(2) „Quid" ob quid, propter quid [1]) sit examinatus, (3) aut aliter „quid sit" id est: quid sit negotii; (4) sed quidam putant „quid" pro quare, ut „quid veniant" (Verg. Aen. I 518).

(5): Aut deest propter, ut sit <propter> quid.

In (2) (3) (4) Donatus rettulisse videtur opinionem suam et eorum commentatorum, qui antecesserant, Probi, Aspri, Acronis [2]). Scholium (5) repetitio est scholii (2), quod redactorem denuo non in eodem, sed in altero fonte invenisse veri simile est. Utrum in (2) (3) (4) habeamus Donatum plenum et integrum an laceratum et a magistro vel redactore in hanc formam redactum (aut — aut — sed), nondum diiudico.

I 5. 50 Accessi. Vos semotae, nos soli. Incipit

(1) Figurae proprie Terentianae, ἀσύνδετον et ἔλλειψις, — „vos semotae": deest „estis", „nos soli": deest „remansimus" — ut est illud: „egone illam, quae illum, quae me" (Eun. I 1. 20).

Donatus dedit tantum scholii initium et finem. Media otiosa magistri additamenta sunt. Alia res est in scholio ad Eunuchi l.l., ubi asyndeton et ellipsis pro rei necessitate a Donato accurate pertractantur.

(2) „Incipit": deest „dicere".

I 5. 65 Verbum unum cave de nuptiis, ne ad morbum hoc etiam

(1) Deest „dicas". Figura ἔλλειψις. (4) „Ne ad morbum hoc etiam" iterum ἔλλειψις, deest enim accedat. Prima vv.: deest „dicas" magistro reddenda videntur, reliqua omnia Donato.

---

1) Formula „ob", „propter id" sim. derivatur a Donato, qui opportunitate data eam adhibuit, veluti supra et I 5. 54 Quod te per hanc dexteram; quod propter quod, ut quod te per superos (Verg. Aen. II 141). quem locum Magister imitatus est III 3. 24: deest ob ut sit ob id, ut Vergilius quod te per superos ... oro. Etiam Donato dandum videtur III 3. 3 id viso: id ob id — viso ad videndum venio. Ad Magistrum referenda sunt haec scholia:

II 2. 3 laetus est nescio quid deest propter, ut sit propter nescio quid = V. 1. 22.

12 id faves deest ob, ut sit ob id.

II 3. 2 id succenseat: id ob id propter id.

III 2. 19 quid credas? propter quid aut propter quam rem aut quomodo.

V 2. 22 quid illum censes? (scil. facere) deest propter ut sit propter <quid>.

2) Cf. infra ad IV 1. 31.

II 27 (3) „Sed si id non potest": deest „fieri". Recte Spengel: nicht „fieri" zu ergänzen, sondern absolut: wenn dieses nicht möglichst ist = *pote st.*

36 At tu hercle haud quicquam mihi, nisi quae nil opus sunt sciri
„Haud quicquam": deest „effers" „dicis" „nuntias". Cf. supra I. 1. 55.

II 2. 10 Quid timeas, scio ... Et qnid tu, scio
„Et quid tu": deest „timeas".

20 Circumspicio. Nusquam. Forte ibi huius video Byrriam
„Nusquam": deest „vidi". „Huius": deest „servum". Cf. Spengel ad h. l.

II. 3. 7 (6) Pa. Quidvis patiar. Da. Pater est, Pamphile, difficile est
„Difficile est" ἀποσιώπησις cum vultu. Magistrum addidisse: deest „resistere", docebit locus qui infra sequitnr III 1. 11.

21 Nam quod tu speres „Propulsabo facile uxorem his moribus, dabit nemo"
(5) Deest aliquid, ut sit: his moribus agenti, aut his moribus praedito. Antiqui versum sic interpunxerunt (etiam Eugraphius), ut Davus dicat: „nam quod tu speres propulsabo facile". Scholia (1) (2) (3) (4) hoc ita explicant: quod tu timeas aliam daturum (scil. patrem tibi uxorem, sed W. cum Klotzio recte: alium daturum, scil. tibi filiam suam), propulsabo facile, i. e. repellam, ostendam nihilominus te esse ducturum aliam uxorem, etiamsi hanc non duxeris (= schol. (3) Donati). — Dein Pamphilus: „uxorem his moribus dabit nemo". (cf. schol. (6): ne alteram quaerat, scil. pater). — Denuo Davus: „inveniet inopem potius quam te corrumpi sinat". Itaque fieri potuit ut Donatus scripserit schol. (5) „deest aliquid" sqq., sed forma coarguit interpolatorem.

II 6. 6 Potin es mihi verum dicere?
Don.: Integrum „potisne ‹es›", id est potes, ut Vergilius: „nec potis Ionios f. a. s." (Aen. III 671), — et deest illic

(scil. apud Verg.) „est" — est autem nomen „potis" et facit potis, potior, potissimus.

Habemus hunc quoque magistrum in medio Donato.

III 1. 10 „Quid hoc". Don.: senex ἐλλειπτικῶς. Adiunxit B: deest enim „rei est".

11 (1) Adeon est demens? ex peregrina? Iam scio, ah!

Don.: ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν apta cogitanti; reliquum autem sic pronuntiat quasi reperto consilio. (4): „ex peregrina": ἀποσιώπησις, deest enim „ut filium suscipiat" aut aliquid tale.

Ecce discrimen inter subtilem elegantiam Donati, qui aposiopesis naturam lectori intelligendam relinquit et plumbeum magistri supplementum.

Ceterum denuo (1) et (4) ex diverso fonte derivanda videntur.

19 „Num immemores discipuli?" Deest „nunc". Schopen correxit „sunt". Fortasse legendum „nunc sunt".

III 2. 16 „Num veritus?". (2): Veretur liber, metuit servus — (3): *et deest „es": apta ἔλλειψις irascenti* — alibi (Phorm. II 1. 2) „non simultatem meam revereri!" Sic locum dedit Wessnerus, sed minus recte.

Locum e Phormione Donatus sic legebat:

Nec meum imperium, age (pro ac, cf. Umpf.), mitto imperium, non simultatem meam revereri saltem

et adnotabat: „Nec m. imp." rara ἀποσιώπησις, nam non sequitur „sed", intulit enim „age"; subauditur autem „revereri", sic Lucretius: „nonne videre" (II 16). Est igitur Donatus ipse, qui ἔλλειψιν irascentis in hoc Andriae loco illustravit exemplo ellipsis vel aposiopesis irascentis in Phormione. Itaque mag. B dedit tantum *et deest „es"*, perperam, nam „veritus" = „veritu's". Sequentia: „apta ἐλλ. ir." e. q. s. genuina sunt Donati. Falsam differentiam (2): „veretur l. m. s." olim vidimus a Philosopho inventam esse (Mnem. XXXII p. 217).

III 3. 1 (3): Et deest „salvere", quod opprimitur ab alterius personae interventu. Invenitur hoc in medio scholio Donati una cum interpolatione magistri A (cf. supra p. 291).

3 „Visa" deest „te". Don.: ad videndum venio.

IV 1. 7 „Post ubi tempus" „deest est", ut sit „tempus est".

31 Immo etiam, quo tu minus scis aerumnas meas,
Hae nuptiae non adparabantur mihi

(1) „Immo etiam" pro praeterea et amplius.

(2) „ „ deest „audi".

(3) „Quo minus tu scis": „quo" id est quod et deest „audi."

(4) vel accipe, ut sit quod vel quoniam.

(5) vel „quo" id est ex quo aut qua re.

(6) aut certe erit sensus cum subauditione huiusmodi: immo etiam, quo minus scis aerumnas meas, eo magis audi, aut: immo etiam hae nuptiae non apparabantur mihi, quo ipso minus tu scis aerumnas meas, id est falsae nuptiae erant, quae res te magis fallit irascique mihi cogit merito.

De hac structura particulae quo etiam hodie dissentiunt viri docti. Spengel h. l. ita interpretatur: „wodurch (ut in (5) quo, qua re) es klar wird das du mein Leiden nicht genug kennst ... Der Nachsatz ist eigentlich: so wisse (ut in (2) et (3) deest „audi"). Idem ad Ad. 680: „quo magis" weshalb um so mehr" (= qua re). Brix. ad Captivos 430: „quo minus dixi quam volui de te, animum advortas volo", eig. um was ich weniger, d. i. was ich dir noch nicht ans Herz gelegt habe, das beachte ... Einfacher ist die Annahme, zum Haupsatz *eo magis* zu denken" (ut in (6) initio). Dziatzko h. l. correxit quom tu minus, idem in Eun. 737 cum multis secundum A[2]: quod intellexi. Hinc consentaneum est iam primos Terentii commentatores, Probum, Aemilium Asprum, Helenium Acronem, dissensisse de interpretatione et Donatum eorum conamina cum suis rettulisse in (2) (4) (5) (6)[1]). Scholium (3) alicuius magistri est, qui repetit (4) partim et (2).

46 Hac non successit, alia adgrediemur via
„Hac n. s.": deest „quod conabamur"; et proprie de bono sic dicitur. Sitne hoc Donati dubito.

V 1. 20 „Cum ibi adesse": „tum" deest, ut sit integrum „tum cum".

1) Cf. supra ad I 4. 7.

V 2. 8 Etiam tu hoc respondes, quid istic tibi negotist?
„Respondes": deest „an non".

28 O Chremes, pietatem gnati!
Ἔλλειψις — deest enim „vides" aut aliquid tale — et est ironia pro „impietatem". Cf. supra II 6. 6.

V 6. 6 „Pater amicus summus": deest „eius".

Haec scholia ita comparata sunt omnia ut ab uno magistro, qui ab A et Philosopho diversus est, ad imitationem denuo consuetudinis et formularum Donati (deest, ob — propter) et nonnumquam ad supplendam eius ellipsis vel aposiopesis notationem, conficta esse debeant. Semel iterumque praeterea invenimus scholium per deest repetitum e Donatino et, ut veri simile est, inventum in altero fonte redactoris. Ceterum eidem magistro sine dubio alia quoque scholia debentur, qnae tamen nulla formae proprietate insignita repperire difficilius est.

§ 3. Magistri C et D.

Supersunt multa scholia a Donato aliena, quae non tam manifesta auctoris sui indicia prae se ferunt, quam ea, quae magistris A et B et Philosopho adsignavimus, sed quorum tamen facile duo saltem auctores distinguuntur et ab illis et inter se diversi.

Alter, non indoctus et natura audacior, libenter impugnat Donatum aliosve, qui praecesserunt, interpretes, et adhibet exempla sibi prompta a Vergilio plerumque, raro a Cicerone aliisque Latinis, nonnumquam ab ipso Terentio, sed et exempla et interpretatio eius saepenumero parum satisfaciunt. Hic, quem appellabo C, in memoriam revocat Philosophi operam, sed discrepat prorsus in eo, quod nusquam philosophatur. Particulae, si quibus utitur, sunt fere adversativae (sed cett.) vel disiunctivae (aut, vel).

Alter contra placidior est et libenter sese adplicat Donato, in hoc igitur consimilis magistro A, ita ut nonnumquam unum eundemque esse suspiceris, sed ab eo differt in eo, quod interpretationes verborum et sententiarum praebet sibi proprias.

Utitur, ut par est, saepe formulis hoc est, id est, sim. Indicatur littera D.

Ex his quoque scholiis non pauca iam notavit Wessnerus, ea nempe, quae, cum interrumpant aliquod scholium continuum, externum peculiaris originis indicium exhibent. Ceterum exemplorum multitudo nunc quoque iuvare debebit ad ostendendam diversam horum magistrorum speciem.

Dabo haec scholia ex ordine versuum cuncta addita maiuscula C vel D, ut distinguantur auctores. Ubi neutra legitur, res incerta est.

Prol. 16 (1) „Contaminari" contaminare proprie est manibus luto plenis aliquid attingere et — (2) *contaminare contingere est* — polluere. Notavit W. (D)

I 1. 9 Apud me iusta et clemens fuerit servitus

Don. (2): „iusta" in qua nihil iniquum iubetur, „clemens" in qua etiam de iusto multum remittitur. Cf. eiusdem Schol. (1). (3) „i. et cl.": moderata aequalitas, cui contrarium Vergilius ait „iniquo pondere rastri" et „iniquo sub fasce viam cum carpit" (Geo. I 164, III 347 ubi tamen legitur „iniusto" vel „invito"), nam qui „iustam" debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad iuvandam sententiam. Omnia inepta.

Pro „aequalitas" Rabbow dedit „aequa talis", Wessner „aequa levis", et hic quidem ingeniose scripsit „levis" propter exempla, in quibus „iniquus" significat „gravis". Sed in tali magistro nihil mutare tutius est. (C)

18 Post scholium Donati (3) haec sequuntur: nam male intelligit, qui putat „adsimules" verbum significari. Impugnat id quod Donatus docet ad vs. 141 (3). (C).

21 „Cur simulas igitur": Vergilius: et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi? (Ecl. I 26). Exempli rationem non perspicio. (C)

24 Nam is postquam excessit ex ephebis

Ephebia prima aetas adulescentiae est. Sic Don., mag. addidit: adulescentia est extrema pueritia. Secundum Varronem, apud Censorinum d. d. n. 14 et Isidorum II 11. 4, pueritia et adolescentia a doctis accurate distinguebantur. (D)

30 Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos

Post scholium (1) Donati et magistri A (vide supra p. 292) sequitur:

(2) „ad ph." vitium est, quia dixit „ad aliquod studium". (C)

(3) aut si „ad philosophos", separanda erit locutio sic „ut animum adiungant ad philosophos". (D)

Illud alterius est magistri, qui adoritur ipsum Terentium, hoc modestioris illius, qui nonnumquam Donati opinionem refert, ut hoc loco nimirum, et infra vs. 56. Eugraphius explicat minus recte: „ad sapientiam atque doctrinam".

Ceterum ex h. l. manifestum est, hunc magistrum D illi C esse posteriorem.

35 *Feruntur onera et sustinentur supplicia.* Additamentum iam notavit W. (D)

47 Post scholium (3) Donati partim et Philosophi (Mnem. XXXII p. 215) sequitur inepta differentia:

(4) Sed dure in alterum, duriter in nos aliquid facimus. Magister C, quamquam non indoctus est, tamen pugnacitate non raro perducitur ad enuntiandum opiniones nimis falsas et audaces. (C)

48 Victum quaeritans

In medio scholio Donati, cuius partem tantum citabo, interpolatio legitur, quam notavit W.:

... unde Vergilius: „victum infelicem" e. q. s. (Aen. III 649) — (3) *et post tantum laborem „victum", non „cibum" dixit, ut Vergilius: „at patiens operum parvoque assueta iuventus"* (Geo. II 472) — et non „quaerens" sed „quaeritans" dixit ....

Infeliciter aemulatur Donatum exemplo parum idoneo. (C)

51 Don.: proclive est porro inclinatum. Mag.: vel pronum inclinatumque. (C)

54 Perduxere illuc secum, ut una esset, meum

Don. (1): invitum isse Pamphilum his verbis significat; perducuntur enim necessitate coacti — *hoc etiam verbum iudices pronuntiare solent.* Cur iudices hoc verbo praesertim usi sint

nemo facile dixerit, nec verum est. Corrigendum videtur: „⟨apud⟩ iudices pronuntiare solent", nempe ii, qui se ad male faciendum ab aliis perductos h. e. pellectos esse excusant. Cf. Cic. Verr. II 69 fine. Nep. Dion. V 2. Locum notavit W. (D)

56 (1) „Habet" id est vulneratus est; |habere enim dicitur, qui percussus est. Repetit partim Donati scholium (2), sed liberius, quam A hoc facere solitus est. (D)

80 Post scholia Donati (1) et Philosophi (2) (Mnem. ll. p. 221) sequitur adnotatio minus apposita (3): et „frequens" ut miles apud signa. (D)

88 In funus prodeo

Repetit e Donato (81): „a funalibus dictum est" sed dein suo Marte [1]) sic pergit: id est uncis et aculeis candelabrorum, quibus delibuti funes et ingenium cerei fomites infigebantur.

Unde hoc habeat docet nos Servius ad Aen. I 727, ubi post verba (corrupta) e Varrone sic legitur: (funalia) „nonnulli candelabra dicta tradunt, quae in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebant vel candelae (i. e. cerei fomites) vel funes pice delibutae".

Hanc explicationem undecumque haustam magister misere depravavit. Irrepsit autem corruptela et ingenium, quam temere quidam sanarunt corrigentes: „delibuti funes pice et c. f.", vel: „d. f. pice et cera f." Wessner cum Rabbow verba seclusit, sed requiritur id quo funes delibuti fuerint, et ut explicetur corruptelae origo. Puto magistrum scripsisse: „del. funes unguine et c. f.", coll. Verg. Georg. III 450: et pingues unguine ceras, ad quem locum Servius: „omnis sucus, quo ungui potest unguen dicitur, et imprimis coll. Valerio Flacco VIII 302: armant picis unguine flammas (h. e. taedas).

Delibutus apud Phaedrum et alios saepe cum unguento iunctum legitur. (D)

---

1) Hic igitur discrimen intelligimus inter A et D; uterque nonnumquam repetit verba Donati, ut A in hac ipsa quaestione verba „et est funus pompa exsequiarum" (cf. supra p. 295 ad I 1. 100), sed ipse nihil addere solet ut D, qui doctior est.

91 Donati adnotatio de „unam adulescentulam" in (1) refutatur denuo a magistro in (3): Vel „unam" pro quandam. Schol. (3) supra p. 289 τῷ A adsignavi. (C)

109 Reiecit se in eum flens quam familiariter!
(1): Obicitur ei (Pamphilo) quod a Glycerio factum est, ut: „ecquis umquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, ne haec mihi delatio detur" (Cic. div. in Caec. 22).
Nequaquam hoc Pamphilo obicitur a patre, et quid huc facit exemplum Ciceronis, nisi ut magistri doctrinam ostentet? (C)

115 Don. (2): „tulit" pro attulit. Mag. (3): Sed multa significat, et alias pertulit, ut ille: „non tulit hanc speciem furiata mente Coroebum" (Aen. II 407), alias sustulit, ut idem: „omnia fert aetas" (Ecl. 9. 51) Doctum, sed supervacaneum et in postremo exemplo vitiosum, unde alius denuo magister subiunxit: *pro „aufert"*, quae verba notavit iam W. (C)

129 (1): Nota participium a passivo „animadvertenda", id est: castiganda ac vindicanda est.
Vide quae de hoc scholio scripsi snpra p. 295. Dandum videtur magistro D. Idem valet de scholio I 2. 10 (4), de quo vide supra p. 296. (D)

I 2. 8 „At nunc faciet" (1): id est irascetur, denuntiabit, loquetur. Rectius Don. (2): subaudiendum „verbum". (D)

18 „Nunc hic dies aliam vitam affert": hoc est certe et severe et inexorabiliter denuntiat. Audimus eundem. (D)

21 Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum (4): „Ad eam rem" id est super eam rem, hoc est super amorem. Parum recte. (D)

25 Si sensero hodie quicquam ... fallaciae conari
Don. (1): Comminatio; et sic pronuntiatur, ut in singulis verbis ardeant minae. (2): „hodie" ad comminationem, non ad tempus plerumque refertur, ut Vergilius: „numquam omnes hodie moriemur inulti (II 670). (3) *Et dies pro nocte accipitur, ut hoc ipsum „numquam o. h. m. i."*.

Schol. (2) dedi cum W. ex incerta correctione *Rabbovii*. Postremum (3), quod iam notavit W., deberi videtur magistro alteri. (D)

I 5. 8 Ut me a Glycerio miserum abstrahat

(2); Magna vi usus est verbi et propietate, unde(!) est illud: „<divellimur inde> Iphitus et Pelias mecum" (Aen. II 435). Imitatur Donatum ad III 2. 39: „abstraxit" proprie, ut supra „me a Glycerio m. a."; et „divellimus inde I. et P. m.", — nec minus eiusdem schol. ad h. l. (3): „abstrahat" magna indignatione usus est e. q. s. (C)

I 5. 51 „Huius formam atque aetatem". Don. (4): duplex causa commendationis, formae et aetatis. Addidit C exemplum parum efficax: et supra „forte unam aspicio adulescentulam <forma>" (I 1. 91). (C).

II 1. 3 Ut animus in spe atque timore usque antehac attentus fuit:

(1) „Usque antehac" id est antequam tua uerba audirem. *Tua* vitiosum, non est enim allocutio ad Byrriam sed exclamatio.

(2) Et duas praepositiones posuit ut videtur, sed unum est totum „antehac" — vel „usque" adverbium nunc, non iam praepositio.

(3) „Attentus fuit" ut *attentus* auditor dicitur.

(4) „U. a. h. a. f.": nulla praepositio praepositioni adiungi *separatim* potest, sed „usque" eiusmodi est, ut sine aliqua praepositione raro inveniatur.

Illustrant haec scholia loci ipsius Donati in Arte Gram., vel eius commentatorum Servii et (Sergii) in G. L. IV 390. 15, 419. 16, 442. 16, 510. 24, 517. 22. Cf. Cledon. V 76. 15 Pomp. 273 sqq.

E locis non multum inter se diversis cito IV 419:

„Usque" etiam praepositio novo modo sibi aliam coniungit praepositionem, dicimus enim, ut Vergilius, „ad usque columnas exulat" (XI. 262), nec sequi debemus, quod nonnulli dicunt, „usque" adverbium esse, multo minus enim sibi iungeret praepositionem, si adverbium fuisset: adverbio enim praepositio *separatim* (cf. schol. (4)) non cohaeret.

Et 517: „Usque" talis est inter praepositiones ut sola possit recipere alteram praepositionem. Nemo enim dicit „de post ferum", nemo „ab ante": at vero dicimus „ad usque" et „ab usque". Verg. (l.l.) et „Siculo prospexit ab usque Pachyno" (VII 289). Hoc ideo fit quia „usque" paene videtur vim habere adverbii ad locum aut de loco significantis e. q. s.

Igitur Donati doctrina refertur in (4), adversariorum in (2) inde a v. „vel usque", nimirum a magistro altero. Prior pars scholii (2) infelix tentamen est conciliandi utramque doctrinam, sed pugnat etiam cum Donato: „adverbio (antehac) praepositio s. non cohaeret". Schol. (1) est magistri mitioris. (D et C)

II 1. 6 Nihil volo aliud nisi Philumenam

In medio Donatino legimus verba a Wessnero iam notata: *idem* (Ter.) *alibi: „in eo me oblecto, solum id est carum mihi"* (Ad. I 1. 24). Exemplum longe arcessitum. (C)

20 Neque pol consili locum habeo neque ad auxilium copiam

Don. (1): <neque consilii locus> apud amantem neque auxilii facultas apud inopem. Magister perperam (2): his duobus ostendit etiam sese amatorem. Utrius magistri sit non apparet.

24 Ne iste haud mecum sentit

Don. (6): „ne" valde, aut, ut quidam volunt, O quam! Lucilius in X: „ne, Marce, bovem descripsi magnifice! inquit". Mag. (2): „ne" valde, ut Cicero: „ne illi vehementer errant" (Cat. II 6). (C)

II 3. 6 „Quidvis patiar" hoc est, patiar me uxorem ducere. Falsum. (D)

18 „Ne is mutet suam sententiam". (1): hoc est quod supra (I 5. 7) id mutavit, quia me immutatum videt". Comparatio claudicat. (D)

26 Interpolationem ineptam in medio Donato iam notavit W: *subolem, hoc est filium significat, ut „quicquid peperisset, decreverunt tollere"* (I 3. 14). (C)

II 4. 5 Idem valet de his scholiis

(1) „Differat" disturbet et in diversum feret. Vergilius: „atque

arida differt nubila" (Geo. III 197) — (2) *et in Adelphis, miseram me, differor doloribus* — hoc est in diversum rapit, dissipat.

Exemplum magistri per se satis aptum, ut in II 1. 24 (2) supra. (C)

II 5. 18. Don. (3): „memini videre" pro vidisse. Ennius „memini me [quam] fieri pavum." Alii — (4): *sic „memini videre", ut „novi probare"* — „forma bona" (cf. vers. Ter.) distinguunt.

Notavit W. Utrius sit interpolata sententia non apparet. Ceterum ad Phorm. I 2. 24 citatur a Donato hic locus et denuo Ennius.

19. In longiore scholio Donati denuo W. notavit verba insiticia: *〈amplecti〉, quod volgo dicitur: cum illa manere, cum illa dormire.*

Neutri certo adsignari potest prae altero.

II 6. 3 (2): „aeque quicquam nunc quidem", bene „nunc quidem" — *similiter „nunc nihil"* (Heaut. II 3. 26) — ut paulo ante, cum dixit „id populus curat scilicet" (I 2. 14).

Donatus denotat utriusque loci ironiam, interpolatio comparat locutiones prorsus diversas. Notavit W. (C)

16 „Subtristis": „sub" temperamentum est plenae pronuntiationis — *ut „subridet" non ad plenum [tristis aut] ridet* — ut confessionem eliceret.

Notavit W.

III 1. 2 „Invenias virum" secundam pro tertia persona posuit — *pro inveniat quis vel invenire quis possit* — ut Vergilius: „migrantis cernas totaque ex urbe ruentes" (IV 401)

Notavit W. Utri hoc dandum sit non apparet. Idem scholion praeter interpolationem legitur etiam I 1. 39, et cf. I 2. 8 (2), et Servius ad l. Verg. hoc adnotavit: „Cernas honesta figura si rem tertiae personae in secundam referas, hoc est si quis cernat".

Ecce simile additamentum.

11 (3) „Ex peregrina" id est ex meretrice; mulieres enim peregrinae inhonestae ac meretrices habebentur; sic ipse alibi

(Eun. I 2. 27) „Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi". Hucusque Donatus (cf. ad I 1. 58 et 119). Ea quae porro leguntur in Eunucho huc non pertinent, itaque magister est, qui dein sic pergit:

et servus (Parmeno): „potest taceri hoc". *Quid est „potest taceri hoc"? meretricem habuisse matrem verisimile est.*

Rettulit magister, quisquis est, scholion idoneum Donati ad Eun. ll.: „p. t. h." id est verisimile est: nec hoc ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis.

W. verba inclinatis litteris expressit inde a *quid est*, sed addenda sunt interpolationi etiam quae praecedunt *et servus p. t. h.*

15 „Iuno Lucina". Don. (1): „Iuno" ab iuvando dicta, — (2) *I. L., Iunonis filia, Graece* Εἰλείθυια. *Latini Nixos dicunt* — „Lucina" ab eo, quod in lucem producat. (C)

Notavit W.

(5) „Fer opem" propter quod Lucina est. Inde obstetrix, quod opem tulerit. Obstetricis mentio ab h. l. aliena est, sed rettulit magister, quisquis est, scholium Donati ad I 5. 64, inductus iis quae Don. h. l. dedit in (3) et (6)

III 2. 4 Quod iussi dari bibere et quantum imperavi date

Don.: consuetudine quam [1]) ratione dixit pro: date ei potionem. Lucilius in quinto: „da bibere a summo".

Mag.: „d. b." nam duo verba iniuncta nullum habent significatum sine nomine aut pronomine, ut si dicas dic facere.

Wessner lacunam indicavit ante „nam duo", sed magister rationem reddere videtur, cur Donatus addiderit pronomen ei. (D)

7 „Quando quidem ipse est"

Mag. (2): quando et cum interdum causales sunt coniunctiones.

Don. (3) *Et* „quando" pro quoniam et pro quia intellegimus.

Donatus more suo tacet de cum, quia in textu non legitur. (C)

10 (5) „Puerperae" omnis, quae peperit — (6) „*Puerpera*"

---

1) Omissio comparativi potius vel magis, nota e Tacito et poetis, inveniri videtur etiam in III 2. 25 (2). In I 1. 8 (1) verba commendatio personae quam servi corrupta mihi videntur.

πρωτοτόκος — et non quod puerum, sed quod filium, puerpera dicta. Et apud veteres puer puellus, puera puella.

W. notavit interpolationem, quae praeterea falsa est, cum puerpera confundatur cum primipara. Sabbadini praeter litterarum vestigia coniecit κουροτόκος, sed secundum Glossaria VII 1. 156 est gr. λοχός, λεχώ, νεοτόκος, latine: primi partus puella, vel primi partus puerum (masculum) generans, et Isidorus XI 2. 14, in quo discrepant a Prisciano I 231: „puer pueri" cuius femininum „puera" dicebant antiquissimi, unde et „puerpera" dicitur, quae puerum vel pueram parit, id est puellam, quod est deminutivum puerae".

Eugraphius ad h. l.: Puerpera autem dicitur, quae recens est partu: „et a muliebris sexus parte nomen impositum est, „nam utique et puellam et puerum pariens dicitur puerpera, „quamquam et antiqui puellam pueram saepe dixerunt". Exspectaveris h. l. pro „a muliebris s. p." potius „a virilis s. p.".

Donatus sine dubio idem docuit quod Priscianus et Eugraphius, idque fuisse videtur in verbis: „et non quod ... dicta". Sed quomodo haec corrigenda sint non video. Fortasse sic: „et „non quod puerum, filium, sed quod ⟨puerum vel pueram⟩ „puerpera dicta; apud veteres" e. q. s. (C)

12 „Itane contemnor" valde temnor, — *temnor autem Graecum est, id est caedor et reicior,* — nam veteres temnere dicebant sine praepositione. (C)

Notavit W., sed ipsum scholium in quo interpolatio legitur, etiam a Donato abiudicandum et fortasse Philosopho tribuendum est, etenim temnere non est vetustum, sed poetarum classicorum.

22 Quasi tu dicas factum id consilio meo

(1) „Dicas" pro credas; non enim dicimus nisi quod credimus: ab eo quod sequitur id quod praecedit — (2) *Figura μετάληψις a posterioribus ad priora — idem alibi (Plaut. Merc. IV* 3. 37 *alibi) „audacter dicito"* et alibi (Phorm. III 2. 8) „faeneratum istud beneficium pulchre tibi dices", id est credes, scies, senties.

Sic haec edidit W. Si quid ex his Donato cedendum esset, ei darem tantum prima vv.: „Dices" pro „credas" et

exemplum Phormionis, verum vix ille in Phormione ll. „dices" pro „credes" positum aestimaverit, cum significet „dices" vel „senties". Ceterum verba: „non enim dicimus" sqq. philosophi esse antea vidimus (l.l. p. 221, ad I 1. 22).

(2) pertinet ad philosophi vv. „ab eo q. s. i. q. praecedit", et ipsius esse potest. Secundum Donatum metalepsis vix differt a metonymia, quod vocabulum in Andria saltem non usurpavit, cf. III 3. 1, IV 1. 52. Exemplum Plautinum est alicuius magistri nec quicquam ad rem facit, quae agitur.

25 (3) „Nihil iam mutire" Ennius: nec dico nec facio <mu>, — *unde et mutos dicimus,* — quod Graeci φθέγγεσθαι. Merito interpolationem notavit W.

36 „Nihil moventur nuptiae" non perturbabuntur nuptiae. Sic Donatus. Magister minus recte: „moventur" differuntur. (C)

III 3. 7 Quae (amicitia) cum aetate adcrevit simul
Inepte magister: hinc Vergilius: „crescent illae, crescetis amores" (Ecl. X 54). (C)

32 Neque illam hanc perpetuo habere
Don. (1): „Amphiboliam de industria posuit", h. e. poeta voluit nos intelligere: illum hanc et hanc illum habere p. Magister hoc non perspexit et satis stolide subiunxit (2): aut utrumque significat. (C)

40 „Si animum induxisti" legitur et animum „induxisti" et animum „induxti". Sic Donatus variam lectionem indicare solet. Magister addidit quod sequitur: „sed illud plenum est, hoc per metaplasmum συγκοπήν deminuitur". (C)

III 4. 3 „Dudum": „Adverbia temporis aut certa sunt, ut hodie cras, aut incerta ut dudum, nuper, itaque incertis additur tempus ut iam dudum, nunc nuper". Pugnat mirabilis regula cum hoc loco, ubi nihil additur ut alibi sexcenties. (C)

19 Donatus (1): „Quiescas" pro „quiesce" imperativi modi, ne iniuriosum videretur. Ille (4): Aut deest „volo" aut „facito".

21 (5) „Quin hinc" id est ex hoc loco. (D)

III 5. 1 Ubi illic est scelus qui me perdidit?

Don. (4): ad intellectum, non ad verba redegit, et est figura σύλληψις per genera, — *Vergilius: pars in frusta secant* (I 212), *sed hic figura est per numeros.* — nam quia „scelus" scelestus intellegitur, modo „qui" subiunxit, non „quod". (C)

Emblema notavit W.

4 Ego pretium ob stultitiam fero

In media adnotatione Donati de differentia inter pretium et praemium cum exemplis Vergilianis Wessnerus hoc emblema notavit: (2) *sic et Plautus locutus est „pretium ob asinos" pro asinorum pretium* (*Argum Asin.* 3). (C)

3 Denuo in medium scholion Philosophi devenit adnotatio magistri a Wessnero indicata, (3): *„Sed hoc dicit: sic, inquit, periclitor: si hoc evasero, scio me postea non periclitaturum"*. Impugnat autem non Donatum (1), sed Philosophum (2), unde efficitur, quod etiam per se verisimile est, hunc quoque magistrum scholia sua confecisse post illum et adhibuisse textum scholiis philosophi iam munitum. Antea hoc quoque vidimus, totum philosophi scholium non tantum hac interpolatione, sed etiam Graeca Donati adnotatione — „Menander sic: ἂν θεὸς" e. q. s. — in duas partes (2) et (4) esse divisum. Cf. Mnem. XXXII p. 238. (C)

8 Nec quid nunc me faciam scio

Mag. (1): nos „quid faciam", veteres autem „me" addebant!

Don. (2): *et* nota faciam <cum> ablativo casu. (C)

11 Viden me tuis consiliis miserum impeditum esse (C)

Don.: „Impeditus" est proprie, qui pedes habet illigatos, ut progredi non possit. Mag. inaniter: sed hic ad negotium rettulit.

16 Sed sine paululum ad me ut redeam

Don.: ad se redire dicitur, qui animum recipit et sedem mentis; Vergilius: „victus ad (Verg. in) se redit" (Geo. IV 443).

Magister, quem notavit W.: *et hic de corpore dixit: ad se autem redit, qui amens esse desistit.* (C)

Prima magistri verba *„et hic d. c. d."* respiciunt exemplum Vergilianum.

In Donati scholio W. correxit „recipit in sedem m.", Schopen „in sanitatem". Neutrum placet. Potius credo legendum esse: „qui animum recipit, sedem mentis", cf. Cicero de rep. II 67: „quae pars animi mens vocatur", et „mens animi" apud Plautum, Lucretium, alios.

Ad Ad. III 2.26 Donatus: „animam recipe" quia ille prae anhelitu crebriora verba continuare non possit.

IV 1, 3 Ut malis gaudeant atque ex incommodis alterius sua ut comparent commoda

Don. (2): legitur et „gaudeat" et „comparet". Mag. (3): „ex incommodis alterius" et hic „gaudeat" subauditur! (C)

24 „Nisi me lactasses amantem". Mag. (1): produxisses, oblectasses, induxisses, quae significatio frustrationem ostendit. (C) Don. (2): lactare est inducere in aliquam voluntatem, a laciendo, unde et oblectare dicitur.

39 „Davus interturbat" [1]. Don. (3): *et* „inter" modo † pronuntiabat habetur significatio †; est enim auctiva particula, ut „interfectus, interemptus" (Plaut. Merc. V 1. 4). Mag. (4): vel „inter" modo pro per, ut ille: „hunc inter fluvio Tiberinus amoeno" e. q. s. (Aen. VII 30). Exemplum claudicat.

Corrupta Donati verba non male W. ita corrigenda esse censuit: „pronuntia, ut adiuvetur significatio", nisi praestat: „ut augeatur s.". (C)

IV 2. 9 Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga

Post elegantem Donati interpretationem (1) magister ita (2): aut, si poenitet te, quantum sua sponte insanit. (C)

23 Donatus recte (1): „Ne" pro nedum. Mag. (2): *aut adverbium prohibentis, ut sit „ne" non.* Notavit W. (C)

IV 3. 11 Ex ara hinc sume verbenas tibi

Don. (1): ex „ara" Apollinis scilicet, quam 'Αγυιαῖον Menander vocat.

---

1) De ambigua huius versus lectione vide Umpfenbach. Mox de auctiva particula confer IV 2. 11.

Mag. (2): aut quod Apollini comoedia est dicata, in cuius honorem aram statuebant comoediam celebrantes. (C)

Supra (p. 291 adn.) magistro A tribui conclusionem ex Donato (1) quae legitur in (3): Apollini ergo comoedia, Libero patri tragoedia.

Praeterea apertum excerptoris Donati indicium habemus in

(4): „Verbenae", quasi herbenae, redimicula sunt ararum" ex (7) „Verbenae" sunt omnes herbae frondesque festae ad aras coronandas vel omnes herbae frondesque ex loco puro decerptae; verbenae autem dictae veluti herbenae [1]).

Ille excerptor, quem in scholiis multiplicibus saepius deprehendemus, diversus fuisse videtur a magistris adhuc repertis.

18 Don. (1): Bene „intenderam", verbum a venatoribus translatum, qui retia intendunt ad feras captandas.

Mag. (2): Vel a sagittariis atque arcu. (C)

IV 4. 19 Adeon videmur vobis idonei in quibus sic inludatis?

Don. (1): et „inludo in te septimo casu et inludo te accusativo dicimus.

Mag. (2): sed „in" primo supervacuum est, ut sit: quibus — „Ab Andria est ancilla haec" (vs. 17) effecit quod voluit Davus, nam intellexit Chremes, ex qua sit Pamphilo natus puer. — sic inludatis.

Miro librariorum errore magistri scholium dividitur adnotatione genuina Donati ad vs. 17 (cf. ad vs. 27), quod W. immerito inclinatis litteris expressit. (C)

44 Per tempus advenis

Don. (1): Idem est „per tempus" quod in tempore.

Mag. (2): Aut certe „per tempus" tempestive. (C)

IV 5. 22 Pol, Crito, antiquum obtines

Don. (1): „Antiquum" absolute dixit, ut aequum aut bonum, quod antiqui solebant.

Mag. (2): Aut certe per ἔλλειψιν, id est „morem et ingenium".

Meminit magister non indoctus loci in Hecyra V 4. 20: „At tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines". (C)

---

1) Cf. Serv. ad Aen. XII 120, ubi hoc etymon legitur: „quidam sane veris proximi herbas verbenas dicunt".

V 1. 22 Nescio quid tibi sum oblitus hodie ac volui dicere
Magister, quem supra tractavi p. 303, dedit scholium
(1): deest „propter", ut sit „propter nescio quid".
Ab illo igitur diversus est hic noster in scholio
(2): Aut: „nescio quare", ut sit adverbiale. (C)

V 2. 3 Ego commodiorem hominem adventum tempus non vidi
Don. (1): Hic Davus admiratur, quod in ipso articulo periculi supervenerit Crito: (2) potest enim et commodus esse quis et alieno tempore supervenire [potest]: — (3) *Et commodum in homine est, sed et opportunus adventum malum habere potest.* — nam commodum in homine est, adventus in facto eius, tempus in opportunitate facti.

Scholia (1) et (2) efficiunt unum integrum et continuum Donati; (3) quod notavit W., referendum videtur ad magistrum leniorem. De postremis („nam commodum" sqq.) dubito et Philosopho digniora videntur, quam Donato, qui speciosas distinctiones vulgo abhorret. (D)

24 Quadrupedem constringito
Vide de his scholiis Mnemos. XXXII p. 245, ubi dubitavi de auctore primi (1) et tertium (3) Philosopho adsignavi. Secundum (2) deberi puto alteri magistro. (C)

V 3. 5 Don. (1): *Et* „confidentia" modo pro audacia et pro improbitate, ut in Phormione „homo confidens" (I 2. 73). Aliter hic supra (V 2. 14) „confidens" pro constanti et gravi.

Mag. (2): Ergo confidentia interdum in mala significatione, interdum in bona significatione ponitur; sed fiducia semper in bona significatione ponitur.

Sapit magistrum confidentiorem. (C)

8 Don. (1): „inpotenti" minus potenti.
Mag. (3): Vel certe debili et devicto. (C)

V 4. 4 Don. (1): „Insolens" insuetus, insolitus, (add. exx. Ciceronis et Sallusti).
Mag. subiunxit: *„insolens" et arrogans intelligitur.*
Verba notavit W. (C)

22 Adplicat primum ad Chrysidis patrem se

(1): Quid est „primum" an quia postea mortuus est?

Omisi hoc scholium adscribere interrogativis Philosophi, l.l. p. 246.

34 Vix sum apud me

Don. (2): non sum apud me: consuetudine magis quam ratione dicitur.

His ibidem subiunxit Mag.: aut forte sic dicit, quasi abierit animus et rursus redierit. (C)

De reliquis huius loci scholiis vide Mnemos. l.l. p. 241.

36 Pater

Don. (4): Hic iam redit in gratiam Simo cum filio, nisi forte patrem socerum (Chremetem) appellat, ut Turnus apud Vergilium (XII 50), non quomodo infra (vs. 44) dicit: „quod restat, pater".

Quae subiunguntur de his verbis e vs. 44, notata a Wessnero: *an ideo „restat" quia haec iam maior pars reconciliationis est?* haec quoque Philosopho dare debui.

38 Nodum in scirpo quaeris

Don. (1): Scirpus palustris res est et levissima. Lucilius in primo: „nodum in scirpo, in sano facere ulcus". — Mag. (2): *Est autem scirpus sine nodo et levis iunci species, alibi ipse: „reddunt curatura iunceas"* (Eun. II 3. 34). — Plautus: „scirpo induitur ratis".

Verba notavit W. (C)

Indicavi quatuor magistros, qui pro sua quisque doctrina et ingenio commentum Donati varie illustraverunt aut offuscaverunt idque fere videntur fecisse post Philosophum, etiamsi hoc nondum ubique pro certo adfirmaverim. Proximum officium hoc erit, ut indagemus scholia ipsius Donati, quorum characterem proprium si cognoverimus, paratiores, ut spero, erimus ad extricandam compositionem scholiorum multiplicium, quae propter rei difficultatem non nisi raro adhuc tetigi. Quid muneris tum porro nobis instet, postea videbimus.

HENGEVINIUS?

SCRIPSIT

P. J. M. VAN GILS.

Incerti auctoris De ratione dicendi ad C. Herennium libri IV [M. Tulli Ciceronis ad Herennium libri VI], edidit Fridericus Marx (Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri 1894).

Marx v. cl. codicem Herbipolitanum (Wirceburgensem) describens haec habet (p. 11 sq.): „Fol. 75 pagina postica explicit liber ad Her. VI, additae sunt ab homine eiusdem saeculi inscriptiones metricae ex ecclesiis urbis Romae sumptae scriptae litteris Karolingiis parvulis, quae complent fol. 75 v. et fol. 76 r. e quibus una celebrat monumenta Paschalis I qui papa fuit 817—824: conf. de Rossius ICUR II 1 p. 154 seqq. — Fol. 76 v. haec leguntur:

quem terra
pondus nunc dimittis servum tuum domine servum
secundum verbum domine tuum in pace
ex more docti mistico servamus *hengevinium.*

Vocabulum ultimum potest et legi *hengeninium*: illa tamen sine dubio praeferenda erit lectio. Fol. 77 (78 r.) Oeggius legit *gerbotus scripsit* — qua de re conf. C. Halmii Analecta Tulliana fasc. I p. IV, qui codicem contulit primus et lectiones ex codice satis diligenter excerptas l. s. edidit. Quae verba nunc fere deleta possunt quidem esse eius qui librum totum exaravit. Illi qui antecedunt fol. 76 v. versus, quorum ultimus transiectione verborum et numeris qualibus hymni panguntur poetam prodit ita

interpretandi videntur: *'Hengevinium cuius corporis pondus domine nunc in pace dimittis e terra* (conf. Lucas II 29), *eius animum nos clerici arcana sacramenti institutione servamus' unde colligas Hengevinium illum cum Gerbotus scriptor barbarus haec verba barbara conscriberet animum egisse et sacramentum accepisse.*"

Prorsus a vero aberravit v. cl.

Verba enim e codice citata sunt initia trium canticorum ecclesiasticorum, quae inveniuntur in Breviario Romano.

Pars media initium est — repetitis quibusdam vocibus ob cantum uti videtur — hymni ad Completorium:

„Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace". (Lucas II. 29).

Voces: *„quem terra pondus"* sumptae sunt ex hymno, quem composuit Venantius Fortunatus (F. Kaulen, Kirchen Lex.[2] IV (1886) art. Fortunatus Sp. 1632; S. Baümer, ibid. VI (1889), art. Hymnus, Sp. 533; Ulysse Chevalier, Repertorium Hymnologicum, II (Louvain 1897), p. 404).

Canitur hic hymnus „in Festis B. Mariae Virginis. Ad Matutinum" et sonat:

quem terra, pontus, sidera (varia lectio *aethera*)
colunt, adorant, praedicant,
trinam regentem machinam
claustrum Mariae baiulat.

Ultima vero verba referenda sunt ad hymnum de cuius auctore ambigitur. Alii enim putant eum esse Ambrosium (Migne Patrol. XVII, 1211 s. ponit canticum inter „Hymnos Sancto Ambrosio attributos" LXVII), alii Gregorium Magnum (Chevalier I p. 335. S. Gregorius (Ambrosian).

Canitur Dominicis „in Quadragesima". Prima stropha sonat:

ex more docti mystico
servemus h o c i e i u n i u m
deno dierum circulo
ducto quater notissimo.

DE LAPIDE NUPER ATHENIS IN ARCE INVENTO.

SCRIPSIT

E. VAN HILLE.

I.

. . . . π . . . . ν ο
. . . . ο λ
. . . .
[σ τ] α θ μ ὸ ν . . . . . .
. . ι τ ε ρ ο . ν ι α
. . ρ . . . .
ἀ ρ [γ υ] ρ ᾶ [σ τ] α θ [μ ὸ ν .
. . . . ο . . . . ο σ . .
. . . ο . . . .
. . . . υ . . . .
. . . .
. . . . δ ι . . . .
. ρ α . ν . π α ρ α . . γ . . .
. ε . . π ο . . μ . . . κ . '' α
δ π [ί σ] θ ι ο ν . . ε . η δ . ο . ρ
[σ]τ[αθμὸ]ν[X𐅄]ΔΔΔΓ·
[κ]ρατὴρ χρ[υσ]οῦς ὁ ἐλάττων,
[σ]ταθμὸν [. . . . . .]Γ⊢⊢II
[ὑ]δρία [χρ]υσῆ, σταθμὸν [. . .]𐅄ΔΔ[Γ]⊢⊢IIII
[ὑ]δρία [χρ]υσῆ, σταθ[μ]ὸν [- - - - - - -]

[ο]ἰ[ν]οχόη χρ[υ]σῆ, [σ]ταθμὸν [. . . .] ⊢⊢I
[. .] χα [. . . . .] ο
[. . . . .] ω [.] ον [σ]ταθμὸν : 𐅅ΗΗΗ
[Φι]άλαι [πτι]λωταὶ ἕξ, σταθμὸν [- - - -]
[Φ]ιάλαι Αἰθιοπίδες τέττα[ρες],
[σ]ταθμὸν 𐅅[Η]ΗΗΓΙΙΙ·
[Φ]ιάλη χρυ[σ]ῆ, ἣν Στέφανος ἀνέθηκεν
[Θ]άλλο, [σ]ταθμὸν Η𐅄ΔΔΔΔΓ⊢·
στέφανος χρυσõς τῆς θεõ ἀριστεῖον
ἐκ Παναθηναίων, τῶν ἐπὶ Ναυ[σι]νίκο
ἄρχοντος, [σ]ταθμὸν : Η𐅄ΔΔΔΔΓ[⊢]⊢⊢ΙΙΙΙ·
[κ]υμβίον χρυσõν, σταθμὸν : ΔΔΓ⊢ΙΙƆ·
χρυσίον ἐν κιβωτίωι ἀπὸ τõ [κα]νõ,
[ἵ]να τὰ ἐλεφάντινα ζῶια, σταθμὸν ΔΔΔΔ·
[δ]οκ[ι]μεῖα λεῖαι χρυσαῖ τετταράκοντα
[ἕξ], σταθμὸ[ν] 𐅄ΔΔΔΓ⊢⊢⊢⊢ΙΙΙ·
χρυσίον, ὃ παρὰ Ἀριστάρχωι [η]ὑρέθη,
σταθμὸν Γ[⊢]⊢Ι·
[ε]ἱλικτῆρες Ἀρτέμιδος Βραυρωνίας
χρυσοῖ, σταθμὸν : ⊢⊢⊢ΙΙΙΙΙ·
[Φ]ύλλον [ἀπὸ] τῆς θύρας ἀπὸ τõ ἑκατομπέδο
[χρ]υσõν ἀπὸ τõ ἥλο ἄστατον·
στέφανος χρυσõς, ὃν ἡ Νίκη ἔχει
[ἐπὶ τῆς] κεφαλῆς, <ἡ> ἐπὶ τῆς χειρὸς
τõ ἀγάλματος· τῆς Νίκης
τῆς ἐπὶ [Σωκρα]τίδο ἄρχοντος·
πρῶτος ῥυμός· κεφαλή· στεφάνη·
[σ]τέ[φα]νος [ὁ ἐπ]ὶ τῆι κεφαλῆι·
[σ]τέ[φα]νος, ὃν [ἐν] τῆι χειρὶ ἔχει·
[ἐ]νωιδίω· ὑπο[δ]ερ[ί]ς· ὅρμος· χεῖρες
ἀμφότ[ερ]α[ι· ἀμ]φιδέαι δύο π[. . ο .]
[ἧ]λ[ω . . .   ]
[σ]τα[θμὸν . . . .] Η𐅄ΔΔΓ⊢⊢⊢Ι·
[δ]εύτε[ρος ῥυμ]ός· θώραξ, περόναι
[. . . . .]ον ὀπίσθιον,
[σ]ταθμ[ὸν . . . .] 𐅄ΔΔ⊢⊢⊢Ι
[τ]ρίτο[ς ῥυμός·] σκέλη ἀμφότερα·
[.]α[. .]χα[. . . . . .] δύο· περόναι τέτταρες·

[σ]ταθμ[ὸν . . .]XHH𐅄ΔΔΔ⊢⊢C·
τέταρτος ῥυμός· ἀπόπτυγ[μ]α· πόδες δύο·
[πε]ρονίδες [- - - - - -]
[στ]αθμὸν XXH[.]ΔΔΔ⊢·
ὑδρία χρυσῆ [στ]αθμὸν :: XHIIIII·
[στ]έφανος χρ[υσ]ο͂ς, ἀριστεῖον τῆς θεο͂
[ἐ]κ Παναθηναίων τῶν ἐπὶ Σωκρατίδο
ἄρχοντος, σταθμὸν H𐅄ΔΔΔ⊢⊢III.

τάδε χρυσᾶ καὶ ἐπίτη(κ)τα
κ[α]ὶ ὑπόχαλκα ἄστατα·
κρατὴρ ἐπίτηκτος ἐπίχρυσος ὑπάργυρος·
ὑπόστατον κρατῆρος ὑπόχαλκον
ἐπίχρυσον· γοργόνειον χρυσο͂ν
ὑπάργυρον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῆς ἀσπίδος
τῆς ἀπὸ το͂ νεώ· ἀσπιδίσκαι ἐπίχρυσοι
ὑπάργυροι τέτταρες· ἀκινάκης σιδηρο͂ς,
τὴν λαβὴν χρυσῆν ἔχων, τὸ δὲ κολεὸν
ἐλεφάντινον ἐπίχρυσον, τὸ δὲ [. . .]ιον
χρυσο͂ν· ἀσπίδες ἐπίχρυσοι λεῖαι δύο·
τρίτη ἀσπὶς ἐπίχρυσος γοργόνεον ἔχοσα·
ἀνθέμιον χαλκο͂ν ἐπιτήκτωι περι-
κεχρυσωμένον· ὑποδερίδιον ξύλινον
ἐπίχρυσογ· κανο͂ν κατάχρυσον
ὑπόχαλκον χαλκᾶ διερείσματ' ἔχον.

τάδε σταθμῶι παρελάβομεν χρυσᾶ
καὶ ἐπίτηκτα καὶ ὑπόχαλκα·
κανο͂ν χρυσο͂ν ὑπόχαλκον, ἵνα ὁ Ἀπόλλων,
σταθμὸν :-:XXX𐅅𐅄ΔΔΔΓ⊢·
ἕτερογ κανο͂γ χρυσο͂ν ὑπόχαλκον, ἵνα
ὁ Ζεύς, *σταθμὸν* :-:XXX𐅅H𐅄ΔΔΔΔ·
[φι]άλη χαλ[κο]κρὰς βαρ(β)αρική, ἣγ Κλέων
ἀνέθηκεν, σταθμὸν H𐅄ΔΓ⊢⊢IIIII·
φιάλη ὑπάργυρος ἀκυλωτή, σταθμὸν H⊢IIII·
θυμιατήριον ἐπίχρυσον ὑπόχαλκον, ἵνα
τὸ ἄλφα π(α)ρ[α]σεσήμανται, σταθμὸν
σὺν τοῖς ἥλοις τοῖς χαλκοῖς XXXHHHH·

θυμιατήριον ἐπίχρυσον ὑπόχαλκον, ἵνα
τὸ βῆτα παρασεσήμανται, σταθμὸν ΧΧΧΗ𐅄ΔΔ·
χρυσίον ἐπίτηκτον ὑπάργυρον,
σταθμὸν :·:Γ[Ͱ]ͰͰΙΙΙ·
χρυσίον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῶν ἀκρωτηρίων
τõ νεὼ τῆς Ν*ίκης, σταθμὸν* :·:ΓͰΙΙΙ·
χρυσίον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῆς ἀσπίδος
τῆς πρὸς τῶι νεώι, σταθμὸν ͰͰͰΙΙΙΙΙ·
ἕτερον χρυσίον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῶν
ἀκρωτηρίων, σταθμὸν ::ΔͰͰͰ·
σφραγίδιον ἀργυρõν δακτύλιον ἔχον.

τάδε ἀργυρᾶ ὑπόχαλκα· θυμιατήριον
χαλκᾶ ὑπερείσματα ἔχον, ὃ Ἀ*ριστόκριτος*
[*ἀ*]*νέθη*[*κεν*], *σταθμὸν* ::ΧΧΗΗΗΔΔΔ·
[*θ*]*υμια*[*τήριον*] *χαλκᾶ διερείσματ' ἔχον,*
[*σ*]*ταθμ*[*ὸν* . . . .] ΗΗΔΔΓͰͰͰ·
[*θ*]*υμια*[*τήριο*]*ν χαλκᾶ διερείσματ' ἔχον,*
ὃ Κ*λεο*[*στράτ*]*η ἀνέθηκεν, σταθμὸν* ΧΗΗΗΔΔ·
ὑδρία [. . . . .] *λίνη ἡ ἐπὶ* Δ*υσνικήτο*
σταθμ[*ὸν* . . .] ΔΔΔΔΓͰͰͰ·
στέφαν[*ος* . . .]*ος ὁ παρ'* Ἀ*βδηριτῶν*
σταθμ[*ὸν* . . . .] ΔΔΔ[. .]ͰͰͰΙΙ·
ἕτερος στέφανος, ἀριστεῖον ἐκ Π*αναθηναίων*
[*τ*]*ῶν ἐπὶ* Δ*υσνικήτο, σταθμὸν* ΗΗ·
[*σ*]*τέφανος ὁ παρὰ* Κ*αρυστίων, σταθμὸν* 𐅄ΔΔ·
[*ἕ*]*τερος παρὰ* Κ*αρυστίων, σταθμὸν* 𐅄ΔΔΙΙΙΙΙ·
[*ἕ*]*τερο*[*ς*] *ὁ παρὰ* Σ*ιφνίων στέφανος* 𐅄ΔΓͰΙΙΙΙΙ·
ἕτερος στέφανος παρὰ δήμο συλλογέων
τῶν ἐπὶ Δ*υσνικήτο, σταθμὸν* :·:ΔΔΔΓͰͰΙΙƆ·
ἐπέτειοι ἐπὶ Λ*υσιστράτο· στέφανος ὁ παρὰ*
δήμο συλλογέων τῶν ἐπὶ Λ*υσιστράτου*
ἄρχοντος, σταθμὸν : ΔΔΓͰΙ·
ἕτ[*ε*]*ρος στέφανος ἐπὶ* Λ*υσιστράτο, ὃν*
ὁ δῆμος ἀνέθηκεν, σταθμὸν ·:· 𐅄ΔΔ.

II.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . . λ . ο ||||||| . . . . ς
. . . . ν . . . .
ο . . . . υ||||ανσ . . . .
θυμιατήρι[ον] ἀρ[γ]υρατα . . ρ . . αυτρα
ἄστατα ἐπι . . . .
κανõν, ἵνα τὰ [ἐ]λ[εφάντινα ζῶια, ἄστατο]ν.

[ὑ]δρίαι ἀργ[υρα]ῖ Ἀθηνᾶ[ς] Πολ[ιά]δος·
πρώτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[Η𐅄ΔΔΔΔΓ⊢⊢⊢]·
δευτέρα, σταθμὸν [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ⊢]·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[Η𐅄ΔΔΔ⊢⊢]·
τετάρτη, σταθμὸν 𐅅[ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔ⊢]·
πέμπτη, σταθμὸν [Χ⊢⊢⊢⊢III]·
ἕκτη, σταθμὸν 𐅅Η[Η]Η[Η𐅄Δ]ΔΔΓ⊢⊢III·
ἑβδόμη, σταθμὸν 𐅅[ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ]⊢⊢⊢·
ὀγδόη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[Η𐅄ΔΔΔΔIIIII]·
ἐνάτη, σταθμὸν [ΧΙΙΙ]·
δεκάτη, σ[ταθ]μὸν 𐅅Η[ΗΗΗ𐅄ΔΔΔ⊢]·
ἑνδεκάτη, [στ]αθμὸ[ν 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔΓ]·
δωδεκάτη, [σ]ταθμὸν [𐅅ΗΗΗΗ𐅄\ΔΔΔ]·

τρίτη καὶ δεκάτ[η 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔ⊢⊢III]·
τετάρτη καὶ δεκ[ά]τ[η 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔ]·
πέμ[[ε]]πτη καὶ δεκάτη [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ]⊢⊢⊢·
ἕκτη καὶ δεκάτη 𐅅ΗΗ[ΗΗ𐅄ΔΔΔΔ]Γ⊢⊢⊢⊢III·
ἑβδόμη καὶ δεκάτη [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ⊢⊢⊢]·
ὀγδόη καὶ δεκάτη [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ⊢⊢]⊢⊢·
ἐνάτη καὶ δεκ[ά]τη [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ⊢⊢]⊢⊢III·
εἰκοστὴ 𐅅ΗΗΗΗ𐅄[ΔΔΔΔ⊢⊢]·
μία καὶ εἰκοστὴ Χ⊢⊢⊢⊢[I]·
δευτέρα καὶ εἰκο[σ]τὴ [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔ]ΔΔ⊢⊢IIII·
τρίτη καὶ εἰκοστὴ [ΧΙ]·
τετάρτη καὶ εἰκοστὴ [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔ]Δ⊢·
πέμπτη καὶ εἰκοστὴ [Χ]·
ἕκτη καὶ εἰκοστὴ Χ[Γ⊢⊢⊢⊢III]·
ἑβδόμη καὶ εἰκοστὴ [ΧΙΙΙ].

ὑδρίαι ἀργυραῖ κα[ιναί]·
πρώτη, σταθμὸν 𐅅[Η]Η[Η𐅄ΔΔΔ]Δ⊢⊢[⊢]·
δευτέρα, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[𐅄Γ⊢⊢]·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗΗΙΙΙΙΙ.

Ἀθηνᾶς Νίκης ὑδρίαι [ἀργυραῖ]·
πρώτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[- - - - -]·
δευτέρα, στ[αθ]μὸν 𐅅ΗΗ[- - - - - - -]·
τρίτη, στα[θμὸν] Χ⊢·
τετάρτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ𐅄ΔΔΔ[.]⊢⊢.

Ἀρτέμιδος Βραυρων[ίας] ὑδρία[ι]
ἀργυραῖ· πρώτη [𐅅ΗΗΗ]Η[𐅄]ΔΔΓ⊢⊢⊢⊢·
δευτέρα, σταθμὸν [𐅅ΗΗΗΗ]𐅄ΔΔΔ⊢⊢[⊢]·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΓ⊢[⊢]·
τετάρτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ⊢⊢·
πέμπτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗΗΔΔ⊢⊢·
ἕκτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗΗ⊢⊢·
ἑβδόμη, σταθμὸν 𐅅[ΗΗΗ]Η𐅄Γ⊢⊢⊢.

Ἀνάκοιν ὑδρίαι ἀργυρ[αῖ]·
πρώτη, σταθμὸν [𐅅]Η[ΗΗ]𐅄ΔΔΔ⊢⊢⊢·

δευτέρα, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ𐅄ΔΔΔΓΙΙ·
τρίτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗΗ]ΔΔΔͰͰ.

Δήμητρος καὶ Κόρη[ς ὑδρί]αι ἀργυραῖ·
πρώτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗ]ΗΗ[ΔΔΓͰ]ͰͰͰΙΙΙ·
δευτέρα, σταθμὸν 𐅅[ ]ΗΔΔΔΓͰͰͰ·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗΗΔΔΓͰͰͰΙΙΙ·
τετάρτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗΗΗ]ΔΔΔΓͰ[- - -]·
πέμπτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗ]ΗΗ[𐅄]ΓͰͰͰͰ.

Ἀφροδίτης ὑ[δρ]ία ἀρ[γυ]ρᾶ μ[. . . . .] ΗͰ.

σταθμ[ί]α χαλκᾶ ΔΙΙ·
μάχαιρα σιδ[η]ρᾶ ἐλεφάν[τινον τὸ]
κολεὸν ἔχοσα, ἣν ἡ βολὴ ἀν[έθηκεν ἡ]
ἐπὶ Ἀντιγένος ἄρχοντος·
βοίδιον ἐλ(ε)φάντινον,
ὃ Σμικύθη ἀνέθηκεν·
παλλάδιον ἐλεφάντινον
ἐπίχρυσον καὶ ἀσπιδ[ίσ]κη ἐπίχρυσος,
ὃ Ἀρχίας ἀνέθηκεν· [χ]ρ[υ]σῖτις λίθος
ἐπὶ κίονος ξυλίνο· κυνῆ χ[αλκ]ῆ
ἐπίχρυσος μία· [γ]ραμματ[ε͂ον] παρὰ
τῆς βουλῆς τῆς ἐξ Ἀρείο πάγο
σεση(μ)ασμένον·
θρόνοι μεγάλοι τρε͂ς ὀχ ὑγιε͂ς
ἀνακλίσεις ἔχοντες ἠλεφαντωμ[έ]νας·
ἕτερος θρόνος ἀνάκλισιν ὀκ ἔχων·
ὄνυξ μέγας κατεαγώς·
φιάλη χαλκῆ, ἣγ Καλλίας
Πλωθειεὺς ἀνέθηκεν·
θρ]όνος Θετταλικός·
συβήνη ἐλεφαντίνη
ἡ] παρὰ Μηθυμναίων ἐπίχρυσος·
δί(φ)ρος κατεαγώς, ὑγι[ε͂]ς δύο
θρόνοι τέτταρες, τότων [ε͂ς κ]ατεαγώς·
κλῖναι Μιλησιοργε͂ς Δ ἐπι[σκ]ε[υ]ῆς
δεόμεναι· ὀκλαδίαι Δ·

τράπεζα ἠλεφαντωμένη.

στέφανοι ἐπέτειοι·
στέφανος χρυσοῦς ὁ παρὰ Ἀνδρίων
τῆι βουλῆι τῆι ἐπὶ Ναυσιγένους
ἄρχοντος, σταθμὸν ΗΔΔΓ⊢⊢⊢ΙΙ·
ἕτερος στέφανος ὁ παρὰ [[αν]] δήμο
(σ)υλλογέων τῶν ἐπὶ Ναυσιγένους
ἄρχοντος, σταθμὸν ΔΔΔΓ⊢⊢⊢ΙΙΙC·
ἕτερος στέφανος ὁ παρὰ Τροζηνίων
τῆι βουλῆι τῆι ἐπὶ Να<υ>σιγένο<υ>ς
ἄρχοντος, σταθμὸν 𐅅ΔΔΔ⊢⊢ΙΙC·
ἕτερος στέφανος [ὁ] παρὰ Τροζηνίων
τῶι δήμωι, σταθμὸν ΗΗΔΔΙC.

III.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
τ . . . .
. ι . . . .
. λ . . . .
τη . . . .
δοκ[ιμεῖον] . . . .

τοι . . . .
ἐ . κι . . . .
[. . .] ο [. . . .]
[χρυ]σο[. . . .]
δοκιμ[εῖ. . . . .]
φιάλα[. . . . .
χρυσίο[ν. . . . .]
σταθμὸν
δοκιμ[εῖ]ο[ν . . . .]
κρανίδιον [μικρὸν ἀπὸ τõ βάθρο]
π(α)ρεὰς χρυ[σᾶς ἔχον καὶ]
λό[φ]ο[ν ἐ]λεφά[ν]τ[ινον. . . . .]
μυρη[ρ]ὸ[ν ἀργυ]ρõ[ν. . . . . . .]
θηραῖκ IIII· φιάλιο[ν - - - - - -]·

ἐκ τõ Παρθενῶνος·
γοργόνει[ο]ν· κάμπη κα[- - - - - -]
ἵππος· γρύψ· γρυπὸς προ[τομή]·
γρὺψ μέ[γας]· λέοντος προ[τομή]·
δράκων ἐπίχρυσος· [κλ]ῖν[αι]
Χ[ι]οργε̃[ς] ΓII· ξιφομάχαιρ[αι ΓIIII]·
ἐγχειρίδιον· ξίφη Γ· θώρακ[ες ΔΓI]·
πήληξ χαλκῆ· λύρα κατάχρυσ[ος]·
λύραι ἐλεφάντιναι IIII· λύρ[αι]
ξύλιναι Γ· κράνη χαλκᾶ IIII·
ἀσπίδες ὑπόξυλοι ἐπίχ[ρυσοι]·
κράνος Ἰλλυρικόν· ἀσπὶ[ς ἐγ]
Λέσβο ἐπίσημος· Νίκη· ἀσπ[ὶς]
ἐκ Παναθηναίων ἐπίχαλκο[ς]·
λήιον στάχυ<ε>ς ΔII περίχρυσο[ν]·
ἀλαβαστοθήκη ἄλυσιν ἀργ[υρᾶν]
ἔχουσα· μάχαιρα χαλκῆ ἐν
ἐλύτρωι ἐλεφαντίνωι· χαλ[κὸς]
κεχρυσωμένος· ἀκινάκης
κεχρυσ<ω>μένος· κιβωτίω δύο·
ὀπισθοκρηπῖδες· συβήνη μη[- - - - - -
ἀλα[β]ασ[τ]οθήκη ξυλίνη· κο[ί]τ[η]

ὑπόξυλος κατάχρυσος· ἀσπί[δες]
ἐπίσημοι ΔΔΔΙΙΙ, *τούτων* Γ *ο[ὐ]*
γεγραμμέναι· ἀσπίδες
ἐπίχαλκοι ΔΓΙΙ· *κολεὸν μα[χαίρας]*
ἰατρικῆς ἐλ[[ελ]]εφάντινον·
κλῖναι Μιλ*[η]σιοργε̃ς* ΓΙΙ·
κλινίδες ΙΙ· *κνημίδων ζεύ[γη* Δ]·
κυναῖ χαλκαῖ λεῖα⟨ι⟩ ΔΓΙΙ· *[κράνη]*
χαλκᾶ ΙΙΙ· *στύρακες* ΗΔ· *σώρακοι*
καιν(ο)ί· σωράκιον τοξευμάτων
σαπρῶν ἀχρήστων· δίφροι [Δ].

ἐν τῶι ἀρχαίωι ν⟨ε⟩ὼι ἄστατα·
στέφαν[[αν]]ος χρυσο̃ς, ὃγ Κόν*[ων]*
ἀνέθηκε, ἄστατος· στέφανο[ς]
χρυσο̃ς, ὃν οἱ ταμ[ι]αι ἀνέθε[σαν],
οἱ ἐπ' Εὐβολίδο *ἄρχοντος·*
στέφανος χρυσο̃ς, ὃν οἱ πρέ[σβεις]
ἀνέθεσαν οἱ μετὰ Δίωνος Λ*[οκρο̃]*·
στέφανος χρυσο̃ς, ὃν οἱ ταμ[ίαι]
ἀνέθεσαν οἱ ἐπὶ Δημοστρά[το]
ἄρχον(τ)ος· στέφανος χρυσο̃[ς]
ἄστα(τ)ος, [ὃ]ν Τιμ*[α]γόρας ἀνέ[θηκεν]*·
στεφάνω ὑποξύλω δύο· φιάλ[η]
ἀργυρᾶ ἄστατος ἣγ Κ[. . . . .]
Εὐκολίνη *ἀνέθηκε· φιάλη ἀ[ργυρᾶ]*
ἄστατος, ἣν Γλαυκὼ Νο[. .] *γυ[νὴ]*
ἀνέθηκεν· φιάλη ἀργυρᾶ ἄσ[τατος],
ἣν Δημὼ Ἀκομένο *γυνὴ ἀνέθ[ηκεν]*·
ἀσπιδίω δύο ἀργυρὼ καὶ κρ[ανιδίω]
δύο καὶ δοράτιον ἀργυρ[ο̃ν]·
φιάλη ὑπόξυλος ἐπίχρυσ[ος]·
χρυσίον ἄπυρον, ὃ ἀνέθηκ[εν - - - - -]
ἄστατον· δακτύλιος χρυ[σο̃ς]
ἄστατος, ὃν Ἀρχεδίκη *ἀνέ[θηκεν]*
ἀπορρα[ν]τήριον χρυσο̃ν, [ὃ]
ὁ ἀνδριὰς ἔχει· στεφάνη, [ἣν ἡ θεὸς]
ἔχει· π⟨λ⟩άστρα, ἃ ἡ θεὸς ἔχει·

ὄχθοιβος, ὃν ἡ θεὸς ἔχει ἐ[πὶ τῶι]
τραχήλωι· ὅρμοι Γ· γλαὺξ χ[ρυσῆ]·
αἰγὶς χρυσῆ· γοργόνειον [ἀργυροῦν]·
Φιάλη χρυσῆ, ἣν ἐν τῆι χει[ρὶ ἔχει]·
στέφανος χρυσοῦς, ὃν ἡ β[ουλὴ]
ἡ ἐπὶ Χαρισάνδρο ἄρχον[τος]
ἀνέθηκεν· στέφανος χρ[υσοῦς],
ὃν Τιμόθεος ἀνέθηκεν·
στέφανος χρυσοῦς, ὃν [- - - - -]
ἀνέθηκεν· στέφανος χ[ρυσοῦς],
ὃν Καλλίκλεια ἀνέθη[κεν]·
στέφανος χρυσοῦς, ὅ[ν ἡ βουλὴ]
ἡ ἐπὶ Ἱπποδάμαντος
ἀνέθηκεν· [Φ]ιάλη <ἀ>ργυ[ρᾶ],
ἣν Ἀριστοβούλη ἀνέ[θηκεν]·
ξιφομάχαιρα χαλκ[ῆ]
πρὸς τῆι παραστάδ[ι]·
ξίφη δύο πρὸς τῆι π[αραστάδι]·
στέφανος χρυσοῦ[ς, ὃν ἡ βουλὴ]
ἡ ἐπὶ Καλλέο ἄρχο[ντος ἀνέθηκεν]·
Φιάλη ἀργυρᾶ, ἣν
. . . .
. . . .
. . . .
στέφανος χρυσο[ῦς, ὃν - - - -]
ἀνέθηκεν· Φιάλη [ἀργυρᾶ, ἣν]
Νικοφῶν Θημακ[εὺς ἀνέθηκεν].

Inscriptio haecce, quam ex auctoritate v. d. Kabbadiae nuper in Ephemeride Archaeologica [1]) brevi commentario instructam edidi, insculpta est in tabula marmoris Pentelici, quam Christiani adhibuerunt in porta occidentali Parthenonis extruenda, cum illud templum in ecclesiam Sanctae Virginis commutarunt. Dudum notum erat lapidem esse inscriptum; etenim pars aversa, in qua enumerantur res in Chalcotheca asservatae, apparebat

1) Cf. Ἐφημ. Ἀρχ. 1903, p. 141 sqq.

in poste meridionali portae. Hanc enumerationem nec non partem exiguam inscriptionis partis adversae, quae detruncato forte fortuna lapide vicino in pariete templi legi poterat, Eustratiades v. d. edidit [1]). Cum mense Februario anni superioris lapis e muro solutus totius inscriptionis aspectum praeberet, occasio data est cum lateris hucusque occulti legendi tum partis iam editae corrigendae; nam non est obliviscendum Eustratiadem in editione facienda nonnisi gypseum ectypum adhibuisse.

Continet autem inscriptio traditionem quaestorum Minervae. Titulus periit. Catalogus ipse divisus est in columnas tres et ipsas parte superiore orbatas. Praeterea a dextra parte lapidis abscissum est frustum triangulare, qua re columna tertia ita est corrupta ut nullo modo sanari possit, reliquae tantummodo detritae sunt, praesertim columna media. Denique in columna prima duo foramina sunt infossa.

Traditio est anni 368/7 (Ol. 103. 1), id quod discimus e columnae II versibus 114—125, ubi sub vocibus *στέφανοι ἐπέτειοι* coronae enumerantur archonte Nausigene consecratae. Dubium non est quin hic annum traditionis teneamus, licet et alibi vox *ἐπέτειος* — sed perperam — sit adhibita; nam ante voces *στέφανοι ἐπέτειοι* linea est vacua relicta et superest anni 367/6 traditio, quam novicia continere videbimus.

Divisus est catalogus in tres partes, amplectentes

1. Res, quae asservabantur *ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ*, h. e. in Cella centumpedali Parthenonis. Recensentur hae in columnis prima et altera necnon in parte tertiae.
2. Res primum *ἐν τῷ Παρθενῶνι*, h. e. in atrio occidentali Parthenonis, asservatas sed inde in Cellam centumpedalem translatas. Eae leguntur inde a versu 38 usque ad versum 70 columnae III.
3. Res in templo Antiquo asservatas, inde a versu 72 usque ad 124 eiusdem columnae.

Columnam primam superscriptam fuisse *ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ* non est quod dicam. Lehnerus [2]) Michaelem secutus enumeravit praecipuas res, quae diversis aetatibus ibi fuerunt depositae; quarum complures in nostra inscriptione commemorantur.

1) Cf. Ἐφημ. Ἀρχ. 1874, p. 462 et C. I. A. II. 678.
2) Über die Athenischen Schatzverzeichnisse des vierten Jahrhunderts, p. 92 sqq.

Mihi hic de nonnullis donariis quaedam in medium proferre liceat. Pauca tantummodo de literis incertissimis versuum 1—15. Interpretatio inscriptionis, quae mense Augusto mihi erat facienda, multis difficultatibus erat obnoxia: calor erat maximus et lapis ad imaginem photograptam recte faciendam in latere erat collocatus, quo in statu legenti molestissimo permanere debebat, quoniam imagines identidem corruptae eveniebant. Itaque quae altero die repperisse mihi videbar, postridie obliterabam identidem; quapropter ea tantum, quae satis certa duxi, lectori obtuli.

Versu 7 vocem *ἀργυρᾶ* legere mihi visus sum, sed quo haec vocula pertineat ne suspicor quidem. Neque admodum placet; nam si illud *ἀργυρᾶ* recte sese habet, inter versus 8 et 14 *τάδε παρελάβομεν χρυσᾶ* vel eiusmodi aliquid scriptum fuerit necesse, quoniam inde a versu 17 res nonnisi aureae commemorantur. Quae verba potius in capite columnae statim post *ἐν τῷ ἑκατομπέδῳ* expectamus. Certiores tamen videbantur literae *αρ . . ρα* quam ut eas praetermitterem.

In inscriptione C.I.A. II. 701 invenimus *οἰνοχόας, Φιάλας Ἀθηνᾶς Νίκης, Φιάλας Αἰθιοπίδας*. Etiam in nostrae inscriptionis versibus 19—26 fit mentio paterarum Aethiopicarum, non tamen convenit numerus aut pondus, et ordo quoque differt; itaque conicere non audeo easdem res utrobique commemorari. Et *κρατὴρ χρυσοῦς ὁ ἐλάττων* idemne sit qui *κρατὴρ χρυσοῦς ὁ μικρὸς* dicitur in inscriptione C. I. A. II. 668. 12 necne, effici nequit. Sic prorsus manet incertum, quas res comprehenderint versus 1—16 et 22 sq.

In versibus 27 sq. ab Eustratiade male lectis [1]) commemoratur patera aurea Stephani Thalli filii; de quo Stephano eiusve nepote fortasse apud Lysiam sermo est in oratione de bonis Aristophanis, anno 388 vel 387 habita. Stephanus ille multo minus dives erat, teste Lysia, quam homines putaverant liberalitatibus eius commoti. Hic fortasse exemplum tenemus illius liberalitatis.

---

1) Inutile mihi videtur quicquid interest inter meam et Eustratiadis editionem indicare. Lectorem benevolum ad inscriptionem 678 relego.

De corona versus 29 infra agemus, nec non ad aurum canistri chryselephantini redibimus.

Cum versibus 35—40 optime concinit inscriptio C.I.A. II. 747, partim *στοιχηδὸν* exarata, quae e Fragmentis Incertis transferri iam potest ad Traditiones Quaestorum Minervae et emendatius sic scribi:

δοκι[μειαλειαιχρυσαι ΔΔΔΔΓΙ]
σταθ[μον 𐅄ΔΔΔΓ⊢⊢⊢⊢III]
χρυσιο[νοπαρααριστарχωι]
ηυρεθη[σταθμον Γ⊢⊢I]
[ε]λικτηρε[σαρτεμιδοσβραυρωνι]
ασχρυσοισ[ταθμον ⊢⊢⊢IIII]
προστηννικ[ην . . . .
προσαπεδοσ[ανπαραλαβοντεσπαρα]
τωνπροτερων[ταμιων]
σταθμον . . . . [χρυσιον?]
αποτωνθυμι[ατηριωνοηυρεθη?]
παρακαλλιμ[αχωισταθμον . . . .
(*vacat.*)

A sinistra parte huius fragmenti cernuntur reliquiae numerorum, unde apparet non primam hanc columnam Traditionis fuisse.

Cum versibus 41 sq. cf. C. I. A. II. 708, 9 sqq.: *αἱ θύραι αἱ ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ τῶνδε δέονται μὴ ἐντελεῖς εἶναι· περὶ τὴν τοῦ λέοντος κεφαλὴν ἐλλείπει τῶν φύλλων ἑνός, περὶ δὲ κ.τ.λ.*, et 701 II 46 sq.: ..... *τῶν θυρῶν τοῦ Ἑκατομπέδου*, 677, II 2, 27 .....*ον ἀπὸ τῆς θύρας*. Splendide autem inscriptione nostra confirmatur coniectura v. c. Michaelis (quam profert Lehnerus l.l. p. 57), C. I. A. II. 675, 4 legentis [*φύλλον*] aut [*μῆλον τῆς θύρας τοῦ Ἑκατομ*]*πέδου χρυσοῦν ἀπὸ τοῦ ἥλου*. Quod folium fortasse fuit ex ornamentis quae ianuis Cellae centumpedalis deësse dicuntur in inscriptione 708. Quod autem in nostra inscriptione legitur *ἀπὸ τοῦ Ἑκατομπέδου*, non *ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ* aut *τοῦ Ἑκατομπέδου*, suspicor olim folium illud, cum fractum esset, asservatum esse in Opisthodomo [1]), ideoque appellatum: „folium

1) Cf. Lehneri l l. p. 97 B.

de ianua ex Hecatompedo (huc translatum, quod cecidit) de clavo"; dein, quod mox demonstrabo aliis exemplis, postquam res ex Opisthodomo in Cellam centumpedalem sunt translatae, quaestores eas secundum materiem ordinasse nulla ratione habita locorum unde provenerant rerumve denominationibus non mutatis [1]); denique aliter digestis catalogis tales anomalias esse sublatas.

Versus 43—45, qui in omnibus fere traditionibus Cellae centumpedalis inveniuntur, luculenter testantur huius Cellae hic recenseri donaria. Hic enim commemoratur corona Victoriae quae in manu simulacri Minervae Virginis stat.

Versibus 45—62 describitur Victoria archonte Socratide (374/3; Ol. 101. 3) consecrata. Cuius archontis nomen integrum extat versu 65, et versu 46 vestigia certe literarum *σωκρα* supersunt. Non eadem est Victoria quae in inscriptionibus 652, 660, aliis commemoratur, huius enim partes alia ratione distributae sunt per singulos *ῥυμούς*. Et complura Victoriae signa fuisse notum est. Pleraque autem anno 407 in usum belli esse conflata, sed eorum numerum post bellum Peloponnesiacum singillatim esse restitutum, docuit Foucart [2]). Hoc mirum est, in nostra inscriptione unam tantum Victoriam describi, neque eiusdem fieri mentionem in 677, ubi complures Victoriae fuerunt enumeratae, si recte Lehnerus ibi vs. 25 legit Ν*ίκη σώτειρα ἡ μία*, existimans eam hac voce opponi *ταῖς ἑτέραις* Ν*ίκαις*, quae in sequentibus commemorantur [3]). Foucart omnes Victorias praeter notissimam illam in templo Dianae asservatas esse putat; quam miram et veri dissimilem coniecturam protulit collato versu 10 inscriptionis cuiusdam a se editae:

....*υσεντοαρτεμισιονοεπεστατεσταθμοντ*..

ultro tamen confessus se hunc versum neque supplere neque interpretari posse. Itaque iure Lehnerus eam coniecturam reiecit;

---

1) Hoc imprimis inde apparet quod in describendis rebus antiquioribus orthographia antiqua usurpatur. Sine dubio tituli coronarum v. c. ad literam perscribebantur in catalogis, etsi orthographia nova iam in usum venerat.

2) Les Victoires en or de l'Acropole, B. C. H., 1888 p. 283 sqq.

3) Cf. Lehneri l.l. p. 89 sq.

nam haud facile est dictu, cur Quaestores Victorias in Artemisium deportaturi fuerint. Potius existimat eas in Opisthodomo esse depositas, postea cum reliquis rebus Opisthodomi in Cellam centumpedalem translatas, dein a Quaestoribus inscriptionis 677 veteri Victoriae Cellae centumpedalis annumeratas.

Haec coniectura habet, quo sese commendet; nam Victoriae initio erant pecuniae instar, quae pecunia in Opisthodomo asservabatur. Cum tamen in nostra inscriptione non nisi unius Victoriae fiat mentio neque spatium supersit ad plures in textum introducendas, equidem confiteor me rem non intellegere. Itaque potius me converto ad fragmentum 710um, quod sic videtur explendum:

[π ε μ π τ ο σ ρ υ μ] ο [σ].
[α κ ρ ω τ η ρ]τ ο ν ο[π ι σ θ ι ο ν]
[σ κ ε λ η δ]υ ο χ ρ υ[σ ι δ ι α μ ι κ ρ α]
[σ τ α θ μ ο ν] ΧΧΧΧΔΔ ......
[τ η σ ε] υ [ε] ρ [α σ] ν ι κ [η σ ...
[π ρ ω τ] ο σ ρ υ μ ο σ (*vacat*)
[κ ε] Φ α λ η σ τ ε Φ α ν [η σ τ ε Φ α ν ο σ]
[ο] ε π ι τ η ι κ ε Φ α λ η [ι ε ν ω ι δ ι ω]
[υ π] ο δ ε ρ ι σ ο ρ μ ο σ [χ ε ι ρ ε δ υ ο]
[α μ] Φ ι δ ε α ι δ υ ο ....
...ο σ κ α τ α κ ....
[σ τ α θ] μ ο ν ΧΧ///Γ ....
[δ ε υ τ ε ρ ο] σ [ρ υ μ ο σ]

Versus 1—8 accurate *στοιχηδὸν* sunt perscripti. Versu 9 item *στοιχηδὸν* scriptae sunt literae *Φιδεαι*, sed *δύο* vocula paulo propius literae *ι* est admota; versus 10 denuo recte ut videtur, sed versus 11 ita est scriptus, ut vox *σταθμόν* locum compleat literarum septem et dimidiae; quod ita esse apparet e loco literarum *μον*, unde sequitur literam *σ* versus 12i esse octavam.

Quae inde ab initio usque ad versum 5um supplevi incerta sunt[1]). Nam *πεμπτοσρυμος* (ante versum 1) peccat in ordinem *στοιχηδὸν* factum, item versus tertius[2]); dein pro **Τ** legitur **Ι** versu 1, sed editor **Τ** punctis tantum notavit in corpore, denique versu

1) Editor corporis adnotavit: „Vs. 1—3 nihil fere agnoscitur".

2) Num forte est legendum vss 2 et 3 *χ ρ υ σ ι α σ τ α θ μ ο ν τ ο τ ο ν*?

4° pro T legitur Ƭ, quae sescenties confunduntur[1]). Haec autem quamvis sint dubia, satis tamen mihi constat Victoriam hic describi et Lehnerum mihi assensurum esse pro certo habeo, etiamsi locum non attulerit.

Quae versibus 5—12 supplevi certa videntur. De Victoria autem agi quivis videt, sed, quod mentione dignum, minime haec congruunt cum descriptione quam praebent inscriptiones 677 aliae, optime vero cum nostrae I v. 47—54; nam quod Victoria in fragmento 710 nullam coronam manu tenere dicitur, interim fractam suspicor. Sit hoc discrimen, sed quod manus utraque et hic et illic ad eundem ῥυμὸν pertinet, mihi quidem satis documenti est de eadem Victoria agi; nam alibi ubique manus dextera et sinistra sunt separatae.

Versus 9 et 10 haud facile quis correxerit, cum et in nostra inscriptione hic locus sit lacunosus.

Versibus 1—3 fragmenti 710ⁱ eam quam aliunde novimus Victoriam indicari arbitror, quare contra ordinem literarum supplevi πέμπτος ῥυμός, non τρίτος ῥυμός, quod fecissem si de alia quadam Victoria agi putavissem. Quod autem discrepant numeri et in vulgari descriptione χρυσίδια desiderantur, unam utriusque rei causam esse suspicor, χρυσίδια enim diffracta cum ad quintum ῥυμὸν essent addita, pondus auctum esse.

Ἀκρωτήριον quid significet difficile dictu est. Quam vocem in nostra inscriptione vs. 55 non supplevi, quoniam aliarum literarum vestigia cernere mihi videbar; sed confiteor vix aliud quid ibi potuisse scribi. In nonnullis inscriptionibus legimus ἀκρωτήριον χρυσίον ὀπίσθιον, ubi Köhlerus χρυσίον in χρυσοῦν mutavit, Foucart vero lectione inscriptionum servata statuit χρυσίον ὀπίσθιον esse partem statuae posticam, ἀκρωτήριον autem alas significare. In inscriptionibus C. I. A. II 652, 23 et IV II 331, 12 legimus ἀκρωτήριον χρυσίον ὀπίσθιον, in 677, 39 literas ηριο . . . . . . ον spatii habita ratione expleo potius ἀκρωτήριον χρυσίον ὀπίσθιον quam ἀκρωτήριον ὀπίσθιον, sed 667, 11 invenimus ἀκρωτήριον ὀπίσθιον, quod etiam in fragmento 710 supplevi, in

---

1) Cf. v. c. nostrae inscriptionis III vs. 81: αρχονυος pro ἄρχοντος et vs. 82 αστανος pro ἄστατος.

nostra autem inscriptione quicquid vs. 55 scriptum fuit ad ambas voces χρυσίον et ἀκρωτήριον recipiendas spatium non sufficit. Equidem cum Foucarto faciens ubi χρυσίον deëst ὀπίσθιον interpretor τὸ ὀπίσθιον μέρος.

Vs. 68—83 recensentur donaria aurea (sive potius inaurata), infusa, aes intus habentia nullo pondere addito. Quae partim tantum in aliis inscriptionibus recurrunt. Sic v. c. crater, cuius mentio fit vs. 70, commemoratur etiam in inscriptionis 652 (Ol. 95. 3) parte adversa versu 44, ubi fulcrum eius dicitur aureum. Itidem 660, 20, 667, 26. In parte aversa inscriptionis 652 statim ab initio gorgoneum citatur ἀπὸ τῆς ἀσπίδος τῆς ἀπὸ τοῦ ἕδους, quod 660, 53 et 661, 23 recurrit. Quamquam vocabulum ἕδους editores unde habeant nescio; nam, quantum video, ubique per coniecturam in textum introductum est. Gorgoneum nostrum ἀπὸ τῆς ἀσπίδος τῆς ἀπὸ τοῦ νεὼ esse dicitur versu 74. Haec igitur incerta sunt, sed in inscriptione 677 II 1, 35 fulcrum crateris quale nostro loco commemoratur post seriem coronarum, de qua infra. Spatium tamen illic non sufficit ad supplendas res quae apud nos versibus 72—83 sequuntur. Denuo igitur versamur in tenebris neque scimus unde hae res in Cellam centumpedalem introductae quove postea ablatae sint.

Inde a versu 85 recensentur res ex eadem materie sed pondere addito. De canistris ornatis Iovis et Apollinis imaginibus, de patera Cleonis (quae nunc demum recte legitur), de patera glandibus ornata (hactenus male scriptum fuerat πτιλωτή pro ἀκυλωτή, quod ni fallor ἅπαξ εἰρημένον est), de turibulis literis A et B signatis opus non est dicere. Reliqua, auri pondera (χρυσία) oriunda a templo Victoriae, a scuto templi, ab acroteriis et sigillum cum anulo, misere corrupta recurrunt 679, I 25—34; 677, II 18—23. Has res ex Opisthodomo in Cellam centumpedalem esse transportatas agnovit Lehnerus (l.l. p. 17). Etenim IV 2, 645 b ἐπ' Ἀριστοκ[ράτους ἄρχοντος] sive Ol. 95, 2 tamquam ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου allata enumerantur ..... τὰ ἐλεφάντινα .... θυμιατήριον varia pondera mutilata. Eosdem numeros deprehendimus IV 2, 653 Ol. 95, 3 una cum reliquiis vocum θυμιατήριον, οἰνοχόαι, κανᾶ, ἵνα ὁ Ἀπόλλων et ἵνα ὁ Ζεύς.

In nostra inscriptione *οἰνοχόας* frustra quaerimus, nam *οἰνοχόη χρυσῆ* (Col. I vs. 21) cum hisce non est confundenda. Cetera conveniunt excepto pondere canistri Apollinis. Turibula partim variis sunt ponderibus (Col. I 110—115), partim pondus non indicatur (Col. II in fronte); etiam *τὸ κανοῦν, ἵνα τὰ ἐλεφάντινα ζῷα* in nostra inscriptione *ἄστατον* est; quae tamen res non obstat, quominus cum Lehnero Opisthodomo ea attribuamus. Constat igitur sub finem quinti vel initio quarti saeculi nonnullas res ex Opisthodomo in Cellam centumpedalem esse translatas et *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* dictas. Usque ad annum 395 tres catalogos etiam distinctos extitisse *τῶν ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ, τῶν ἐκ τοῦ Παρθενῶνος, τῶν ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου χρημάτων* demonstrat Lehnerus, dein autem res pretiosas, quae ex Opisthodomo essent transportatae, secundum materiem inter ceteras quae in Cella centumpedali servabantur mixtas esse et commemoratas. Aliquamdiu post singula loca denuo indicata esse suspicatur; sic v. c. in laterculo cuius supra mentionem fecimus, 677, II, Col. 2, 6 voces *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* periisse putat et 679, I 23 vestigium huius tituli superesse [1]). Quod falsum esse existimo. In nostra enim inscriptione eiusmodi tituli nec vola est nec vestigium nec spatium ad eum supplendum sufficit, literae autem quas dicit inscriptionis 679 ratione habita vitiorum vulgarium lapicidarum [2]) et scripturae haud accurate *στοιχηδὸν* factae sic videntur explendae:

τ α [δ ε] σ υ α θ [μ ω ι π α ρ] ε [λ α β ο μ ε]ν κ α ι
π α [ρ ε δ] ο μ ε ν [ε π ι τ η κ τ α] κ α ι
ε π [ι χ ρ] τ σ [α κ] α [ι υ π] ο [χ α λ κ α]
κ α [ν] ο υ ν χ [ρ υ] σ ο υ ν ι ν α ο α π ο λ λ ω ν.

Sic 679 bene cum nostra convenit, nisi quod in illa praecedit hydriarum catalogus, qui in nostrae columna altera sequitur.

Ita demonstratum est voces *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου*, cum semel a quaestoribus essent omissae, nunquam postea esse restitutas. Gravior error Lehneri hic est, quod inscriptione 677 valde mutilata fretus *τὰ ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ χρήματα* Opisthodomo attribuit [3]), ad quam quaestionem infra redibo.

1) Lehneri l.l. p. 87.

2) Cf. p. 341, 1; notandum est praeterea vs. 24 ΤΣ punctis tantum esse significata in corpore.

3) l.l. p. 98.

Inde a versu 110 incipiunt donaria argentea aes intus habentia. Sunt tria turibula nota ex inscriptione 698. Tertium Cleostratae inde a 649 passim invenitur commemoratum, solet autem subiungi Victoriae vulgari, unde apparet antiquitus ad Cellam centumpedalem haec pertinuisse, nam Cleostratae turibulum anno 399 iam ibi erat.

Versu 116 haec series interrumpitur et in secunda demum columna continuatur. Error hic commissus est anno 370 — cuius anni traditionem non habemus, — nam quae sequuntur inde a versu 117 usque ad 132 annis Dynniceti (370) et Lysistrati (369) sunt dedicata. Praeterea haec omnia vel saltem pleraque aurea esse, non est quod dubitemus. Quid versu 117 in literis ..... λινη (an αγνη?) lateat, obscurum est, sed 119 [χρυσ]οῦς esse legendum, licet trium tantum literarum spatium esse videatur, pro certo habeo. Notandum est praeterea Quaestores nostros neglexisse inducere vocem ἐπέτειοι ante coronas anni Lysistrati, quam in superiore traditione invenissent.

Hic columna prima finem capit sine corruptela, nam reliqua pars tabulae vacat.

Columna II ab initio usque ad versum 18 misere est corrupta. Versibus autem 19—21 commemorantur turibulum argenteum, et canistrum quoddam, quod aureum fuit, si eiusdem mentio est facta Col. I 33 sq., qua de re Lehnerus haud sine causa dubitat; nam mirus foret locus donarii aurei post argenteum turibulum in traditione secundum materiem donariorum ordinata. Me iudice argenteum fuit, unum e donariis quae ex Opisthodomo sunt allata (cf. p. 342). Quapropter suspicor τοὺς πίνακας, τὰς οἰνοχόας, τὰ χερνιβεῖα, τὰς φιάλας, τὰς νήττας, quorum recensio fit 677, II 1, 39—61, initio columnae II[ae] nostri lapidis fuisse enumerata.

De catalogo hydriarum, qui nunc sequitur (vs. 23—84) nihil dicam, nisi quod ea, quae in lapide misere trito legere non potui, aliunde supplevi, certa vero literarum vestigia ubi indagare mihi visus sum, etiam invitis ceteris lapidibus alios numeros addidi, quos lector harum rerum curiosus facile reperiet. Hoc tantum annoto versu 84 uniuscuiusque esse supplere:

Ἀφροδίτης ὑ[δρ]ία ἀρ[γυ]ρᾶ μ[ία σταθμὸν] H⊢,

sed spatium minus ac literarum ductus incertiores mihi visa esse, quam ut haec vocabula in textum reciperem.

Sequentia (vs. 86—112) varia sunt, ut ita dicam. Partim eadem invenias: 645, 25; 646, 10—18; 647, 3—5; 649, 16 et 23; 652 A 46—48, B 4; 654 a 26, b 9; 658, 7? et 8; 660, 22 et 59; 667, 41—44; 673, 27; 676, 1—29; 684, 13—15; 701 II 43—57; 703, 7—8.

Una res archontis Antigenis (Ol. 92, 4) nomine addito designatur (versibus 87—89). Quae autem versibus 110—112 recensentur decem lecticae Mileti factae vel saltem artis Milesiae, decem sellae plicatiles, una mensa ebore ornata, V° saeculo in Parthenonis atrio occidentali fuerant asservatae (cf. C. I. A. I 170 et 173). Alia eiusdem originis donaria in Columna III enumerata sunt praescripto titulo: ἐκ τοῦ Παρθενῶνος, quapropter has res hoc loco non ratione sed mero errore enumeratas esse puto. Antiquiores autem IV[i] saeculi tabulas, quas supra indicavimus, si quis conferat, donaria reliqua huius partis inscriptionis haud ita multo post turibulum Cleostratae, coronam Victoriae, reliquas res antiquas inveniet commemorata; unde apparet iam inde ab initio pacis, cum pauca essent donaria, in Cella centumpedali fuisse dedicata. Postea increscentibus Deae opibus Quaestores paria paribus, ut vidimus, adiunxerunt, cuius rationis catalogi hydriarum et coronarum (vide infra) praecipua documenta sunt.

Sequuntur coronae ἐπέτειοι, Nausigene archonte Ol. 103. 1 sive anno 368/7 dedicatae. Cuius nomen ter repetitum coronarum titulum fuisse puto.

Pauca dicam hoc loco de coronarum catalogo, quem praebet inscriptio Ol. 107. 3 sive anni 350/49, C. I. A. II 698. Initium capit inde ab anno Phrasiclidis (371/0). Recensentur ibi:

corona	[Nausi]nico	archonte	dedicata	193	drachm.	4 ob.
„	Dynniceto	„	„	200	„	
„	Lysistrato	„	„	36	„	
„	Nausigene	„	„	38	„	$3\frac{1}{2}$ „

Certum ibi mihi videtur [Ναυσι]νίκου nomen, licet temporis ordinem interrumpat et numerus aut meo aut alieno errore

(omisso Γ?) quinque drachmis minor sit quam in nostra inscriptione (I 30 sq.).

Coronae tertiae in nostro lapide (I 128—130) pondus 26 drachmarum 1 oboli tribuitur, sed post vocem σταθμὸν est unius literae spatium, quod interpunctioni tribuo, nullius certe literae vestigium sed tantum „:" dignoscere mihi visus sum. Reliquae coronae conveniunt (I 121 sq. et II 118—120).

Coronarum catalogum anno 367 incohatum esse suspicor. Cf. 677, II 1, 16—32, ubi variarum coronarum olim mentionem fuisse factam literarum vestigia testantur. Iure dixerit quispiam, illo tempore tumultuariam fuisse rerum sacrarum administrationem. Quaestores enim anni 370 cum coepissent donaria secundum materiem disponere, mire ipsi opus suum depravantes coronas sui anni catalogo Cellae centumpedalis inseruerunt. Idem fecerunt Quaestores anni sequentis, nostri autem anni Quaestores iterum seriem Cellae centumpedalis interruperunt; nam vix dubitandum est, quin etiam in parte superiore columnae III donaria Cellae illius fuerint commemorata.

Sed ut ad coronarum catalogum redeam, tria genera coronarum haud difficulter discreverit quis:

I. Coronas Panathenaïcas pondere circiter 200 drachmarum.

II. Coronas circiter 30 vel 40 drachmarum. E nostra inscriptione apparet has coronas donaria τῶν συλλογέων τῶν τοῦ δήμου esse, quae quotannis dedicabantur; ante annum 370 coronae eae non commemorantur. Magistratus illos inde a saeculo quinto primum creatos docent Schömann-Lipsius, Griechische Alterthümer, I p. 394 et 408.

III. Coronas ponderibus diversissimis, quas donaria gentium exterarum fuisse putaverim.

In columna tertia usque ad versum 30 nil superest nisi vestigia vocum δοκιμεῖα, Φιάλαι, χρυσίον. Quae quamvis sint exigua, sufficiunt tamen ad demonstrandum haec quoque ad Cellae centumpedalis traditionem pertinere; si enim compares 677, I, III, invenias, ut hic reliquias δοκιμείων, quorum unum vel plura σεσ[ημασμένα] dicuntur, quod participium recurrit plus minusve mutilatum 697, 11; 701, II (III), 66; 703, 16. In nostri lapidis versibus 22—24 legenda suspicor:

τοι[. . . . . δοκιμεια]
ε[γ]κι[βωτιωισεσημασμενατηι]
[δημ]ο[σιαισφραγιδι].

Sed incertiora haec sunt quam quae in textum recipiantur [1]).

Quae sequitur galea parva *ἀπὸ τοῦ βάθρου* (magni Minervae simulacri), nostro loco et in inscriptione 676 genarum tegmina habet, quorum alibi non fit mentio. Haec omnia et sequentia: vas unguentarium, quattuor res ignotas Theraeas, patellam ad traditionem Cellae centumpedalis pertinere apparet inspectis 676, 677, 701, 703. Imprimis utilis est comparatio inscriptionum 676 et 677. In hac 8 versibus supra reliquias *τῶν δοκιμείων* extat litera *ξ*, in qua vocis *ξύστις* (676, 35) vestigium agnoscere mihi videor, quapropter quae in inscriptione 676 inter 20—40 sive inter mensam eburneam (in nostra II 112) et galeam parvam (in nostra III 31) leguntur in nostra inter versus 1—20 columnae III incisa fuisse puto.

De fatis horum *δοκιμείων* nil est notum; inscriptiones enim 676 et 677 eiusdem aetatis sunt fere ac nostra.

Catalogus rerum „*ἐκ τοῦ Παρθενῶνος*" non multum peculiare habet. Lehnerus iam probavit, id quod nostro catalogo confirmatur, multa (res 24 ex 51) e catalogo saeculi quinti in nostro superesse; quod autem multae res pretiosae traditionum ineuntis saeculi quinti (C. I. A. II, 645, 655, 656) in inscriptione nostra frustra requiruntur, in his donaria ad ornatum muliebrem pertinentia, suspicari licet conflata esse interim quae vetustate essent corrupta, ut hydriae v. c. inde fierent [2]).

Ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ quae anno inscriptionis nostrae asservabantur invenimus in fine tabulae, III, 72 usque ad finem. Quae in tres partes dividere possumus; habemus enim:

I. Coronas, arma parva, pateras, anulos, aurum a privatis, quaedam a mulieribus consecrata.

---

1) Supplementi incertioris etiam mihi in mentem venit vs. 17 sq.:
τ[αδεπροσπαρεδοσανοιταμιαι]
[ο]ι[επι . . . . αρχοντος]

2) Cf. quae Demosthenes de Androtione disputat, quo infra redibo.

II. Coronas aureas, quas dedicarunt collegia, imperatores, legati:

Conon.
Quaestores Eubulide archonte anno 394.
„ Demostrato „ „ 393.
Legati Locrenses (si verum vidi) sub Dione.
Senatus Callea archonte anno 377.
„ Charisandro „ „ 376.
„ Hippodamante „ „ 375.
Timotheus [1]).

III. Insignia, ornamenta, attributa simulacri Deae.

Quae sub I enumeravimus, nil habent, quod ea a donariis vulgaribus distinguat.

Ad coronas autem dedicatorias quod attinet, Cononem coronam suam vovisse arbitror post pugnam ad Cnidum factam anno 394 Timotheumque post expeditionem Corcyream et pugnam ad Leucadem factam anno 375; legatos autem Locrenses suspicor praeside Dione Athenas venisse anno 394 de re una cum Atheniensibus gerunda contra Lacedaemonios. Quae si probabiliter statuo, vs. 73 — 80 habemus res annis 394 et 393, vs. 102 — 117 res inter annos 377 et 375 dedicatas, separatas aliis donariis quorum aetas et donator vel aetas sola ignorantur. Aliqua igitur in hac inscriptionis parte habetur temporis ratio.

Quae ad Deae simulacrum pertinent (vs. 95—101) ideo notatu sunt digna, quod nescimus de quo simulacro illic fiat sermo; etenim ad Minervae Virginis simulacrum haec referri non posse, neque ad antiquissimum ξόανον sive τὴν πολιάδα, mox videbimus.

Nam ordine rerum eo deducimur ut intricatam quaestionem tangamus quae est περὶ τοῦ ἀρχαίου νεώ.

(*Continuabuntur*).

---

1) Erravit igitur Lehnerus Opisthodomo haec attribuens, quem deceperat misere habita inscriptio 677, ubi haecce (II, III 7—16 vel 22) interrumpunt seriem Parthenonis.

ADNOTATIONES CRITICAE



AD

LYCURGI LEOCRATEAM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Anno 1854 amicus meus Antonius van den Es, quem ad hunc diem Amstelodami rude donatum superstitem esse laetamur, *Specimen* edidit *Philologicum Inaugurale de Lycurgi Leocratea*. Hunc libellum post tantum temporis spatium hisce diebus lubenter relegi itemque inspexi iudicium quod de commilitonis opere tuleram in *Mnem.* 1854 p. 409. Quae tunc scripsi, mea memoria penitus exciderant; sed laetus vidi me haud maligne laudavisse quae in Vandenessii [1]) dissertatione probanda essent; nec tamen minus hodie, tot speciminibus academicis lectis examinatis et correctis, libellum bonae frugis plenum cumulatius aliis commendo quam tunc me fecisse video. Veluti est Thalhemius qui Lycurgum apud Weidmannos edidit anno 1880; Van-

1) Amicus meus Thalhemio simpliciter audit *Es.* Est hic error multorum Germanorum, qui rationem particulae *van* in nostris gentiliciis nominibus minus perspectam habent. Nempe quod apud illos nobilium nominibus praefigitur *von* saepe quidem certa ratione omittitur: idem nostri quoque nobiles interdum faciunt, sed hi longe parcius. Contra, sicubi eadem illa particula *van* non nobilitatis indicium est, sed priscae originis, omitti nullo modo potest. Herwerdenum et Leeuwenium recte appellamus itemque, si quis hoc malit, Essium, Latina terminatione addita; ceterum sunt *van* Herwerden, *van* Leeuwen, *van den* Es et nos Hollandi sedulo cavemus ne praeclari viri ἀκέφαλοι περινοστῶσιν, cf. *Mnem.* 1902 p. 231.

denessium aliquoties laudavit; sed haud ita pauca sunt acute observata, quae silentio praeteriit; hoc enim hodie saeculum est: frustra studemus ut veterum opera quam emendatissime edi et legi possint, nam plerique editores vetustis librariorum vitiis delectantur et vix evidentes correctiones excerpunt, ut in marginibus apponant, reliqua omnia aut satis certa aut fortasse verisimilia cum contemtu abiiciunt; quam rationem ne tunc quidem probarem, si nonnullorum iudicium et criticam facultatem pluris facerem quam oportet.

De oratione in Leocratem maneo in ea sententia, quam olim pronunciavi. Ille est Lycurgus qui per duodecim annos *ταμίας* fuerat *τῆς κοινῆς προσόδου* et nunc senex post vitam praeclare actam pueruli instar in schola magistri misere declamitat in Leocratem, quamquam concedat nulla esse diserta verba legis, in quae reus peccarit. Eaedem sententiae, ter quaterve simili modo tornatae, ad satietatem usque recurrunt. Nullum *κέντρον* auditoribus *ἐγκαταλείπεται·* nihil festive dictum; scholae pulverem omnia redolent. Denique est historiae et antiquitatis crassa ignoratio, ut nihil veri simul et novi ex turbido fonte possimus expiscari. Inter decem oratores Atticos ultimum fere locum veteres critici tribuerunt Andocidi: non ego sum qui huius patrocinium suscipere audeam; verum enimvero, si penes me iudicium foret, haud cunctanter Lycurgum oratorum omnium pessimum appellarem. Sed suspicari licet Alexandrinos grammaticos alias trivisse Lycurgi orationes Leocratea longe praestantiores. Arguitur hoc tum ex iudicio quod de Lycurgo tulerunt Dionysius Halicarnassensis et Cicero, tum ex fragmentis quae Rutilius Lupus nobis servavit. Quidquid tamen huius rei est, experiar num hic illic paucula menda eluere possim, quae hucusque criticorum aciem effugerunt.

§ 18. Quam mire est dictum *τὸ ἄςυ τῆς πόλεως*. Cf. Vandenessius p. 15.

§ 19. Sine sensu legitur: *τὴν Φυρκίνου μαρτυρίαν, ὃν καὶ ὑμῶν οἱ πολλοὶ κατηγοροῦντα τούτου (ἴσασιν) ἐν τῷ δήμῳ ὡς καὶ μεγάλα καὶ βλάβους εἴη τὴν πεντηκοςὴν μετέχων αὐτοῖς.* Hunc locum graviter corruptum esse vides, sed perparum ad emen-

dandum proficitur Sauppii correctione: ὡς καὶ μεγάλα βεβλαφὼς εἴη. Primum constat πεντηκοςολόγους fuisse Leocratem et Phyrcinum, nam aperta verba sunt § 58: ἔτι δὲ καὶ τῆς πεντηκοςῆς μετέχων ἐτύγχανεν ἣν οὐκ ἂν καταλιπὼν κατ' ἐμπορίαν ἀπεδήμει et conferri poterit de publicanis Boeckhius *Oecon. Civil.* I p. 425 sqq. cum Bakii epicrisi *Schol. Hyp.* IV p. 269. Credibile est Phyrcinum questum fuisse se damnum accepisse ex fuga collegae, qui in portorio exigendo se destituisset. Hoc facili opera obtinebimus scribendo: ὡς καὶ μεγάλα βλαβείη τῆς πεντηκοςῆς μετέχων αὐτῷ.

Multae sunt minutae correctiones quas Thalhemius inconsiderate sprevit; veluti § 20 cum Dobraeo ἐκκλητεύσομεν, § 21 cum Sauppio ἐν γειτόνων, § 30 cum Bekkero γενομένων, § 37 cum A. G. Beckero ἀφειμένοι, coll. § 40 et 47 scribere debuerat. Talia per totam orationem unusquisque sibi colligere poterit. Unum praeterea exemplum describam, quia correctio est admodum elegans: γυναῖκας ..... πυνθανομένας [εἰ ζῶσι] τὰς μὲν ὑπὲρ ἀνδρός, τὰς δ' ὑπὲρ πατρός. Expunxit Vandenessius id quod vides p. 26.

§ 21: ἐκπλεῖ πάλιν ἐκ τῆς Ῥόδου καὶ ἀφικνεῖται εἰς Μέγαρα καὶ ᾤκει ἐν Μεγάροις πλείω ἢ πέντ' ἔτη. In nitida compositione flagitatur praesens οἰκεῖ.

§ 42: ὥςε πρότερον μὲν ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερίας ἀγωνίζεσθαι, ἐν δὲ τοῖς τότε χρόνοις ἀγαπᾶν ἐὰν ὑπὲρ τῆς αὑτῶν σωτηρίας ἀσφαλῶς δύνηται κινδυνεῦσαι. Difficile dictu est quid sit ἀσφαλῶς κινδυνεῦσαι et arguitur corruptela quod continuo sequitur: καὶ πρότερον μὲν πολλῆς χώρας τῶν βαρβάρων ἐπάρχειν, τότε δὲ πρὸς Μακεδόνας ὑπὲρ τῆς ἰδίας κινδυνεύειν. Rogat Thalhemius num forte verum sit ἀμύνεσθαι, sed hoc quidem vix quisquam probabit. Incidi equidem in: ἐὰν ὑπὲρ τῆς αὑτῶν σωτηρίας ἀσφαλῶς δύνηται κοινολογεῖσθαι.

Sequuntur in eadem paragrapho quorum est valde impedita constructio: τοσαύτη δ' ἡ πόλις ἐκέχρητο μεταβολῇ ὥστε ..... καὶ τὸν δῆμον ὃν πρότερον Λακεδαιμόνιοι καὶ Πελοποννήσιοι καὶ οἱ

τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντες Ἕλληνες βοηθὸν ἐπεκαλοῦντο, οὗτος ἐδεῖτο τῶν ἐξ Ἄνδρου καὶ Κέω καὶ Τροιζῆνος καὶ Ἐπιδαύρου ἐπικουρίαν αὐτῷ μεταπέμψασθαι. Operosa ratio est quam Vandenessius sequitur p. 27; mihi quidem insiticia videntur verba: οὗτος ἐδεῖτο, deinde si rescripseris ἐπικουρίαν ἀντιμεταπέμψασθαι, ad sententiae integritatem nihil desiderabis. Idem ille populus, cuius auxilium potentissimae gentes olim implorabant, nunc opem petit ab insulanis et parvorum oppidulorum incolis.

§ 49: εἰ δὲ δεῖ καὶ παραδοξότατον μὲν εἰπεῖν ἀληθὲς δέ. Praestat positivus: παράδοξον.

§ 50: οὐκ ἂν αἰσχυνθείην εἰπὼν ϛέφανον τῆς πατρίδος εἶναι τὰς ἐκείνων ψυχάς. Vandenessius merito contendit hoc intelligi non posse et commendat τὰς ἐκείνων τύχας. Cur Thalhemius eam suspicionem ne memoravit quidem?

§ 52: ἡ βουλὴ ..... τοὺς φεύγοντας τὴν πατρίδα ..... λαβοῦσα ἀπέκτεινε. Nonne hoc ξυλλαβοῦσα dictum oportuit?

§ 58: οὔτε τότε ἐκπλεύσας οὐδὲν εἰσήγαγεν ἐκ Μεγάρων, ἓξ ἔτη συνεχῶς ἀποδημήσας. Qui e portu in altum enavigat ἐκπλεῖ, qui domum redit καταπλεῖ et Leocrates nullas merces Megaris Athenas importavit, unde apparet verum esse: καταπλεύσας οὐδὲν εἰσήγαγεν. Opponuntur inter se ἐκπλεῖν et καταπλεῖν, quemadmodum ἐξιέναι et κατιέναι· activa autem verba sunt ἐξάγειν et κατάγειν, de quo usu est luculenta Cobeti observatio *Mnem.* 1854 p. 128 et 1862 p. 114. Hinc pendet intelligentia eorum quae leguntur § 18 de Rhodiis, nam, accepto nuncio de pugna apud Chaeroneam, τριήρεις πληρώσαντες τὰ πλοῖα κατῆγον καὶ τῶν ἐμπόρων καὶ τῶν ναυκλήρων οἱ παρεσκευασμένοι δεῦρο πλεῖν αὐτοῦ τὸν σῖτον ἐξείλοντο καὶ τἆλλα χρήματα διὰ τοῦτον. Itaque triremes armarunt et onerariarum navium institores in quos incidebant, iusserunt Rhodum κατιέναι, ne quid frumenti Athenas veherent ad hostes. Nihil praedonum ritu Rhodii latrocinabantur nec merces publicatae fuerunt et dardanarii libenter Rhodum devertebantur, quod colligere possumus

ex Demosthenis Oratione contra Dionysodorum. Eo sensu quo dixi vocabulum *κατάγειν* usurpavit Demosthenes de Pace § 25 p. 63: *ἐῶμεν . . . Χίον καὶ Κῶν καὶ 'Ρόδον καὶ Βυζαντίους κατάγειν τὰ πλοῖα.* De Foed. Alexandr. § 19 p. 217: *ἔςι γάρ που ἐν ταῖς συνθήκαις τὴν θάλατταν πλεῖν τοὺς μετέχοντας τῆς εἰρήνης καὶ μηδένα κωλύειν αὐτοὺς μηδὲ κατάγειν πλοῖον μηδένα τούτων.* Polycl. § 5 p. 1207: *Κυζικηνῶν καταγόντων τὰ πλοῖα ἕνεκα τῆς ἰδίας χρείας τοῦ σίτου.* Ibid. § 17 p. 1211: *Βυζάντιοι καὶ Χαλκηδόνιοι πάλιν κατάγουσι τὰ πλοῖα καὶ ἀναγκάζουσι τὸν σῖτον ἐξαιρεῖσθαι.* Haud satis apparet rectene hos locos Vandenessius p. 81 intellexerit; sed perperam Harpocration v. *κατάγειν τὰ πλοῖα· Δημοσθένης ἐν η' Φιλιππικῶν* (de Pac. § 25)· *κατάγειν τὰ πλοῖα λέγεται ἀντὶ τοῦ βιάζεσθαι καὶ κακοῦν καὶ μὴ ἐᾶν τοὺς πλέοντας ὅποι βούλονται πλεῖν, ἀλλ' εἰς τὰ οἰκεῖα χωρία τοῖς λ η ς ε ύ ο υ σ ι κατάγειν, ὡς καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λεωκράτους δηλοῖ.* Et hic quidem levis error est, sed gravius peccavit Georgius Grotus in *Historia Graeca* XI p. 504 Ed. Amer.: the Rhodians with their triremes began a cruise to seize the merchant-vessels at sea. Hence we learn, indirectly, that the Athenian naval power constituted the standing protection for the merchant vessels; insomuch that so soon as that protection was removed, armed cruisers began to prey upon them from various islands in the Aegean. Nempe Athenienses et postea Rhodii arrogabant sibi ius, quod nisi barbaro *stapulae* nomine non possum appellare.

§ 61: *ἡ πόλις τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ τῶν τυράννων κατεδουλώθη, τὸ δ' ὕςερον ὑπὸ τῶν τριάκοντα καὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων τὰ τείχη καθῃρέθη.* Postremum hoc parum apte additum est idque Vandenessius rectissime ostendit p. 34, cum praesertim continuo sequatur: *καὶ ἐκ τούτων ὅμως ἀμφοτέρων ἠλευθερώθημεν.* Nec tamen amicum meum sequar qui interpolationem odoratus est; satis est intercalare: *(ὅ τ ε) καὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων τὰ τείχη καθῃρέθη.*

§ 62. Hic planissime delirat orator. Contendit fieri nullo modo posse ut civitas renascatur, si semel eversa fuerit eamque rem comprobat exemplis Troiae et Messanae. Esto: ne Troia alite

lugubri renata sit, sed ipse docet Lycurgus Messanam *πεντακοσίοις ἔτεσιν ὕϛερον ἐκ τῶν τυχόντων ἀνθρώπων συνοικισθῆναι.* Quid est nugari et sibi ipsi contradicere nisi hoc est? Quin et ipsae Athenae, secundum § 123, aliquando *ἀνάϛατοι* fuerunt et tamen renatae sunt. Iam Hyperid. Philippid. § 8: *πολλαὶ πόλεις ἄρδην ἀναιρεθεῖσαι πάλιν ἴσχυσαν.* Deinde quod pertinet ad illos annos quingentos quibus deserta Messana iacuit, recte ostendit Vandenessius p. 92 inter urbem Iram a Lacedaemoniis captam compositumque secundum Messeniacum bellum et pugnam Leuctricam vix tria intercessisse saecula. Sed quod amicus meus diligenter exsecutus est p. 91 et 109, etiam supra Andocidem et Aeschinem Lycurgus veteris historiae incuriosus fuit. Vix melius est quod Dinarchus perhibet c. Demosth. § 73: *Μεσσήνην τετρακοσιοϛῷ ἔτει κατῴκισαν.*

§ 73. Post pugnam ad Eurymedontem factam Athenienses *ἅπασαν τὴν Ἀσίαν κακῶς ποιοῦντες περιέπλευσαν.* Etiamsi fortasse ferri debeat § 15: *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιπλέοντες,* nam sermo fit de mercatoribus qui littora legunt mediterranei maris, non tamen assequor quomodo Asia possit circumnavigari; agitur de pace Calliae quae dicitur vetitique Persae sunt *μακρῷ πλοίῳ μὴ πλεῖν ἐντὸς Κυανέων καί Φασήλιδος,* unde suspicor reponendum esse *παρέπλευσαν.*

§ 74. Leocrates est *ὃς οὔτ' ἔδεισεν οὔτ' ᾐσχύνθη ὑμᾶς.* Mihi quidem placet reponere *ἠλέησεν,* coll. § 17: *οὔτε τοὺς λιμένας τῆς πόλεως ἐλεῶν, οὔτε τὰ τείχη τῆς πατρίδος αἰσχυνόμενος,* § 39: *τίς οὐκ ἂν τὴν πόλιν ἠλέησεν;* item § 141.

§ 88: *Ὁρᾶτε· ὁμοίως ἐφίλουν τὴν πατρίδα Λεωκράτει οἱ τότε βασιλεύοντες.* Eximie emendavit Coraes: *Ἆρά γε ὁμοίως* itemque illud *ἆρά γε* Lycurgus habet § 70, 119 et 123. Nec tamen Thalhemius correctionem in textum inferre ausus est. Quam temerarius criticus illi debeo videri.

§ 88. De regibus Atheniensium ita legimus: *τοιγαροῦν μονώτατοι ἐπώνυμοι τῆς χώρας εἰσίν.* Non quaero nunc verene hoc orator tradiderit de decem tribubus earumque nominum ori-

gine, sed, etiamsi vetusta lectio est, quam itidem confirmat Schol. ad Aristoph. Pluti vs. 182, malim tamen *μόνοι οὗτοι*, cum superlativus *μονώτατος*, quantum comperi, ceteroquin apud oratores non occurrat, nisi forte ea paragrapho, quae proxime sequitur, ubi Leocrates *μονώτατος ἂν προσηκόντως ἐξορισθείη τῆς χώρας ἣν ἐγκαταλιπὼν τοῖς πολεμίοις ᾤχετο*. Orator in eandem sententiam declamat § 131: *μόνος οὗτος τῶν πάντων ἀνθρώπων καὶ τὰ τῆς φύσεως οἰκεῖα καὶ ἀναγκαῖα προδέδωκεν*. Sequitur obliviosum fuisse, qui § 53 ita dixisset: *ἀλλὰ μὲν Αὐτολύκου μὲν ὑμεῖς κατεψηφίσασθε, μείναντος μὲν αὐτοῦ ἐν τοῖς κινδύνοις, ἔχοντος δ' αἰτίαν τοὺς υἱεῖς καὶ τὴν γυναῖκα ὑπεκθέσθαι, καὶ ἐτιμωρήσασθε*. Ceterum Hermogenes apud Hyperidem improbabat superlativum *μονώτατος*, cf. apud Blassium fragmt. 239.

§ 90: *καίτοι γ' ἐπεχείρησεν εἰπεῖν, ... ὡς οὐκ ἄν ποτε ὑπέμεινε τὸν ἀγῶνα τοῦτον συνειδὼς ἑαυτῷ τοιοῦτόν τι διαπεπραγμένῳ*. Facilia haec sunt, deinde sequitur paucis quibusdam interpositis: *οὐ γὰρ τοῦ πράγματός ἐϛι σημεῖον, ὡς οὐ πεποιήκασιν, ἀλλὰ τῆς ἀναιδείας ἣν ἔχουσιν, οὐ γὰρ τοῦτο δεῖ λέγειν, ἀλλ' ὡς οὐκ ἐξέπλευσεν οὐδὲ τὴν πόλιν ἐγκατέλιπεν οὐδ' ἐν Μεγάροις κατῴκησεν*. Hic quanto elegantiores et significantiores erunt primae personae *ἐξέπλευσα, ἐγκατέλιπον, κατῴκησα*.

§ 91: *ἐπεὶ τό γ' ἐλθεῖν τοῦτον, οἶμαι θεόν τινα αὐτὸν ἐπ' αὐτὴν ἀγαγεῖν τὴν τιμωρίαν*. Longum est totam verbosam ratiocinationem describere, sed quum § 92 dii dicantur *τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγειν*, malim fere: *ἐπὶ ταύτην ἀγαγεῖν τὴν μωρίαν*, quam suspicionem si probaveris, vix remanebit causa cur cum Herwerdeno expungas verba: *ἑτέρωθι .... ὑπέχει ταύτην τὴν τιμωρίαν*. Cf. apud Ciceronem Act. Sec. in Verrem I § 6: scelerum poenis agitatur et a mente consilioque deducitur.

§ 92: In ea sententia quam modo afferebam: *οἱ γὰρ θεοὶ οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσι* Bekkerus delere voluit id quod est *ποιοῦσιν*· equidem scribere malim *προυργιαίτερον*.

§ 94. Contendit orator immortales deos *πάσας μὲν τὰς ἀνθρωπίνας πράξεις ἐπισκοπεῖν, μάλιστα δὲ τὴν περὶ τοὺς γονέας καὶ τοὺς τετελευτηκότας καὶ τὴν πρὸς αὐτοὺς εὐσέβειαν*. Hirschigius delere voluit verba *καὶ τοὺς* usque ad *αὐτούς*· fortasse satis erit rescribere: *καίπερ τετελευτηκότας*.

§ 98. Laudantur veteres: *ἐφ' οἷς γὰρ ἐκεῖνοι ποιοῦντες ἐφιλοτιμοῦντο, ταῦτα δικαίως ἂν ὑμεῖς ἀκούσαντες ἀποδέχοισθε*. Suppleverim: (*ὀρθῶς*) *ποιοῦντες*.

§ 99: *τί ποιῶν ἂν νίκην λάβοι παρὰ τῶν πολεμίων*. Immo: *κατὰ τῶν πολεμίων*.

Sequitur longum Euripidis fragmentum ex Erechtheo petitum, cuius tale est initium:

τὰς χάριτας ὅστις εὐγενῶς χαρίζεται,
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν· οἳ δὲ δρῶσι μέν
χρόνῳ δὲ δρῶσι, (δρῶσι) δυσγενέστερον.

Apud Nauckium, ad quem lectores ablego, est videre quid docti viri ad fragmenti emendationem contulerint. Mihi quidem prae ceteris displicuit adverbium *εὐγενῶς*, cui illud *δυσγενέστερον* e regione oppositum est. Ut in incerta re commendo:

τὰς χάριτας ὅστις εὐπετῶς χαρίζεται
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν· οἳ δὲ δρῶσι μέν
χρόνῳ δὲ δρῶσι, (δρῶσι) δυσπετέστερον.

Hoc est illud quod dicitur bis dare qui cito dat. Quod autem vs. 6 Dindorfius commendavit: *οὐκ ἂν τιν' ἄλλην τῆσδε βελτίω λάβοιν*, ostendisse mihi videor *Mnem.* 1881 p. 99 sqq. formas optativorum in *-οιν* esse commenticias nullaque prorsus fide dignas, cum ne unum quidem certum exemplum indicari possit, nec satis tuto inauditas formas per coniecturam in textum infercire liceat; sed nolo retractare id quod olim quantum satis erat explicavi. Denique vs. 20:

εἴπερ γὰρ ἀριθμὸν οἶδα καὶ τοὐλάσσονος
τὸ μεῖζον, ἑνὸς οἶκος οὐ πλέον σθένει
πταίσας ἁπάσης πόλεως οὐδ' ἴσον φέρει.

Thalhemius post Nauckium et Nauckius post Emperium ediderunt *οὑνὸς οἶκος*, quae crasis mihi egregie displicet; multo

certe malim cum Bekkero scribere: *οὑμὸς οἶκος*, sed longe simplicissimum erit: *ἑνὸς ὅδ' οἶκος.*

§ 104: *οἱ γοῦν ἐν Μαραθῶνι παραταξάμενοι τοῖς βαρβάροις* (*πρὸς*) *τὸν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀσίας στόλον ἐκράτησαν.* Vides quid exciderit.

§ 105. Oraculum datum fuit *τοῖς ἀνδρειοτάτοις Λακεδαιμονίοις ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις πολεμοῦσιν πρὸς Μεσσηνίους*, ut sibi ducem ad bellum ab Atheniensibus peterent. Nota historiola est, sed Graecitas laborat: scripserim adverbium *ἀνδρειότατα*, expuncto proprio Lacedaemoniorum nomine, quod Lycurgi aequales haud nimis lubenter audiebant, sicuti apparet § 128.

§ 107. Secundum Tyrtaeum longe miserrimum est videre senem qui in bello occubuit:

αἱματόεντ' αἰδοῖα φίλαις ἐν χερσὶν ἔχοντα.

Hic conferunt interpretes Homerum in Iliade Χ 74:

ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον,
αἰδῶ τ' αἰσχύνωσι κύνες κταμένοιο γέροντος,
τοῦτο δὴ οἴκτιστον πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

itemque Odyss. σ 85:

εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων,
ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέϊ χαλκῷ
μήδεά τ' ἐξερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

quae verba cum parva varietate redeunt χ 475. Verum apud Tyrtaeum de canibus prorsus nihil. Saepe haec dum legebam recordatus sum eorum quae de Davide traduntur 1 Regg. XVIII. 27: *ἐπάταξεν ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις ἑκατὸν ἄνδρας καὶ ἀνήνεγκε τὰς ἀκροβυστίας αὐτῶν*, coll. 2 Regg. III. 14. Fierine potest antiquissimis temporibus ut idem mos in Peloponneso invaluerit et caesorum hostium praeputia ducerentur in triumphum? Sed in Tyrtaei fragmento multa nimis obscura sunt.

§ 124: *οἱ πατέρες ὑμῶν πεπονθότες οἷα οὐδεὶς πώποτε τῶν Ἑλλήνων ἠξίωσε.* Postremum vocabulum Dobraeus eiicere voluit; equidem cogitaram de: *ἤλπισε* neque ea est violenta mutatio,

cum Λ et Ξ confundi soleant itemque Π et Ω. Paragrapho autem 68: *οὕτως ἐςὶν ἀνόητος .... ὥςε τὸ κάλλιςον τῶν ἔργων πρὸς τὸ αἴσχιςον συμβαλεῖν ἠξίωσε*, idem vocabulum libenter expungam.

Paulo evidentius est quod mihi videor observavisse de § 135. Orator vehementissime invehitur in eos qui causam Leocratis in iudicio tutantur: *ἀλλ' ἔμοιγε δοκοῦσι δικαίως οὐκ ἂν χάριτος τυχεῖν ἀλλ' ἀποθανεῖν, ὅτι χρῆσθαι τούτῳ τολμῶσι.* Inseram: *ὅτι (νῦν ἔτι) χρῆσθαι τούτῳ τολμῶσι*, quo facto paulo rectius additum erit: *πρὶν μὲν γὰρ τοῦτο πρᾶξαι Λεωκράτην ἄδηλον ἦν ὁποῖοί τινες ὄντες ἐτύγχανον, νῦν δὲ πᾶσι φανερὸν ὅτι τοῖς αὐτοῖς ἤθεσι χρώμενοι τὴν πρὸς τοῦτον φιλίαν διαφυλάττουσιν.* Neque nunc opus erit delere proprium Leocratis nomen, quo Vandenessius recte offendebatur.

§ 136. Leocrates patris *τὴν χαλκῆν εἰκόνα ἔκδοτον κατέλιπε [τοῖς πολεμίοις] .... ἱεροσυλῆσαι καὶ αἰκίσασθαι.* Summo opere displicent vocabula quae uncinis circumdedi. Deinde quid tandem illud est quod Leocratis pater statuam sibi posuisse dicitur *μνημεῖον τῆς αὑτοῦ μετριότητος*?

§ 138: *τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν ἀδικημάτων ἀπολογεῖσθαι τεκμήριόν ἐςιν ὅτι καὶ τῶν πεπραγμένων οἱ τοιοῦτοι ἂν μετάσχοιεν.* Quod Bekkerus corrigere voluit *ἀδικησάντων*, equidem praefero: *ἠδικηκότων*.

Nunc consideranda sunt ea quae leguntur § 139: *οὐ γὰρ εἴ τις ἱπποτετρόφηκεν ἢ κεχορήγηκε λαμπρῶς ἢ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τι δεδαπάνηκεν, ἄξιός ἐςι παρ' ὑμῶν τοιαύτης χάριτος· ἐπὶ τούτοις γὰρ αὐτὸς μόνος ςεφανοῦται, τοὺς ἄλλους οὐδὲν ὠφελῶν.* Itane? num choragi reipublicae nihil prosunt? At nisi choragi sint, ne spectacula quidem edentur. Sine choragis ubi Aeschylus *δρᾶμα ποιήσας Ἄρεως μεςόν, εἶτα διδάξας ἐπιθυμεῖν νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους, κοσμήσας ἔργον ἄριςον*? *τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν ἔςι διδάσκαλος ὅςις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δὲ ποιηταί.* Hic miror Lycurgum, qui dum causae servit, tanto cum contemtu loquatur de scenica poesi, quum idem sit ille, cui nos

trium tragicorum poetarum opera debeamus. Docuit Aristoteles Politic V. 7. 11: *βέλτιον δὲ καὶ βουλομένους κωλύειν λειτουργεῖν τὰς δαπανηρὰς μὲν μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας καὶ λαμπαδαρχίας*. At quid Lycurgus ipse? Vide modo § 100, ubi Euripidem laudat, qui putaverit *κάλλιςον ἂν γενέσθαι τοῖς πολίταις παράδειγμα τὰς πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέποντας καὶ θεωροῦντας συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὴν πατρίδα φιλεῖν*. Haec verba eum decent qui legem tulit qua cautum est ne histriones immortalia opera temere interpolarent et incrustarent; illa nescio quid illiberale et *βάναυσον* habent.

Non magis reip. prodest si quis *ἱπποτροφεῖ* egitque *περὶ τῆς ἱπποτροφίας* Xenophon Oecon. II 6, quem locum Boeckhius laudavit *Oec. Civil.* I p. 353; sed in equo alendo parva, credo, apud populum gratia neque ea res magno constabat, quum praesertim illi qui equo merebant, subsidio ex aerario sustentabantur. Amici *τοῦ ἀδυνάτου* apud Lysiam omnes equum alunt; num forte eos populus propterea admirabatur et diligebat? Suspicor fere latere verbum ex Herodoto notissimum *τεθριπποτροφεῖν*, sed de forma perfecti sitne scribendum *τεθριπποτρόφηκεν*, *τεθριπποτετρόφηκεν* an forte *τετεθριπποτρόφηκεν* nihil definio; vide enim Hyper. Lycophr. § 16. *Τετριηράρχηκα* legitur Lys. XXV. 12. Cf. Lys. XIX. 63 et de eo loco cff. Rauchensteinius et Frohbergerus.

§ 141. In causa proditionis oportebat adesse pueros et mulieres, *ὅπως .... ἐν ὀφθαλμοῖς ὄντες καὶ ὁρώμενοι καὶ ἀναμιμνήσκοντες ὅτι τοῦ κοινοῦ παρὰ πᾶσιν ἐλέου οὐκ ἠξιώθησαν, πικροτέρας τὰς γνώσεις κατὰ τοῦ ἀδικοῦντος παρασκευάζωσιν*. Hic Vandenessius rectissime non tulit participium *ὁρώμενοι*· sed quantum video, emendatio ei non successit. Reponam: *θεώμενοι*.

Quanto melius consultum fuisset famae Lycurgi, si stulta oratio periisset.

Ad Belli dei verba vs. 246:

ὦ Μέγαρα, Μέγαρ', ὡς ἐπιτετρίψεσθ' αὐτίκα

in codice V et alia sunt adscripta et haec:

„πᾶσα ἡ τοῦ πολέμου πρόφασις δι' αὐτοὺς δοκεῖ γεγονέναι χάριν τοῦ τὸ πινάκιον συνθέντος τὸ κατ' αὐτῶν εἰς τὴν Περικλέους χάριν, ὥστε μήτε γῆς μήτε λιμένων Ἀττικῶν ἐπιβαίνειν τοὺς Μεγαρεῖς".

Quae verba sine sensu sunt; neque enim post δι' αὐτοὺς neque bis deinceps collocatum tolerabile est χάριν. Pro χάριν τοῦ legendum est Χαρίνου. Propter Megarenses δοκεῖ γεγονέναι ἡ πρόφασις τοῦ πολέμου, Χαρίνου τὸ πινάκιον συνθέντος τὸ κατ' αὐτῶν, i. e.: „Χαρίνου γράψαντος ψήφισμα κατ' αὐτῶν", ut loquitur Plutarchus noto loco (Pericl. 30).

Ad versum 764, ubi poeta comicus dicitur παῦρ' ἀνιάσας πόλλ' εὐφράνας spectatores missos facere, spectat hoc scholion V:

„ὀλίγα κωμῳδήσας ἢ οὐδὲν λυπήσας. ὁμοίως τῷ· ἦ ὀλίγον οἷ παῖδα ἐοικότα γείνατο Τυδεύς".

„Absurdam comparationem!" adnotat vHerwerden. Fefellit collegam dictio brevior; λιτότητος quae dici solet exemplum hoc esse significat interpres, παῦρα enim adiectivum id quod οὐδέν valere hoc loco, quemadmodum apud Homerum Agamemnon Diomedem increpans „patri parum similem" vocet, cum „plane dissimilem" dicere velit. Quae observatio redit in scholio ad Myrrhinae verba Lys. 896 ὀλίγον μοι μέλει: „ἀντὶ τοῦ οὐδὲ ὀλίγον". Ubi acuta est Roemeri coniectura: ἀντὶ τοῦ οὐδὲ ὅλον.

Ne viro amicissimo obloquendo finem faciam, subiungam locum ubi verum vidit. Ad versum 650 adnotavit: „schol. ὅτι χθόνιος ὁ Ἑρμῆς, ὅθεν καὶ καταιβάτης παρὰ Ῥοδίοις (παρ' ἐδχοις aut simile quid Ven. 475) [καὶ Ἀθηναίοις?]". — In codicis V imagine phototypica lego „παριδίοις καὶ αθθ" (-οις et καὶ notis indicata) sive „παρὰ <Ῥο>δίοις καὶ Ἀθηναίοις", ut habet R. Venetum 475 autem e codice V descriptum esse olim vidit Cobet (anno 1842, Brieven aan Geel p. 328), dubitanter deinde perhibuit Dindorf, fidenter negavit Blaydes, fuse denique demonstravit Zacher. J. v. L. J. F.

EPIGRAPHICA.
DE INSCRIPTIONIBUS IN INSULA PROTE NUPER INVENTIS

SCRIPSIT

J. H. W. STRIJD.

Mense Aprili anni proximi cum viro cl. Anthes Darmstadiensi iter per Peloponnesum feci, quo in itinere Proten adiimus, parvam insulam, ubi inscriptiones adhuc ineditas extare v. cl. Skias Atticarum antiquitatum ephorus nos admonuerat.

Quoniam insula satis ignota est, haud abs re esse arbitror pauca de eius situ praefari, priusquam inscriptiones, quas ibi invenimus, proferam.

Prote, ut Sphacteria vicina insula, quam magnitudine paulum superat, terrae quondam motibus formata videtur. Mons est, cuius latera, excepto quod ad meridiem spectat, satis ardua e mari surgunt neque appellendi praebent facultatem. Quartum vero latus leniter acclive est; cuius in extrema parte, loco editiore, duo tresve ordines lapidum extant; turris haec sunt rudera, ut aedificii forma indicat, est enim rotunda. Ipsi illam turrim non sumus aggressi, sed γυμνασίαρχος vicini pagi Gargalianá, qui nonnullas insulae inscriptiones transcripserat totamque insulam plus semel percurrerat, sibi persuasum esse nobis dixit turrim Hellenicorum quae dicuntur temporum opus esse: lapides alium alii bene iunctos curiose elaboratos esse. Medio illo latere vallis modica, ubi ecclesiola aedificata est τῇ παναγίᾳ sacra, quo quotannis homines vicinos orae maritimae pagos incolentes (nam insula dumosa habitatoribus vacua est) peregrinationem (πανήγυριν) suscipiunt. Ut Sphacteria, cuius e parte septentrionali Prote oculis non munitis facile conspicitur, Pylo praetenditur

eiusque portum protegit, sic Prote portum pagi cui nomen Marathós sive Marathopolis a maris aestu defendit.

Pauci scriptores insulae mentionem fecerunt [1]), nec nisi exigui momenti quaedam de ea tradiderunt. Thucydides refert bello Peloponnesiaco Athenienses ibi unam noctem naves in statione habuisse: *ὡς δὲ εἶδον* (sc. Athenienses) *τήν τε ἤπειρον ὁπλιτῶν περίπλεων τήν τε νῆσον* (sc. Sphacteriam) *ἔν τε τῷ λιμένι οὔσας τὰς ναῦς καὶ οὐκ ἐκπλεούσας, ἀπορήσαντες ὅπῃ καθορμίσωνται, τότε μὲν ἐς Πρωτὴν τὴν νῆσον, ἣ οὐ πολὺ ἀπέχει ἐρῆμος οὖσα, ἔπλευσαν καὶ ηὐλίσαντο, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ ... ἀνήγοντο* [2]). Strabo haec habet: *ἔστι δὲ καὶ νησίον* [3]) *καὶ πολίχνιον ἐν αὐτῇ ὁμώνυμον Πρωτή* [4]), sed suspicor eum errasse scribentem *πολίχνιον* in insula fuisse, quae locum urbi quamvis parvae praebere vix potuit. Turris tamen rudera, quae adhuc extant, suspicionem movent castellum (*φρούριον, πύργον*) ibi quondam fuisse; qualia aliis quoque in insulis constructa erant, e. g. Minoae [5]). Sed haec aliis accuratius exploranda relinquo; meum iam est locum ubi inscriptiones extant indicare.

In occidentali insulae parte parvus sinus est, cuius lateribus meridionali et septentrionali insculpti sunt tituli; tertium latus nimis difficilem ad montis cacumen ascensum per saxa praebet. Inscriptiones illas longum tempus aerisque intemperies adeo mutilarunt ut plerasque vix potuerimus legere atque adeo ab iis, quae meridionali lateri insculptae sunt, transcribendis abstinendum nobis fuerit, quod rupes perrosa solis luce non satis tum illustrabatur. Septentrionale autem latus praeruptum est, itaque stantes in lintre delineavimus *τὰ ἀμυδρὰ γράμματα* inscriptionum quas illic invenimus. Neque rite saxis hae erant insculptae, sed auctores lapillo rupem identidem pulsando litteras evanidas formarant [6]).

---

1) Ptol. III 16; Plin. H. N. IV 19 § 12; Mela II 7 § 10; Thuc. Strab.

2) Thucyd. IV 13 § 3.

3) *Καὶ νησίον* dedi secundum Curtii emendationem; codd. *κενήριον*.

4) Strab. VIII 3 § 28.

5) Cf. Thuc. III 51 § 1: *ἐχρῶντο δὲ αὐτῇ* (sc. Minoa) *πύργον ἐνοικοδομήσαντες οἱ Μεγαρῆς φρουρίῳ*.

6) Inscriptionum ita exaratarum alia exempla praebent tituli perantiqui Thasi inventi, quos v. cl. Hiller von Gärtringen edidit C. I. Ins. mar. Aeg. III 536 sqq.

Inscriptionum maior pars nautarum vota sunt; reliquae quinque, ordine quo transcripsimus non servato, hae sunt:

1.	ΓΑΝΠΟΤΑΣ	Γαν[υ]πότας
	ΚΑΛΟΣ	καλός
	ΜΗΕΓΑΡΕΥΣ	Μhεγαρεύς
	Litt. magn. ± 0.10 mtr.	

De huiusmodi inscriptionibus cf. Arist. Ach. 144, Vesp. 99 et schol.

Nominis *Ganypotae* cum *Ganymede* conferendi unde altera pars ducta sit, fortasse dubitaverit quispiam, cum èt radix πο (πόσις, ἐπόθην e. a.) èt Sanscrit. *pat* (πόσις, πότνια, δεσπότης) eam sibi vindicare possit; prior tamen derivatio magis placet.

Scriptura Μhεγαρεὺς redit in lapide apud Roehlium I. G. A. 514[b] 12: Μhεγα[ρεῖ] et in litteris ΜΗΒ (μhε), quae porinis lapidibus compluribus incisae sunt [1]). Aliis quoque in verbis aspiratio litterae μ adiungebatur; cf. C. I. A. IV 373[208] μhεγαλο, C. I. G. S. III 3439 Μhειλ..., Roehl. I. G. A. 344 Μhείξιος, id. 505, 10, 23, 25 Μhε... (secundum Hirschfeldii transcriptionem). Excepta littera Ε, cuius forma est Boeotica, omnes litterarum formae eius alphabeti sunt, quod unum fere idemque apud Corinthios Megarenses eorumque colonias usque ad initium saeculi a. Chr. n. IV[i] viguisse tituli demonstrant. Itaque satis apparet inscriptionem IV[o] a. Chr. saec. antiquiorem esse et confero titulum quem edidit Roehl I. G. A. 510, licet non nesciam aliam inscriptionum publicarum esse rationem, aliam privatarum.

2.	ΚΛΕΤΩΝ	Κλε[ί]των
	Litt. magn. 0.10 mtr.	
3.	ΘΤΦΙΛΟϹϹЄΡΑΠΙΔΟϹ	Θυφιλος Σεράπιδος
	ϹЄΛЄΤ ΚΟΤ	Σελευ . . . κου

V. cl. Vollgraff proposuit Θύφιλος vel Θ(ο)ύφιλος: Θεόφιλος.

1) Wilhelm, Jahresb. Öst. Inst. II pag. 240 ann. 51: „Noch unveröffentlicht sind die Inschriften mehrerer mächtiger augenscheinlich einer Wasserleitung angehöriger Porosblöcke, unweit des grossen Waschplatzes nördlich von der Stadt Megara, auf denen sich in altertümlichen grossen Zeichen die Inschrift ΜΗΒ d. i. Μhε[γαρέων] wiederholt".

Equidem malim Εὔφιλος, ut altera haec sit nominis Εὐφίλης forma. Cf. Εὔτυχος et Εὐτύχης. Estne mente supplendum verbum ἐμνήσθη?

4.

<. . 0.12 mtr. . .>



Εὐκράτ(η)ς

Inter alias figuras rupi incisas hoc monogramma erat, qualia permulta codicibus nonnumquam lapidibus inscribebantur.

5.

ΛΙΞC///C	. . . . . .
Ω///ΦΙ///////N	. . . . . .
///ΛΕΞΑΝΔΡΟC	Ἀλέξανδρος
ΙΠΠΟC	Φίλ]ιππος
ΔΟC	. . . . δος

Litt. magn. 6 cmtr.

Fortasse sunt nautarum nomina.

Iam ad ceteras inscriptiones pervenimus; quae omnes nautarum vota bonae navigationis causa suscepta continent. Quod votorum genus quin late olim pervulgatum fuerit, dubitare nos non sinit nautarum hominum religiosissimorum pietas. Attamen nonnisi duobus locis eiusmodi inscriptiones antehac fuerant repertae [1]), quibus tertia iam accedit Prote insula.

Primus Cl. Stephanos, qui archaeologiae societatis graecae ephorus ante 30 fere annos totam insulam obibat, Syri in parvo sinu prope promontorium septentrionale multas inscriptiones

---

1) *Tabula votiva* cum inscriptione Halicarnassi inventa est, cf. Denham Rouse, Greek Vot. off. pag. 231: „Another (sc. sacrificial relief) from Halicarnassus ... represents three scenes carved on a marble drum (1) two seamen in a boat under full sail; (2) Poseidon on a galley, resting on an oar and holding a dolphin and a worshipper kneeling before him; (3) Asclepius, Hygieia, and the serpent, with a worshipper between". Inscriptum erat: εὔπλοιά σοι Εὐτύχη (= Εὐτύχει) Θεόδουλε· περὶ ἰδίου ψυχαρίου τῷ στόλῳ ἀνέθηκα.

invenit, quarum pleraeque Romanorum et Byzantinorum temporum sunt. Sinus ille ab incolis qui nunc sunt ob inscriptiones *τὰ Γράμματα* nominatus, nautis tempestatibus oppressis refugium erat et hodie quoque est [1]). Ex illarum numero complures nautarum votivae sunt [2]).

Alter locus est Thasus insula, ubi v. cl. J. Theod. Bent anno 1886 ruderibus antiqui templi effossis 7 huiusmodi vota excripsit [3]).

Quae inscriptiones omnes sunt aetatis Romanae, omnes prope templa inventae sunt. De Thaso iam dixi; de Syro Stephanos sic [4]): *ἐννοεῖται βεβαίως, ὅτι ἡ συχνὴ ἐν καιρῷ χειμῶνος ὑπὸ κλυδιζομένων σκαφῶν ἐπίσκεψις τοῦ ὅρμου τῶν Γραμμάτων, καὶ οἱ αὐτόθι ὁμαλοὶ καὶ πρὸς χάραξιν ἐπιγραφῶν ἐπιτήδειοι βράχοι ἦσαν ἀπαραιτήτως πρὸς τοῦτο ἀναγκαῖα· κυρία ὅμως ἀφορμὴ ἐγένετο ἱερὸν ἐθνικοῦ θεοῦ ὑπάρχον αὐτόθι κατὰ τοὺς ῥωμαϊκοὺς χρόνους, καὶ κατὰ τοὺς ὑστερωτέρους αἰῶνας χριστιανικὸς ναΐσκος, ἔνθα οἱ αὐτόθι καταφεύγοντες εὐχαρίστουν τὸ θεῖον διὰ τὴν διάσωσιν αὐτῶν ἢ ᾔτουν εὔπλοιαν ἐν τῷ μέλλοντι.* Itaque suspicio movetur Prote quoque in insula haud procul a sinu, cuius in lateribus inscriptiones reperiuntur, alicuius numinis templum quondam fuisse; quam suspicionem confirmat dei imploratio (n⁰ 6). Quid quod ecclesiola nunc ibi extat; satis autem notus est mos Graecorum, qui ad Christianam fidem transierant, quo templa deorum antiquorum sacrabant sanctis Christianis aut templis eversis ecclesias iisdem in locis extruebant [5]).

Iam quae supersunt transcribam:

6.	ЄΥΤΥΧΗΘЄΟΔΟ//////	Εὐτύχη Θεοδο[του]
	ΛЄ///ЄΔΙЄΟΘЄΟϹ	Λεβέδιε, ὁ θεὸς
	ЄΥΠΛΟΙΑΝ ϹΟΙΔΟΙ	εὔπλοιάν σοι δοί[η
	ΔΙΑΠΑΝΤΟ Ϲ	διὰ παντός

Litt. magn. 6—9 cmtr.

Vs. 1. *Εὐτύχη* i. q. *Εὔτυχες*. Cf. *'Αθ.* 1875 pag. 18 n⁰ 28: *Εὔπλοιά σοι Εὐτύχη*; Franz. El. Ep. Gr. pag. 233.

Vs. 2. *Λεβέδιος* incola urbis *Λεβέδου*.

---

1) Cf. *'Αθήναιον* 1875 pag. 10 sqq.
2) N⁰ 25—29, 59, 69. Cf. C. I. Ins. mar. Aeg. V 712.
3) Cf. Journ. Hell. Stud. VIII pag. 409 sqq. n⁰ 12—18.
4) L.l. pag. 30.
5) Cf. exempla, quae contulit Denham Rouse Gr. Vot. off. pag. 37.

7. E E

ΕΥΠΛΟΙΑΕΟΙΕΥΤΥΧΗΣ | εὔπλοιά σοι, Εὐτύχης
ΔΙΟΣΚΟΡΟΙΣΜΥΡΝΑΙΟΙ | Διόσκοροι Σμυρναῖοι

Litt. magn. 5—6 cmtra.

Vs. 2. Διόσκοροι nomen navis est, cf. n⁰ 11; navis, qua Paulus apostolus Romam profectus est, παράσημος erat Διόσκουροι Act. 28. 11.

8. ЄΥΠΛΟΙΑΤΩЄΙ | εὔπλοια (Κο)εί-
ΝΙΩΤΩΕΦЄϹΙΩ | ν(τ)ῳ τῷ Ἐφεσίῳ
ΤΩЄΡΜΗΔЄΟ | τῷ Ερμηδεο(?)

Litt. magn. 10 cmtr.

Inscriptio lineis rectis circumdata est, ut n⁰ 14, 16.

Vs. 1. Κοείντος aut Κοίντος Graeca forma nominis Quinti.

9. ЄΥΠΛΟΙ | εὔπλοι-
ΑΘЄΩΚΤΙΤ | α Θε(ο)κτί[σ-
ΤΩ///ΝΩ | τῳ . νω
ΝΙ///ΗϹΩ | νι . ησῳ

Litt. magn. 5—5½ cm.

Figura Ṫ non est ligatura sed altera Christianorum monogrammatis Ẋ forma.

10. ЄΥΠΛЄΑΤΩ | εὔπλεα τῷ

ΚΟΡΟΤιΩ | Κοροτίῳ (?)
ΜΥΤΙΛΗ | Μυτιλη-
ΝΑΙΩ | ναίῳ

Litt. magn. 6 cm.

inter primum secundumque versus delineatae sunt securis (?) et piscis. Hic in mentem revocat Christianorum symbolum.

11. ΕΥΠΛΕΑΤΟΝ | εὔπλεα το(ῖ)ς
ΔΙΟϹΚΟΡΟΙΟЄ | Διοσκόροι(ς) ἔ-
ϹΤΟΙϹΑϹϹΙΟΙϹ | σ[τω] τοῖς Ἀσσίοις
ΕΥΧΙΡΟΥ///ΑΙ | Εὐχ[ε]ίρου [κ]αὶ

Litt. magn. 5 cm.

Vs. 2. Διόσκοροι nomen navis est; cf. n⁰ 7.

„ 3. Ἄσσιος ex urbe Asso in Troade sita.

„ 4. Si recte supplevi, post καὶ nonnihil desideratur, e. g.

gubernatoris nomen. Cf. Journal of Hell. Stud. VIII, Inscript. from Thasos n⁰. 17: *εὔπλοιά σοι, Ἄρτεμι | ναυκλήρου Εὐτύχου | Μυτιληναίου πρὸ ναυκλή-|ρου Τυχικοῦ κυβερνή-|του Ἰουκούνδου.*

12.	ЄΤΠΛΟΙΑΤΩΝ///	*εὔπλοια τῷ* Ν.
	ΝΟϹЄ///ΡΑ///ΤΩΝ	*νοσε . ρα . των*
	///ΟΤΗΔЄΙΩЄΡΜ///ΔΩ	*. ουηδε(τ)ῷ Ἑρμ[ο]δώ-*
	ΡΟΤΤΩЄΤ—ΤΧΗ	*ρου τῷ Εὐτύχῃ*
	Litt. magn. 10 cm.	

13.	ΕΤΠΛΟΙΑΣΟ	*εὔπλοιά, σο[ι]*
	ΕΤΤΤΧΗ◇ΤΡΑ	*Εὐτύχῃ, [Σ]υρα-*
	///ΕΙΡΗΜΑ	*κόσιε] Εἰρηνα[ί-*
		ου]
	///Ρ///ΝΑ	
	Litt. magn. 4 cm.	

14.	ЄΤΠΛΩΙΑΛΟΗΝΑΤ///	*εὐπλώια, Ἀθηνᾶ . .*
	Ι/////////ϹϹ ΟΛΩΤΕΙΑΝ	*. . . . σ[οι Κ]ολώτει Ἀν-*
	ЄΝΚΛΗΤΟΙ//////ΤΡ///	*ε(γ)κλήτο[υ Σ]μυρν-*
	//////////////Λ////////////////////	*αίῳ]*
	Litt. magn. 5 cm.	

15.	ΕΤΠΛΕΑ	*εὔπλεα*
	ΤΩΤΨΙ/////////Η	*τῷ Ὑψι[κλ]ῇ*
	ΙΩΑΘΗΝΑΙ///	*(τ)ῷ Ἀθηναίῳ*
	///ΟΝ	*. ον*
	Litt. magn. 7—8 cm.	

16.	ΕΤΠΛΟΙΑ	*εὔπλοια*
	///ΕΟ Ε	*Θ]εο[φίλ]ε[ι]*
	Litt. magn. 8—9 cm.	

17.	ΝΑΙΙ///Ι///ΟΝΑ	. . . .
	ΣΟΙ	. . . .
	ΕΤΠΛΟΙ	*εὔπλοι[ά σοι*
	///ΠΤΧΗΕΙΡΗ	*Ε(ὐτ)ύχῃ Εἰρη . .*
	ΙΜΦΙΕ///	. . . . . .
	ΩΝΤΕ//////	. . . . . .
	Ρ//////ΜΑΤΟΙ	*Ῥ[ω]μαῖοι (?)*
	Litt. magn. 7 cm.	

Quoniam vocabulum *εὔπλοια* ceterarum inscriptionum initium est, duos antecedentes versus alius inscriptionis fragmentum esse suspicor.

18. ЄΥΠΛΟΙΑ — *εὔπλοια*

19. ////////////////// — ......
CIKEΛIAC — *Σικελίας*
Litt. magn. 8 cm.

20. ✠ ΕΥΠΟΙΑΠΛΟ////// — + *εὔπ(λ)οια* ....
//////ΛΛ Α — .... *α*
Ε///ΟΥΕΡΕ/// — ....
ЄΓ////// — ..
ΡΩ — *ρω*
///Α/// — . *α* .
ΚΥΠ — *κυπ*
Litt. magn. 10—12 cm.

21. //////ΠΛΟΙ — *εὔ]πλοι[α*
ΟΤΩ ΠΕΑ — *οτω πεα*
ΛΕΙCΙΔ — *μεισιδ*
ΛΕΟΝΤΙΟΥ — *λεοντιου*
Litt. magn. 6—7 cm.

22. Α///ΗΑΡ — *εὔπλοι]α* ....
ΣΙΑΙΣ — . *σιαις*
///////

23. Collitz III 4686: Ἐπὶ *βράχου κειμένου ἐπὶ τῆς νήσου Πρώτης καλουμένης καὶ κειμένης ἀπέναντι Μαραθοπόλεως, δήμου Πλαταμῶνος τῆς ἐπαρχείας Τριφυλίας*, Petridis, Parnassos V 905 n⁰ *γ'*.

Διόσκουροι εὔπλ[ο]ιαν.

Fragmenta parva, quattuor numero, mitto. Sed etiam inscriptionum quas transcripsi pleraeque tam lacunosae sunt, ut satis probabiliter expleri nequeant.

Restat ut de inscriptionum aetate paucis disseram. *Primam* V⁰ saeculo tribuendam esse vidimus. *Secundae* aetas accuratius

definiri non potest. Ceteras Romanorum temporum esse litterarum formae testantur.

Cuius aetatis vitia sive proprietates sunt etiam vocabulorum formae quales εὐπλώια (nº 14), Θεώκτιστος (nº 9), εὔπλεα (nº 10, 11, 15), Σέραπις (nº 3), cuius nominis antiquior forma fuit Σάραπις, voc. Εὐτύχη (nº 6, 13, 17), dat. Εὐτύχῃ (nº 12), Ὑψικλῇ (nº 15).

Quamquam non est obliviscendum rudiorum hominum haec esse conamina.

DE ABSURDISSIMO QUODAM QUOD IN CICERONIS EPISTOLIS LEGITUR VITIO.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Primam epistolarum Ciceronis ad varios paginam (I, 1, 2) obsidet vitium quo absurdius me nullum unquam videre memini, quod non dudum sublatum vehementer miror, non solum quia in promptu est certissima emendatio, sed etiam quia quisque nostrum eam tantum non oculis suis cernere potest.

Lentulus, proconsul Ciliciae et Cypri, vehementer cupit sibi negotium dari Ptolemaei in regnum restituendi, et, ut solent homines vehementer cupientes, omnia metuit, anxius est, sollicitus. Senatorum modo hunc modo illum sibi fingit inimicum. Quo amici, a quo salutem accepit ipse, timore cognito Cicero placare eum studet, meliora edocere, eximere sollicitudinem: si non evenerit, quod tantopere ille cupiat, res, non potentio-

rum inimicitias, in causa fore monet. Incipit a Pompeio: is, ait, in senatu egit:

„cum summa testificatione tuorum in se officiorum et amoris erga te sui".

Transit inde ad Marcellinum consulem huius anni.

„Marcellinum tibi iratum esse scis: is hac regia causa excepta ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit".

Non est, ut opinor, irati hominis ostendere se defensorem fore acerrimum illius qui succensere dicatur. Qui ergo *scire* potest aliquis quod *non* ita se habere constet? Qui potest Cicero ad amicum scribere *scire* illum id ipsum quod falsissimum esse ipse demonstret? Aut ego quid sit ineptire nescio aut legendum est: „Marcellinum tibi esse iratum SCRIBIS". Hanc quoque sollicitudinem Ciceroni significaverat Lentulus, respondet ille: „erras, o bone; non id in senatu suadet consul quod tu cupis, scito tamen eundem tibi esse amicissimum".

Quod autem dicebam veram lectionem etiam a nobis adspici posse, huiuscemodi est: in codice Laurentiano XLIX, 9, cuius prima pagina exhibetur in Castellanii operis tabula 34, non *scis* legitur sed *scrsis*, literulis ita exaratis ut appareat librarium operam dedisse ut *scis* in *scribis* mutaret.

AD OVID. HER. XX VS. 4.

In Epistula Acontii vs. 3 sq. sunt:

perlege! discedat sic corpore languor ab isto,
qui meus est ulla parte dolente dolor.

Hanc lectionem, quam ex magna multorum codicum varietate Dan. Heinsius consarcinavit, quantum scio editores receperunt omnes, quamquam et cruce versui 4 a Sedlmayero praefixa et virorum doctorum coniecturis ab eo memoratis satis ostenditur, permultis lectionem non probari. Una littera mutata locus in integrum restitui potest. Legendum est:

*c*ui meus est ulla parte dolente dolor,

i. e. cui si pars ulla dolet, meus dolor est. P. H. D.

DE OVIDIO POETA COMMENTATIO.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Anni sunt quatuordecim ex quo Mnemosynae inserta est disputatio quaedam mea, cui titulus *De Ovidii Metamorphosesin edendis*. Utinam alia tunc usus essem inscriptione! Nam cum ad Ovidii textum emendandum ipse aut nihil aut fere nihil afferrem novi, haud mirum exstitisse qui

Quid dignum tanto tulit hic promissor hiatu

exclamarent; cumque (et haec quidem res multo maiore me affecit afficitque dolore) tamen egregios viros quosdam, de Ovidio praeclare meritos, non acriter solum sed etiam inique, atque interdum prave, perstrinxisse viderer, in ineptissimae incurrebam crimen arrogantiae, quo vitio nullum est quod diligentius vitare studeam. Quo magis ipsorum illorum censorum agnoscenda humanitas, qui cum me ob illas, quas dixi, causas merito notarent, tamen in libello illo bonae frugis aliquid inesse libenter concederent. Quam rem cum et alii viri docti, leniores minusque irati, saepe mihi significarint, cumque discipulos meos ad Ovidium melius intelligendum nonnihil meis observationibus profecisse plus semel sim expertus, denuo de Ovidio scripturus, primum potiorem illarum partem hic repetam, sed accuratius elaboratam novisque stabilitam argumentis exemplisque, deinde in eandem sententiam de Ovidio disputare pergam, postremo de variis Metamorphoseon locis, Kornii editione, quae anno 1880 apud Weidmannos prodiit, usus proferam quaedam nova, mihi certe non inventa alibi, quae Ovidium edentibus legentibusque prodesse posse videantur. Quodsi novus hicce li-

bellus eorum alicui, qui olim gravius mihi succensuerint, allatus fuerit, hunc ego, ut post illam procellam bono omine instauretur iter nostrum, sic alloquor:

χαῖρε φίλος τοισίνδε· ἔπος δ᾽ εἴ πέρ τι βέβακται
δεινόν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

CAPUT I.

DE METAMORPHOSEON VERSIBUS PONDEROSIS.

Versuum pangendorum praeclarum esse artificem Ovidium dixerunt multi atque adeo eum imitando sunt testificati, sed nemo magis id experitur quam qui diligenter animadverterit quam eleganter hic illic versus adhibuerit ceteris ponderosiores. Quam rem qui paulo accuratius examinaverit ét quae in hoc genere singularis Ovidii laus sit noverit ét de toto Metamorphoseon opere rectius, ut ego opinor, iudicare poterit. Totam ergo rei rationem ordine hic proponam in suas partes digestam. Ponderosos autem eos dico versus qui aut a *quaternis* incipiant spondeis, aut, cum in initio ternos tantummodo spondeos habeant, tamen aliis rebus accedentibus (ut puta spondeo in quinto pede) peculiare aliquod poetae prae se ferant consilium. Ne tamen mihi moveatur controversia, separatim utrumque tractabo genus. Ponderosos autem ut versus faceret tres Ovidium moverunt causae.

Primo quidquid lente fit tardeque cum magno molimine vel molestia, quidquid stat inconcussum nec loco suo movetur hoc versuum genere egregie depingitur. Omnino in Metamorphosesin 77 leguntur versus quos eo consilio sic a poeta structos constet. Quorum 53 a quaternis spondeis incipiunt. Hos omnes hic sic enumerabo ut ipso scribendi genere a ceteris distinguam illos qui disertissime poetae consilium prodant.

I, 22 Nam caelo terras et terris abscidit undas.
24 Quae postquam evolvit caecoque exemit acervo.
119 Tum primum siccis aër fervoribus ustus.
157 Perfusam multo natarum sanguine Terram.
550 *In frondem crines in ramos bracchia crescunt.*
570 Effusus Pindo spumosis volvitur undis.
II, 264 Existunt montes et sparsas Cycladas augent.

II, 810 Quam cum spinosis ignis supponitur herbis.
III, 628 *Haesissem quamvis amens in fune retentus.*
662 *Illi admirantes remorum in verbere perstant.*
IV, 33 Intempestiva turbantes festa Minerva.
— 560 *Quo quaeque in gestu deprensa est haesit in illo.*
622 *Nunc huc, nunc illuc exemplo nubis aquosae.*
776 Id se sollerti furtim, dum traditur, astu.
V, 108 Invictus, vinci si possent caestibus enses.
139 Cervice exacta est in partesque emicat ambas.
171 *Non circumspectis exactum viribus ensem.*
340 Atque haec percussis subiungit carmina nervis.
556 Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe.
VI, 68 *Illic et lentum filis inmittitur aurum.*
365 *Huc illuc limum saltu movere maligno.*
456 Quam siquis canis ignem supponat aristis.
637 Lactentem fetum per silvas tigris opacas.
703 Excussit pennas; quarum iactatibus omnis.
VII, 140 *A se depulsum Martem convertit in ipsos.*
152 *Haec postquam sparsit Lethaei gramine suci.*
189 Ter se convertit, ter sumptis flumine crinem.
225 Othrysque Pindusque et Pindo maior Olympus.
258 *Bacchantum ritu flagrantes circuit aras.*
277 Arenti ramo iam pridem mitis olivae.
442 *Ad terram late sparsuras corpora pinus.*
VIII, 525 *Paulatim cana prunam velante favilla.*
532 Exegit poenas acto per viscera ferro.
760 Coepere ac longi pallorem ducere rami.
IX, 169 *Aut haeret membris frustra temptata revelli.*
241 Securosque artus contemptoremque petebat.
362 Crescentem truncum ramosque amplexa moratur.
388 Dum tangi possum parvumque attollite natum.
XI, 29 Hae glaebas, illae direptos arbore ramos.
238 Illic te Peleus, ut Somno vincta iacebas.
XII, 139 *Vi multa vertit terraeque adflixit Achilles.*
142 Elidunt fauces et respiramen iterque.
192 Multorum frustra votis optata procorum.
236 *Antiquus crater; quem vastum vastior ipse.*
256 Cumque atro mixtos spumantem sanguine dentes.

XII, 357 *Annosam pinum magno molimine temptat.*
453 *Ad mentum lingua mentoque ad guttura fixo.*
XIII, 347 Gestasset laeva taurorum tergora septem.
— 611 Ter clangor; quarto seducunt castra volatu.
XIV, 398 Nequiquam Pico nullaque in parte reperto.
— 427 Fessam et iam longa ponentem corpora ripa.
— 819 Innixusque hastae, pressos temone cruento.
XV, 339 Quae nunc immotae perstant ventisque resistunt.

Eodem referendi sunt hi 24, a ternis incipientes spondeis nonnumquam alia re accedente quae pondus augeat, atque etiam unus et alter tres deinceps habens spondeos in medio.

I, 282 Et defrenato volvuntur in aequora cursu.
— 294 Et ducit remos illic ubi prius ararat.
— 329 Et caelo terras ostendit et aethera terris.
II, 7 Terrarumque orbem caelumque quod imminet orbi.
— 351 Avellit frondes; haec stipite crura teneri.
— 732 Quae quamquam iusta est, cura tamen adiuvat illam.
— 792 Exuritque herbas et summa cacumina carpit.
III, 15 *Incustoditam lente videt ire iuvencam.*
— 21 *Ad caelum frontem mugitibus impulit auras.*
— 89 Cedendo arcebat nec longius ire sinebat.
— 441 *Ad circumstantes tendens sua bracchia silvas.*
V, 183 Mittere in hoc haesit signum de marmore gestu.
— 545 In rostrum et plumas et grandia lumina vertit.
VI, 69 Et vetus in tela deducitur argumentum.
— 334 Orbem interdixit quam vix erratica Delos.
— 335 Illic incumbens cum Palladis arbore palmae.
— 555 Ille indignantem et nomen patris usque vocantem.
— 668 Pendebant pennis quarum petit altera silvas.
VII, 581 Hic illic ubi mors deprenderat exhalantes.
VIII, 585 A silvis silvas et ab arvis arva revulsi.
— 694 *Nituntur longo vestigia ponere clivo.*
XI, 733 *Stringebat summas ales miserabilis undas.*
XII, 83 Sed quamquam certa nullus fuit error in hasta.
— 472 Extentum cursu missa latus eruit hasta.

Ex hoc ergo genere 77 sunt versus, quos „descriptivos" haud inepte appellaveris.

Alterum genus eorum est, ubi aliquis lente atque cum stupore vel admiratione circumspectans inducitur fingiturve. Eorum a quaternis spondeis 16 incipiunt.

II, 533 Tam nuper pictis caeso pavonibus Argo.
III, 345 Infantem, nymphis iam tunc qui posset amari.
— 461 Et quantum motu formosi suspicor oris.
IV, 211 Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit.
— 323 Et frater felix et fortunata profecto.
— 638 *Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.*
V, 81 Exstantem signis multaeque in pondere massae.
— 189 Argento partim, partim caelaverat auro.
VI, 17 *Nec factas solum vestes spectare iuvabat.*
— 129 *Non illud Pallas, non illud carpere Livor.*
— 394 Et Nymphae flerunt et quisquis montibus illis.
— 581 *Evolvit vestes saevi matrona tyranni.*
VIII, 29 Laudabat virgo iunctam cum viribus artem.
XI, 394 *Ascendunt illuc stratosque in litore tauros.*
— 724 *Admotum terrae iam quod cognoscere posset.*
XV, 563 Et iam non telum, sed lenti viminis arbor.

Quibus iure nostro hosce 8 addimus:

II, 178 Ut vero summo despexit ab aethere terras.
— 859 Quod tam formosus quod proelia nulla minatur.
III, 421 *Et dignos Baccho dignos et Apolline crines.*
IV, 313 Nunc perlucenti circumdata corpus amictu.
— 325 Sed longe cunctis longeque beatior illa.
— 715 Praebentem Phoebo liventia terga draconem.
V, 265 *Silvarum lucos circumspicit antiquarum.*
VI, 104 *Europam: verum taurum freta vera putares.*

Hos ego versus, qui 24 sunt numero, *contemplativos* appello.

Tertium genus est eorum versuum qui loquendi gravitatem, loquentis animum afflictum, iram, indignationem, arrogantiam sono suo imitantur. Eorum a quaternis spondeis 43 incipiunt.

I, 663 Aeternum nostros luctus extendit in aevum.
II, 518 *Est vero cur quis Iunonem laedere nolit.*
— 525 *Cur non et pulsa ducit Iunone meoque.*
— 527 *At vos si laesae tangit contemptus alumnae.*
— 568 Quamvis irata est, non hoc irata negabit.

II,	591	An quae per totam res est notissima Lesbon.
—	605	Indevitato traiecit pectora telo.
—	745	Nec fingam causas; tu tantum fida sorori.
III,	436	*Tecum discedet, si tu discedere possis.*
—	718	*Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.*
IV,	62	Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
—	698	Quam clausam implevit fecundo Iuppiter auro.
V,	91	Expertem frustra belli et neutra arma secutum.
—	94	Quem fecisti hostem pensaque hoc vulnere vulnus.
—	550	Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.
VI,	195	*Maior sum quam cui possit Fortuna nocere.*
—	200	*Latonae turbam, quae quantum distat ab orba.*
—	333	Orbem interdixit, quam vix erratica Delos.
—	369	*„Aeternum stagno" dixit „vivatis in illo".*
—	533	*Intendens palmas „o diris barbare factis."*
—	570	*Et luget non sic lugendae fata sororis.*
VII,	197	*Auraeque et venti montesque amnesque lacusque.*
VIII,	31	Sic Phoebum sumptis iurabat stare sagittis.
—	118	Terrarum nobis ut Crete sola pateret.
—	293	Et frustra exspectant promissas horrea messes.
—	486	*An felix Oeneus nato victore feretur.*
IX,	23	Nam quo te iactas, Alcmene nate, creatum.
—	539	Et crebri amplexus, et quae, si forte notasti.
—	593	Non exploratis implevi lintea velis.
—	636	Tum vero maestam tota Miletida mente.
—	682	Tam qui mandabat quam cui mandata dabantur.
—	726	Hoc ipsum flammas, ardetque in virgine virgo.
X,	5	Nec laetos vultus nec felix attulit omen.
—	365	Non intellectam vocem conlaudat et „esto".
XI,	42	*Auditum saxis intellectumque ferarum.*
—	266	Felix et nato, felix et coniuge Peleus.
—	299	Illius virtus reges gentesque subegit.
—	343	Virtutem antiquam, maiores corpore vires.
XII,	241	*Certatimque omnes uno ore „arma, arma" lo-*
XIII,	97	*Atque Aiax armis, non Aiaci arma petuntur.* [*quuntur.*
—	665	Non hic Aeneas, non, qui defenderet Andron.
—	806	Non tantum cervo claris latratibus acto.
XV,	39	O cui ius caeli bis sex fecere labores.

Quibus addere non dubito 9 hosce:

II, 423 „Hoc certe furtum coniunx mea nesciet" inquit.
III, 68 Aut ultor vestrae fidissima pectora mortis.
— 517 Quam felix esses, si tu quoque luminis huius.
IV, 158 At tu quae ramis arbor miserabile corpus.
— 416 Tum vero totis Bacchi memorabile nomen.
V, 617 Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
VI, 254 At non intonsum supplex Damasichthona vultus.
— 547 Implebo silvas et conscia saxa movebo.
VII, 50 Servatrix urbes matrum celebrabere turba.

Ex hoc ergo genere 52 sunt versus, quos „rhetoricos" mihi dicere posse videor.

Age iam eorum quae hucusque enumeravimus summam faciamus. Quamquam enim fieri potuit ut unum alterumque versum omitterem, tamen ea sum in toto hoc negotio usus diligentia ut tabulis meis tamquam fundamento demonstrationem quandam imponere non verear. Nam si quis forte aliquem versum, quem ego ad „descriptivos" retuli, „contemplativis" vel „rhetoricis" vult adnumerare, aut „rhetoricis" exemptum inter „contemplativos" ponere, aut quocunque tandem modo versus a me citatos transponere, minime recuso: tria enim genera illa, quamquam inter se discrepant, tamen simul sunt cognata. Et, quod gravissimum, ad nostram rationem nihil interest cui generi hic ille versus adnumeretur.

Habemus 77 + 24 + 52 i. e. 153 versus „ponderosos" qui cur sic a poeta sint conformati liquido apparet.

Opponimus his ex toto Metamorphoseon opere 29 versus „ponderosos" qui imprudenti poetae excidisse videntur, quia sensus eorum nihil habet quod gravitati illi respondeat. Sunt hi:

II, 742 Et causam adventus, cui sic respondit Atlantis.
III, 145 Et sol ex aequo meta distabat utraque.
— 313 Furtim illum primis Ino matertera cunis.
VII, 233 Nondum mutato vulgatum corpore Glauci.
VIII, 305 Et velox Idas et iam non femina Caeneus.
IX, 115 Nam clavam et curvos trans ripam miserat arcus.
— 436 Nec nostrum seri curvarent Aeacon anni.

X, 12 Deflevit vates, ne non temptaret et umbras.
— 736 Qualem, quae lento celant sub cortice granum.
XI, 761 Quamvis est illum proles enixa Dymantis.
XIV, 92 Cercopum exosus gentisque admissa dolosae.
— 99 Verborum et natae dira in periuria linguae.
— 114 Fulgentem ramum silva Iunonis Avernae.
— 146 Ter centum messes, ter centum musta videre.
— 151 Vel non cognoscet, vel dilexisse negabit.
— 509 Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis.
— 638 Fecere et pinu praecincti cornua Panes.
— 769 Evicit nubes nullaque obstante reluxit.
XV, 68 Et rerum causas et quid natura docebat.
— 78 Sunt herbae dulces, sunt quae mitescere flamma.
— 319 Cui non audita est obscenae Salmacis undae.
— 390 Mutari credant humanas angue medullas.
— 455 Immutat formas tellusque et quidquid in illa.
— 475 Nec formidatis cervos inludite pennis.
— 484 Adsuetam bello pacis traduxit ad artes.
— 618 *Quantum depresso subiectis bobus aratro*
— 619 *Complecti posses ad finem lucis ab ortu.*
— 676 Evinctus vitta crines albente sacerdos.

Hunc quoque versum, licet a tribus incipiat spondeis, huc referendum censeo:

XV, 328 Undarum sparsas Symplegadas elisarum.

Hoc ergo primum apparet raros esse in Metamorphosesin „ponderosos" versus. Nam cum totum opus e duodecim fere milibus versuum constat, ex illo genere non plus 182 praebet, idque ita ut saepe longissimo intervallo inveniatur nullus. Iam id ipsum suspicionem movet eos a poeta certo consilio esse positos atque ut legentium animos certo aliquo afficeret sensu, eamque suspicionem confirmare conati sumus demonstrando illorum versuum alios „descriptivos", alios „contemplativos", alios denique „rhetoricos" iure dici posse. Quodsi quis nihili se facere clamet normam quae 153 exemplis defendatur, 29 exemplis refellatur, omnino verissimum illud esse concedo, sed nostram rationem minime ea observatione convelli mihi persuasissimum est. Inspiciat modo aliquis ultimam tabulam

nostram. Quid videbit? Nempe 29 illarum „exceptionum" 19 legi in libris XIV et XV, qui 1730 versus continent, reliquas decem in libris I—XIII, qui versuum habent non minus decem milia.

Iam haec tabula

Libri I—XIII	versus habent sine causa „ponderosos"	10
„ XIV et XV	„ „ „ „ „	19

aliquid docet quod non sine aliqua cognoscamus admiratione.

Sed maiorem etiam persuadendi vim altera haec habere videtur:

In libris I—XIII	versus	„cum causa ponderosi"	leguntur	147
„ „ „ „	„	„sine causa ponderosi"	„	10
„ „ XIV et XV	„	„cum causa ponderosi"	„	6
„ „ „ „	„	„sine causa ponderosi"	„	19

Confidenter ergo his nisus tabulis hanc pronuntio sententiam: Versus a quaternis incipientes spondeis, quique a ternis incipientes simile pondus habent, si non in sententia eorum inest aliquid quod eiusmodi ornamenta postulet, *imprudenti* poetae excidisse censendi sunt.

Statimque alteram hanc, satis, ut opinor, iam stabilitam adiungo:

Ad versuum „ponderosorum" ornamentum quod attinet, in libris Metamorphoseon XIV et XV multo negligentius est versatus Ovidius quam in ceteris omnibus.

CAPUT II.

DE CAESURA ΚΑΤΑ ΤΕΤΑΡΤΟΝ ΤΡΟΧΑΙΟΝ APUD POETAS LATINOS.

Hanc nostram de Ovidii in Metamorphoseon libris XIV et XV conscribendis negligentia observationem in praesentia seponamus: mox ea ad aliam rem illustrandam utemur. Sed nunc, quoniam semel in re metrica versamur, paulisper etiam in ea moremur.

Quaestionem quandam instituam saepius iam antea agitatam, hoc vero tempore a clarissimo quodam viro doctissime sed simul, sic certe mihi stat sententia, perversissime tractatam.

Disquisitionibus enim suis utitur ad demonstrandum aliquid quo nihil unquam falsius vidi. Ipsum virum non nominabo: odi enim lites et bella literaria; quid sibi invenisse visus ille sit in fine capitis huius paucis dicam verbis, meis, ut opinor, refutatum iam explosumque argumentis. Agam enim de hexametrorum latinorum caesura *κατὰ τέταρτον τροχαῖον.*

Ab Homero illam caesuram sedulo vitatam primus Godofredus Hermannus (Orph. p. 692) vidit et post eum saepius viri docti pronuntiarunt, hac vero aetate Leeuwenius noster totam rem tam docte acute diligenter est perscrutatus ut vix quemquam superesse opiner qui quin, sicubi etiam in Iliade vel Odyssea inveniatur, emendatione sit tollenda dubitet. Latini vero poetae quid? Fieri potest ut Ovidium Virgilium alios legens tam longo intervallo nullam eiusmodi caesuram invenias ut credere incipias ad Latinos quoque poetas Hermanni pertinere legem. Sic, ut hoc exemplo utar, quod mihi semper magni est visum momenti, in pulcherrima illa Ovidii de morte Tibulli elegia (Am. III, 9), quae 34 est distichorum, nusquam caesura in quarto pede trochaica deprehenditur. At in eiusdem Amorum libri elegia I, quae 35 habet disticha, non minus 4 versus sic incisos legimus:

11 Venit et ingenti violenta / Tragoedia passu.
29 Nunc habeam per te Romana / Tragoedia nomen.
35 Quid gravibus verbis, animosa / Tragoedia dixit.
67 Exiguum vati concede / Tragoedia tempus.

Hac ego inter duas eiusdem libri elegias discrepantia motus totam rem paulo accuratius explorare decrevi. Atque excerpsi e primo libro Metamorphoseon versus hosce:

12 Nec circumfuso pendebat / in aëre tellus.
23 Et liquidum spisso secrevit / ab aëre caelum.
31 Ultima possedit solidumque / coercuit orbem.
36 Tunc freta diffudit rapidisque / tumescere ventis.
55 Iussit et humanas motura / tonitrua mentes.
76 Sanctius his animal mentisque / capacius altae.
91 Poena metusque aberant nec verba / minacia fixo.
107 Ver erat aeternum, placidique / tepentibus auris.
125 Tertia post illam successit / aënea proles.
141 Iamque nocens ferrum ferroque / nocentius aurum.

144 Vivitur ex rapto; non hospes / ab hospite tutus.
169 Lactea nomen habet, candore / notabilis ipso.
186 Corpore et ex una pendebat / origine bellum.
203 Humanum genus est totusque / perhorruit orbis.
208 Iuppiter hoc iterum sermone / silentia rupit.
219 Ingredior traherent cum sera / crepuscula noctem.
232 Territus ipse fugit, nactusque / silentia noctis.
234 Colligit os rabiem, solitaeque / cupidine caedis.
252 Dissimilem populo promittit / origine mira.
269 Fit fragor; hinc densi funduntur / ab aethere nimbi.
282 Et defrenato volvuntur / in aequora cursu.
288 Si qua domus mansit potuitque / resistere tanto.
310 Pulsabantque novi montana / cacumina fluctus.
317 Nomine Parnasus, superantque / cacumina nubes.
324 Iuppiter ut liquidis stagnare / paludibus orbem.
329 Et caelo terras ostendit / et aethera terris.
330 Nec maris ira manet; positoque / tricuspide telo.
337 Bucina, quae medio concepit / ubi aëra ponto.
338 Litora voce replet sub utroque / iacentia Phoebo.
341 Omnibus audita est telluris / et aequoris undis.
342 *Et quibus est undis audita, / coërcuit omnes* [1]).
346 Perque diem longam nudata / cacumine silvae.
349 Et desolatas agere alta / silentia terras.
353 Deinde torus iunxit, nunc ipsa / pericula iungunt.
374 Pallebant musco, stabantque / sine ignibus arae.
382 Et velate caput cinctasque / resolvite vestes.
384 Obstipuere diu; rumpitque / silentia voce.
401 *Ponere duritiem coepere / suumque rigorem.*
406 Non exacta satis rudibusque / simillima signis.
415 Et documenta damus, qua simus / origine nati.
435 Solibus aetheriis altoque / recanduit aestu.
442 Ante nisi in dammis capreisque / fugacibus usus.
450 Nondum laurus erat, longoque / decentia crine.
453 Fors ignara dedit sed saeva / Cupidinis ira.

---

1) Tam ingratus auditu hic versus est (cum praesertim praecedat versus eodem modo incisus) ut, nisi frequentia caesurarum κ. τ. τ., quam hoc libro observamus, obstaret, fere suspicarer *de industria* eum sic a poeta structum ut fluctus *subito* inhibitos *depingeret*.

473 Laesit Apollineas traiecta / per ossa medullas.
522 Dicor et herbarum subiecta / potentia nobis.
562 Ante fores stabis mediamque / tuebere quercum.
567 Est nemus Haemoniae praerupta / quod undique claudit.
575 Undis iura dabat nymphisque / colentibus undas.
582 Inachus unus abest imoque / reconditus antro.
583 Fletibus auget aquas natamque / miserrimus Io.
588 Flumine et o virgo Iove digna, / tuoque beatum.
597 Consitaque arboribus Lyrcaea / reliquerat arva.
608 Constitit in terris nebulasque / recedere iussit.
641 Naides ignorant: ignorat / et Inachus ipse.
645 Illa manus lambit patriisque / dat oscula palmis.
667 Nec superum rector mala tanta / Phoronidos ultra.
700 Et precibus spretis fugisse / per avia nympham.
751 Nec sibi cedentem Phoeboque / parente superbum.
753 Credis et es tumidus genitoris / imagine falsi.
754 Erubuit Phaethon iramque / pudore repressit.
771 Se mihi, sitque oculis lux ista / novissima nostris.
777 Aethiopasque suos positosque / sub ignibus Indos.

Cum ergo totus liber e 777 versibus constet, eorum 63 caesuram in quarto pede trochaicam habent, i. e. duodeni unam. Omisi enim undecim versus in quibus illa facile excusari atque defendi possit:

3 Aspirate meis primaque ab / origine mundi.
50 Nix tegit alta duas, totidem inter / utramque locavit.
160 In faciem vertisse hominum sed / et illa propago.
213 Et deus humana lustro sub / imagine terras.
214 Longa mora est, quantum noxae sit / ubique repertum.
254 Sed timuit ne forte sacer tot / ab ignibus aether.
322 Non illo melior quisquam nec / amantior aequi.
471 Quod fugat obtusum est et habet sub / harundine plumbum.
517 Iuppiter est genitor per me quod / eritque fuitque.
669 Pleias enixa est, letoque / det, imperat Argum.
707 Dumque ibi suspirat, motos in / harundine vento.

Immo ne inest quidem in illis caesura nostra: nam neque voculae *ab, inter, sed, sub, sit, tot, nec, sub, quod, in* a sequentibus divelli possunt, neque *det* (vs. 669) a praecedentibus.

Contra inclinatis diductisque imprimendos curavi literis eos

versus quos vix aequo animo ferre possint homines in Homero non plane hospites.

Nam auditu ingratos et fere dixerim vitiosos esse hexametros omnes post quartum trochaeum incisos quis neget? De latinis hexametris negat unus omnium maxime idoneus iudex Lucianus Müllerus, atque sic disputat:

„Graecorum hexametrorum pars maior principalem habet caesuram post *tertium* trochaeum, si ergo accedit caesura post quartum trochaeum, languidissimus existit versus et vix ferendus. Atque haec praesertim causa fuit cur poetae Graeci tam anxie caesuram *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* vitarent; contra Latini hexametri, qui post tertium trochaeum principalem caesuram habent, sat rari sunt, plerique in tertio pede post syllabam longam inciduntur (caesura mascula), ergo Latinis poetis eadem formido non fuit."

Quae minime absurda esse quivis concedet. Quanto enim ingratior ad aures accedit versus qualis hic est:

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα / γυναῖκα / γαμέσσεται αὐτός

quam

πολλὰ δ' ἄρ' ἔνθα καὶ ἔνθ' / ἴθυσε / μάχη πεδίοιο.

At non prorsus Mülleri argumento Latini poetae defenduntur, pars culpae remanet. Versus enim quales sunt:

Et quibus est undis / audita, / coërcuit omnes

vel

Ponere duritiem / coepere / suumque rigorem

elumbes sunt et habebuntur, quamdiu Graecos habebimus hexametros ad quorum elegantiam eos examinemus.

Cum ergo Ovidium vidissem in primum Metamorphoseon librum tam frequenter illud admittentem vitium, alibine cautius egisset sum perscrutatus, atque primum cum primo libro contuli locum, quo nullum fortasse accuratius elaboravit ille: Armorum Iudicium. Ibi versuum 398 hosce inveni post quartum incisos trochaeum:

23 Moenia qui forti Troiana / sub Hercule cepit.
25 Aeacus huic pater est, qui iura / silentibus illic.
32 Sisyphio furtisque et fraude / simillimus illi.
36 Arma neganda mihi potiorque / videbitur ille.
42 Obtulimus quia nos ad prima / pericula simus.

66 Vulnere tardus equi fessusque / senilibus annis.
110 Nec clipeus, vasti caelatus / imagine mundi.
154 Aut si proximitas primusque / requiritur heres.
174 Et Tenedon Chrysenque et Cyllan / Apollinis urbes.
216 Ecce Iovis monitu deceptus / imagine somni,
253 Cuius equos pretium pro nocte / poposcerat hostis.
254 Arma negate mihi, fueritque / benignior Aiax.
276 Se putat oblitus regisque / ducumque meique.
316 Ut se subtraheret bellique / viaeque labori [1]).
325 Stabit, et auxilium promittet / Achaia Troiae.
357 Nec minus Idomeneus patriaque / creatus eadem.

Omisi hic, tamquam facile ferendum, vs. 147:

Altera nobilitas, deus est in / utroque parente.

et tamquam non sic ab Ovidio scriptum:

333 Te tamen adgrediar, mecumque / reducere nitar.

Ergo in Armorum Iudicio 398 versus 16 caesuras post quartum trochaeum, i. e. viceni quini unam, habent. Minime caret vitio isto hic locus, quin etiam semel duos deinceps exhibet versus eo laborantes (253, 254), videri tamen potest, quod ad hanc rem attinet, paulo diligentius compositus quam primus liber.

Addo etiam quaedam de Ovidii *Amoribus*. Habent illi 1200 fere hexametros, quorum 67 post quartum trochaeum incisi sunt. Interdum tam longo spatio nulla eiusmodi caesura invenitur, ut credas sedulo eam ab Amorum poeta vitatam. Vide quae de tertii libri elegia nona diximus. Consideratis vero iis, quae de eiusdem libri elegia prima observavimus (de versibus qualis est: Venit et ingenti violenta / Tragoedia passu), non maiore, quod quidem ad caesuras post quartum trochaeum attinet, laude totum Amorum opus ornare possumus quam hoc ut dicamus inter librum primum Metamorphoseon et Armorum Iudicium quodammodo medium illud tenere locum.

Age iam omittamus Ovidium et Virgilium ei opponamus. Elegi autem ex Aeneide, quem ad hanc spectarem lucem, librum IV, tamquam praestantissimum omnium, atque ex eo enotavi versus:

1) Eiusmodi versus videri fortasse possunt non peccare in Graecorum hexametrorum legem; v. v. Leeuwen Ench. p. 20 infra. Sed his demptis non mutatur ratiocinatio nostra.

58 Legiferae Cereri Phoeboque / patrique Lyaeo.
59 Iunoni ante omnes, cui vincla / iugalia curae.
71 Pastor agens telis liquitque / volatile telum.
84 Aut gremio Ascanium genitoris / imagine capta.
101 Ardet amans Dido traxitque / per ossa furorem.
117 Venatum Aeneas unaque / miserrima Dido.
119 Extulerit Titan radiisque / retexerit orbem.
123 Diffugient comites et nocte / tegentur opaca.
158 Spumantemque dari pecora inter / inertia votis.
194 Regnorum immemores turpique / cupidine captos.
200 Centum aras posuit vigilemque / sacraverat ignem.
218 Quippe tuis ferimus famamque / fovemus inanem.
261 Constitit, atque illi stellatus / iaspide fulva.
281 Ardet abire fuga dulcisque / relinquere terras.
335 Promeritam, nec me meminisse / pigebit Elissae.
346 Italiam Lyciae iussere / capessere sortes.
437 Talibus orabat, talisque / miserima fletus.
485 Quae dabat et sacros servabat / in arbore ramos.
521 Curae numen habet iustumque / memorque precatur.
559 Et crines flavos et membra / decora iuventa.
561 Nec quae te circum stent deinde / pericula cernis.
626 Qui face Dardanios ferroque / sequare colonos.
636 Et pecudes secum et monstrata / piacula ducat.
650 Incubuitque toro dixitque / novissima verba.
651 Dulces exuviae dum fata / deusque sinebat.
695 Quae luctantem animam nexosque / resolveret artus.

Nam praetereundos videbam hosce, specie magis quam revera post quartum trochaeum incisos:

41 Et Numidae infreni cingunt et / inhospita Syrtis.
52 Dum pelago desaevit hiemps et / aquosus Orion.
132 Massylique ruunt equites et / odora canum vis.
458 Coniugis antiqui, miro quod / honore colebat.

Hic ergo versus, hoc crimine notandi, sunt inter 27 singuli. Et sunt quidem inter eos bis bini deinceps positi (58 sq. 650 sq.), sed semel inter duos versus caesura ista laborantes (346 et 436) *nonaginta* intercedunt versus omni labe puri (tres fere paginae Teubnerianae). Igitur vel Armorum Iudicio Ovidiano hoc nomine quartus Aeneidos liber praestat.

Age iam cum pulcherrimis his praestantissimorum poetarum locis exercitationem comparemus adolescentuli, qui sat quidem bene Ovidium suum teneat et imitari didicerit, sed nunquam eo pervenerit ut suis stet pedibus et proferat aliquid quod legentem gravius commoveat detineatque; ita omnia apud eum sunt languida frigidaque; improbus labor poetam, quidquid in pectore habuit ardoris vigorisque — si quidquam habuit — uti eo vetuit. Consolationem ad Liviam dico, sive Epicedium Drusi. Est elegia 237 distichorum. Eius hi sunt hexametri post quartum trochaeum incisi:

5 Nec tua se pietas distendit / amore duorum.
33 Obvia progrediar felixque / per oppida dicar.
37 *Gaudia vana foves: spem pone, / miserrima, falsam.*
61 *Ille vigil, summa sacer ipse / locatus in arce.*
71 Ecce parum ante dati: iactura / novissima Drusus.
93 Lumina caerulea iam iamque / natantia morte.
95 At miseranda parens suprema / neque oscula legit.
149 Nec quom victorem referetur / adesse Neronem.
151 Ultima contigimus: ius matris / habemus ab uno.
153 Me miseram! extimui frigusque / per ossa cucurrit.
173 Funera ducuntur Romana / per oppida Drusi.
199 Obvia turba ruit lacrimisque / rigantibus ora.
205 Auctorisque sui praefertur/ imagine maesta.
207 *Certat onus lecti generosa / subire iuventus.*
221 Ipse pater flavis Tiberinus / adhorruit undis.
231 Sed Mavors templo vicinus / et accola campi.
239 Quondam ego tentavi Clothoque / duasque sorores.
267 *Pars erit historiae totoque / legetur in aevo.*
305 Tu concessus amor, tu solus / et ultimus illi.
315 *Frigidus ille tibi corpusque / refertur inane.*
325 Et modo per somnos agitaris / imagine falsa.
333 *Regalique habitu curruque / superbus eburno.*
349 *En posuit te alte Fortuna / locumque tueri.*
397 Praevertitque metus per longa / pericula luctum.
431 *Et longaeva parens: tamen ille / redemptus ad ignes.*

Noveni hexametri unam habent caesuram κατὰ τέταρτον τροχαῖον, et mirum quam saepe alia res accedit, quae versus sic

incisos etiam ingratiores reddat: unus et alter eorum ferri vix potest (e. c. 61, 349). Ergo hoc nomine Epicedio praestat etiam Metamorphoseon liber primus, propter istarum caesurarum frequentiam minime laudandus (12 : 1).

Ultra investigare, colligere, numerare nolui neque utile putavi. Sat multa iam proposui e quibus de tota re iudicium efficere possimus.

Poetas latinos omnino ignoravisse legem de vitanda post quartum trochaeum caesura dicere non audeo; obstat enim quod Lucianus Muellerus p. 192 docet: vitatam eam de industria ét a Lygdamo ét a poeta qui Lygdamum aetate multum antecedit: Catullum dico in epyllio suo. Et omnino parce cauteque ea usus esse videtur Catullus.

Ergone cum viro illo docto, cuius in initio huius capitis mentionem feci, statuamus a cultioribus poetis omnino vitatam caesuram istam, sed hic illic tamen irrepsisse eam, quoniam poeta aut Ennii locum aliquem legentibus in memoriam revocare vellet aut ipsi (imprudenti nimirum et invito) versus aliquis Ennianus (satis intempestive!) in mentem veniret? Excogitari posse nihil quod falsius sit vel tabulae a me propositae documento sunt: nullus enim ibi versus legitur, qui coloris Enniani levissimam habeat umbram. Atque omnino opinionem illam de Ennio redivivo proponens haud facile dictu est utrum vir doctus noster infelicior fuerit an pertinacior. Nam cum ex uno Aeneidis libro argumenta sua colligeret, ne hac quidem re se a proposito suo abduci passus est, quod *proxime praecedentis* libri *ultimus* esset versus:

Nudus in ignota Palinure / iacebis / harena

qui neque quidquam habet, quod etiam apud Ennium fuisse credibile sit, et hexametri Graeci leges aperte violat. Sed pertinacia viri docti magis incusanda videtur, qui, ut quam plurima legis suae afferre posset exempla, et alia suo statuerit arbitrio, et si cui verbo particula enclitica *que* adhaereret, non post sed *ante* illam versum incidi iusserit.

Immo sic rem se habere mihi est persuasissimum, et quo magis hanc quaestionem mecum reputo eo fit certius magis:

Poetae Latini legem de vitanda caesura κατὰ τέταρτον τροχαῖον non ignorarunt, sed nosse se eam dissimularunt. At quo quisque

est tersior elegantiorque, quoque in suo argumento pertractando felicius versatur, eo magis, imprudens invitusque, legi paret. Cum vero αὐτὸς ἑαυτοῦ est *δεινότατος longos locos tanta pangit arte ut ne severissimae quidem et Homeri plenissimae aures quidquam habeant quod reprehendant.*

Hoc verum esse, hoc ipsi rei naturae convenire, optime sciunt sentiuntque illi qui omnino ad huiuscemodi quaestiones dirimendas maxime sunt idonei, eos dico qui ipsi versibus Latinis pangendis sedulo dant operam. E quorum artificio exemplum afferre lubet quod rem, in qua versamur, egregie illustrare videtur. Quis poetarum noviciorum semper anxie dat operam ut hexameter exeat in vocem binarum ternarumve syllabarum? Quis eorum versum improbet qualis hic est:

Ne vero Bavium, tam fortem, tam sapientem?

Et tamen, qui in hoc negotio non rudis est, rarissime eiusmodi hexametros in carmina sua admittit.

Tota ergo investigatio nostra eo ducit ut penitus sentiamus hexametrum illum e Graecia petitum bonis poetis Latinis „consuetudine in naturam vertisse."

CAPUT III.

DE METAMORPHOSEON ULTIMAE PARTIS ENUNTIATIONE.

Primo capite virtutem quandam Ovidii, in ceteris Metamorphoseon libris conspicuam, praedicavimus, at e libris XIV et XV huic contraria protulimus vitia. Nunc videamus possimusne et ex alio genere afferre argumenta ad demonstrandum ultimam magni operis partem praecedentibus minus esse limatam cultamque.

Omnino Ovidius limpida simplicique utitur enuntiatione, in Metamorphosesin vero sermo eius tam perspicuus facilisque est ut etiam pueri non nimis tardi sine ulla molestia eos certe locos, qui nominibus mythologicis geographicisque carent, perlegere possint et sponte memoria teneant. Non nego quidem hic illic structuram deprehendi paulo contortiorem; sed versus quales hi sunt (ex initio libri IX):

Quae gemitus truncaeque deo Neptunius heros
Causa rogat frontis

rari sunt in Metamorphosesin, neque ullos ibi memini me his intricatiores legere, et sunt tamen vel hi eiusmodi ut iudici paulo leniori bilem movere non possint. „In Metamorphosesin" cum dico, libros XIV et XV cum libri XIII versibus 400—fin. excipio. Nam haec pars versibus obscuris, contortis, omni denique genere vitiorum laborantibus, abundat et sunt in illis nonnulli, quos, etiam cum primis illis libri IX versibus comparatos, ineptos insulsosque dicere non dubites.

Age iam aut omnes aut certe eos qui maxime insignes sunt hic proponamus; sic optime elucebit quantum sibi eam partem scribens permiserit Ovidius, quantum sibi licere sit arbitratus. Legentium commodo consulens versibus, qui ipsi per se intelligi non facile possint, enarrationem quam brevissimam addam locorum e quibus sumpti sunt.

XIII, 450 (Polyxena laudatur tamquam):

Fortis et infelix et plus quam femina virgo.

Quid sibi velit poeta utcunque intelligimus: „virgo illa fortiorem quam pro femina se praestitit." Sed mire loquitur.

466 sq. (Eadem Polyxena sacrificii ministros orat):

Ite procul, si iusta peto, tactuque viriles
Virgineo removete manus.

Proeliantur hic inter se vocabula, non ordine disponuntur. Dicendum fere erat: „viriles manus corpore virgineo removete" vel „nolite virilibus manibus virgineum corpus tangere". Nam quis unquam verba quae sunt *tactus virgineus* sic adhibita vidit ut iis *τὸ virginem tangere* significaretur?

552 (Hecuba insidias struit Polymestori),

Colloquiumque petit: nam se monstrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.

Subobscurum et vix ferendae duritiae est istud *relictum latens aurum*.

600 sqq. (Aurora a Iove petit ut Memnonem mortuum insigni aliquo afficiat honore et sic suum dolorem leniat):

Iuppiter adnuerat. Cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus nigrique volumina fumi

Infecere diem, veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec sol admittitur infra.

Comparatio ista plane supervacua est: narraturus enim est poeta quomodo favilla, quae de Memnonis rogo surgit, in avem sit conversa. Certe parum est diserta neque ullum huic loco affert decus: omnis enim fumus hoc habet ut similis sit cuivis nebulae. Et omni caret sensu vox q. e. *natas*. Totum istud *veluti* ... *infra* scin quo modo natum sit? Eodem modo quo tam multi versus apud Horatium: versum inchoaverat poeta, supplendus ille erat, supplementum denuo novum versum peperit (Vide: de Horatio Poeta p. 33 sqq.).

720 (Aeneas eiusque comites):

Proxima Phaeacum felicibus obsita pomis
Rura petunt. Epiros ab his regnataque vati
Buthrotos Phrygio simulataque Troia tenetur.

Epiros ab his tenetur: quis non putet verborum illorum hunc sensum esse: „a Phaeacibus tenetur, i. e. habitatur Epirus." Quod tamen poetam noluisse res ipsa clamat: plane enim istud a veritate abhorret, neque, si poeta tam impudenter mentiri voluisset ut Phaeacas incolas diceret Epiri, quidquam profecisset: nihil enim aliud hic spectabat quam ut sibi transitum pararet ad sequentia. Ergo dubium non est quin isto *Epiros ab his tenetur* hoc significetur: „post hos (Phaeacas) naves Aeneae appelluntur ad Epirum." Quid aliud est suo ipsum sermoni vim facere nisi hoc est?

750 De Acide formosissimo adolescentulo, cuius amore quondam arserit, sic incipit narrare Galatea:

Acis erat, Fauno nymphaque Symaethide cretus,
Magna quidem patrisque sui matrisque voluptas,
Nostra tamen maior. Nam me sibi iunxerat uni.

Hactenus omnia optime procedunt, et sunt luce clariora. Sed videamus quid addat nympha ad amatorem suum laudandum:

Pulcher et octonis iterum natalibus actis
Signarat teneras molli lanugine malas.

Parum abfuit quin horum versuum alterum delendum esse declararem, sed repressi me, intelligens illo expuncto priorem pendere et tantum non sensu carere. Restat ergo ut ipse Acis suas malas lanugine signasse dicatur, quod tum demum sermonis

Latini naturae convenienter dictum erit, si rem quam maxime fingemus ridiculam: barbulam falsam agglutinasse malis suis puerum.

797 Multis aliis versibus Galateae formam laudans inducitur Cyclops et hisce:

Lucidior glacie, matura dulcior uva,
Mollior et cygni plumis et lacte coacto.

Hinc de eiusdem Galateae crudelitate queri sic incipit:

Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis,

sed questibus suis praemittit etiam aliquid quod inter laudem et vituperationem quodammodo medium teneat:

Et, si non fugias, riguo formosior horto,

quod ineptissimum esse nemo negabit. Nisi enim nostro arbitrio vocabula Latina trahere atque torquere volumus, hoc dicit Cyclops: „etiam cum horto florente te comparare vellem, sed non possum, quia ille suo loco remanet, tu curris." Quod tam absurdum ut mirum non sit Hugoni Magno natam suspicionem hunc versum includendum esse. Verum, si licet a Magno in quaestione aliqua Ovidiana dissentire, sic molestia non tollitur sed alio transfertur. Sumendum enim erit fuisse aliquem, quisquis fuerit ille, qui talem versum scribere posset idque eo sensu, quem quam maxime ridiculum esse modo vidimus, quique sine ulla probabili causa eum versum hic inseruerit. Contra si Ovidio ipsi hunc versum relinquimus, hoc voluisse Cyclopem clamantem inducere Ovidius erit censendus: „vellem pluribus te laudare teque cum horto fertili comparare, sed eheu! fugis neque me audis" et in ea re enuntianda admodum fuisse infelix, quod, si porro ultimam Metamorphoseon partem accuratius examinaverimus, minime nobis iam videbitur incredibile. Accedit quod ille a laude ad vituperationem transitus, permanente eadem vocabulorum dispositione, ita ut semper nova sententia ab aliquo comparativo incipiat (candidior, floridior, splendidior, levior, nobilior, lucidior, mollior ... saevior, durior e. q. s.) nescio quid ab Ovidii arte alienum habet. Verisimilius videtur Ovidium inter versus

Mollior et cygni plumis et lacte coacto

et:

Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis

interiecisse unum cuius primum esset vocabulum coniunctio aliqua (*at* vel *et*), quod fit, si nihil delemus.

834—7 Cyclopis dona promittentis Galateae verba sunt:

Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis
Villosae catulos in summis montibus ursae,
Inveni et dixi: „dominae servabimus ista."

Inveni — *inveni*, quorsum ista anaphora? Nihil in his versibus inest quod illa apte illustretur.

898 Illa omnia de insano Cyclopis amore, quem ineptissimum in modum ille ostenderat, deque Acide rivali feliciore ab illo crudeliter necato, Galatea narravit Scyllae, quae procos fugiens ab illa fuerat hospitio recepta. Tum sic poeta pergit:

Desierat Galatea loqui, coetuque soluto
Discedunt placidisque natant Nereides undis.
Scylla redit.

Si tantummodo sermonis Latini rationem habeas, verba „Scylla redit" significare dicas: „*ad Galateam* redit Scylla, quae aut apud illam habitabat sed aliquantisper afuerat aut paulo ante semel saepiusve ad eam venerat." Conferatur, ut ex ingenti exemplorum copia unum afferam, quod verbi illius usum praeclare illustret, II, 697 sq.:

Simulat Iove natus abire,
Mox redit.

Sed sic totam perturbes narrationem. Nam ex illa lucide apparet hoc voluisse poetam: „Scylla relictis nymphis, ad quas perfugerat, domum suam repetit" sed sic illud enuntiat ut tantum non vitiosus nascatur sermo. Et praeterea ubi illa Scyllae domus fuerit narrare omisit.

924 sq. In piscem quomodo sit conversus narraturus sic incipit Glaucus:

Sunt viridi prato confinia litora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis.

Sic Kornius edidit. In codice M est:

Altera pars fundit, pars altera fungitur herbis.

Quin *fundit* recte sit correctum in *undis* dubitari nequit. Pro *fungitur* quidquid legeris, sive cum Kornio *cingitur*, sive cum

Merkelio *funditur* (quod quam sit absurdum quivis sentit), habebis aliquid quod prave sit enuntiatum.

Sequitur:

Quas neque cornigerae morsu laesere iuvencae,
Nec placidae carpsistis oves.

Omnino saepe anastrophae figura abutitur Ovidius, sed nusquam ineptius quam hic, ne illo quidem loco quem merito damnant omnes, qui quid poetam deceat quid non paulo accuratius examinant I, 438:

Illa (Terra) quidem nollet, sed te quoque, maxime
Tum genuit. [Python,

957 sqq. Narrationem suam sic claudit Glaucus:

Hactenus haec memini, nec mens mea cetera sensit.
Quae postquam rediit, alium me corpore toto
Ac fueram nuper, neque eundem mente recepi.

Repetitio ista: *mens* ... *mente* aut mali est poetae aut nimium festinantis.

XIV, 8. Inde manu magna Tyrrhena per aequora vectus.

De duce aliquo hic agi putes, qui magna classe in terram hostilem expeditionem faciat. At sermo est ... de Glauco natante!

Versibus 15 et 21 duo leguntur ἅπαξ λεγόμενα in Metamorphosesin, eaque minime venusta: *cognitius* et *expugnacior*.

36 Auxilium petenti Glauco suum ipsa amorem fatetur Circe eumque his verbis obsecrat:

En ego, cum dea sim, nitidi cum filia solis,
Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim,
Ut tua sim voveo. Spernentem (sc. Scyllam) sperne,
Redde vices, *unoque duas ulciscere facto*. [sequenti

Ultimis vocabulis quid sibi velit poeta non facile dicas.

56 Prae Scylla spreta Circe poenas ab ea sumere statuit, et gurgitem, in quo se ardente sole reficere illa solebat

Inquinat, hic fusos latices radice nocenti
Spargit.

E verbis citatis equidem certe poetae mentem non extraho.

64 In illum ergo gurgitem, a Circe infectum herbis magicis, Scylla descendit, accrescere sibi sentit canum capita

Et corpus quaerens femorum crurumque pedumque.

Quis, obsecro, unquam sic est locutus?

127 Sibyllae Aeneas ab inferis rediens oratione ardentissima gratias agit, additque:

Pro quibus aërias meritis evectus ad auras
Templa tibi statuam.

Quanto sit istud contortius obscuriusque vel illo, quem in initio capitis citavimus, loco:

Quae gemitus truncaeque deo Neptunius heros
Causa rogat frontis

dicere vix opus.

158 Caietam venit Aeneas:

Hic quoque substiterat post taedia longa laborum
Neritius Macareus.

„Et ubi praeterea substiterat ille?" quivis roget. Frustra, nam poeta non *locos* aliquos inter se opponit sed Macareo Aeneam. Non ad adverbium q. e. *hic* sed ad nomen proprium *Macareus* coniunctio *quoque* pertinet.

166 Ibi Macareo obviam venit Achaemenides:

Iam suus et spinis conserto tegmine nullis.

Ergone plane laxa pendebat vestis eius? Hoc e verbis allatis efficias, sed poeta legentes docet nunc veste indutum fuisse Achaemenidem bene culti hominis, non horrida illa, quam antea spinis solebat conserere.

215 Legitur hic, vel potius quin legenda sit non dubium est, infinitivi forma barbara *moriri*:

mortemque timens cupidusque moriri.

In codice M cum sensus pernicie est *morique*. Sequendum hic esse Kornium *moriri* edentem mihi quidem pro certo constat.

219 In insula aliqua barbara relictus qui navem conspicit, ut ego opinor et ipsa fert rei natura, quoad longissime potest in litus procurrit et inde gestibus ut recipiatur orat. At apud poetam nostrum, satis absurde, inverso ista fiunt ordine:

Oravique fugam gestu ad litusque cucurri.

235 Ad Antiphatem Macareus narrat, ego missus sum:

numero comitante duorum.

Quis unquam sic locutus est pro *cum duobus comitibus*? Ille, opinor, qui unice fuit sollicitus ut quam primum expleret versum.

244 sq. Macareus de suis Ulyssisque erroribus et alia narrat et haec:

terris adlabimur illis,
Quas procul hinc cernis. Procul [hinc, mihi crede, videnda
Insula, visa mihi: tuque] o iustissime Troum
Nate dea (neque enim finito Marte vocandus
Hostis es Aenea) moneo, fuge litora Circes.

Vocabula *hinc* ... *tuque* inclusit Kornius. Sic haud dubie multo melior fit locus, sed corrigitur ipse Ovidius, non librarius sciolusve. Habet hoc festinatio ut saepe scribentem iusto faciat verbosiorem. Meminimus etiam egregium in hac urbe oratorem, qui in ore habere soleret: „prae temporis angustiis brevis esse non potui."

287 sqq. „Unus Eurylochus" sic porro narrat Macareus „pocula a Circe data non sumsit."

Quae nisi vitasset, pecoris pars una manerem
Nunc quoque saetigeri, nec tantae cladis ab illo
Certior ad Circen ultor venisset Ulixes.

Certior pro *certior factus* vix est sincerae Latinitatis. Properanti Ovidio metrum illud expressit.

360 Pici amore Circe capitur, at ille fugit. Iurat Circe mox illum suis artibus captum iri.

Dixit et effigiem, nullo cum corpore, falsi
Finxit apri, praeterque oculos transcurrere regis
Iussit et in densum trabibus nemus ire videri.

Falsus, haud dubie, aper est qui currere iubetur; sed non satis idonea haec causa est cur istud *videri* adiiciatur. Species, quamvis falsa, *revera* tamen eum qui decipitur praetervolat transcurritque. Multo ergo rectius multoque elegantius hic poeta simplici *eundi* esset usus verbo. Sed novimus quam commodae fuerint poetis scriptoribusque clausulae *esse videri*, *ire videri* simm. praesertim iis qui quam primum ad finem pervenire gestirent.

427 Maritum suum Picum, in avem conversum, usquequaque Canens uxor quaerit:

Ultimus aspexit Thybris luctuque viaque
Fessam et iam longa ponentem corpora ripa.

Versum explet vox q. e. *longa*, sententiam pessumdat.

428 sqq. Continuo sequitur:

Illic cum lacrimis ipso modulata dolore
Verba sono tenui maerens fundebat.

Ipsos Ovidii aequales se ex hoc vocabulorum labyrintho vix extricasse opinor.

579 Ex urbis Ardeae, ab hostibus incensae, favilla evolat avis, quae sic describitur:

Et sonus et macies et pallor et omnia, captam
Quae deceant urbem, nomen quoque mansit in illa
Urbis.

Omnia hic risum movent, qui minime „deceat" rem gravem tristemque, sed prae ceteris *macies* illa.

609 sq. Inde sub Ascanii dicione binominis Alba
Resque Latina fuit.

Verissimum illud est Ascanio alterum fuisse nomen Iulum. Sed quid attinebat huius rei hic mentionem iniicere? Versus sic expletur, sententia languidior fit quam oportebat.

Sed nusquam luculentius dat documentum poeta noster se cetera omnia parum curasse, dummodo quam primum novus esset effectus versus, quam vss. 613 sq.:

Post hunc Capetysque Capysque,
Sed Capys ante fuit.

Hercule sic versus Latinos sexcentos quotidie componere cuiusvis est [1]).

633 Pomona omnibus modis arbores suas curat colitque:

Nec sentire sitim patitur bibulaeque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.

Deam pomorum illo irrigandi labore eodem functam modo suspicor quo hodiernos omnium gentium hortulanos, non fluvios rivosque ad arbores duxisse, qua tamen de re cogitare nos cogit participium *labentibus*, cum insigni sententiae detrimento insertum. Cff. praecedentia:

---

1) Dixerit aliquis semper et ubique illud habere Ovidium ut ludat lasciviatque in argumento suo, et esse hoc illud quod in eo iam aequales observaverint et leniter riserint. Concedo: ne in ultima quidem Metamorphoseon parte quidquam fecit Ovidius quod naturae eius repugnaret. Sed quantum distat ineptum istud *post hunc* ... *ante fuit* a lepidissimo in Arte versu (II, 71):

Monte minor collis, campis erat altior aequis

quem exempli causa ex ingenti affero copia.

Qua (falce) modo luxuriem premit et spatiantia passim
Bracchia compescit, fisso modo cortice lignum
Inserit et sucos alieno praestat alumno,

quae omnia deae cum mortalibus sunt communia.

Continuo sequitur:

Hic amor, hoc studium: Veneris quoque nulla cupido est.
Vim tamen agrestum metuens pomaria claudit
Intus et accessus prohibet refugitque viriles.

Metrum fulciunt coniunctiones *quoque* et *tamen*, sed illa misere languet, haec sententiae decursum perturbat; nihil enim habet quo referatur. Transponere eas inter se, sineret modo versus, praestaret.

711 sqq. Iphis Anaxaretae amore captus precibus donisque eam adit:

Saevior illa freto surgente cadentibus Haedis,
Durior et ferro quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quod adhuc vivum radice tenetur,
Spernit.

Tres insumuntur versus ad rem decantatam poetis, puellae dilectae duritiem, describendam. Quanto praestitisset una hic uti imagine! Taedium movet legentibus ista verborum ubertas.

741 sq. Supplicibus precibus frustra absumtis ante crudelis virginis fores se suspendit Iphis. Qua re cognita

exclamant famuli frustraque levatum
(Nam pater occiderat) referunt ad limina matris.

Tota ista parenthesis putidae videri posset diligentiae, nisi ad versum explendum insertam constaret. Et quid, obsecro, sibi istud *frustra* vult? Alio quoque vitio laborat totus hic locus. Addendum aliquid erat ad demonstrandum qui fieri potuerit ut *inscia* Anaxarete tolleretur corpus auferreturque: illa enim, praetereunte aedes suas funere, quid gestum sit cognoscit:

753 Vixque bene impositum lecto prospexerat Iphim e. q. s.

Nisi tam multa ipsius poetae vitia his deprehenderentur libris, pro *frustra* legendum suspicarer *furtim*.

772 sqq.

Proximus Ausonias iniusti miles Amuli
Rexit opes. Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit.

Ita hic disposita, vel potius permixta, sunt vocabula ut, nisi aliunde cognita esset fabula, ademptum potius Numitori quam redditum a nepotibus regnum suspicarere.

785 sq. Cum Tarpeia hostes intromitteret

Sola Venus portae cecidisse repagula sensit
Et clausura fuit, nisi quod rescindere nunquam
Dis licet acta deum.

Totum istud *nisi ... deum* versum explet, nihil ultra. Et revera in proxime sequentibus illud ipsum dea faciens inducitur quod hic nefas esse dicitur.

799 sqq. Quae (sc. arma) postquam Romulus ultro
Obtulit, et *strata est tellus Romana Sabinis*
Corporibus strata estque suis.

Nihil isto flosculo, qui duos implet versus, dicitur quam hoc: „postquam aliquamdiu pugnatum est."

824 sqq. Nusquam vidi imaginem invenustiorem hacce, qua corpus Romuli in deum conversi comparatur cum glande Balearica, quae in nubium regione liquescit:

Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues; sic lata plumbea funda
Missa solet medio glans intabescere caelo.

Turpe nescioquid et vile habet *intabescendi* verbum, planeque est indignum quo significetur corpus aliquod naturam divinam induere.

830 sqq. In caelum sublatus ubi est Romulus, Iuno
Irin ad Hersiliam descendere limite curvo
Imperat et vacuae sua sic mandata referre:
„O et de Latia, o et de gente Sabina
Praecipuum, matrona, decus, dignissima tanti
Ante fuisse viri, coniunx nunc esse Quirini,
Siste tuos fletus."

Minime pulchrum illud est quod ipsam allocutionem, qua Iridi ad Hersiliam utendum est, ei subiicit Iuno. Quanto elegantius foret ipsique naturae conveniret magis, si dearum maxima famulae suae tantummodo imperaret quid esset nuntiandum, at haec deinde, muliere illa primaria conspecta, praemitteret verba admirationem suam testantia.

849 Ipsa quoque Hersilia dea facta in caelum evolat:

Hanc manibus notis Romanae conditor urbis
Excipit et priscum pariter cum corpore nomen
Mutat Horamque vocat.

Illud *notis* quid sibi velit intelligimus, sed sentimus simul quam sit languidum, miramurque cur poeta non hic quoque *cupidis* scripserit, ut XI, 63 cupidisque amplectitur ulnis. Cetera ita sunt composita ut vix aliud quidquam inde efficere possis quam hoc: *a Romulo* conversum esse Hersiliae corpus, quod neque voluit poeta et est absurdissimum.

XV, 7 Numa Pompilius regio nomine et munere non contentus

quae sit rerum natura requirit.
Huius amor curae, patria Curibusque relictis,
Fecit ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.

Novi substantivum quod est *cura* saepe poni ad quemvis mentis laborem, e. c. docti hominis disquisitionem, artificis studium, alia ex hoc genere significanda, neque tamen unquam mihi eripietur ingratam esse locutionem *huius amor curae.* Et cetera huius sententiae temere deiecta videntur potius quam apte eleganterque disposita. Ipsa enim sermonis Latini indoles flagitare videtur ut ablativus absolutus *patria Curibusque relictis* ponatur inter coniunctionem *ut* et coniunctivum *penetraret.*

12 Neque est aptior dispositio in iis quae paulo post leguntur:

Dives ab Oceano, bobus Iove natus Hiberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur.

Aut in hisce:

20 Myscelus, illius dis acceptissimus aevi.

Non enim poeta dicit, quod absurdissimum, Myscelum acceptissimum fuisse diis, qui tunc essent, sed omnium hominum, qui tunc essent, fuisse diis acceptissimum. Sed quis sic latine loquitur scribitve?

30 Ut dicat „dies praeterierat unus et nox una" poeta duobus utitur versibus:

Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol
Et caput extulerat densissima sidereum Nox.

Satis, hercule, verbose. Plane abundat adiectivum q. e. *densus*

et tantum non inepte in superlativo ponitur. In uno enim *sidereum,* quod idem est atque *densum sideribus* insunt omnia. Neque quidquam inest in illa *temporis* significatione, quod graves illas terminationes *sol, nox,* deinceps positas requirat.

34 Myscelus semel iterumque in somno ab Hercule iussus patriam relinquere

Pertimuit patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas.

Satis inusitate hic *simul* eo ponitur sensu quem *iam* habere solet.

56 Invenit Myscelus post aliquos errores fluvium Aesarem, ubi urbem condere iussus est:

Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus, iussaque ibi moenia terra
Condidit et nomen tumulati traxit in urbem.

Verbo *trahendi* vim facit poeta: *trahere* enim *nomen* recte dicitur homo vel locus, qui nomen *accipit.* Cf. IV, 291: „nomen quoque traxit ab illis". Eodem modo aliquis „qui in novum est mutatus corpus" dicitur: colorem, formam, squamas, plumas simm. *trahere.*

167 Docet Pythagoras:

Errat et illinc
Huc venit, hinc illuc et quoslibet occupat artus
Spiritus eque feris humana in corpora transit
Inque feras noster.

Vocabulum q. e. *noster* eo loco est positum ut tota horum versuum sententia admodum fiat obscura.

525 sq. Egeriae sic de exitu suo narrat Hippolytus:

Excutior curru, lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi nervosque in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partimque reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum fessamque *videres*
Exhalari animam, nullasque in corpore partes
Noscere quas posses: unumque erat omnia vulnus.

Figura, quae „zeugma" dicitur, novimus omnes quam sit frequens et quantum sibi in ea adhibenda largiantur poetae, sed nemo usquam illius causa tam vehementer contortum vidit loquendi usum quam hic, ubi primum, solita vocabulorum significatione, *viscera trahi, nervos teneri, membra rapi* *v i d e r e*

iubemur, sed deinde etiam *sonum dari* et *animam exhalari*, postremo iterum quotidiana sua vi redit videndi verbum in his: „nullasque in corpore partes noscere quas posses".

620 Cipus, cum frontem suam cornibus munitam vidisset, consulto haruspice se regem fore, si urbem intrarit, cognoscit; sponte ergo vir patriae amantissimus rem senatui aperit et ut in exsilium pellatur petit. At aliter visum patribus: extra urbem ei honoris causa agrum dant:

Cornuaque aeratis miram referentia formam
Postibus insculpunt, longum mansura per aevum.

Ipsum Cipi caput, opinor, *miram formam referebat*, de solis cornibus, iisque non veris sed simulatis, absurde illud dicitur.

652 Senatus Epidaurius dubitat tradatne petentibus Romanorum legatis Aesculapium an neget:

Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi.

Omnia in altero versu mire et insolite sunt enuntiata, illud vero *telluris orbi* vix ferendum videtur.

653 sqq. Sic pergitur:

Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum, sed qualis in aede
Esse solet e. q. s.

Nusquam ineptiorem vidi τῆς ἀποστροφῆς abusum quam hic, ubi poeta vocativo *Romane* alloquitur nescioquem e legatis illum, cuius ne nomen quidem novimus. At multo tamen etiam durius hoc quod coniunctione *sed* usus poeta veram Aesculapii formam iam hic opponit serpenti, sub quo latere solet ille ... cum tamen *in sequentibus demum* de serpente illo cognoscunt aliquid legentes.

663 Dormienti ergo legato adstat Aesculapius eumque quid sit agendum edocet, quo facto

Extemplo cum voce deus, cum voce deoque
Somnus abit.

Pueriliter ludentis est sic vocibus inanibus versum explere.

699 Deus idem in Italiam vehendus navi imponitur,

modicisque per aequor
Ionium zephyris sexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit.

Hic haud dubie a poeta, sermonis usum parum curante, omissum est participium *vectus* (modicis zephyris per aequor Ionium vectus) quod non minus durum est quam *certior* (XIV, 290) pro *certior factus* positum.

740 Insula Tiberis sic describitur:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
Insula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit aequales media tellure lacertos.

Quid sibi isto *laterum a parte duorum* vellet ipsum poetam ignorasse arbitror.

792 Instante Iulii Caesaris caede et alia fiunt portenta et

Tristia mille locis Stygius dedit omina [1]) bubo,
Mille locis lacrimavit ebur cantusque feruntur
Auditi sanctis et verba minantia lucis.

Ipse consilio suo obstitit poeta, cum versus explendi causa istud *feruntur* poneret, nam nunc videri certe legentibus potest de veritate portentorum illorum *dubitare ipse*. Quod, ut opinor, a proposito eius quam maxime est alienum.

817 sqq. Venerem, ob caedem Iulii Caesaris afflictam, sic consolatur Iupiter ut ei narret quae in Parcarum libris olim legerit ipse:

Hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
Tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis.
Ut deus accedat caelo templisque colatur,
Tu facies natusque suus: qui nominis heres
Impositum feret unus onus caesique parentis
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.

Ultima vix possunt intelligi, tanto sunt inter se spatio dirempta *ultor* et genitivus inde pendens *caesi parentis*.

823 Pharsalia sentiet illum (sc. Octavianum)
Emathiaque iterum madefient caede Philippi.

Mirum in modum hic Pharsalus et Philippi inter se confunduntur, et vocabula *Emathia caede* in nescioquos errores inducunt legentem.

829 De futuro Augusti imperio et alia declamat Iupiter et haec:

---

1) Quod in editione Korniana hic *omnia* legitur errore opificis factum coniicio.

Quid tibi barbariam, *gentes ab utroque iacentes*
Oceano numerem?

Vocabula notata quo sensu dicta sint equidem non perspicio.

832 Idem ille Augustus, vaticinante Iove:

Pace data terris animum ad civilia vertet
Iura suum.

Quanto praestaret totum illud *suum* omittere quam hic ponere! Sed metro habilis illa vox est, cetera poeta non curat.

834 sqq. Sic pergitur:

Legesque feret iustissimus auctor
Exemploque suo mores reget *inque futuri*
Temporis aetatem venturorumque nepotum
Prospiciens prolem sancta de coniuge natam
Ferre simul nomenque suum curasque [1]) iubebit.

Verbis notatis versus farciuntur, non ornantur neque ponderis quidquam nanciscuntur. Zeugma vero illud: *ferre nomen curasque* durius etiam est illo quod vss. 525 sqq. notavimus.

845 sq. Venus

Caesaris eripuit membris neque in aëra solvi
Passa recentem animam caelestibus intulit astris.

Ita disposita sunt vocabula ut mollissimi nascantur versus sed sententia impeditissima.

Metri causa poetas Latinos interdum aptam sententiae dispositionem neglexisse nusquam apparet clarius quam A.A. I, 399 sq.:

Tempora qui solis operosa colentibus arva,
Fallitur, et nautis adspicienda putat.

Minime tamen hoc exemplo infirmatur nostra nonnullorum in Metamorphosesin versuum reprehensio. Poetae elegiaco omnibus modis ludere conceditur, poetam *narrantem* simplicem *perspicuumque* esse iure nostro postulamus. Et sunt in libris XIV et XV (1730 versibus) non minus *decem* loci, ubi mirum in modum vocabula inter se confunduntur, suntque illi eiusmodi ut nihil eos deceat magis quam quotidiana loquendi scribendique ratio: XIV, 127, 158, 219, 428, 772; XV, 7, 12, 20, 820, 845. Contra toto Artis opere „hyperbatum" illud, quod citavimus, stat solum.

1) In Korniana editione typothetae, ut opinor, errore hic *carasque* legitur.

858 „Ne Iovi quidem cedit Augustus" poeta declamat „immo superat eum". Tum sic pergit:

Iuppiter arces
Temperat aetherias et mundi regna triformis
Terra sub Augusto.

Quid, obsecro, hic adiectivum q. e. *triformis* significat, quid omnino potest significare ut apte inter se opponantur *mundus triformis* et *terra*, quae ab Augusto regitur?

Habemus igitur in ultima parte Metamorphoseon, quae tota est 2300 fere versuum, non minus 64 vitia admodum gravia. Non tantus hic est numerus ut incredibilis videri, sed multo maior quam ut bono poetae ignosci possit.

CAPUT IV.

DE METAMORPHOSEON INVENTIONE ET DISPOSITIONE.

Severum profecto adversus Ovidium proximo capite egi censorem, nunc ad laudes eius redeo. In quibus multo versor lubentius, quasque in clara ponere luce multo est facilius. Quidquid autem in Metamorphosesin laudas, tota longi operis dispositio vel maximo est digna praeconio. Qua effectum est ut liber ille, omnes inde a mundo creato usque ad Augusti mortem corporum mutationes complexus, neque in immensum excresceret, et, cum tamen vel sic satis amplus evaserit, non solum sine taedio perlegi possit sed etiam tantum non ab initio usque ad finem dulcedine sua legentem detineat. Qua arte quibusque artificiis eo Ovidius pervenerit, licet antea iam dixerim, iterum, sed paulo accuratius, mox exponam. At nunc, ne adversarios mihi excitem, clamantes temere me Ovidium laudibus ornare, qui non antea sedulo investigarim quid apud auctores suos invenerit Ovidius, quid excogitarit ipse, illa autem res cum ad certum eventum neque perducta sit neque fortasse unquam perduci possit, indignum esse viro docto negotium pulchros e Metamorphosesin locos colligere atque disponere, tamquam

si pro certo constaret ab ipso eos compositos Ovidio non (id quod de nonnullis pro certo sciamus) aliunde sumptos — primum de Ovidii in Metamorphosesin fontibus disputabo quaedam. Sic optime apparebit illud adversariorum argumentum adversus meam disputationem multo minus valere quam primo aspectu videatur. Nam primo aspectu illud esse gravissimum minime nego.

Fuit ergo versatissimus in *poesi tragica* Ovidius. Quam rem olim uno alteroque afferendo loco iam indicavit Ribbeckius in pulcherrimo libro de Romana tragoedia, nuper vero Ehwaldus accuratissime doctissimeque illustravit egregio illo ad XIVam Heroida commentario [1]). Et quis omnino de hac re dubitare possit cum sibi quae de Ovidii Medea sunt tradita in mentem revocet? Quis non *spectare* sibi Procnen Philomelamque, quis non nuntium tragicum de morte Meleagri avunculorum *narrantem audire* videtur?

Utque erat impatiens irae, Sigeia torvo
Litora respexit classemque in litore vultu,
Intendensque manus e. q. s.

Talem, ut opinor, Aiacem spectantibus exhibuerat Pacuvius in *Armorum Iudicio*. Et quod de Ulysse sic narrat Ovidius:

Laertius heros
Astitit atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres exspectatoque resolvit
Ora sono

non Homerica illa

'στάσκεν ὑπαὶ δὲ 'ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας

et: ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει

vertere videtur, sed potius redire in memoriam fabulae sibi spectatae, cuius poeta Ulyssem suum ad versus illos Homericos accommodaverit.

Ad Medeam vero quod attinet, nonne haec (Heroid. XII, 181 sq.) legentes:

Dum ferrum flammaeque aderunt sucusque veneni,
Hostis Medeae nullus inultus erit

eandem illam agnoscimus quam apud Euripidem audivimus minantem:

1) R. Ehwald. Exegetischer Kommentar zur XIV Heroide Ovids Gotha 1900 (in Programmate Gymnasii Ernestini).

οὐ γὰρ μὰ τὴν δέσποιναν ἣν ἐγὼ σέβω
μάλιστα πάντων καὶ ξυνεργὸν εἱλόμην,
Ἑκάτην μυχοῖς ναίουσαν ἑστίας ἐμῆς,
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ.

Sed possunt ad hanc rem demonstrandam sexcenta e Metamorphosesin afferri exempla, quae quivis semel monitus statim deprehendat. Ergo ut appareat quam fuerint omnino Ovidii aequales, qui quidem in literis non essent hospites, in qualicunque legendo carmine ad cogitandum de aliqua tragoedia propensi, lubet hic e Propertio afferre exemplum, quod illam rem luculentius doceat quam ullus ipsius Ovidii locus, ideoque a proposito nostro minime sit alienum. Et nusquam illud in huiusce generis disputationibus allatum vidi. Propertius ergo postquam (III, 15) praeclaris versibus Antiopam miseratus est, quae, non agnoscentibus eam filiis, crudeliter a stabulo quo perfugerat repellatur, subito laetus exclamat (vs. 36 sq.):

Digne Iovis natos qui tueare senex
Tu reddis pueris matrem e. q. s.

Qui nunc Propertium legit non potest non admirabundus rogare unde tam subito senex ille pedes intulerit. At non miratos opinor Propertii Ovidiique aequales. Horum enim nemo fuit, qui senem illum non optime notum haberet. Sed noverant eum omnes ex aliqua tragoedia. Suus enim in tragoediis locus est senibus illis, qui, si non nutrix aliqua eo fungitur munere, sero, cum iam mater in eo est ut securi filium caedat, vel filius ut matrem ducat uxorem, prolato aliquo signo efficiunt ut parentes liberique inter se agnoscant.

Deinde immensam Ovidius aut perlegit aut certe inspexit epylliorum et αἰτίων Alexandrinorum copiam. Utrum autem diversa inter se fuerint ἐπύλλια et αἴτια an, id quod de Callimacho perhibet Diltheyus, αἴτια nomen fuerit magni libri multa complexi ἐπύλλια parum hic refert.

Praeterea Virgilium bene cognitum habebat, et omnino quotquot Romae florebant poetae eos omnes audiverat recitantes vel legerat. „Quotque aderant vates rebar adesse deos" ipse ait; bonos sui temporis poetas pie colebat, pulcherrimos eorum versus tenebat memoria, et inscius invitusque saepe eos imitabatur (cf. quae scripsi in libro de Horatio poeta p. 193 sq.).

Sed praesertim doctrinam, qua opus erat, sibi Ovidius collegit ex omni enchiridiorum genere. Syllogas geographicas, astronomicas, mythologicas ei scribenti semper prae manibus fuisse pro certo constat. Atque ex illis non solum argumenta suarum narrationum hausit, sed etiam, id quod hic illic etiam nostris cernere possumus oculis, narrationes, ut erant in enchiridio iunctae, ita in metamorphoses suas transtulit. Semper et ubique sic eum egisse neque constat neque credibile est.

Restat ergo ut quomodo fontibus illis usus sit Ovidius quaeramus. Est autem ea quaestio ex illarum numero quas obiter tractare non videatur nefas. Certe priusquam qua ratione auctores suos in suum usum converterit Ovidius diligenter accurateque investigemus, utile est „a priori ratiocinari", ut dialecticorum filii loquuntur. Quod qui in tempore facere neglexit interdum nimio colligendi studio et nimio disputandi acumine abreptus ad eam rem credendam adducitur, quam veram esse non posse multo ante pro certo scire potuerit. Dabo huius rei luculentum exemplum. Non ita multi anni sunt cum in patria nostra certatim viri docti nonnulli quid literae nostrae Senecae tragico deberent quaerebant. Tandem aliquando Vondelium mirum quantum a Seneca sumpsisse utroque poeta cum pulvisculo excusso pronuntiarunt omnes. Sed non fecerunt id quod ante omnia esset faciendum, ut ipsa utriusque poetae quae esset indoles statuerent. Quod si fecissent, nihil esse vidissent quod tantopere Senecam insigniret et a cetero poetarum populo seiungeret quam mirum illud sententiolarum brevium acutarum subobscurarum artificium, quibus et aliae multae res et hominum miseriae atque fatum acerbum ita depingerentur ut non possent legentes non vehementer eius oratione commoveri; simulque intellexissent hoc artificium imitari posse neminem qui non satis bene Latine sciret; Vondelium autem in sermone Latino adeo fuisse hospitem ut, quo quid praeclarius a Seneca dictum esset, eo absurdius illud interpretatione sua corrumperet atque pessumdaret, ergo quamvis multa Vondelio cum Seneca sint communia, quod ad eas res pertineat, quibus vera alicuius poetae contineatur natura, nullam inter hosce poetas intercedere rationem [1]).

---

1) Vide diarium vernaculum c. t. *Los en Vast* Nieuwe Serie, le Jaargang 1894.

In nostra ergo quaestione ante omnia quaerendum videtur quae indoles sit Ovidii: sic optime cognoscemus quo modo ab eo consultos esse auctores illos sit verisimile.

Ipsius Ovidii aetate nulla laus erat quam diligentius studiosiusque appetebant poetae quam *doctrinae*; docti videri volebant, doctos inter se appellitabant. Et quo sensu tunc illa vox accipiebatur, nemo, ut opinor, Ovidio dignior erat docti nomine; nemo enim plura legerat, nemo plura tenebat memoria. Sed simul nemo mortalis vixit unquam, qui ab eo viro, quem *nos* doctum dicimus, tam longo distaret spatio. Satis est de ea re illos consulere, quibus inter ipsos Romanos nemo fuit de omni literarum genere magis idoneus iudex, quorum alter Ovidii ipsius fuit magister, alter totum genus humanum literas docuisse iure dicitur, Senecam maiorem volo et Quintilianum.

Seneca ergo maior (Cont. X) „non ignoravit" ait „(Ovidius) vitia sua sed amavit".

Quintilianus X, 1, 88: „Ovidius nimis amator ingenii sui"
et — 98: „Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset".

Lepidissime dicta haec sunt, verissima esse vel ille novit qui ipsius poetae quamvis parvam partem legit perpenditque. Quid autem doctrinae, quam nos eo nomine dignam censemus, contrarium magis, quam vitia illa, quae tam clementibus vocabulis a Seneca Quintilianoque significantur? Et putemus virum, qui illis vitiis laboravit, id facere potuisse quod nunc a viro docto iure postulamus, ut via et ratione ageret? Credamusne eum certa aliqua imitandi norma usum? Immo vero, prout ferebat ingenium, modo sic modo aliter eum egisse quam maxime est verisimile; ultro quidquam pro certo statuere non res solum difficillima est sed fere ἕν τι τῶν ἀδυνάτων. Quique accuratissimam hic investigandi rationem sunt secuti, magis mihi librorum (enchiridiorum praesertim), qui Ovidio prae manibus fuerunt, naturam dispositionemque eruisse, quam quo modo usus iis esset Ovidius invenisse videntur.

Sed quocunque modo se ea res habet, sunt quaedam fabularum inter se iungendarum artificia, quae quin ab ipso sint inventa Ovidio minime dubitandum videtur, quoniam nullus iis

aut in epyllio, aut in tragoedia, aut in carmine docto, aut denique in enchiridio locus esse potuerit. Dabo hic, ut quid mihi velim appareat, exempla quaedam, quae mihi semper maxime insignia visa sunt. Alia addere cuiusvis est.

I 667 Mercurius Argum consopit longo sermone diuque fistula canendo, de qua rogatus quomodo sit inventa, fabulam orditur de Syringe, sed iam somno oppressus iacet Argus. Non tamen hanc facultatem narrationis inserendae narrationi amittit poeta, sed ipse suis verbis, idque oratione indirecta (700—711), ea refert, quae iam non potest Argo narrare Mercurius. Lepidissimum profecto inventum, quodque venustissimis exornat versibus Ovidius, sed ubi, quaeso, recte adhiberi potuit illud nisi in ipso de omnibus in novas formas mutatis corporibus carmine?

Homines inter se metamorphoses narrantes inducit et alibi et VIII 547—875, ubi strenui illi venatores, Calydone domum redeuntes, otiosi apud Acheloum desident. Quis tragicus, quis *αἰτίων* epylliorumve poeta, quis enchiridiorum scriptor haec sic potuit iungere atque disponere?

VII, 350—400 Medeae fugam describens non solum omnes locos volanti subiacentes nominat, sed arripit hanc facultatem longae inserendae metamorphoseon seriei, quae quoque illorum evenerint.

Quid quod semel (IV, 43—52) *reticendo* haud paucas enumerat metamorphoses. Minyeides ibi „vario sermone" levare decernunt „manuum opus", sed quae narrandi factura est initium primum, quam ex multis illis, quas memoria tenet, potissimum eligat dubia, sororibus dat optionem ... et paucis verbis omnium argumentum proponit. Utilissimam profecto haec Minyeis operam praebet Metamorphoseon poetae, sed alii poetae scriptorive nihil, ut opinor, erat profutura.

Quid fecerit ut fabulas, quas diversis locis iacentes invenerat, inter se iungeret et alibi prodit et XI, 413. Ceyx oraculum consulturus Clarium navem conscendit:

Nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.

Utraque enim re opus est poetae, ét navigatione, in qua periturus sit Ceyx, ét oraculo ab eo consulto. Nam adduxit ad Ceycem Pelea, cui apud praestantissimum illum deversanti

hospitem saeva miracula evenerunt, quae vehementer et alios commoverint et ipsum Ceycem. Nusquam Ovidius Ceycis mortem iunctam invenerat cum Pelei miraculis illis: ut iungere posset commentus est eius *ad oraculum* navigationem, quae ut quam maxime fieret verisimilis, a Phorbante praedone auxilium petiit.

Sed nihil iocosius, nihil quod magis ipsam Ovidii referat indolem, quam quod IX, 667 legitur. De Cauno et Byblide narravit Ovidius, pergere vult de Iphide narrando. Sed quo itinere Mileto in insulam Cretam proficiscatur? Transsilit intervallum sed saltu venustissimo. Postquam in fontem mutatam Byblidem cognovimus, sic subito in Cretam transferimur:

Fama novi centum Cretaeas forsitan urbes
Implesset monstri, si non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tulisset [1]).

Neque tantummodo ad fabulas inter se iungendas lepidissimis poeta noster utitur artificiis; alia quoque non minus venusta in Metamorphosesin observamus, quae singulis fabulis apte disponendis inserviunt. Illa autem equidem ab ipso Ovidio esse inventa mihi habeo persuasum; quodsi qnis demonstrare possit ea quoque ab eo e suis esse fontibus translata, haud magnopere ea observatione nostra mutetur opinio. Concedendum enim sit in deliciis ea habuisse Ovidium et aptissime elegantissimeque iis usum esse. De his autem artificiis aliisque quibusdam quae his

1) Cognatum huic, sed aliquanto minus iocosum, est exemplum quod e VI, 411 sqq. petimus. Narratum est de Niobidarum interitu tristissimo, parentes quoque eorum quomodo vitae lucem reliquerint cognovimus. Audimus deinde rem cum illis ipsa natura sua artissime iunctam: Pelopem sororis suae tristia fata deflevisse. Sequitur: ad hunc ut consolandi causa legatos mittant reges a civibus suis rogantur. Enumerantur civitates quae officio illo functae sunt. Sequitur:

Credere quis posset? solae cessastis Athenae:
Obstitit officio bellum, subvectaque ponto
Barbara Mopsopios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus haec auxiliaribus armis
Fuderat et clarum vincendo nomen habebat:
Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem
Et genus a magno ducentem forte Gradivo
Conubio Prognes iunxit.

En paratus est transitus ad narrationem de Philomela Procneque, quae cum Niobe se iunctas videntes habent quod admirentur!

sunt cognata iam in priore illa dixi disputatione. Cuius loci maiorem partem huc transferam quia ét quae sunt eiusdem argumenti sub unum dare volo conspectum ét sic mihi paro transitum ad peculiarem quandam de duobus locis disputatiunculam, qua apte totum hoc caput claudatur.

Longae saepiusque interruptae narrationes eiusmodi versu concludit poeta ut totus earum nexus legenti continuo stet ante oculos. Duo dabo exempla.

Uxorem amittit Orpheus, receptam negligenda conditione a rege inferorum imposita iterum perdit; maestus redit in Thraciam, tristitiam consolatur canendo; ipsa eius carmina, quorum sat magna est copia, narrationi inseruntur; tandem a Thressis, quarum odium in se verterat, vates crudeliter occiditur, membra eius manibus direpta nefandis sparguntur (XI, 61):

Umbra subit terras et quae loca viderat ante
Cuncta recognoscit, quaerensque per arva piorum
Invenit Euridicen cupidisque amplectitur ulnis.
Hic modo coniunctis spatiantur passibus ambo,
Nunc praecedentem sequitur, nunc praevius anteit;
Eurydicenque suam iam tuto respicit Orpheus.

Vides quam egregie uno vocabulo *iam* longae fabulae exordium cum fine iungatur.

Neque minus est insigne alterum exemplum quod e libro III afferam. Misero sui amore tabescit Narcissus; quid semet spectando senserit dixeritque accurate explicatur, sed ad exitum iam properante narratione non negligit poeta legentes admonere haud immeritam fuisse Narcissi mortem: iterum enim in scenam producit Echo, qua despicienda durae et inhumanae indolis documentum adolescens dedit. Haec poetae verba sunt (vs. 499):

Ultima vox solitam fuit haec spectantis in undam:
„Heu frustra dilecte puer"!" totidemque remisit
Verba locus, dictoque „vale" „vale" inquit et Echo.

Quae autem artificia semel adamare poeta coepit iis saepissime utitur. Citabo versus quosdam inter se simillimos unde alterum genus cognosci possit.

VI, 267 sqq.

Fama mali populique dolor lacrimaeque suorum
Tam subitae matrem certam fecere ruinae

Mirantem potuisse, irascentemque quod ausi
Hoc essent superi, quod tantum iuris haberent.
Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.

VIII, 529 sqq.

Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Foedat humi fusus spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit poenas, acto per viscera ferro.

XI, 215 sqq.

Bis periura capit (Hercules) superatae moenia Troiae.
Nec pars militiae, Telamon, sine honore recessit,
Hesioneque data potitur, nam coniuge Peleus
Clarus erat diva e. q. s.

His locis permultisque aliis particula *nam* aptissime adhibetur ad narrationem de homine illis, de quibus antea narratum est, aliqua necessitudine iuncto, suo loco inserendam [1]).

Tertium nunc poetae artificium ita indicabo ut initium faciam a versu, qui vulgo male explicatur. In gravi illo proelio, quod propter Andromedam ortum est, Lampetides cantor a Pettalo vulneratur; V, 117:

Concidit et digitis morientibus ille retemptat
Fila lyrae: casuque fuit miserabile carmen.

Pro *fuit* Heinsius coniecit *canit*, quam coniecturam refutarunt omnes admonendo *κακόφωνον* esse istud *casu canit carmen*, sed multo graviore argumento, quod contra eam afferri poterat, nemo, quantum scio, unquam usus est. Coniectura enim Heinsiana tollitur et perit vera versus sententia, quae nunc latet tantummodo, nulloque negotio protrahi potest. Non hoc dicit Ovidius cadente Lampetide factum esse ut miserabile existeret carmen: absurdum enim hoc esset et rei naturae contrarium. Musicus, cum improvisa plaga percussus concidit, fieri potest ut lyra eius canat aliquid quod viri perturbationi subitoque terrori respondeat; *lamentabile* vel *miserabile* carmen nemo un-

1) Quam languida sit et prorsus inutilis parenthesis illa (XIV, 741), de qua in praecedenti egimus capite, egregie hi loci docent, ubi particula *nam* tam apte est posita.

quam cecinit nisi otiosus desidens vel adstans. Neglexerunt autem tam interpretes quam ipse Heinsius versum qui praecedit:

Pettalus irridens „Stygiis cane cetera" dixit.

Ergo antequam vulneraretur Lampetides canebat, accepto vulnere *retemptat fila lyrae* i. e. conatur carmen suum persequi, *casuque fuit miserabile carmen* i. e. forte autem res ita ferebat ut carmen quod exorsus erat Lampetides miserabile esset: illud ergo ei pro singultu et lamentatione esse poterat. Igitur eo artificio, quod in Metamorphosesin tam saepe observatur, Ovidius utitur ut non omnia quae gesta sunt sicut gesta sunt ordine velut enumeret, sed interdum narrationis cursum interrumpat ad aliquam rem, quam cum maxime scire legentes oportet, ita addendam quasi eam in praecedentibus narrare neglexerit. Possis ergo verba citata sic in vulgarem transferre sermonem: „Carmen autem, quod exorsum esse Lampetidem modo dicebam, forte miserabile erat". Sed meam loci interpretationem exemplis confirmare conabor.

I, 587 sqq.

Viderat a patrio redeuntem Iuppiter illam
Flumine et „o virgo Iove digna tuoque beatum
Nescio quem factura toro, pete" dixerat „umbras
Altorum nemorum", et nemorum monstraverat umbras.

596 „Ne fuge me", fugiebat enim.

Verborum enim quae sunt *et nemorum m. u.* et *fugiebat enim* hic sensus est: „paene oblitus eram narrare eo loco silvam fuisse" et „p. o. e. n. Io fugisse".

III, 232. Longa serie poeta Actaeonis canes, qui dominum persequuntur, nominavit; addit haec:

Prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,
Proxima Theridamas, Oresitrophus haesit in armo.
Tardius exierant, sed per compendia montis
Anticipata via est.

i. e. tres illos canes antea non nominavi quia nondum aderant: causa cur tamen primi dominum aggrederentur haec erat quod e. q. s.

V, 278 sqq. De insidiis sibi a Pyramo structis ita narrant Pierides:

Templa petebamus Parnasia: vidit euntes

Nostraque fallaci veneratus numina vultu
„Mnemonides" (*cognorat enim*) „consistite" dixit
„Nec dubitate, precor, tecto grave sidus et imbrem"
(*Imber erat*) „vitare meo".

VI, 358 sq. Agrestes Lycios et aliis verbis obsecrat Latona ut sui misereatur et hisce:

„Hi quoque vos moveant, qui nostro bracchia tendunt
Parva sinu" (*et casu tendebant bracchia nati*).

VII, 217 sqq. A diis deabusque suis Medea venena magica petit: preces autem suas his versibus concludit:

Et dabitis! neque enim micuerunt sidera frustra,
Nec frustra volucrum tractus cervice draconum
Currus adest.

Addit poeta: *aderat demissus ab aethere currus.*

Denique proponam locum qui primo illi tam similis est quam ovum est ovo:

VII, 83 (Medea) ut vidit iuvenem, specie praesentis inarsit.

Et casu solito formosior Aesone natus
Illa luce *fuit* [1]).

Saepius novam fabulam ita exorditur poeta ut dicat illius hominis, de quo modo narraverit, tristem quidem sortem fuisse, illam autem solatio quodam levatam esse, nunc vero rem se narraturum multo praecedenti tristiorem. Solemnis est in his particula *tamen.*

IX, 98 sqq. De Acheloo, qui in certamine cum Hercule de Deianira suscepto alterum cornu amisit, finita est narratio. Sic poeta pergit:

Hunc *tamen* ablati domuit iactura decoris,
Cetera sospes habet; capitis quoque fronde saligna
Aut super imposita celatur arundine damnum.
At te, Nesse ferox, eiusdem virginis ardor
Perdiderat.

---

1) Cum magno cognosco gaudio tandem aliquando meam versus V, 117 interpretationem admitti in commentarios. Ehwaldus enim in praestantissima librorum I—VII editione, quae proximo anno in lucem prodiit, illam in annotatione sua posuit, idque ipsis illis adstructam Metamorphoseon locis, quos ego hic primos attuli: I, 587 sqq. II, 232 sqq.

IX, 326. Socrum Alcmenen ministrae tristi morte afflictam sic consolatur Iole:

Te *tamen*, o genetrix, alienae a sanguine nostro
Rapta movet facies. Quid si tibi mira sororis
Fata meae referam?

XIII, 55. Obiecit Ulyssi triste Philoctetae exilium Aiax; deinde addit:

Ille *tamen* vivit quia non comitavit Ulyssem.
Mallet et infelix Palamedes esse relictus [1]).

Et multa alia eiusdemmodi.

Sufficiunt, ut opinor, haec ad demonstrandum qualem se disponendi artificem Ovidius in maiore Metamorphoseon parte praestiterit. Et possum hic finem imponere capiti, quod huic argumento destinavi. Sed paulisper ad unum eius locum redeo, qui ansam mihi praebet observationum duarum neque, ut opinor, ineptarum et cum totius capitis consilio quam maxime cohaerentium.

Observatione ergo nostra de Ovidio non omnia quae gesta sunt sicut gesta sunt ordine velut enumerante, sed interdum narrationis cursum interrumpente ad aliquam rem, quam cum maxime scire legentes oporteat, inserendam, hac aio observatione usi iam sumus ad versus cuiusdam (V, 117) pravam emendationem refellendam et verum sensum in clara ponendum luce. Nunc ea quae dicta sunt de poeta nostro praeclaro artificio in fine longae narrationis eiusmodi ponente versum, quo quodammodo constringatur vinclum, quo tota continetur, et narrationis clausula cum ipso introitu quam artissime coniungatur, sic in usum nostrum convertam ut duobus inde Metamorphoseon locis lucem petam. Alterius quae sit unice vera lectio, alter quo sensu sit accipiendus mihi demonstrare posse videor.

XI, 747. Non est ullus toto Metamorphoseon opere locus qui praestet narrationi de Ceyce et Alcyone. Omnia praeclara hic sunt; pectore disertum faciente poetam legentis animus sic commovetur quasi hominum sibi dilectissimorum sortem sibi

---

1) Quam negligenter atque ingrate coniunctio *tamen* posita sit XIV, 635, quem locum in praecedenti notavimus capite, quam maxime nunc apparet.

narrari audiat. Et revera ut Ceyx et Alcyone cordi nobis sint poeta efficit. Et quanta cura omnia hic elaborarit Ovidius quovis apparet versu. Ceyx ergo probissimus ille vir et Alcyones suae amantissimus navi iter facturus est. Audimus querentem lamentantemque uxorem, vale dicentem ei maritum, videmus denique hunc se ex illius solventem amplexu, navem conscendentem, a terra solventem, invitum in altum provectum, ad uxorem respicientem, signa dantem illi accipientemque, denique Alcyonen comitamur domum redeuntem, et hic quoque eius audimus querimonias. Hisce omnibus non minus 64 versus impenduntur.

Navigat Ceyx, at mox vehemens oritur procella, quae quo modo navem oppugnet arripiat frangat demergat versibus praestantissimis 81 depingitur. Nec minus egregii sunt versus 12 quibus Ceycis mors narratur, quem locum aptissime elegantissimeque claudit poeta legentibus in animum revocando Luciferi filium esse Ceycem docendoque cur ille nato suo opem non tulerit:

Lucifer obscurus nec quem cognoscere posses
Illa nocte fuit: quoniamque excedere caelo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora.

Interea domi desidet Alcyone, maritum expectans et pro eius salute redituque deorum sed Iunonis praecipue aras colens. Non ultra dea irritas illas preces audire potest, Irim ad Somnum mittit mandaturam illi ut Alcyonen de dilectissimi mariti morte edoceat. Legimus praeclaram illam de Somni aedibus narrationem, adsumus Alcyonae cum mariti umbra colloquenti, tristissimo eam perturbatam somnio videmus. Haec omnia, quibus ego quod praestet novi nihil, 137 implent versus.

Aedibus egreditur Alcyone, in litore stat prospicitque — hic ipsum mariti corpus fluctibus ad pedes eius defertur, quem ubi agnovit et iis versibus deflevit, quos sexcenties legere possis et tamen semper non minore tangi misericordiae sensu quam cum primum eos cognoscebas, in aves mutantur ambo:

coeunt fiuntque parentes,
Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus aequore nidis.
Tunc iacet unda maris: ventos custodit et arcet
Aeolus egressu praestatque nepotibus aequor.

Hisce versibus praeclara finitur narratio. *Tunc iacet unda maris.* Sic est in codice optimo Marciano. Non dico vitiosum illud esse: sincerae Latinitatis est et nullo negotio intelligitur. Sed languidi aliquid inest, quod ego in clausula tam praeclari loci vix fero. Quid enim? Iacet unda maris. Opusne hoc est disertis verbis dici cum iam dictum est de *placidis* agi diebus? *Iacet unda maris* et *ventos arcet Aeolus egressu.* Nonne bis idem poeta hic dicit? Ambabus ergo equidem manibus arripio „deteriorum" duorum codicum lectionem:

Tunc via tuta maris.

Hic equidem ipsum Ovidium agnosco in fine longae et ἐπεισοδίων plenae narrationis legentibus in animum revocantis unde omnia ista initium sumserint: a tristi illa Ceycis navigatione. Tam praeclara autem mihi lectio illa videtur ut credere non possim illam coniectura viri docti, quamvis acutus et doctus ille fuerit, restitutam. Hic „deteriore" codice *servatam* Ovidii manum mihi pro certo constat [1]).

Locus ille, qui quo modo esset accipiendus me ad dispositionis Ovidianae lucem demonstraturum pollicitus sum, legitur in libro XIII. Lubenter in eo loco immoror quia iucundissimum mihi tempus et dulcissimos amicos in mentem revocat.

Postquam in armorum iudicio ab utroque litigantium oratio est habita

382 Mota manus procerum est et quid facundia posset
Re patuit: fortisque viri tulit arma disertus.

Haec ego quo modo iam puer mihi sim interpretatus mox dicam, sed per multos annos eodem interpretabar modo; fieri posse ut existeret aliquis qui alium iis inesse sensum putaret hoc mihi ne in mentem quidem veniebat unquam. Tandem aliquando in gymnasio Leidensi mihi hic locus cum discipulis erat tractandus. Ecce puerorum unus — minime stultus ille erat — versionem mihi recitabat, quae mihi falsissima absurdissimaque videbatur. Facile autem errantem mihi in viam ducturus videbar, sed neque ille neque commilitones eius manum dare

1) Et quo magis appareat quam sit revera Ovidianum illo „tum via *tuta* maris" respicere illud Ceycis iter quod tot tantisque fuerit obnoxium periculis, cogita de illo X, 66):

Eurydicenque suam iam *tuto* respicit Orpheus.

volebant: in eadem sententia perstabant omnes, unus et alter ad commentarium sibi inspectum provocabat. Inspiciebam ergo libros, adultiores doctioresque consulebam — omnes cum puero meo facere videbam, me cum inveterata mea opinione stare solum. Diu audita lectaque mecum pervolvebam, sed quo magis considerabam omnia eo certior mihi stabat sententia ceteros omnes errare me verum vidisse. Ineptissimae, sat scio, me *αὐθαδείας* accusabit quicunque hoc me profitentem audierit: ergo rem ipsam cognoscat.

Mota manus procerum est. Annotat Gierigius: „*manus*, consilium, collegium" atque sic puer meus verterat, vertebantque omnes quos identidem rogabam, non cives solum academici sed etiam viri docti. In recentioribus editionibus (atque omnium instar hic est praestantissima illa Ehwaldi, quae a. 1898 apud Weidmannos, Germanicis annotationibus instructa, prodiit in lucem) nihil video annotatum, e qua re efficio nihil viris doctis in antiqua Gierigii interpretatione mutandum videri. Sed quis unquam (atque hoc gravissimum mihi ad vulgatam versionem refellendam videtur argumentum, hoc, licet cetera omnia quae dicturus sum minus probentur legentibus, nemo mihi eripiet unquam, nemo unquam poterit convellere) grave atque augustum procerum consilium *manum* appellari audivit? Nonne multo hic praestitisset *moti sunt proceres* scribere? Scio vocabula unum spondeum implentia in initio hexametrorum rara esse apud cultiores poetas, non desunt tamen in Metamorphosesin, hic vero eiusmodi versus gravitatem quandam haberet a verborum sententia minime abhorrentem. Neque metuo ne quis mihi hic opponat quod in Dialogo de Oratoribus c. 37 legitur: *ceteram procerum manum,* nam qui ibi loquitur (secundum ceteros Maternus, secundum Iohnium Secundus) significare vult *magnum* esse eorum procerum *numerum*; de libris potius quam de hominibus cogitat, poteratque et *procerum multitudinem* vel etiam *procerum turbam* dicere. Aliud est in universum de procerum genere loqui, aliud legentibus ante oculos proponere certum quendam iamque antea commemoratum regum consessum eumque amplissimum et summopere venerandum [1]).

---

1) *Respici* a Dialogi scriptore Ovidii verba dixeris? Haud obloquor. Sed quam

Deinde iure nostro nobis improbare modo videbamur versuum XI, 745 sqq. lectionem:

Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus aequore nidis.
Tunc iacet unda maris,

quoniam languidissimum in modum bis idem ibi diceretur, nihilque in isto *tunc iacet unda maris* inesset quod non verbis q. s. *dies placidos* esset significatum. Verum, obsecro, num minus languet *mota manus procerum est* (i. e. Ulysses iudicibus persuasit, facundia sua eos ad suas pertraxit partes) *et quid facundia posset re patuit*? Nonne hic quoque ineptissimum in modum bis idem dicitur? *Re patuit*: quae est res illa, quis actus, quo patuit illud? Nonne in tam vivida narratione *actum* illum tantum non oculis nostris cernere debemus? At quid nunc cernimus? Vultusne laudantium, probantium, admirantium? Nimis exile istud nimisque vitae expers. Denique, ut tandem longae disputationi imponamus finem, sic tota res se habet. Audivimus Aiacem Ulyssemque orationem habentes: uterque raptim verbis suis magnam Troiani belli percucurrit partem. At non in ipso Troiano bello nunc poetae carmen versatur, alius est locus, tempus aliud, alia res agitur. Quae illa sint verbis quam disertissimis sumus monendi, nam periculum est ne mentes nostrae a poetae aberrent consilio. Firma ergo manu ille nunc totius narrationis attrahit vinculum, quique sic exorsus erat: *Consedere duces*, quod pingentis potius videtur quam narrantis, alia tabula non minus egregia praeclarum locum claudit: *mota manus procerum est* i. e. „reges, iudices, manus moverunt vel πρὸς τὴν χειροτονίαν vel ut tabellas sumerent et in urnam coniicerent". Hoc Ovidio dignum, hoc ipso flagitatur argumento. Et ne quis putet plurali hic numero opus esse, quantum in hoc genere poetis sit concessum vel ex hoc versu potest cognoscere (VI, 363):

Nec satis est, ipsos etiam *pedibusque manuque*
Turbavere lacus.

(*Continuabuntur*).

---

saepe qui verba notissima affert ea per risum iocumque in suum convertit usum atque eo sensu adhibet de quo auctor ne cogitavit quidem. Nonne saepe nos aliquem „laudatorem *temporis acti*" appellamus aut nescii aut non curantes vocabula notata omni carere sensu nisi illud *se puero* accedat?

DE LAPIDE NUPER ATHENIS IN ARCE INVENTO.

SCRIPSIT

E. VAN HILLE.

(*Continuantur e pag.* 348.)

Temporis ratio, quae observatur in donariorum enumeratione inde ab anno 394, in memoriam nobis revocat huius anni inscriptionem C.I.A. II 829. Agitur in ea inscriptione de templi alicuius partibus combustis reficiendis, Köhlerus autem Erechtheum ibi dici censet, item Michaëlis, consentaneum enim esse anno 406/5, cum conflagravit *ὁ παλαιὸς νεώς*, etiam Erechtheum detrimentum accepisse. Nempe omnes viri docti, quantum video, consentiunt templum ab australi parte Erechthei situm, quod agnovit Dörpfeld, idem esse, quod Xenophon *παλαιὸν* vocet. Et licet miremur aedem post decennium demum restauratam, facilius haec mora explicari potest in Hecatompedo [1]), quod multi amoveri volebant, quam in Erechtheo, templo splendido et vixdum perfecto.

Dörpfeld igitur censet *τὸν παλαιὸν νεὼν* et *τὸν ἀρχαῖον* et *τὸ Ἑκατόμπεδον* idem esse templum. Obiecit Michaëlis voculas *ἀρχαῖον* et *παλαιόν* nequaquam synonymas esse. Sed ut Xenophon in iis voculis distinguendis diligentissimus fuerit, Hecatompedum tamen prae Erechtheo et Parthenone iure *ἀρχαῖον* vocari potuit et complures res *ἀρχαῖαι* simul sunt *παλαιαί* [2]).

---

1) Sic enim in posterum *τὸν παλαιὸν νεὼν* vocabo cum bona venia v. c. Körte.

2) Cf. Michaelis Arx ad cap. 26, 36, ubi *τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα* vocatur *τὸ εἴδωλον τὸ ἀπὸ τῆς ἐλαίας τὸ παλαιόν* (Athenag. leg. 17) et *παλαιὸν βρέτας* (Aesch. Eum.

Neque assentior viris doctis e verbis *κατὰ τὸ Πανδρόσειον* inscriptionis, de qua modo sermo fuit, efficientibus de Erechtheo ibi agi, in curatorum enim relatione de Erechtheo aedificando legi: *τõν κιόνον τõν ἐπὶ τõ τοίχο τõ πρὸς τõ Πανδροσείο* [1]). Nam inspecta tabula topographica apparet murum occidentalem Erechthei, qui latus minus Pandrosei tangit, *a parte* (*πρὸς* c. Gen.) *Pandrosei* situm dici, partem autem occidentalem muri septentrionalis Hecatompedi *secundum* (*κατὰ* c. Acc.) *longum latus Pandrosei*. Quamquam non ita firmum hoc est argumentum, nisi plura accedant; quapropter argumentationem Michaëlis, qui prae ceteris Dörpfeldo est adversatus, paucis comprehendam. Ut probet Erechtheum *νεὼν ἀρχαῖον* vocatum esse, ita disputat: in inscriptione modo laudata 322 Erechtheum vocari *τὸν νεὼν ἐν ᾧ τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα* [2]), longiorem hanc denominationem in ore plebis factam esse „*τὸν ἀρχαῖον νεών*", quod satis aptum visum esse nomen, Erechtheum enim loco templi antiquissimi fuisse aedificatum. Sed exempla nominis ita decurtati desidero et templum quod pro antiquo aedificatum esset *novum* potius appellari debuit. Frustra autem Michaëlis Dörpfeldo obloquitur perhibenti templum a se inventum *ἀρχαῖον* tum esse vocatum cum novi templi („Vorparthenon") construendi consilium esset initum [3]); an mira loqui videbitur, qui rogatus: „Ubinam pons novus fiet?" responderit: „Paulo infra veterem?"

Neque prosunt loci Homerici. Quorum alter (*η* 81) in remota illa tempora nos abducit, quibus templa vix existerent deique hominibus sibi praeter ceteros caris familiariter uterentur, Mars Thracibus (*θ* 361), Venus Cypriis (*θ* 363), Neptunus Aethiopibus (*α* 22), varii dii Phaeacibus (*η* 201 sqq.). Catullus illius aetatis aureae mentionem facit in carmine 64 vv. 384 sqq.

---

439). Item de non ita vetustis: *Κῦρος ὁ ἀρχαῖος* (Xen. Anab. I 9 § 1). Cf. porro egregia commentatio Michaelis in Jahrbuch des kaiserlich Deutschen archäologischen Instituts 1902.

1) C. I. A. I 322, Col. I 44.

2) Sc. *ἔσται*, quod optimo iure supplevit Dörpfeld hoc allato exemplo: *Ἐλευσινιακὸς λίθος πρὸς ᾧ τὰ ζῷα*, ubi nil nisi futurum suppleri potest.

3) Cur in decreto anni 506 de supplicio et publicatione bonorum civium qui cum Cleomene Eleusinem obtinuerant, voculas *παρὰ τὸν ἀρχαῖον νεὼν* e Crateri Decretorum collectione sumptas ideoque genuinas esse putet Michaëlis non intellego (cf. Mi. Arx, AA 42, Schol. Ar. Lys. 273).

Alter locus B 549, omnium consensu Pisistrati aetati attributus, Michaëli praebuit argumentum speciosum. Legimus illic Minervam Erechtheum a se educatum suo in templo collocavisse, ibique Athenienses ei sacra fecisse; una autem eademque in cella — sic Michaëlis — cum dea et heros coli non potuerint, sequitur ut templum illud duplex fuerit. Atqui sub Hecatompedo fundamenta templi antiquioris desunt: ergo non illic ὁ ἀρχαῖος νεὼς olim extitit sed eo loco, ubi nunc Erechtheum, quod et ipsum templum duplex est. Mentionem eius templi fecit Herodotus, apud quem (VIII 55) ὁ Ἐρεχθέος νηὸς est cella templi Minervae.

Libenter concedimus viro clarissimo ne Eratosthenem quidem, cum scriberet Erichthonium Minervae templum aedificasse, potuisse in animo habere Hecatompedum, tribus tantum saeculis ipso antiquiorem [1]; nedum Pisistrati aequales templum sub oculis suis conditum ad tempora epica retulerint. Sed minime concedimus ei contendenti ergo τὸν ἀρχαῖον νεὼν fuisse eo loco ubi nunc sit Erechtheum; nam sub hoc templo haud magis antiqua fundamenta sunt inventa [2]. Bases autem columnarum aevi Mycenaei, quae inter Hecatompedi fundamenta sunt inventae, fuisse τοῦ μεγάρου priscae regiae fere constat [3]. Equidem non mihi persuadeo inter regiam deletam et aetatem Pisistrati illam aream regiae desertam fuisse, et potius sumo loco sacro iam antea templum aedificatum esse. Nam signa sculpta quominus postmodo addita, templum autem ipsis multo antiquius esse credamus nihil obstat. Ac revera cultus Erechthei et Minervae tam arte sunt iuncti in Acropoli ut modo Erechtheus (Erichthonius) Minervae, modo Minerva Erichthonii cultum introduxisse dicatur. Iam vero, si verba ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ ad literam vertamus, id quod Michaëlis fecit, de duplici templo poetam loqui sumamus necesse est; at versu sequenti haec ratio refutatur, ubi Athenienses ἔνθα Erechtheum sacrificiis taurorum et agnorum conciliare dicuntur, quae sacra extra aedem, opinor, sunt facta.

1) Docuerunt hoc Wiegand et Brückner inspectis signis sculptis.

2) Neque muri Pandrosei neque loca signorum divinorum (tridentis, lacus, oleae) pro talibus sunt habenda.

3) Delineata sunt haec rudera in praefatione Arcis Michaëlis.

Habemus igitur *νηὸν* eo sensu dictum quo *τέμενος*, *templum*. Et huic rationi Herodoti locum favere puto, quem Michaëlis pro suo affert. Narrat enim Herodotus, cum Persae arcem invasissent, alios ex Atheniensibus de rupe se praecipitasse, alios in cellam (*μέγαρον*) profugisse, dein Persas sacrum (*τὸ ἱρόν*, quod Michaëlis quoque vertit per „Tempelgruppe") populatos combussisse, postridie vero Athenienses iussu Xerxis in arce suo more sacrificasse; quibus enarratis sic pergit: *ἔστι ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ Ἐρεχθέος τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι νηός, ἐν τῷ ἐλαίη τε καὶ θάλασσα ἔνι*. Quodsi *ὁ Ἐρεχθέος νηὸς* templi Minervae pars fuisset, puto Herodotum dicturum fuisse: *ἔστι ἐν τῷ νηῷ τῷ τῆς Ἀθηναίης Ἐρεχθέος μέγαρον* vel tale quid. Praeterea Herodotus dicit *ἐν τῷ νηῷ* et oleam et lacum fuisse, de quibus verbis Michaëlis sic disputat: „ob für den Ölbaum ein oben offenes Gemach oder ein Vorhof anzunehmen sei, lasse ich dahingestellt sein, in letzterem Sinne würde *νηός* nur in wenig erweitertem Sinne zu fassen sein." Eiusdem igitur criminis reus est, cuius accusat Furtwänglerum; hunc enim voce *νηός* in *σηκός* [1]) mutata nodum non solvisse sed dissecuisse ait.

Equidem sic mihi rem informo:

apud Herodotum *τὸ ἱρόν* aut arx est ipsa aut area sacra, in qua templum Minervae, Erechtheum, Pandroseum, Cecropeum, arae, donaria insunt, muro ligneo incendio opportuno cincta;

τὸ μέγαρον (*τὸ πρὸς ἕω τετραμμένον*) est cella templi Minervae, ubi signum Minervae erat, in quam necesse erat supplices confugere;

ὁ Ἐρεχθέος νηός est templum, in quo lacus, cum vestibulo vel subdiali, in quo olea.

Si vero eo loco, quo nunc Erechtheum aspicimus, fanum perantiquum Minervae stetisset, non ad annum 420 opinor Athenienses huius fani renovationem dilaturi erant. Nam Pericles id ipsum agebat ut pro Hecatompedo novum templum conderet; monumenta autem lacus, tridentis, oleae in novo templo locum suum invenire debebant.

---

1) Posteriores, pergit Michaëlis, ut Dionysius Halicarnassensis, Erechtheum *σηκόν* appellare possunt, nam ii *σηκόν* habent pro fano herois, „wie das Erechtheion einer (scil. Heroentempel) war." Quod parum accurate dictum est, nam secundum ipsum Michaëlem pars templi erat, sive cella templi heroi dedicata.

Redimus ad relationem curatorum templo aedificando, ubi Erechtheum vocatur *νεώς, ἐν ᾧ τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα*, quod *τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα* sive *ἡ πολιάς* sive *τὸ ξόανον* in eo erat collocandum. Ubi autem erat illud signum tum cum aedificatum est templum? „In Hecatompedo", Dörpfeld aït, additque simulacrum ibidem remansisse. At credibile non est, cum reliqua pars templi novi cultui Erechthei et monumentis divinis esset dedicata, vacuam relictam esse cellam orientalem, imprimis sacram, ad signum sanctissimum recipiendum destinatam, unde ipsum templi nomen pridem ductum esset. Neque vereor ne contendat quispiam postmodo Erechtheum dictum esse, quod signum illuc non esset translatum; nam in hoc nomine prisci aevi famam nos tenere testantur Herodoti verba. Unus Dörpfeldi opinioni favet Strabo (IX p. 396) referens simulacrum et candelabrum Callimachi *ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ* fuisse; sed memoria quin Strabo lapsus fuerit non dubito, praesertim cum aliae causae, de quibus infra, accedant. Confitendum autem est admirationem movere simulacrum ligneum ex Hecatompedo in Erechtheum translatum. Nam sine dubio e Periclis consiliis novo templo absoluto Hecatompedum amotum esset, ni sacerdotes traditionum veterum amantes obstitissent; praeterea Erechtheum in fundamenta porticus Hecatompedi imponebatur: antiquo autem simulacro in novum templum transferundo vires addebantur aemulo (cf. p. 433). Ad hanc quaestionem solvendam utilis fortasse est nostra inscriptio, in qua inter res sacras *ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ* asservatas commemorantur haecce ornamenta et insignia simulacri cuiusdam, quae ad antiquum *ξόανον* pertinere non possunt: *taenia*, [quam dea] habet, *inaures*, quas dea habet, *limbus*, quem ad collum habet, quinque *monilia*, *noctua* aurea, *aegis* aurea, *gorgoneum*, *patera*, quam in manu habet.

In Iahni commentatione de antiquissimis Minervae simulacris Atticis, tabula I, delineatum est vas nigris figuris ornatum [1]). Hic videmus, ut Iahni verbis utar: „in sella plicatili, quales exhibere solent picturae vasculariae huius generis, feminam adsidentem pedibusque scabello innixam, quae ... longa tunica superiniecto pallio vestita est et caput taenia cinctum habet. Quaenam sit nemini dubium esse potest, nam dextra quidem

1) Item apud Gerhardum Auserl. Vasenbilder tab. 242.

pateram protendit, sinistra vero elata galeam tenet, humero eius sinistro applicata est longa cuspis, ante pedes ingens serpens conspicitur." Egregie igitur congruunt vas illud et noster lapis; nam licet in imagine desit *noctua* et in inscriptione frustra requiramus *hastam* et *galeam* et *serpentem*, utrobique adsunt *patera* et *taenia*, res magni momenti; etiam *inaures* et *limbum* agnoscere nobis videmur, et in statua, quam Iahnus in eadem tabula exhibet sub numeris 1 et 2 [1]) et cum imagine vascularia confert, conspicitur „*aegis*, quae pallioli instar collum et humeros atque pectus tegit .... et in media aegide clupeus altius globatus observatur, cui quin *Gorgonis caput* aereum insertum fuerit, cum in summo margine foramen supersit, non potest dubitari".

Eadem pictura praeter feminam sacerdotem exhibet: „porticus doricis columnis innixae partem .... pone quam ara posita est, magna effulgente flamma; post aram bovis magni basi ut videtur cuidam impositi pars anterior apparet." Iahnus Arcis Athenarum aliquod signum repraesentari ratus porticum Erechthei intellegebat, cuius aedificii ordinem ionicum sententiae suae non obstare existimabat, idque optimo iure, cum praesertim minime constet Erechtheum vetus ordine ionico fuisse extructum. Sed quoniam doricum templum in Acropoli cognovimus hodie et deae quae in vasculo illo depicta est magna est similitudo cum dea in inscriptione nostra commemorata, cogimur quodammodo considerare, fierine possit ut pictor vasis templum vetus Minervae depingere voluerit.

Non assentior Iahno his verbis neganti bovem (sitne taurus non apparet) ad sacrificium pertinere: „ubi enim sacrificia repraesentantur, animalia, quae mactanda sunt, plerumque ad aram adducuntur vel in eo sunt ut iugulentur, sive sacerdotes vel ministri, sive daemones quidam hoc officio funguntur .... in nostra vero pictura taurum videmus tranquille adstantem, nemine praesente, qui vel adducat vel teneat vel occisurus sit, neque infulae neque coronae additae sunt, quibus indicetur bovem ad sacrificium paratum esse. Accedit, quod taurus iste

---

1) Cf. in primis: Lebas, voy. mon. fig. 2. 1; et Scharfius, mus. of class. ant. I p. 190 sqq.

non eidem solo insistere videtur, in quo ara posita est, sed propriam quandam quasi basin occupare."

Nempe taurum aheneum ab Areopagitis dedicatum hic repraesentari putat, a pictore autem audacius ab Arcis altera parte ad Erechtheum translatum esse, deam denique Endoei signum repraesentare, quod Pausania teste prope Erechtheum locum habebat.

Sed fateor admodum debilia mihi videri eius argumenta.

Ni fallor femina sacerdos in eo est ut bovem ramis suis exornet, cuius bovis cum anterior tantum pars appareat, nihil obstat quominus suspicemur a ministris ad aram eum agi. Basis autem arae si quid commune habet cum gradibus templi, sumere licet pictorem bovem pingere voluisse in altero gradu astantem, nescio quo errore humiliore depicto; sin minus — nam res est dubia — hoc tenendum est in ipsa arae basi bovem astare, sive artifex suo iure illi basi alterum tribuit gradum priore multo humiliorem, sive lineam uni gradui appingendo cavit ne nimis longa fierent crura bovis. Utut hoc est, credibile non videtur pictorem taurum Areopagiticum depinxisse in basi arae astantem.

Dein Endoei signum Iahni vase non repraesentari inde apparet quod dea dextra manu pateram porrigens sacrificio interesse et favere videtur. Ideo dubitari nequit, quin imaginem teneamus simulacri cultui dedicati (Cultbild). Endoei autem signum votivum erat a cultu alienum. Quoniam sacrificia boum extra templa fiebant, pictores autem deam sacrificio gaudentem repraesentare volentes non verebantur dei simulacrum, quod in templo est, extra templum sacrificio astans vel assidens depingere, hic simulacrum templi veteris Minervae nos tenere puto et imagine propter similitudinem cum dea inscriptionis nostrae argumenti instar utor pro opinione mea: τὸν ἀρχαῖον νεὼν eundem esse ac Hecatompedum et templum vetus Minervae.

Etenim sive cum Iahno nobis Poliadem armatam Palladio similem fingimus sive cum Furtwänglero [1]) sedentem inermem innumeris illis simulacris votivis similem, quae e terra cocta facta in Acropoli inventa sunt, neque dea inscriptionis neque

1) Roscher, Athene, p. 684 sqq.

dea imaginis propter varia attributa ipsa perantiqua Polias esse potest ideoque vasis porticus cum Erechthei, τοῦ νεὼ ἐν ᾧ τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα, commune habet nihil. Praeterea cum patera in inscriptione distincte commemoretur, potius Benndorfum secutus Minervae Victoriae abnegare velim imaginem quam cum Furtwänglero attribuere.

Sic igitur mihi rem repraesento: In templo vetere, ubi initio antiqua Polias asservabatur, postquam novum simulacrum, quod in inscriptione nostra memoratur, est collocatum, quandocunque hoc factum est, Polias antiqua paulatim nonnisi secundum locum obtinere coepit. Ideo sacerdotes aliique, qui splendidis aedibus extruendis saepe restiterant, tandem novi Erechthei q. v. f. aedificandi consilium approbaverunt, quod in novo templo cum signa antiqua: olea, lacus, tridens colerentur, tum cella primaria antiquae Poliadi dedicaretur. Ita, ni fallor, ab omni parte verisimile est τὸν ἀρχαῖον νεὼν esse templum vetus Dörpfeldi.

Accedit, quod de ceteris rebus, quas Pausanias in Erechtheo fuisse dicit: candelabro Callimachi, sella plicatili Daedali, Masistii lorica, Mardonii acinace, altum in inscriptione obtinet silentium. Hinc concludo τὸν ἀρχαῖον νεὼν fuisse Hecatompedum et Erechthei donariorum curam quaestoribus Minervae non fuisse mandatam. Una res memorabilis manet: versu 95 legimus: ἀπορραντήριον χρυσοῦν, ὃ ὁ ἀνδριὰς ἔχει. Cuius fuit hic ἀνδριάς? Idem ac τὴν θεόν denotare hanc voculam vix credo. Potius crediderim eam fuisse statuam (Bildsäule), cui labrum in manus datum esset in usum sacratum.

De postica parte Hecatompedi hucusque tacui, sed etiam de huius partis usu et honore magna est controversia, cohaerens cum quaestione, ubi fuerit ὁ Ὀπισθόδομος qui dicitur apud auctores et in traditionibus.

Omnes, ni fallor, viri docti consentiunt anno fere 450, cum sociorum tributa Delo Athenas translata sunt, in arce locum unum ad capiendas pecunias illas idoneum fuisse Hecatompedi partem posticam, quae habebat vestibulum, atrium, duo cubicula, πρόνεων, μέγαρον, δύο οἰκήματα. Dörpfeld, quem sequor, arbitratur hanc templi partem denotari voce Ὀπισθοδόμῳ sic nude posita et Herodoteo illo τῷ μεγάρῳ τῷ πρὸς ἑσπέρην τετραμ-

μένῳ. Illa autem vox non invenitur commemorata ante annum 435, cuius anni decretum superest de novo collegio quaestorum reliquorum deorum, ubi legimus: οὗτοι δὲ ταμιευόντον ἐμπόλει ἐν τῶι Ὀπισθοδόμοι τὰ τῶν θεῶν χρέματα .... καὶ συνανοιγόντον καὶ συγκλειόντον τὰς θύρας τõ Ὀπισθοδόμο καὶ συσσεμαινόσθον τοῖς τõν τε͂ς Ἀθεναίας ταμίαις[1]). Michaëlis inde, quod post absolutum demum Parthenonem ὁ Ὀπισθόδομος commemoretur, nomen illud non Hecatompedi sed Parthenonis posticum denotasse putat. At quis credat in novo templo Minervae consecrato statim collegio quaestorum et donariis alienis locum esse concessum! In Hecatompedi autem postico erat Symmachiae aerarium et donaria Minervae asservabantur et locus opinor supererat ad reliquorum quoque deorum donaria capienda.

Lehnerus in libro suo iam saepius laudato statuit traditiones quinquennales quaestorum Minervae durasse ad Ol. 93. 2 (407/6). Dein creatum est collegium quaestorum Minervae et reliquorum deorum, quod quotannis tres tabulas promulgabat continentes res sacras

1) ἐν τῷ νεῷ τῷ Ἑκατομπέδῳ sive in Cella centumpedali Parthenonis q. v. f.,
2) ἐκ τοῦ Παρθενῶνος sive ex atrio occidentali Parthenonis q. v. f. in Cellam centumpedalem translatas,
3) ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου sive e Postico in Cellam centumpedalem Parthenonis q. v. f. translatas.

Posticum illud in traditionibus quinquennalibus non commemoratur; at Parthenonis si fuisset illud posticum, quidni quaestores Minervae etiam donariorum ibi conservatorum curam habuissent?

Rationem trium tabularum annis 399/8 (Ol. 95. 2) et 395/4 (Ol. 96. 2) etiam obtinuisse apparet e C.I.A. II 645, IV II 645b, II 655, quae sola sunt documenta eius rationis. In tanta autem monumentorum inopia certi quid statuere non licet, sed veri videtur simile anno 406, quo duo collegia in unum sunt redacta et res sacrae τοῦ πρόνεω Hellenotamiis servandae sunt datae, res sacras τὰς ἐν τῷ Παρθενῶνι et τὰς ἐν τῷ Ὀπισθοδόμῳ

1) C.I.A. I 32. 15.

partim saltem in Cellam centumpedalem Parthenonis translatas. Collegium quotannis ternas distinctas tabulas promulgabat usque ad 385.

Conemur iam causas harum mutationum indagare.

Exeunte bello Peloponnesiaco, cum Victoriae conflatae sunt et alia multa donaria perierunt, unum collegium curae omnium donariorum sufficere videbatur. Cum res sacrae ex atrio occidentali Parthenonis eodem tempore in cellam orientalem transportatae eam non complerent et eodem anno 406 Hecatompedum incendio vexatum esset, etiam donaria quae in Hecatompedi Postico erant illuc translata sunt, certe ea, quae ex aere vel ligno facta minore erant pretio, quam ut in usum belli adhiberentur.

Non sequor Michaëlem negantem e rebus ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου ullam ante 404 in Postico fuisse, nullam enim in traditionibus eius aetatis commemorari. Nam quae anno 399 ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου oriunda esse dicuntur, ante 399 aut secundum coniecturam nostram ante 406 ἐν τῷ Ὀπισθοδόμῳ fuisse debent. Itaque apparet Dörpfeldum verum vidisse; nam cum aerarium in Postico Hecatompedi asservatum Hellenotamiis fuerit mandatum, sequitur ut etiam donaria Minervae, quae quaqua de causa anno 435 in Parthenonem non essent translata, in eorum tutela fuerint, ea quidem condicione ut quaestores Minervae et reliquorum deorum, qui et ipsi res sacras in Postico habebant, fores Postici clauderent. Quod quamvis mirum sit, sic demum intellegitur cur τοῦ Ὀπισθοδόμου in traditionibus saeculi quinti non fiat mentio.

Anno 406, ut vidimus, quaestoribus Minervae sua sunt reddita, anno autem 385, cum collegium quaestorum denuo bifariam divisum esset, omnes res locorum nominibus neglectis promiscue significari sunt coeptae, ut apparet C.I.A. II 673, 675, 676, ubi Lehnerus (p. 45) res e variis locis confusas enumerari vidit. Quas inscriptiones si comparamus cum nostra, nonnisi in 673 (nempe vs. 28, sed vel id incertum) et in 675 (vv. 19? 22, 23) occurrunt res, quae in nostra inscriptione sub titulo ἐκ τοῦ Παρθενῶνος inveniantur. In 676 autem rebus Cellae centumpedalis inmixta invenimus sedilia quae in lapide nostro deprehendimus (p. 345). Itaque opinio Lehneri sic videtur emendanda. Post 385 quaestores Minervae donaria promiscue enumeraverunt; mox autem nova divisione instituta, res, quae saeculo V in

atrio occidentali Parthenonis fuerant, distincte enumerarunt sub titulo *ἐκ τοῦ Παρθενῶνος* (qua in re hoc tantum vitium commiserunt, ut sellas supra memoratas perperam in catalogo Cellae centumpedalis relinquerent), quas autem e Postico petiverant, inter res Cellae centumpedalis manere siverunt. Quando autem res *ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ* eorum curis sint mandatae, in documentorum inopia dici nequit. Suspicari tantum possumus ante 395 pretiosa illa tam parvi fuisse momenti ut femina sacerdos ad ea custodienda sufficeret, ac postea post restaurationem increscentibus donis ea quoque quaestoribus Minervae esse tradita.

Ut ad Posticum illud redeamus, quaestio oritur: cur titulus *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* non sit restitutus, ut *ἐκ τοῦ Παρθενῶνος*? Est haec anomalia, sed quae possit excusari; nam donaria non magni erant momenti et inde ab anno fere 385 Posticum ad alium usum fuit destinatum; confusio ut vitaretur, satius iam videbatur in Minervae traditionibus nullam Postici mentionem fieri. Invenimus enim in catalogis qui tunc cum unum collegium fuit sunt confecti [1]), in fine traditionum rerum in Cella centumpedali asservatarum, seriem rerum sacrarum, quae inscripta est: *ἐν τῷ Ὀπισθοδόμῳ ἐκ τῆς κιβωτοῦ τῆς Βραυρωνόθεν*, observavit autem Lehnerus post annum 385 easdem res inveniri in traditionibus reliquorum deorum; patet igitur, cum sine titulo illo additae sint, omnium deorum res sacras in uno cubiculo esse asservatas post restitutionem collegii quaestorum reliquorum deorum. Anno autem 435 Posticum ad res sacras cum Minervae tum reliquorum deorum destinatum est, postea vero priores inde sunt remotae, denique Posticum semper aerarium Symmachiae continuit: sequitur, ut inde ab anno 385 [2]) res sacras reliquorum deorum et aerarium Symmachiae continuerit [3]). Ita

1) V. c. 652, 660, 661; cf. Lehneri l.l. p. 75.

2) Quem annum bene convenire cum Arist. Plut. 1191 iam saepius viri docti animadverterunt.

3) Ut hoc in transitu dicam: non assentior Lehnero dicenti p. 79 in inscriptione C.I.A. 758 A Col. II 7 sqq. voces *τάδ' ἐκ τοῦ ἀρχαίου νεὼ παρέδωκεν ἡ ἱέρεια τοῖς ἐπιστάταις τοῖς ἐπὶ Θουδήμου ἄρχοντος εἰς τὸν Παρθενῶνα* ad antiqnum templum Dianae in pago Braurone esse trahendas, primum quod *ὁ ἀρχαῖος νεώς* templum Minervae *κατ' ἐξοχήν* erat, dein quod absurdum videtur sacerdotem *Dianae* aliquid dare curatoribus in *Parthenonem* transferendum; sic etiam C.I.A. II 751 B Col. IId 19 ad Minerva antiquum templum traho.

fere Lehnerus, recte, ni fallor; qua re etiam magis doleo virum doctissimum quaestionem de Postico non esse aggressum. Cum tamen ex inscriptione nostra appareat Hecatompedum sive τὸν ἀρχαῖον νεὼν etiam post annum 368 extitisse, puto Dörpfeldi thesin: Opisthodomum revera Hecatompedi Posticum denotare apud plures fidem inventuram esse.

Unum est quod addam, me nequaquam facere cum Dörpfeldo dicenti incendium Postici a Demosthene (24 § 136) commemoratum idem esse atque ignem quo templum Vetus anno 406 arsit teste Xenophonte; nam voculae ἀλλὰ μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα (§ 134) omnino ad § 136 sunt trahendae. Praeterea id incendium post annum 385 esse factum apparet, cum de duobus collegiis loquatur Demosthenes. Quando autem factum sit, nescitur, sed fortasse non temere suspicor Androtionis quaesturam cum hoc incendio esse iungendam. Vidimus enim donarium ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ esse στέφανον χρυσοῦν ὃν Κόν[ων] ἀνέθηκεν, temporis autem ratione habita non est quod dubitemus illam coronam eam esse quam commemoravit Demosthenes 24 § 180 [1]); itaque sequitur [2]) ut Androtion post annum 368, ac si qua fides reliquiis exiguis inscriptionis 677, post annum 367 quaestor fuerit. Dubitare igitur licet an Demosthenes, causarum patronus inter paucos callidus, studio Androtionis restituendi donaria fracta incendio (nam Postici incendio et ipsam cellam detrimentum accepisse verisimile est) abusus sit ad convicia a re aliena facienda.

ADDENDA.

Ita expositis, quae dicere habebam, paucis tantum ad Michaëlis commentationem supra laudatam redeo. Meam argumentationem qualemcunque multis locis a Michaële allatis ornare potui, sed nolui; operae pretium autem est videre, numquid

1) Cf. Michaëlis in Arce A.A. 142, ubi minus tantum intellego unde vir doctus verba „in Parthenone" sumpserit.

2) Versu 106 post ὃν vestigia literae X conspicere mihi visus sum, sed incertiora erant, quam ut scribere auderem Χαβρίας, cuius corona a Demosthene itidem memoratur.

tractandum supersit. Ita venimus ad inscriptionem de Hecatompedo q. v. f. [1]). Omnes explicationes a viris doctis propositae mihi displicent, neque mihi contigit ut reperirem meliorem. Persuasum autem mihi est vs. 9 *ἐκ τõ νεὸ καὶ τõ προνείο καὶ τõ βωμõ* unice verum esse, nam haec tantum verba consecutionem rectam locorum praebent. *Tõ πρὸς ἕο μεγάλο βωμõ* in lectione Michaëlis ideo displicet, quod et voculae *πρὸς ἕω* supervacaneae sunt; nam aram magnam alteri opponi opus non est, et secundum opinionem Michaëlis, qui *τὸν νεὼν* pro Erechtheo sumit, additamentum *πρὸς ἕω* vitiosum est. Stercus colligere *ἀνὰ πᾶν τὸ Ἑκατόμπεδον* vereor ut dici possit, cum non sit area, ut putat Körte, sed templum. Praeterea, utut argumentatur, in Michaëlis lectione *πᾶν* in *πᾶν τὸ Ἑκατόμπεδον* haud recte explicatur; hoc tantum fieri potest si *νεὼν* per Cellam explicemus cum Dörpfeldo, neque obstare videtur vox *ἐμπόλει* (vs. 1) collato loco Herodoteo, ubi *τὸ μέγαρον* commemoratur. Denique una litera *κ* sitne *κεκροπίο* vel *κύκλο* legenda pro certo nequit statui.

Non negaverim Pericli consilium fuisse post Erechtheum perfectum Hecatompedum demoliendi, sed, ut saepius observavit Dörpfeldus, non est obliviscendum studium illud aedificandi nequaquam permovisse sacerdotes aut cives priscorum amantes ut aedificia sibi cara reformatoribus illis permitterent. Omnino autem temerarium est concludere post Parthenonem perfectum aerarium sociorum in Parthenonem esse translatum.

Denique Ὀπισθόδομος vox significat Posticum, partem posteriorem templi vel aedificii. Atrium Parthenonis cum vestibulo occidentali Ὀπισθόδομον appellari posse, ut apud Plutarchum (Demetr. 23), nemo negaverit, sed eodem modo Hecatompedi totam partem occidentalem, sive *τὰ δύο οἰκήματα, τὸ μέγαρον μετὰ τοῦ πρόνεω αὐτοῦ*, recte appellabimus **Ὀπισθόδομον**. Neque ulla est causa, cur credamus nomen **Ὀπισθόδομον** aetate Herodoti non extitisse, quod dicat *τὸ μέγαρον τὸ πρὸς ἑσπέρην τετραμμένον*, quod signicat Cellam occidentalem cum vel sine vestibulo occidentali, quem legitimum eius exitum fuisse quis neget, oppositum Cellae deae, *τῷ μεγάρῳ κατ᾽ ἐξοχήν*. Neque

1) Die Hecatompedoninschrift C.I.A. IV 1. 18, 19.

vero repugnem si quis τὸ μέγαρον τὸ πρὸς ἑσπέρην τετραμμένον intellegat Cellam occidentalem cum vel sine conclavibus (οἰκήμασι), quae conclavia nihil nisi appendices Cellae sint. Ubi autem sermo est de rebus administrandis vel conservandis ἐν τῷ ἐπὶ δεξιὰ et ἐν τῷ ἐπ' ἀριστερὰ τοῦ Ὀπισθοδόμου [1]), non possum non cogitare de conclavibus illis thesauris peridoneis, quae erant in Hecatompedo vel, quod idem esse puto, ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῴ.

Hisce perscriptis cognovi recentissimam Dörpfeldi de Erechtheo disquisitionem [2]). Demonstrat vir doctus Erechtheum, quod nunc habemus, tantum esse partem aedificii, quale Pericles eiusque artifices aedificare voluerant; hac ratione anomalias architectonicas, quae viros harum rerum peritos multum vexaverunt, omnes explicari additisque Cella Neptuni et Postico symmetriam inveniri, quam aegre desiderabamus.

Templum autem vetus nisi ad finem perducto Erechtheo supervacaneum non fuisse apparet, itaque suo iure vir sagacissimus scripsit: „Was ich früher aus dem Bau selbst und der literarischen Überlieferung ermittelt hatte, wird jetzt in allen Hauptpunkten bestätigt. Besonders erhält jetzt mein so viel bekämpfter Nachweis der Fortexistenz des alten Athena-Tempels neben dem Erechtheion und des Verbleibens des alten Kultbildes in der Ostcella des Hekatompedon eine neue wertvolle Stütze."

Quamquam ultima verba minus recta esse puto, inscriptionem enim nostram contrarium testari. Et consentaneum videtur in Cellam orientalem novi templi antiquam Poliadem esse translatam, cum praesertim in templo vetere alia effigies, ut ex inscriptione didicimus, praesto esset, quam ipsam Poliadem fuisse perhibenti Dörpfeldo credere non potui. Polias autem quali figura fuerit fortasse aliquando sciemus, nunc suspicari tantum possumus; equidem rem identidem perpendens in Iahni magis quam in Furtwängleri opinionem pronus fio. Hic enim quae disputavit de parvis figuris e terra cocta factis, quamvis speciosa, nil probant, neque verba, quibus argumentis Iahni de vasis pan-

---

1) C.I.A. I 32.
2) Ath. Mitt. 1904, pp. 101—107, Der ursprüngliche Plan des Erechtheion.

athenaicis et de locis poetarum respondet, mihi persuaserunt; immo quod perhibet poetas Poliadem memorantes non accurate eam descripsisse, „was um so mehr geschehen konnte als jenes heiligste Bild gewiss nicht immer offen zu sehen war," omnino reïciendum arbitror. Probabilia vero scripsisse mihi videntur Friederichs-Wolters sub numero 444 de Palladis simulacro quod nunc in museo Dresdensi asservatur: „Wir besitzen in dieser Statue die Nachahmung eines altertümlichen Götterbildes, wie man vermutet hat der Athena Polias, die im Erechtheion zu Athen verehrt wurde. Ihr wurde alljährig ein Gewand dargebracht, in welches der Kampf der Götter mit den Giganten hineingewebt war; der Torso zeigt, wie wir uns dasselbe etwa denken können." Nam licet etiam Phidiae simulacrum Virginis tali peplo fuerit indutum, „archaïsticum" illud testatur aliud signum exemplo fuisse artifici qui Palladem Dresdensem fecit, propter peplum autem de Poliade cogitare mihi absurdum non videtur. Ac rogare velim utrum deam urbis protectricem inermem an potius armatam cogitare debeamus. Hoc signum et habitu et ornamentis Minervae templi Aeginetici simile est.

Sed ut iam supra dixi, etiamsi Furtwänglerum secuti nobis Poliadem informemus sedentem, inermem, manibus genibus innixis, deam cuius in inscriptione nostra fit mentio non esse Poliadem certum est. Nuper Berolini figurarum illarum e terra cocta specimina varia aspicere potui, etiam talia, quibus, ut Furtwängleri verbis utar, „eine Aigis auf die Brust gemalt oder ein hoher Helmkamm aufgesetzt war;" sed ne talis quidem signi manus patera ornari potuisse mihi videtur, quod in signo currenti vel stanti et armato prorsus absurdum est.

Itaque ad verba inscriptionis illustranda aut Iahni illa imago vascularia videtur conferenda aut — nam rem minime constare fateor — statuae astantes manu altera vestem tenente, altera porrecta, quae in Acropoli inter rudera e temporibus Persicis sunt inventae. De priscae certe artis signo cogitandum arbitror propter ornamenta pretiosa, quae in simulacro chryselephantino non potuerunt offendere, temporibus classicis quae dicuntur rara fuerunt [1]).

1) Friederichs-Wolters sub numero 474.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex pag.* 94).

XCI.

AD SEXTAM ISAEI.

Sexta Isaei impeditum habet intellectum quum ob alia multa, tum vero praecipue, quia sic videtur causa agi (cf. § 11), quasi potuerit Euctemo, quum esset ei nupta Mixiadis filia, ex alia uxore iustos filios procreare. Etenim quum doceant Androcles et Antidorus, Euctemonis cognati [1]), Euctemoni iustos filios genitos ex Callippe, ipsius pupilla [2]), non hoc respondet orator: iustos filios procreari non potuisse, nisi ex ea quae genitori eorum iure nupsisset, nec posse quam iure nubere uxorem habenti; sed respondet: filios, qui dicantur iusti, nec patre Euctemone nec Callippe matre, sed ex Dione quodam libertino et ex Alce veteri prostibulo in lupanari natos esse. Ergo concedere videtur, potuisse Callippen iustos filios parere Euctemoni durante adhuc priore [3]) cum Mixiadis filia matrimonio. Supervixisse enim marito Mixiadis filiam constat, perseverasse autem

1) De Androcle certa res est (§ 55).

2) § 13: ἐξ ἐπιτροπευομένης.

3) Priorem nupsisse Mixiadis filiam Euctemoni, inde colligitur, quod ex ipsa natus Philoctemo saepe iam ἐτριηράρχησε (§ 5) et in ipsa trierarchia mortem obiit (§ 27), quum Callippes sive is fuit Alces filius natu maior vixdum pubuerat (§ 14).

eam Euctemoni nuptam, etsi nominatim non exprimitur, bis tamen perspicue indicatur, ubi traditur *ἐπὶ γήρως* (§ 17) Euctemona apud Alcen consedisse, *καταλιπ(όντα) καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας καὶ τὴν οἰκίαν ἣν ᾤκει* (§ 21) et ubi traditur venisse ad exsequias eius cum filiabus uxorem et post controversiam fuisse admissam (§ 40). Nec tantum de Callippe concedere videtur orator, potuisse ex ea Euctemona, quum domi essset uxor, iustos liberos procreare, sed etiam ultro docet postea rursus Euctemona duxisse alteram uxorem (§ 22 *ἐγγυᾶται γυναῖκα*), quasi ne nunc quidem obstiterit prius matrimonium. Iustum scilicet posterius fuisse eo demonstratur, quod a prioris uxoris filio redemptum est (§ 23, 24). Difficultatem sic solvit Lipsius [1]): antequam alteram uxorem duxerit, repudiasse Euctemona Mixiadis filiam, deinde reduxisse eam sibi in matrimonium, illa altera uxore dimissa [2]). Non movetur eo, quod sic loquitur orator, quasi inter Euctemona et Mixiadis filiam divortium numquam intercesserit; nam pro clientis utilitate dissimulasse eum, quod aperte negare non poterat, divortium [3]), quum futurum speraret, ut ea ratione opinio iudicum animis insideret, post primas taedas Euctemona caelibem numquam fuisse, proinde non potuisse eum praeterquam ex Mixiadis filia iustos filios procreare. Est quidem quidvis potius admittendum, quam dicendum licuisse civi Atheniensi duas uxores simul habere [4]), attamen ante videndum, quid orator adferat, quam extrinsecus nodus solvendus. Atqui neglexisse videntur omnes, qui hanc causam tractaverunt hactenus, magnopere nisos Androclem Antidorumque, ut viderentur Callippes, ut ipsi dicebant, filii procreati *ἐξ ἐπιτροπευομένης* (§ 13), diversam partem: (*ὅτι οὐκέτι*) *ἐπιτροπεύεσθαι προσῆκε* [5]) *τὴν Καλλίππην* eo tempore, quo peperisse diceretur,

1) *Der attische Prozess* p. 502 (not. 64). Praeiverat Luzac.

2) Dimissam constat (§ 24).

3) „*Das Schweigen des Redners über dies Verhältniss ..... wird ..... ausreichend durch das Interesse der von ihm vertretenen Sache motivirt.*"

4) Cf. Herod. II § 92: *γυναικὶ μιῇ ἕκαστος αὐτῶν συνοικέει, κατάπερ Ἕλληνες.* Potest quidem *δύ' οἰκίας* (*τις ο*)*ἰκεῖ*(*ν*) (Demosth. XXXIX § 26), sed erit altera uxoris altera concubinae. Cf. Andoc. I § 124.

5) Itaque poterat iure ipso *ἐπιτροπεύεσθαι* etiam maior femina (*τριακοντοῦτις*). Non ex fide locum interpretati sunt Meier et Schoemann, *Att. Proz.* p. 452 (Lipsius p. 561), Beauchet, *Droit privé de la républ. Athén.* II (1897) p. 329[a], et horum exemplo Dareste, *les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 126.

τριακοντοῦτιν γε οὖσαν (§ 14). Ergo vicissent Androcles et Antidorus, modo constitisset novos filios ex Euctemone et Callippe natos tunc, quum esset ea Euctemonis pupilla. Et quidni potuit Athenis lex fuisse, ut ex tutore et pupilla omnimodo iusti liberi nascerentur? Cogitandum est praeterea, si hoc placeat, simul intelligi, quod nondum intellectum est [1]), cur debuerit Mantias Plangonis filios agnoscere, quum iurasset ea ipso deferente, ἦ μὴν τοὺς παῖδας ἐξ αὐτοῦ γεγονέναι (Demosth. XL § 10); fuerat scilicet Plango Mantiae pupilla [2]). Quod dissimulat quidem Mantiae ex iusta uxore filius, sed pellucet res, ubi docet contendere adversarios, ὡς δημευθείσης τῆς Παμφίλου οὐσίας [3]), ὃς ἦν πατὴρ τῆς Πλαγγόνος, τὰ περιγενόμενα χρήματα ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς ἔλαβεν ἐκ τοῦ βουλευτηρίου (§ 20). Ergo haud magis in causa Callippes, quam Plangonis, antecedens divortium requirendum est; quod autem ad illam alteram uxorem pertinet, quam post Euctemo duxit (§ 22), parum refert utrum statuamus priori uxori repudium esse missum, an Athenis visum, quod Romae certe multis placuit [4]): *novis nuptiis fieri cum superiore* uxore *divortium* [5]). Erat certe Euctemonis novorum filiorum causa infirma, ea de re, opinor, quod mater, quae dicebatur, mortua erat (§ 64, 65), antequam agnoscerentur, ipsi autem apud Alcen, turpem personam, plerumque delituerant; et impetraverat quidem Euctemo a Philoctemone ex iusta uxore filio pro pretio repudii, quod missurus esset illi alteri uxori, quam

1) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 530/1.

2) Quodsi uxor fuisset (cf. Lipsius, not. 139), non intelligeretur, cur ab ipsa iusiurandum exactum sit. Nam parum est probabile, apud Athenienses fallere regulam, qua *pater is est, quem nuptiae demonstrant.* Ne Andocides quidem (I § 126) eo pertinet, videtur enim ibi pater haud filium magis quam matrimonium abiurare (cf. § 124: τὴν μητέρα .... ἔλαβε. *Uxorem* supplent Meier et Schoemann, *Att. Proz.* p. 429, *concubinam* Lipsius p. 529).

3) Non propter crimen aliquod, sed propter debita (§ 22).

4) Thal. sch. 2 (i. f.) ad Bas. 28. 3. 5.

5) Cic. de Orat. I 40 § 183. — Falso putat Girard, *Manuel* (1901) p. 159* secundum hanc sententiam impunita fore maritorum matrimonia, quum in ea re *factum notetur* (l. 13 § 4 D. 3 2), neque id aliter constitui possit apud eos, qui binas eiusdem eodem tempore iustas nuptias non admittunt. Erit enim necessario aut secundum matrimonium propter prius irritum aut posteriore prius solutum (Beauchet, *Droit privé de la rép. Athén.* I (1897) p. 41 ima: „*étant admise l'unité du mariage ..... la validité du second présuppose la dissolution du premier*").

postea duxerat, ut liceret sibi maiorem natu Callippes filium, sive is fuit Alces, quasi iustum *εἰς τοὺς Φράτερας* (*εἰσάγειν*) [1]), sed certa lege (*ἐπὶ ῥητοῖς*), id est, praeter unum agellum (*χωρίον ἕν*) ex hereditate ne quid is acciperet (§ 21—26). Quae pactio quomodo rata fuerit, valde quaeritur. Iubet enim lex omnes filios esse *ἰσομοίρους* (§ 25), quum ab intestato veniant [2]). Ergo qui poterat pactione patris cum uno filio alterius filii portio in locuplete hereditate ad unum agellum redigi vel omnino circumscribi? Docet quidem orator Euctemona, Philoctemone mortuo, etiam instar testamenti [3]) fecisse, quo pactionem illam confirmaret (§ 28), sed hic similiter quaeritur, quomodo potuerit testator iuri publico derogare. Etsi enim permissum est decernere filio maiori *πρεσβεῖα* [4]), certe non propterea permissum videtur [5]) minorem [6]) filium parte fraudare sua una aliqua re minima salva; aut, si putamus id quoque permissum esse, nova quaestio oritur, cur tandem Euctemo confirmaverit pactionem testamento. Ideo enim pactus erat, ut filium introduceret, quae causa in testamento cessabat filio iampridem introducto [7]). Ergo necesse est statuamus pactionem etiam ab intestato ratam fuisse [8]). Cui videbatur obstare iuris regula: *ἅπαντας τοὺς γνησίους ἰσομοίρους εἶναι τῶν πατρῴων.* Credit igitur Schoemann

---

1) Apparet Euctemonis phratriae non talem fuisse legem — suas enim quaeque leges habebant phratriae (Isae. III § 76, VII § 16; VIII § 18; CIA II (add.) 841b lin. 14) gentesque (Andoc. I § 127) — qualem habebant *οἱ* Κήρυκες (Andoc. I § 127): *τὸν πατέρα ὀμόσαντα εἰσάγειν*, vel certe etiam fuisse talem: *μηδὲν ἧττον διαψηφίζεσθαι* (Isae. VII § 16).

2) Cf. Beauchet, op. cit. III p. 680[1].

3) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 598 not. 305 (i. f.) (= Schulin, *das griech. Testament* p. 9 ima); Schoemann, ad Isaeum p. 338/9.

4) Demosth. XXXVI § 34. — Ergo quod legitur apud Isae. VI § 28 filio neminem *ἐν διαθήκῃ γράφειν δόσιν*, multo vero magis quod èt ibi legitur èt apud Demosth. XLVI § 15 testamentum nullum esse eius qui filios habeat, id iam non ita stricte observabatur, etsi initio verum fuit (Schulin, *das griech. Testament* p. 15) salvo scilicet substitutionis pupillaris iure (Demosth. XLVI § 24).

5) Lipsio utique (*Att. Proz.* p. 591/2).

6) Quin immo in proposita specie, mortuo Philoctemone, solum superstitem.

7) Ergo refellitur sententia quam tuetur van Hille (de testamentis iure Attico (1898) p. 77) testatum esse Euctemona *ut difficultates evitaret. Difficultates* enim ipsa introductio removerat.

8) Quorsum igitur testamentum? Fortasse quaedam mutari placuerat.

decreto phratorum pactionem fuisse ratam — eo enim redit [1]), si explicatio est, quod scribit [2]): *legitimationem .... hanc in phratorum album inscriptionem commodissime di(ctum iri)* — quod non est verisimile, phratorum enim ea dumtaxat potestas esse videtur, ut aut decernant *ὀρθῶς καὶ προσηκόντως τὸν παῖδα (τὸν δεῖνα) εἰσάγεσθαι* (Demosth. XLIII § 14) aut repellant [3]). Quamquam putat Lipsius [4]) certum *legitimationis* documentum exstare in causa filiorum Plangonis, quod ibi nomen rei positum inveniatur: *ποιεῖσθαι*, nec animadvertit, licet ipse locos laudet [5]), *ποιεῖσθαι* aliquando nihil esse aliud nisi *agnoscere*. Mihi hoc modo aenigma solvendum videtur. Adfert quidem pro puero grande praeiudicium sententia phratorum et eorum tacita confessio, qui potuerint abducendo *τὸ κουρεῖον* impedire, quo minus feratur sententia, nec impedierint [6]); sed non propterea auctoritatem rei iudicatae statim habet ea phratorum sententia [7]). Ergo poterat Euctemonis filius ex iusta uxore Philoctemo *ἐᾶσαι εἰσαγαγεῖν*, quem esse negabat fratrem (§ 23), et servare sibi contradictionem ad iudices, si non staretur pactis [8]), licet fuisset ei facilior apud phratoras [9]). Eandem ob causam Androcles Antidorusque, quum primum statuissent novis filiis hereditatem vindicare post mortem scilicet omnium Euctemonis ex iusta uxore filiorum (§ 29), ipso superstite, contenti non fuerunt praeiudicio, sed inprimis conati sunt illud testamenti instar, quod Euctemo fecerat, quo confirmaretur pactio cum Philocte-

---

1) Eodem redit explicatio Schulini (*das griech. Testament* p. 19 not. 50) *adoptionem* intelligi iubentis.

2) Ad Isaeum, p. 336. Cf. Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 7 not. 1 (med.); Lipsius, *Att. Pros.* p. 532[144].

3) Ad rem non pertinet, quod demonstrat Beauchet, op. cit. I p. 530/1, legitimationem fieri non posse sine periurio patris. Vidit ipse, ibid. p. 534/5.

4) *Att. Proz.* p. 531 not. 140.

5) Demosth. XL § 26; Andoc. I § 124.

6) Cf. Demosth. XLIII § 14, § 82.

7) Cf. Isae. X § 8, § 15; Beauchet, *droit privé de la rép. Athén.* I p. 535 lin. 3 sqq.

8) Vidit hoc van Hille, de testamentis iure Attico p. 78: *periculum erat ..... ne filiae eorumque κύριοι mortuo Euctemone introductionem ..... illegitime factam esse perhibentes totum patrimonium ..... vindicarent.*

9) Nam apud phratoras sufficiebat *ἀπάγειν τὸ κουρεῖον*, quae res poterat causam dare actioni iniuriarum adversus *τὸν ἀπαγαγόντα* (Demosth. XLIII § 14, § 82), sicut repulsa adversus ipsos phratores (Demosth. LIX § 60).

mone, de manibus extorquere depositario [1]), quod postquam frustra fuit (§ 30-32), tunc per magistratum novos filios quodammodo [2]) εἰσποι(εῖν) τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος υἱέσι τοῖς τετελευτηκόσιν (§ 36), quae quum altera fefellisset spes, prorsus iam desperasse videntur Androcles Antidorusque de summa re potiundi per novos filios Euctemonis hereditate; mortuo utique Euctemone, quasi nulli essent filii, Androcles [3]) iure cognati de duabus filiabus superstitibus, quarum altera maritum dudum sepeliverat, altera nupta perseverabat, alteram utram [4]) in iure petivit quasi epiclerum cum quinta hereditatis parte (§ 46: εἴληχε(ν) τῆς θυγατρὸς τοῦ Εὐκτήμονος, ὡς οὔσης ἐπικλήρου καὶ αὐτοῦ τοῦ κλήρου τοῦ Εὐκτήμονος *πέμπτου* μέρους ὡς ἐπιδίκου ὄντος). Mirantur interpretes, quid ita ex duabus epicleris alteram *quinta* pars hereditatis sequi potuerit, et sunt qui πέμπτου vocabulum audacter aut mutent [5]) aut cancellent [6]). Verum vidit iamdudum Schoemann [7]): epicleris partem fecisse liberos earum utriusque sexus, qui extitissent tempore eo, quo institueretur ἡ ἐπιδικασία, in proposita autem specie extitisse tres, id est, duos filios perseverantis in matrimonio, unam praeterea filiam viduae factae epicleri (§ 32), ergo quinque fuisse faciendas partes. Quam hoc argumento defendit opinionem: fore iniquum, si omnes res testatoris ad cognatos eant, qui epicleros vindicaverint, cum damno privignorum; sed ipse quoque orator manifesto demonstrat ab hac iniquitate legislatorem cavisse et certum ius privignis constituisse, tradit enim haud semel (§ 30, 47, 56): intestati exitum si facturus sit Euctemo, res eius perventuras ad τὰς θυγατέρας καὶ τοὺς [8]) ἐκ τούτων γεγονότας, quod non esset eventurum, nisi epiclerorum liberi matribus partem fecissent, ivissent enim omnes res ad cognatos quum fecissent ἐπιδικασίαν

1) Ergo videtur testamento deposito pristina cautio esse reddita. Alioquin quid attinebat reposcere testamentum manente cautione.

2) Rem explicuimus cap. LXXXIV (Mnemos. XXVIII p. 72).

3) Quidni etiam Antidorus? Fortasse uxorem is habebat nec eam repudiare voluit. Cf. Demosth. LVII § 41.

4) Utram revera petiverit, non exprimit orator.

5) Reponunt aut τοῦ aut ἐκ aut ἐπί.

6) Oppugnat πεμπτοῦ vocabulum etiam Lipsius, *Att. Pros.* p. 576 not. 261.

7) Ad Isaeum, p. 319 sq.

8) § 56: ἡμᾶς, τούς.

et liberos ab istis ex epicleris procreandos [1]). Atqui nullum effectum habuit Androclis petitio, quia interim unus privignus Chaerestratus, quasi heres scriptus ab Euctemonis filio Philoctemone, quem ante patrem mortuum supra commemoravimus, totam hereditatem petivit, atque sic Androclem exclusit, quo pertinet ipsa sexta Isaei oratio. Quamquam diu est, ex quo certant viri docti, Chaerestratum inter et Androclem utra hereditas in controversiam venerit: Philoctemonis, an patris Euctemonis, quum subscripta sit oratio *περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου*, sint nihilominus haud levia indicia actam potius esse causam Euctemonis bonorum quam Philoctemonis. Veluti, quod *λαχόντος ..... τοῦ Χαιρεστράτου κατὰ τὸν νόμον τοῦ κλήρου ....., διεμαρτύρησεν Ἀνδροκλῆς ..... μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον* (§ 3 sq.), id procedit circa Euctemonis hereditatem, cuius nunc rursus ex Callippe filium esse legitimum contendebat Androcles (§ 46), eum ut excluderet, a quo ipse esset exclusus. Ex diverso Philoctemonis hereditas, si qua erat, omnimodo *ἐπίδικος* videri debebat, *ἐπειδὴ ..... τῷ Φιλοκτήμονι ἐκ τῆς γυναικὸς ᾗ συνῴκει οὐκ ἦν παίδιον οὐδέν* (§ 5), erat sane filius adoptivus, quia *Χαιρέστρατον ἐποιήσατο υἱόν* (§ 6), non tamen pro hoc filio interponebatur testatio [2]). Ergo non miror plerisque [3]) visam esse sub nomine Philoctemonis causam agi bonorum Euctemonis, quod mihi quoque verum videtur; illud miror: non vidisse viros doctos, qua de re certarent, eadem de re certatum Chaerestratum inter et Androclem, ut, quam hereditatem ille diceret Philoctemonis, huic Euctemonis diceretur (§ 56: *εἰ γὰρ, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ... Εὐκτήμονός ἐστιν ὁ κλῆρος*, id est: *ὁ κλῆρος περὶ οὗ ἀμφισβητοῦμεν* [4]), non, quem intelligi iubet Schelling [5]): *ὁ Φιλοκτήμονος κλῆρος*), vel quum vidissent certatum

1) Isae. VIII § 31 (*ἐκ τούτου καὶ ἐξ ἐκείνης*).

2) Potueritne, quum esset Chaerestratus testamento, non inter vivos, adoptatus, quaerit Schoemann, ad Isaeum p. 198 (adnot. ad p. 197); opusc. acad. I p. 282[11]; Lipsius, *Att. Proz.* p. 605 not. 327.

3) E. g. Georgio Friderico Schoemann, ad Isaeum, pag. 321; opusc. acad. I pag. 277/8. A diversa parte stare video patrem, Mnemos. I p. 388.

4) Ita vertit Dareste, *les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 122.

5) De Solonis legibus (1842) p. 112. Atqui Euctemonis mortui nihil suum esse poterat. Dicendum igitur Isaeo fuisset: *εἰ γὰρ, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ... Εὐκτήμονος ἦν ὁ κλῆρος*, ut procederet interpretatio, quam refutamus.

esse, non intellexisse, quo ea certatio pertineret. Veluti scribit Schoemann [1]), Chaerestrato Euctemonis hereditatem, quasi Philoctemonis, petente *contra tetendisse adversarios*, sed non exprimit, quam ob rem *contra* hi *tetenderint*, immo, quum putet [2]) ideo Chaerestratum quasi Philoctemonis hereditatem petivisse, *ut, quo titulo pet(ere)t, statim appare(re)t*, omnem *contra tendendi* causam adversariis ultro eripit. Cur enim titulum a contradictore edi sibi noluissent, quod ponendum fuisset beneficii loco [3]). Atqui, si noluerunt Chaerestratum pro Philoctemonis herede gerere, omnique vi connisi sunt, ne hoc titulo ille uteretur, magnopere interfuerit oportet. Est autem res eiusmodi: non poterat Chaerestratus Euctemoni heres esse ex testamento Philoctemonis, quia debet unusquisque testari *περὶ τῶν ἑαυτοῦ* (Isae. X § 22), ergo, si vera erat intentio *τὸν κλῆρον εἶναι Εὐκτήμονος*, de quo ageretur, necessario sequebatur, *ὅτι οὐκ ἐξῆν Φιλοκτήμονι διαθέσθαι* in rebus scilicet alienis, idque ipsum ab Androcle non esse omissum, docet orator § 56: *εἰ γάρ, ὡς οὗτοι λέγουσιν* [4]), *τῷ μὲν Φιλοκτήμονι μὴ ἐξῆν διαθέσθαι κτλ.* Ergo haec illi causa quasi de Philoctemonis hereditate agendi. Quamquam sufficere ea non videtur Rudolpho Dareste, putat enim Chaerestratum a Philoctemone in hereditatem paternam adoptari potuisse [5]), quod ne orator quidem ipse adseverare ausus est. Adversariis autem, cur negarent eum Philoctemonis heredem, ea causa erat, quia metuebant ne hoc titulo mox abuteretur ad insinuandum se in hereditatem Euctemonis. Quem metum non fuisse novum, eo demonstratur, quod similis controversia invenitur in quarta [6]) Isaei oratione, ubi Chariades, quam he-

---

1) Ad Isaeum pag. 321. In opusculis (I p. 272-284) hoc omisit.

2) Ad Isaeum pag. 321; opusc. I p. 277/8.

3) Cf. c. 11 C. 3. 31.

4) Nempe *ἐν τῇ ἀντιγραφῇ*, nam in ipsa diamarturia id non expresserant (§ 52, cf. § 62).

5) *Les plaidoyers d'Isée* p. 105/6: *„c'est .... comme fils adoptif de Philoctémon, qu'il pourra recueillir la succession d'Euctémon."*

6) In tertia oratione (§ 3) ideo nulla talis controversia oritur, quia, quae petebat iure amitae Endii hereditatem, Endii mater eademque post adoptatum Endium a Pyrrho matris fratre amita, ea non negabat (*ὅτι Πύρρου*) *ἦν ἐξ ἀρχῆς ὁ κλῆρος*. Quibus verbis demonstratur amitam petivisse, sicut diximus, Endii hereditatem, proinde *τοῦ ἀδελφοῦ* non esse vertendum, quasi scriptum sit *τοῦ αὐτῆς ἀδελφοῦ* (ita vertit Dareste, *les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 40 ia. p. 36), sed explicandum *τοῦ*

reditatem relictam esse dicerent Hagno et. Hagnotheus a Nicostrato Thrasymachi, ipse relictam esse dicit a Nicostrato Smicri (§ 3: *Χαριάδης δὲ καὶ οἱ συνδικοῦντες αὐτῷ Σμίκρου μὲν πατρὸς εἶναι φασὶ τὸν Νικόστρατον, ἀμφισβητοῦσι δὲ τοῦ Θρασυμάχου υἱοῦ κλήρου*). Illud interest, quod inter Chariadem et Hagnonem Hagnotheumque de facto disceptatur: sitne ex Smicro Nicostratus an ex Thrasymacho; at inter Chaerestratum et Androclem de iure controversia est: sitne filii hereditas patre superstite. Non enim alio argumento adversus Chaerestratum uti poterant, qui Philoctemoni se heredem ex testamento dicebat, quam quod supervixerat pater Euctemo, siquidem demonstraturi erant, non: testamento aliquid deesse, sed: *ὅτι οὐκ ἐξῆν Φιλοκτήμονι διαθέσθαι.* Quod ita poterat procedere, si Philoctemonis nulla erat hereditas, alioquin, si erat hereditas, cur tandem heredem instituere sibi non potuisset [1])? Et satis apparet hac parte infirmam esse Chaerestrati defensionem, qui, ut demonstret Philoctemonis esse hereditatem, argumento utitur nullo, sed quasi furtim captat iudicum animos [2]), dum haud secus ac fortuito commemorat cum filio Philoctemone patrem Euctemonem aliquando censum esse (§ 38: *οὕτω πολλὴν οὐσίαν ἐκέκτητο Εὐκτήμων μετὰ τοῦ υἱέος Φιλοκτήμονος, ὥστε ἅμα τε τὰ μέγιστα ὑμῖν λειτουργεῖν ἀμφοτέρους κτέ.*), novit enim, quam id ad rem pertineat [3]). Nam, sicut Romae qui *duicensus* ideo dicitur, quod cum filio censetur, non is in bonis consortem nanciscitur et multo minus successorem, ita Athenis patris non desinit esse census, in quo filius *λειτουργεῖ* [4]). Habemus igitur actorem re

---

ἐμοῦ ἀδελφοῦ. Ceterum, quum vindicasset amita Endii hereditatem, ideo soror hereditatem quasi Pyrrhi vindicavit, ut posset, quasi de patris hereditate ageretur, uti *διαμαρτυρίᾳ*. Cui cessisse amitam apparet et *μάρτυρι ἐπισκήψασθαι.* Nihilominus Schoemann scribit, opusc. academ. I p. 277: „*διαμαρτυρίαν* in causa hereditatis pro fratribus interponi potuisse, quis umquam fando audivit?" Quod in illa causa re obtinuit.

1) Hactenus verum vidit Schoemann, opusc. academ. I p. 279 (ima): *si propria bona habuit, qui poterant negare de his eum testari potuisse? Nonne igitur hoc ipso, quod ius ei testandi negant, etiam propria bona ei fuisse negant*?

2) Similiter quod legitur § 47: Androclem *τόν τε Εὐκτήμονος οἶκον καὶ τὸν Φιλοκτήμονος* decrevisse sibi habere, captatio est, non argumentum.

3) Decepit nihilominus non modo Schoemannum aliosque multos grammaticos, sed etiam virum iuris consultissimum Dareste (*les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 106).

4) Isae. II § 42. Cf. praeterea de duicensis: Isocr. XV § 145; Lys. XIX § 29, 42, 43.

confitentem filii nullam esse hereditatem patre superstite, quod adeo latuit viros doctos, ut quaesiverint acerrime, quis locus patri sit, et an omnino locus, in bonis filii ante defuncti [1]), quae bona aut nulla sunt [2]), aut patris vel naturalis vel adoptivi. Quod demonstrat Demosthenes in causa Spudiana (or. XLI), ubi narratur Polyeuctus quidam adrogavisse Leocratem quendam deinde vero adoptione rescissa reddere noluisse abdicato, *ἅπερ ἦν εἰς τὴν οὐσίαν εἰσενηνεγμένος* (§ 3, § 4), unde sequitur filium familias iure Attico nihil suum habuisse, sed omnia patri quaesivisse [3]). Itaque, sicut pater Siculus [4]), ita pater Atheniensis per filium heres existit, non quidem ex testamento, quia heredis institutio filiifamilias condicionem habet in adoptionem dationis [5]), sed ab intestato *κατὰ τὴν μητέρα* (cf. Isae. VII § 24), quam hereditatem eius matrimonii filii praecipient iudicio familiae herciscundae dotis exemplo [6]), quae interim mariti est [7]), quamquam solet in ea re errari [8]). Ideo autem dicimus heredis institutionem filiifamilias condicionem habere in adoptionem dationis, quia ipsa heredis institutio nihil est aliud nisi adoptio [9]) imperfecta, post mortem perficienda (*διὰ*) *τὰ κοινὰ γραμματεῖα* [10]); sunt autem *τὰ κοινὰ* (Isae. VII § 1) inprimis *τὸ φρατερικὸν* [11]), deinde vero *τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* [12]), nec debet quis *πρότερον εἰς τοὺς δημότας ἢ εἰς τοὺς φράτερας* (*ἐγγράφεσθαι*) [13]).

---

1) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 578 not. 263.

2) Putat Lipsius, *Att. Proz.* p. 579, hoc naturaliter usu venturum, ubi bona singulorum praecipue constent praediis. Quam probat ratiocinationem Beauchet, *Hist. du droit privé de la rép. Athén.* III (1897) p. 495.

3) Interdum etiam *ἀτιμίαν* (vit. Antiph. § 24 (i. f.); cf. Aesch. III § 21).

4) Cic. Accus. III 10 § 27, IV 7 § 19-21.

5) Cf. Isae. XI § 45.

6) Demosth. XL § 14, § 15.

7) Dotem esse mariti, non uxoris, manifesto demonstrat Demosth. XXVII § 4 et XXX § 7, § 10, § 16.

8) Cf. e. g. Lipsius, *Att. Proz.* p. 519 not. 111; Hitzig, *das griech. Pfdr.* (1895) p. 42[2]; id. *Ztschr. der Sav.-St.* XVIII (1897) p. 155; Beauchet, *Hist. du droit privé de la rép. Athén.* I (1897) p. 303[1].

9) Isae. II § 14; VII § 1; XI § 41, § 45.

10) Isae. X § 6, § 9; Demosth. XLIV § 19, § 41, § 50 § 51.

11) Demosth. XLIV § 41.

12) Isae. VII § 27.

13) Demosth. XLIV § 44.

Illuc unde abii redeo: quum filius nihil suum habeat, ergo ante defuncti filii nec heres est pater et omni herede potior, quia recte intendit *αὐτοῦ εἶναι*, quaecumque filius reliquerit, nisi is in aliena familia decesserit [1]). Loquimur autem de iis scilicet filiis, quibuscum pater bona sua non diviserit; potest enim pater vel cum omnibus liberis [2]) vel cum quibusdam [3]) partiri, qui dicuntur *χωρὶς οἰκεῖν* et *νενεμῆσθαι* [4]), nec iam iis est cum patre fratribusque in potestate retentis *κοινὴ ἡ οὐσία* [5]). Quod non ita tibi est intelligendum, quasi revera socii sint in potestate retenti [6]), *quum istarum personarum nihil suum esse possit* [7]), sed quia *vivo quoque parente quodammodo domini existimantur* [8]), ideo *κοινὴ* quodammodo *ἡ οὐσία* existimari potuit. Scio sane opposituros mihi legem Atticam, qua cavetur, ut filius pubes factus sicut ceteris parentibus [9]), ita patri inopi alimenta praestet et habitationem [10]), quod onus frustra iniungatur proprium nihil habenti. Sed pertinet lex imprimis ad ea, quae filius *μισθαρνεῖ*, eorum enim dominus esse videtur [11]), deinde vero ad avi materni legitimam hereditatem, hac enim ex epiclero filius pubes patre superstite potitur [12]). In ceteris igitur rebus vera sunt, quae superius comprehendimus; de his autem ipsis et *χωρὶς οἰκούντων* bonis prorsus ignorari fatendum est, quo ierint filio ante patrem mortuo. Iure utique Romano [13]) exceptis emancipatorum bonis etiam talia *non quasi hereditas sed quasi*

---

1) Demosth. XLIV § 32, § 33; Isae. XI § 45, § 49.
2) Lys. XIX § 37.
3) Demosth. XLVII § 34.
4) Demosth. XLVII § 35.
5) Demosth. XLVII § 34. — Diversum putat Lipsius, *Att. Pros.* p. 579 not. 264. Confundit scilicet *cum* filiis et *inter* filios (Demosth. XLIII § 19) divisionem. Quod explicabitur cap. XCIV.
6) Cavet ab isto errore Lipsius, op. cit. p. 579 not. 265.
7) Cf. Gai. II § 96.
8) Cf. Gai. II § 157; Paul. l. 11 D. 28. 2.
9) Isae. VIII § 32; I § 39.
10) Aesch. I § 13; Plut. Sol. 22.
11) Demosth. XXIV § 200, 201.
12) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 615 not. 356*a*; Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 10².
13) Quod quidem fuit ante Nov. 118.

peculium patri deferuntur [1]), modo filius intestatus decesserit *nullis liberis vel fratribus superstitibus* [2]), aut, si de nepotis bonis iure avi agitur, pater quoque decesserit [3]).

1) L. 2 D. 49.17. — Plures locos dabit Windscheid (1891) § 516 not. 1a.

2) pr. Inst. II 12; cf. c. 10 pr., § 1 C. Th. 8.18; c. 1 § 8 Nov. Theod. XIV (= c. 8 pr. C. 6.61); c. 4 C. 6.61; c. 33 (34) C. 1.3; c. 11 C. 6.59; c. 6 § 1c C. 6.61. Add. c. 7 § 2 C. 6.56.

3) c. 8 § 1 C. 6.61.

AD CRATINUM.

Argumentum *Cratini* fabulae *Dionysalexandri*, quod in IV° volumine papyrorum Oxyrhynchiorum nuper est evulgatum [1]) — lacerum sane et capite truncum, ita tamen servatum ut summa rerum probe cognoscatur, — ultima verba haec sunt:

κωμῳ-
δεῖται δ' ἐν τῷ δράματι Πε-
ρικλῆς μάλα πιθανῶς δι'
ἐμφάσεως, ὡς ἐπαγηοχὼς (-γει- pap.)
τοῖς Ἀθηναίοις τὸν πόλεμον.

Omnia hic clara sunt et integra praeter vocem ἐμφάσεως. Quae quomodo sit corrigenda dubium non videtur. Nam quis fabulae Aristophaneae Acharnensium vel Plutarchi vitae Periclis memor non requirat hic nomen *Aspasiae*? Equidem confidenter scribo: κωμῳδεῖται ... Περικλῆς ... δι' Ἀσπασίαν, ὡς ἐπαγηοχὼς τοῖς Ἀθηναίοις τὸν πόλεμον.

Id quod in archetypo legebatur ΔΙΑCΠ$\overset{\text{C}}{\text{Α}}$ librarius male interpretatus est et ita supplevit ut ΔΙΑΕΜΦΑC(εως) fieret, *emphaseos* termini grammatici tempore parum opportuno memor. Sic is qui Rempublicam Atheniensium exaravit in medio plebiscito ad rem *metricam* aberrans *senatum convocari* iussit *secundum caesuram semiquinariam*, τὰς ἕδρας ποιεῖν τῆς βουλῆς κατὰ πενθημίμερον. Ante oculos habebat κατὰ πενθήμερον *per quinque dies* (Rep. Ath. 30 § 4). V. L.

1) Oxyrhynchus papyri IV p. 71 sq.

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e Vol. XXX pag.* 188.)

XXIII.

DE ILIADIS CODICE A.

Imaginem phototypam codicis Iliadis A a Sythoffio nostro recens editam cum triennio abhinc pervestigare coepissem, desiderabam indicem. Quem meos in usus dum conficiebam, — excudendum et operi inserendum dein curavit editor de bonis litteris egregie meritus, — advertit me res quam nondum videram indicatam, sive mea haec fuit neglegentia, sive revera hactenus philologos fugit.

Codicem qui summa cura et egregie sibi constans neque intermisso ut videtur labore perscripsit librarius, in singulis paginis versus XXV exarare inde ab initio secum decrevit. In nonnullis [1]) tamen paginis sunt versus XXIII—XXVII. Quas paginas perlegentibus nobis mox apparet non caeco alicui casui deberi illam discrepantiam, — nedum socordiae sit insimulandus librarius homo diligens, — sed in paginis nimis brevibus versus quosdam suspectos deesse, in nimis longis dubios quosdam versus numero solito *ἀλόγους* — ut loquebantur veteres [2]) — superadditos esse.

1) Si bene numeravi, in duodevigesima quaque (38/630 = 1/17).
2) Cf. Enchir. dict. ep. LI sq.

Itaque sic rem se habere intellegimus. Exemplar, quod secutus est librarius, item in singulis paginis vicenos quinos — in singulis igitur membranis sive foliis duplicibus centenos [1]) — versus habebat a prima manu exaratos, sed hic illic a correctore unus et alter ex his deleti, alibi in margine unus vel etiam duo versus adiecti erant [2]). Eiusmodi paginas librarius qui codicem A scripsit uno duobusve versibus fecit auctiores aut breviores, ne a dispositione archetypi quod sequebatur aberraret.

Singulos locos indicabo.

Fol. 35ª] B 538—565 (27). — In margine additos codex archetypus habebat versus duos; horum alter fuit versus 549, quem omittit papyrus Ox., alter fortasse fuit versus 557. — Praeterea in archetypo defuisse versum 558, ut in papyro Ox. et in ipso A aliisque, per se intellegitur.

Fol. 35ᵇ] B 566—592 (27). — In margine archetypus habebat B 579 sq., quos damnabat Zenodotus.

Fol. 41ª] B 843—865 (23). — In archetypo scripti sed a correctore deleti erant versus duo, quos praebebant priscae quaedam recensiones: „Πηλέγονός θ' υἱὸς περιδέξιος Ἀστεροπαῖος" (post vs. 848) et: „Καύκωνας δ' αὖτ' ἦγε Πολυκλέος υἱὸς ἀμύμων" (post vs. 855).

Fol. 77ᵇ] E 761—786 (26). — In archetypi margine exulabat B 786, quem propter nimiam hyperbolam quidam olim omittebant.

Fol. 78ª] E 787—812 (26). — Versum B 808 omittebat Aristarchus.

Fol. 105ª] Θ 218—246 (26). — Versum Θ 235 damnabant Aristophanes et Aristarchus.

Fol. 106ª] Θ 272—297 (26). — Versum Θ 284 omittebat Zenodotus, obelo notabant Aristophanes et Aristarchus.

Fol. 135ª] K 452—477 (26). — Suspicor archetypum in margine habuisse versum famosum 457: „φθεγγομένου (vel -νη) δ' ἄρα τοῖο κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη."

1) Centesimum quemque versum in papyris Bankesiano aliisque (127, 128, 136 Mus. Brit.) indicatum esse meminisse iuvat nunc.

2) Sic ipse A in margine habet e. g. dubiae fidei versus Ξ 420 (fol. 188ᵇ), Σ 381 (fol. 246ᵇ), Τ 287 (fol. 265ᵇ), Χ 316 (fol. 288ᵇ).

Fol. 182^{b}] Ξ 102—127 (26). — Versum Ξ 114 omittebat Aristophanes, damnabant Zenodotus et Aristarchus.
Fol. 227^{b}] P 201—226 (26). — In margine archetypus habebat versum P 219, quem nunc omittunt D Lips. Townl.
Fol. 242^{b}] Σ 176—202 (27). — In margine archetypus habebat vs. 200 sq., quos omittit Syriacus.
Fol. 247^{b}] Σ 429—454 (26). — Ad versum 441 annotatum est: „ἐν τισιν οὐ κεῖται", nunc omittit papyrus Harris.; hunc igitur in margine habuit archetypus.
Fol. 262^{b}] Τ 126—151 (26). — Codices multi omittunt versum 135.
Fol. 266^{a}] Τ 303—330 (27). — Versus 316 sq. omittit Syriacus.
Fol. 289^{b}] Χ 360—385 (26). — Versum 363 omittit D.

Non omnibus sane locis rei causam digito sic indicare licet; ego certe dicere non habeo cur etiam sequentes paginae sint versuum XXVI:
fol. 60^{b} (Δ 460—485), 82^{a} (Z 76—101), 82^{b} (Z 102—127), 83^{a} (Z 128—153), 83^{b} (Z 154—179), 86^{a} (Z 280—305), 88^{a} (Z 386—404) [1]), 103^{a} (Θ 116—141), 108^{a} (Θ 374—399),
versuum XXVII:
fol. 167^{a} (N 151—177), 167^{b} (N 178—204), 175^{a} (N 558—584), 175^{b} (N 585—611),
versuum XXIV:
fol. 298^{a} (Ψ 262—285), 298^{b} (Ψ 286—309), 301^{a} (Ψ 410—433), 301^{b} (Ψ 434—457).
Eadem tamen quin plerisque horum locorum rei causa fuerit, minime videtur dubium; veri autem est simile in quibusdam archetypum deletos aut in margine adiectos habuisse versus, quos prima manus mero errore bis scripsisset aut omisisset.

Mitto nunc paginas iusto breviores longioresve, quas adiecit manus recentior [2]).

---

1) Incipit autem haec pagina a linea meris punctis obducta. Desunt ibi versus quinque (381—385) contextu invito; cuius vitii causa fuit idem versus bis hoc loco lectus (380 = 385). Errorem commisit (aut ex alio codice repetivit) librarius archetypi, agnovit autem librarius noster, sed lacunam unde sarciret non habuit.

2) Paginas dico 74^{b}, 229^{a}, 229^{b}, 234^{b}, 238^{a}, 254^{a}, 256^{b}, 257^{b}. Una tamen in his

Sed addendum est aliquid de paginis nonnullis, quae licet revera sint versuum XXV, plures habere videntur si solum indicem inspicias; e. g.: „fol. 17^{a}] Λ 271—276." Dixeris XXVI versus in ea pagina legi, sed deest in A, ut in codicibus plerisque, versus Λ 265: sequitur ut etiam in archetypo defuisse eum statuamus. Idem valet de ceteris quas indicabo paginis.

Fol. 17^{a}] om. Λ 265.
27^{a}] „ B 168.
43^{b}] „ Γ 78.
58^{b}] „ Δ 369 [1].
63^{a}] „ E 42 (item Ox. alii).
95^{b}] „ H 234.
98^{a}] „ H 368 sq.
98^{b}] „ H 385.
104^{a}] „ Θ 183.
106^{b}] „ Θ 315.
109^{b}] „ Θ 466—468.
111^{a}] „ Θ 548 et 550—552.
120^{b}] „ I 458—461.
129^{b}] „ K 191.
136^{b}] „ K 531.
148^{a}] „ Λ 543.
150^{b}] „ Λ 662.
158^{a}] „ M 197.
158^{b}] „ M 219.
169^{a}] „ N 255.
170^{a}] „ N 316.
Fol. 172^{a}] om. N 422.
178^{a}] „ N 731.
178^{b}] „ N 749.
181^{b}] „ Ξ 70.
185^{b}] „ Ξ 269.
188^{b}] „ Ξ 420.
200^{b}] „ O 481.
213^{b}] „ Π 381.
218^{a}] „ Π 614 sq.
219^{b}] „ Π 689 sq.
235^{a}] „ P 585.
246^{b}] „ Σ 381.
255^{a}] „ T 177.
265^{b}] „ T 287.
273^{a}] „ Φ 151.
278^{b}] „ Φ 434.
280^{a}] „ Φ 510.
284^{b}] „ X 121.
288^{b}] „ X 316.
304^{a}] „ Ψ 565.
308^{b}] „ Ψ 804.
324^{b}] „ Ω 693.

mentione digna est 74^{b}, ubi rei ratio clare perspicitur. Nam qui sex folia olim deperdita (E 336—635) supplevit, codicis librarium imitatus in singulis paginis et ipse versus exaravit XXV; sed cum in pagina 71^{a} per errorem omisisset versus 438 sq., in ultima lacunae pagina quos scriberet nonnisi XXIII habuit.

1) *In margine* postmodo est additus, sed id nihil nunc ad nos; itaque ne sequentibus quidem locis versuum in margine suppletorum habebo rationem.

MOMMSENI EPISTULAE QUATUOR.

Iohannis Cornelii Gerardi Boot, qui annis repletus non onustus post hilaram senectutem in otio negotiosissimo ante triennium extinctus est, filia honoratissima benigne nuper nobiscum communicavit epistulas, quas annis abhinc fere quadraginta Bootio misit Theodorus Mommsen. Integris tunc viribus florebat uterque, nunc ambos terra habet; sed et Bootii memoria diu vivet inter omnes quibus bonae litterae curae sunt et nomen Mommseni late resonat resonabitque. Quapropter his epistulis, quibus clarum illud nomen est praescriptum, philologos frustrari noluimus, licet argumenti sint tenuioris.

I.

Mommsenus Bootio S. P. D.

Iam redit ad Te, vir optime et humanissime, quem mihi utendum transmisisti Morilloni liber hodie bibliothecae publicae Vestrae; exemplum eius meo iussu paratum propediem mittetur Roma ibique a sociis accurate excutietur. Tibi vero pro prompto Tuo paratoque officio gratias ago quam maximas et ut aliquando referre liceat vehementer exopto. Scripsi Berolini d. 4 m. Dec. a. 1860.

II.

Hochgeehrter Herr College,

Es was mir leider nicht möglich meinen Besuch bei Ihnen zu wiederholen, nachdem ich Sie am Nachmittag verfehlt hatte: denn mein Aufenthalt in Amsterdam war auf einen Tag beschränkt und der Abend durch die Untersuchung der beiden epigraphischen Handschriften der Stadtbibliothek in Anspruch genommen. So bin ich genöthigt eine Bitte, die ich Ihnen lieber mündlich vorgetragen hätte, nun schriftlich vorzubringen.

Der eine der beiden Codices, deren Untersuchung mir Hr. Lodeesen möglich gemacht hat, bezeichnet N. 111 [1]), muss für unser Corpus vollständig abgeschrieben werden. Er ist, wie ich ermittelt habe, geschrieben von Anton Morillon [2]), aus dessen Sammlung Smetius verschiedenes mitgetheilt hat, und enthält schwerlich sonst unbekannte Steine, aber brauchbare Abschriften bekannter. Auf meine Frage, in welcher Weise ich etwa die Mittheilung der Handschrift hieher erlangen könne, rieth mir Hr. Lodeesen Ihre Mitwirkung in Anspruch zu nehmen, und ich wage dies um so eher, als es mir genügt den Codex auf vier Wochen benutzen zu können. Wenn Sie es über sich nehmen wollen mir denselben auf diese kurze Frist zukommen zu lassen, so ist die Sache damit erledigt und ein nicht unwichtiger Baustein für unser Werk gewonnen.

---

1) Nunc in Bibliotheca Amstelodamensi est I D 27, vid. Catalogus der Handschriften II (1902) sub n° 885.

2) Immo a Davide Blondel exaratum testatur qui Codicum Catalogum illum confecit amicus Mendes da Costa.

Ich habe aus dem schönen Holland manche freundliche Erinnerung mitgenommen und für das Unternehmen, dessen wegen ich diese Reise unternommen, überall eine wahrhaft wissenschaftliche Theilnahme gefunden; darum glaube ich auch Ihnen mit einer Bitte kommen zu dürfen, die ich sonst unterdrücken würde. Genehmigen Sie die Versicherung meiner Hochachtung und Ergebenheit.

Berlin, Neuenburger Strasse 31 Mommsen.
30 Oct. 1861.

Möchten Sie die Gefälligkeit haben Hern. Lodeesen mitzutheilen, dass der Catalog der dortigen Stadtbibliothek der hiesigen königlichen Bibliothek bereits früher als Geschenk zugekommen sei, und dass derjenige unserer Handschriften, so weit er erschienen, demnächst als Gegengabe der dortigen Bibliothek zugehen werde. Hr. Pertz hat sofort bei der Regierung der erforderlichen Antrag gestellt und dessen Gewährung ist selbstverständlich.

III.

Bootio V. C. Mommsenus S. P.

Petiisti a me, ut copiam tibi faciam collationis eius quam dum Florentiae moror ante annos paene viginti confeci Ciceronis ad Atticum epistularum libri Medicei. Ignoras autem id per me impetrari non posse, cum ex Italia redux collationem hanc cesserim optimo amico Mauricio Hauptio de omnium epistularum Ciceronis tunc cogitanti editione, qua in editione ego quoque quodammodo socius eram futurus. Iam quamquam editio haec nostra quae futura erat haud scio an numquam publicam lucem sit visura, tamen tu intellegis non meam esse de ea re potestatem, sed Hauptii, a quo ipso Hoffmannus quoque obtinuit, ut partem subsidiorum meorum edere sibi liceret.

Recte vero facis, quod huius corporis editionem paras commentario instructam. Nisi tot negotiis distinerer, maxime eo, quod omnem lapidem ut moveam iratus credo mihi Iupiter imposuit, vellem ad propositum olim susceptum a tuo non admodum abhorrens reverti; iam non restat nisi ut gratuler mihi de tanta spe, quantam nobis facis. Specimen quod misisti libenter accepi. Scripsi Berolini d. Iul. 6 1864.

IV.

Theodorus Mommsenus I. C. G. Bootio S. P. D.

Grato animo, Vir Clarissime, ex litteris Tuis intellexi paratum Te esse ad mittendum librum scriptum bibliothecae publicae Vestrae, quem in itinere nuper perfecto inspexi coeptaeque syllogae inscriptionum Latinarum aliquod incrementum allaturum esse vidi. Nolim tamen in tali negotio uti librariorum opera lenta certe nec satis tuta, a qua in huiusmodi negotiis perficiendis adhuc sedulo abstinui neque unquam codicem scriptum nisi per tabellarios publicos misi. Quare rogo Te ut librum illum per eos ipsos ad me destines meo scilicet sumptu, neve domus in qua habito accuratam indicationem adscribere omittas. Propediem eademque via ad Te redibit.

Dalianum codicem quod inspecturum Te esse mea causa promisisti non rogatus, gratum fuit adeoque iucundum; sublevat enim animum improbo illo labore defessum et quodammodo fractum operis societas ab optimis quibusque doctissimisque viris ultro suscepta. Quamquam non multum in schedis illis Te reperturum esse existimo, quod copias nostras augeat; certe editi eiusdem auctoris libri nullis nisi editarum syllogarum subsidiis instructum eum fuisse ostendunt.

Boeckhium, quem recentibus honoribus laboribusque minime fatigatum vegetum hilaremque laetus vidi, Tuo nomine ut iussisti salutabo. Siquid habebis, quod hic curatum velis, fac me certiorem.

Berolini, Neuenburger Strasse 31
5 Nov. 1866.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM PRIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1903.

MNEMOSYNE

Bibl. Phil. Bat.

NOVA SERIES

VOL. XXXI

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.

VOLUMEN TRICESIMUM PRIMUM. PARS I

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1903.

INDEX.

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

M. T. Cicero. Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad suum quaeque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. . . . . . . *f* 8.50.

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. *f* 7.—.

——— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. *f* 7.—.

——— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. . . . . *f* 7.—.

——— Hyperidis Orationes duae 'Ο ἘΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ et 'ΥΠΕΡ ΕΥΞΕΝΙΠΠΟΥ. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. *f* 1.50.

——— Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. . . . . *f* 3.50.

——— De Philostrati libello ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗΣ. 1859. 8°. . - 1.25.

——— Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. Editio altera. 1884. kl. 8°. . . . . *f* 0.60.

——— Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. tertia, quam curavit J. J. Hartman, 1891. 8°. . . . . *f* 1.20.

——— Xenophontis Expeditio Cyri. Editio quinta, quam curavit C. C. Mauve. 1892. 8°. . . . . *f* 1.20.

——— Xenophontis Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatior. 1888. 8° . . . . *f* 1.20.

J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. . . . . . - 0.45.

——— Coniectanea Latina. 8°. . . . . - 0.60.

——— Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.

——— Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. . . . . - 0.30.

——— Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. . . . . . . - 0.90.

I. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae . . . . . - 1.50.

Dr. H. T. Karsten, De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. *f* 0.80.

——— Spicilegium criticum. 1881. 8°. . . . . - 0.80.

H. W. van der Mey, Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. . . . . . . *f* 0.75.

E. Mehler, Luciani dialogi quattuor. Graece. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum . . . . *f* 1.90.

Dr. J. S. Speijer, Latijnsche spraakkunst:
1ste stuk. Flexie en etymologie. 2de druk. 1883. . . . *f* 1.90.
2de stuk. Syntaxis. 2de druk. 1884. . . . . - 1.90.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . . *f* 30.—.

——— Nova series scripserunt C. G. Cobet, C. M. Francken, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XXXI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton. 1873—1903. 8°. pro vol. *f* 5.25.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN, J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ, M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM PRIMUM. PARS II.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1903.

INDEX.



MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.

VOLUMEN TRICESIMUM PRIMUM. PARS III

LUGDUNI-BATAVORUM

E. J. BRILL.

LIPSIAE,

O. HARRASSOWITZ.

1903.

INDEX.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN, J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ, M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

INDEX

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM. PARS II.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

INDEX

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM. PARS III.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

INDEX.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

INDEX

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

M. T. Cicero. Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad suum quaeque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. . . . . . . *f* 8.50.

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. *f* 7.—.

—— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. . . . . *f* 7.—.

—— Hyperidis Orationes duae Ὁ ἘΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ et Ὑπὲρ Εὐξενίππου. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. *f* 1.50.

—— Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. . . . . *f* 3.50.

—— De Philostrati libello ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗΣ. 1859. 8°. . - 1.25.

—— Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. Editio altera. 1884. kl. 8°. . . . . *f* 0.60.

—— Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. tertia, quam curavit J. J. Hartman, 1891. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Expeditio Cyri. Editio sexta, quam curavit S. J. Warren. 1898. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatior. 1888. 8°. . . . . *f* 1.20.

J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. . . . . . - 0.45.

—— Coniectanea Latina. 8°. . . . . - 0.60.

—— Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.

—— Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. . . . . - 0.30.

—— Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. . . . . . . - 0.90.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae . . . . . - 1.50.

Dr. H. T. Karsten, De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. *f* 0.80.

—— Spicilegium criticum. 1881. 8°. . . . . - 0.80.

H. W. van der Mey, Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. . . . . . . *f* 0.75.

E. Mehler, Luciani dialogi quattuor. Graece. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum . . . . *f* 1.90.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . *f* 30.—.

—— Nova series scripserunt C. G. Cobet, C. M. Francken, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XXXII colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton. 1873—1904. 8°. pro vol. *f* 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.